SCHOLIA ET NOTÆ IN CANONES ET DECRETA GENERALIUM AC PROVINCIALIUM SYNODORUM.

SYNODORUM GENERALIUM AC PROVINCIALIUM DECRETA ET CANONES,

Scholiis, Notis, ac Historicâ Actorum dissertatione illustrati,

PER F. CHRISTIANUM LUPUM, IPRENSEM,

ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI, Sacræ Theologiæ in Lovaniensi Academia Doctorem & Professorem.

PARS PRIMA,

Complectens Synodum Nicænam, Sardicensem, Constantinopolitanam, Ephesinam, Chalcedonensem, & quintam generalem.







BRUXELLIS,
Typis FRANCISCI FOPPENS, sub signo sancti Spiritûs.

M. DC. LXXIII.

SYNODORUM

GENERALIUM

AC PROVINCIALIUM

DECRETA

ET

CANONES,

Scholiis, Notis, ac Historicâ Actorum dissertatione illustrati,

PER F. CHRISTIANUM LUPUM,

IPRENSEM,

Ordinis Eremitarum S. Augustini,

Sacræ Theologiæ in Lovaniensi Academia Doctorem & Professorem.

PARS PRIMA,

Complectens Synodum Nicænam, Sardicensem, Constantinopolitanam, Ephesinam, Chalcedonensem, & quintam generalem.





BRUXELLIS,

Typis Francisci Foppens, sub signo sancti Spiritus.

M. DC. LXXIII.

SANCTISSIMO, BEATISSIMOQVE

PATRI

AC

DOMINO NOSTRO,

ALEXANDRO

SEPTIMO,

ECCLESIÆ CATHOLICÆ

PONTIFICI

OPTIMO MAXIMO.

BEATISSIME PATER,



Vpremus Romanæ Cathedræ, etiam ſupra Generales Eccleſiæ Synodos, Primatus nullum firmius atque lucidius, quàm ab iſtis ipſis Synodis habet teſtimonium. Quod ipſa Nicæna ſupra illam nihil fuerit auſa conſtituere, teſtatur in literis ad Theſſaliæ Epiſcopos ſanctus Pontifex Bonifacius primus. Et edicit cauſ- Epiſt. 9.
ſam: Quòd videret nihil ſupra meritum ſuum poſſe

conferri, omniaque huic Domini sermone concessa. *A Synodis enim* celebrata ac venerata, *nequaquam* donata sunt *sancti Petri Privilegia: Adeò ad illius adponendas voces*, Secundùm Canones, *nullis Græcorum in Florentino Concilio precibus sese inflecti rectè passus est Eugenius quartus. Hoc ipsum adversùs Eusebianam in Philippopolitano conventiculo Factionem monstrare, supremumque Romanæ Appellationis atque Evocationis apicem ab inauditis usque huc sub sole calumniosis insultibus evincere, fuit unicus scopus Synodi Sardicensis. De Ecclesiæ Christianæ monarchia in aristocratiam, ac omnium Patriarcharum parem Divino Iure potestatem transverti attentata Eunuchus Photius frustrà glorietur: Resorbuit vomitus Arianos. Ab eisdem, nec non & ab Ephesino Dioscori Pseudo-Patriarchæ Alexandrini Latrocinio didicit in Romanorum Pontificem latrare degradationis convicium, damnatum solennissimè à laudata Sardicensi Synodo, Octava item, & omnium maxima Chalcedonensi, exprimente caussam: Quòd* vineæ custodia illi à Salvatore commissa sit, *Generali Synodo* præsit ut caput membris, *& uti* filijs Paterna Summitas, *adeòque ista in ipsum* infamia non possit extendi. *Antiochenam Ecclesiam ex Apostolico Canone semper fuisse directam & judicatam à Romana, palàm in Ephesina Synodo professus est Iuvenalis Hierosolymæ Patriarcha Ea ipsa Synodus Nestorij Patriarchæ Constantinopolitani damnationem non fecit, sed à Celestino Pontifice factam probavit dumtaxat, atque in executionem misit. Ejusdem Celestini Legatis judicandum sese submisit istic*

Nicol. 1. Epist. 3.

san-

*sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus. Ad plenam Chal-
cedonensem prima à sancto Paschasino, Lilybeti apud Si-
culos Episcopo, sancti Leonis Pontificis Vicario & Legato,
sonuit vox :* Urbs Roma est caput omnium Eccle-
siarum. Nos contra Præcepta beatissimi atque
Apostolici Papæ venire non possumus. *Quoniam
solæ à Romano Episcopo delegatæ caussæ possint per Gene-
ralem Synodum tractari. Addidit ad eumdem spectare om-
nium agendorum propositionem, primumque de illis suffra-
gium. Vigilius Pontifex in suo ad Iustinianum Augustum
& Quintam Synodum Constituto adfirmat istum esse anti-
quum ordinem & regularem. Quare ad suos in Græcia ami-
cos, faciendam cum Latinis unionem suadens, non sine fun-
damento scribit vir insigniter orthodoxus Barlaamus Epi-
scopus Gyracensis:* Non eò quòd sit majoris auctori- Epist. 1.
tatis, & magis possit generale Concilium, quàm
Apostolica Sedes, generalia cõgregantur Concilia,
sed quia incidentes quæstiones difficiliores sint, &
majori indigeant discussione. *Etenim Generalis Sy-
nodi palmare officium est dogmaticas Romani Pontificis ad
sese literas, utpote ejus de mota quæstione judicium, discute-
re, unanimi omnium Episcoporum suffragio comprobare, re-
calcitrantes Romam mittere puniendos, ipsumq; Pontificem
lætâ voce adclamare novum Paulum Apostolum, aut novum
Petrum. Ita sancto Celestino Ephesina, Chalcedonensis san-
cto Leoni, sancto Agathoni Sexta, Septima Adriano primo,
Adriano secundo Octava adclamavit. Ab eisdem habemus
Romanum Episcopum esse totius Synodi verticem, Patrem*

Pa-

Patrum, Episcoporum Episcopum, omnium Patriarcharum & totius mundi Patriarcham, Episcopum universalem, Episcopum Pontificalißimum, Principalem Sacerdotem, omnium ubique malorum Catholicißimum Medicum, Primatem totius Ecclesiæ, Patrem ac Pastorem totius mundi, totius mundi columnam ac illuminatorem, avitum orthodoxi dogmatis fundamentum, immobile ac fixum firmamentum fidei & formam lucidißimam, rectæ prædicationis fontem omnibus Ecclesijs, sancti Petri Apostoli interpretem, cujus authoritatem ex avita Apostolorum traditione semper amplexa sit omnis sub cœlo Ecclesia, omnis œcumenica Synodus, omnis Ecclesiæ Pater, & cui solæ hæreses refragentur. Ab eisdem habemus laudatas dogmaticas literas esse sancti Petri Apostoli propriam vocem, directorem Synodi oculum, orthodoxæ fidei anchoram, titulum, columnam, fundamentum, cui adsentire nolle sit insanire in ipsum Apostolorum verticem, sanctum Petrum. Ab eisdem habemus Romanam Cathedram esse incontaminabilem Catholicæ communionis radicem, infallibilemque controversiarum judicem, à nullo unquam insessam aut insideri poßibilem Errone Episcopo, utpote cujus fidem ex nulla diaboli cribratione defecturam Dominus promiserit, & qui deficientes ab illa fratres confirmare debeat, & hodie usque confirmarit. Ita ex totius Orientalis Concilij nomine insigniter apud sanctum Leonem
Ep. 113. 116. *Pontificem profitetur Theodoretus Cyrensis in Eufratesia provincia Episcopus, in datis ad se à sancto Agathone Pontifice literis sexta Synodus, & Octavæ Episcopi singulatim omnes in libello Romano, per Nicolaum primum præscripto,*

to, & per Adrianum secundum confirmato. Quocircà Orthodoxi quidam, infallibile Romani Episcopi de dogmate judicium opinantes esse solius Latinæ Ecclesiæ Adsertum, plurimùm hallucinantur. Commiseratione digni sunt infælices Europæ populi, quos Martinus Lutherus & Ioannes Calvinus, homines impurissimi, circumscripsere ut garriant Romanum Episcopatum esse turrim Babylonicam, ex adsiduis alienæ potestatis per minuta frusta rapinis evectam in molem hodiernam & typhum. Et hic est vomitus Eusebianus, Liberio Pontifici primùm eructatus in faciem à Constantio Augusto, satellite factionis. Hæc, Patrum cordibus in devios filios reducendis aptissima, demonstrari scio longè gratissimum SANCTITATI VESTRÆ, *utpote cujus pectus inhabitet & regat sanctus ille Spiritus, ex quo ad Sabinianum, suum Diaconum ac in Regia civitate Apocrisarium, scripsit sanctus Gregorius magnus:* Ante paratior sum mori, L. 7.
quam beati Apostoli Petri Ecclesiam in meis die- Epist. 1.
bus degenerare. *Et jure merito. Vbi namque Romanum Episcopum esse immobilem Ecclesiæ Petram, ac inflexibilem recti dogmatis custodem persuaserimus, vicimus & Christo Domino acquisivimus omnes ubique gentium & Hæreticos & Schismaticos, cunctaq; sub sole Christianitas erit populus unius de Deo labij & sermonum eorumdem. Germanè Apostolico* VESTRÆ SANCTITATIS *studio servire, ac Patres suos, fidos semper Romanæ Ecclesiæ pugiles, imitari omni conatu nititur Alma hæc* SCHOLA LOVANIENSIS, *per vestros sanctæ memoriæ Antecessores multis, uti dilectissima filia, donata gratijs, privilegijs, prærogativis,*

gativis, per VESTRAM *autem* PATERNAM BENIGNITATEM *post altissimè jam sepultas & deinceps non memorandas contentionum miserias restituta in avitam, omni privilegio aut dono eminentiorem, dudùm optatæ pacis fælicitatem. Quamobrem apud Lovanienses*, BEATISSIME PATER,

Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt,

atque memoria BEATITVDINIS VESTRÆ *erit in perpetua benedictione. Ego verò filiorum tuorum minimus hæc Scholia & Notas, quales-quales conatus meos, ad sacros* VESTROS PEDES *provolutus, summa, quâ par est, animi submissione Dico, ut debeo: Nempe qui innumeris, sanè non exiguis, titulis obstrictus, quod ad sanctum Ivonem Carnutensem Episcopum scribit Goffredus Abbas Vindocinensis*, Romanæ Ecclesiæ totum me debeo, omnique tempore fidem servabo, cum qua & adversitatem sustinere opto, & sine qua prosperitatem habere recuso. *Ita profiteor Lovanij, Kalendis Ianuarijs, anni Christiani* 1665.

L. 2. Ep. 8. 9.

SANCTITATIS VESTRÆ

Minimus Filius,

Fr. CHRISTIANVS LVPVS.

A D

QUanti sit antiquorum Canonum peritia ac rectus intellectus, docet sanctus Augustinus, qui Episcopo suo Valerio adversùs octavum Nicænum Canonem superordinatus Co-Episcopus, verbo postmodùm & scripto errorem improbavit, *Nec quod sibi factum esse doluit, alijs fieri voluit. Vndè etiam sategit, ut Concilijs statueretur Episcoporum, ab Ordinatoribus deberi Ordinandis vel Ordinatis omnium statuta Sacerdotum in notitiam esse deferenda.* Dùm item Episcopus Sardicensem Synodum à Philippopolitano Conventiculo distinguere nescijt, nescijt & unum è palmaribus Donatistarum pro suo schismate fundamentis ad fundum exhaurire. Ex Sardicensium Canonum ignorantia non solus S Augustinus, sed & cum plena Africana Synodo Carthaginensium Archi-Episcopus Aurelius incurrit quinti Nicæni devium intellectum, longamque illam & miserabilem de Romanis Appellationibus atque Evocationibus contentionem, sub Zozymo Pontifice cæptam, & priùs sub Bonifacio secundo exstinctam. Alios quoque gravissimos Ecclesiæ Patres ex data hisce rebus non plena opera novimus non parùm lapsos. Quid dicam de Doctoribus Scholasticis? Palàm lucet negligi ab illis antiquos Canones, & raros hìnc indè ipsorum disputationibus insertos non pro digno & vero tractari. Græcorum Schismaticorum capitalis in nos Latinos calumnia est Canonum prævaricatio, ex qua inflictum per istos ipsos Canones prævaricatoribus anathema incurrerimus lapsi extra orthodoxam communionem, veraque Christianitatis forma sit ad ipsos solos contracta. Est falsa ac stulta calumnia; reverà tamen ex quo antiquorum Canonum, & intelligendorum & observandorum, cura apud nos cæpit tepescere, irrepere in scholas cæpit subtiliter disputandi & probabiliter opinandi licentiosa cum prurigine & sine fræno libertas: E scholis in Ecclesiæ ambones, & hìnc in fidelis populi mores transijt, atque ità purum avitæ, moralis præsertim, Theologiæ vinum cænosa humanæ per peccatum obscuratæ rationis aqua miscuit, & lucidum Evangelicæ vitæ aurum vertit in scoriam multæ corruptionis. Patrum cordibus in filios reducendis nulla via compendiosior, quàm reditus, verùm sale conditus, ad antiquos, nostris novissimorum temporum infirmitatibus congruos, Canones, quos sanctus Leo magnus altâ voce prædicat esse Spiritu Dei conditos, totius mundi reverentiâ consecratos, & usque ad sæculi finem, utique in Electorum cordibus, permansuros. Hâc spe octo primarum generalium Synodorum Canones commentari sum conatus, alios quosvis deinceps conaturus. Quin in multis cespitaverim, immò & lapsus sim, non dubito, ideòque impendi mihi precor Christianam fraternæ charitatis gratiam, laudatam à Regio Propheta: *Arguet me iustus in misericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Quod usque dum, LECTOR BENEVOLE, facias, Fratris Christiani Lupi peccatoris apud communem nostrum in cœlis Patrem & Dominum recordare.

SUMMA PRIVILEGIJ REGIJ.

CAutum est Regiæ Majestatis Privilegio, ne quis intra Novennium citra Viduæ *Bernardini Masii* voluntatem imprimat, aut alibi impressum in hasce Ditiones invehat Librum intitulatum, *Synodorum Generalium ac Provincialium Decreta & Canones, Scholijs, Notis, ac Historicâ Actorum dissertatione illustrati per* Fr. CHRISTIANUM LUPUM, *Iprensem, Ord. Erem. S. Augustini Sacræ Theologiæ in Lovan. Academ. Doct. ac Profess. Pars prima complectens Synodum Nicænam, Sardicensem, Constantinopolitanam, Ephesinam, Chalcedonensem, & Quintam Generalem.* Sub pœnis in originali Diplomate contentis, dato Bruxellæ, die 2. Martij 1662.

& signato

LOYENS.

CENSURA

Admodùm Reverendi, Amplissimi, atque Eximij Viri, *D. Iacobi Pontani*, S. Theol. Doctoris ac Professoris, Insignis ad sanctum Petrum Collegiatæ Ecclesiæ *Decani*, Privilegiorum Academiæ Lovaniensis Conservatoris Apostolici, nec non Regij Librorum Censoris, &c.

HÆc Scholia R^di. & Eximij Patris CHRISTIANI LUPI *S. Theolog. in Lovaniensi Academia Doctoris ac Professoris, in Generales & Provinciales Synodos, sacrorum Canonum sensum genuinum dilucidè exponunt, & Historiam Ecclesiasticam eruditis Dissertationibus multùm illustrant: Magnam eapropter utilitatem allatura, cùm in publicum prodierint. Dat. Lovanij die* 19. *Novemb.* 1664.

JACOBUS PONTANUS S. Theol. Doctor & Professor, ac Librorum Censor.

LICENTIA

Reverendissimi *P. Petri Lanfranconij*, Prioris Generalis Ord. Eremitarum S. Augustini.

VT Opus, cui titulus (*Generalium, ac Provincialium Synodorum Decreta & Canones, Notis, Scholijs, ac Historicâ Dissertatione illustrati*) à R. P. CHRISTIANO LUPO Ord. nostri in Alma Academia Lovaniensi Sacræ Theologiæ Doctore & Professore elucubratum, Typis mandari possit, de licentia tamen eorum, ad quos spectat, facultatem facimus & impertimur. Dat. Anconæ in Conventu nostro S. P. Augustini, die 14. Junij 1663.

F. PETRUS LANFRANCONIUS,
Anconitanus, Prior Generalis.

Magister Fr. Aurelius Mancinus, Secretarius.

LICENTIA

Admodum Reverendi ac Eximij *P. Petri de Vos*, S. Theol. Doctoris, nec non Prioris Provincialis Eremitarum S. Augustini.

EGo F. *Petrus de Vos*, S. Th. Magister, Ord. Erem. S. P. Augustini per Germaniam inferiorem Prior Provincialis, do R. ac Eximio P. Mag. CHRISTIANO LUPO S. Th. Doctori & Professori facultatem edendi in lucem librum, cui inscriptio est (*Generalium, ac Provincialium Synodorum Decreta & Canones, Notis, Scholijs, ac Historicâ Dissertatione illustrati*) Si ijs ad quos spectat debitur. In cujus rei fidem his propriâ manu subscripsi, Bruxellis in Conventu nostro S. Apolloniæ, 14. Aprilis, 1664.

Fr. PETRUS DE VOS,

Prior Provincialis.

APPROBATIO

Admodum Reverendi atque Eximij viri, *P. Ioannis Rivij*, S. Theol. Doct. ac Profess. Erem. S. August. per Belgium nuper Prioris Provincialis, &c,

VTi primi & originarij sacræ Theologiæ fontes, Scripturæ sunt Divinitùs inspiratæ, ac singulari Numinis providentiâ Ecclesiæ, atque in ea mortalibus traditæ, non tantùm ad excitandam voluntatem, verùm etiam illuminandum intellectum; ità proximi ab hisce fontibus rivi sunt Conciliorum, præsertim Oecumenicorum in Spiritu sancto congregatorum, Canones sive Sanctiones: Ac postremò sanctorum Ecclesiæ Patrum dogmata, partim è sacris literis, partimque è Canonibus quos dixi hausta: Ut non ineptè in hisce tribus, tamquam incorruptissimis thesauris, recondita sit omnis de Deo in primis ac Sacramentis ejus scientia & sanctitas: Ecclesiastici porrò totiùs regiminis forma, quatenùs Hierarchiam spectat, seriemque credendorum; ac demùm virtutum ac bonorum operum honestas, ut studiosè excolantur, & peccatorum vitiorumque turpitudo, ut impigrè fugiantur. Et ut quidem hactenùs Eximiorum Theologorum labor & industria desudarit in Scripturarum ac Patrum sensis sensuque eruendis, visa tamen fuit Canonum doctrina quadamtenus si non præterita, certè minori quam par erat exercitatione culta. Hinc contigit à Scholis plerumque exulâsse exactam Antiquitatis Ecclesiasticæ notitiam, perperam intellectos fuisse, imò ignoratos veteris Ecclesiæ Canones, ac loco claritatis & certitudinis historicæ sedisse conjecturas hominum, qui acuto quidem ingenio pollebant, sed pro liquida veritate tenebras sæpè suas, imò somnia promebant. Tantò proindè majori laude digna studia conatusque sunt Reverendi & Eximij Patris ac M. N. CHRISTIANI LVPI, Ord. Eremit. S. P. Augustini, S. Theol. Doctoris & Professoris in Academia Lovaniensi, qui materiam & argumentum nullius antè quod sciam sale tritum sectatus, eâ illud doctrinæ, tum Theologicæ tum Historicæ, ac præsertim Ecclesiasticæ, varietate ac soliditate excussit exhausitque, ut nesciam utrùm huic ejus operi prodierit aliquid hoc sæculo par aut secundum. Neque enim ejus lectione ac versatu continuo soli discipuli, sed proficient etiam Magistri: neque soli Theologi, sed quotquot fugitivam Antiquitatem doluerunt hactenùs communi Scholarum & Academiarum damno, ab animis mentibusque mortalium tam longè diuque abstitisse. Quotquot igitur studij temporisque fructum facere promptum, paratumque, pænitendum nunquam vultis, hosce Scholijs & Notis illustratos Conciliorum Canones

Nocturnâ versate manu, versate diurnâ.

Ratisponæ, Kal. Octobris, 1663. in Comitijs S. R. Imperij,

Fr. JOANNES RIVIUS, *Ord. Erem. S. Augustini Ex-Provincialis S. Theol. Doctor & Professor.*

EXIMIO PATRI,

DOMINO AC MAGISTRO NOSTRO,

CHRISTIANO LVPO

IPRENSI,

ORDINIS EREMITARVM S. AVGVSTINI,

IN LOVANIEN. ACAD. S. TH. DOCTORI AC PROFESSORI,

Evulganti Scholia & Notas in Generalium Synodorum Decreta & Canones,

SUB PATROCINIO

SANCTISSIMI, BEATISSIMIQVE PATRIS

AC

DOMINI NOSTRI,

ALEXANDRI SEPTIMI,

PONTIFICIS

OPTIMI MAXIMI.



EXimijs ſurgit titulis, nec diſpare greſſu
Incrementa capit, *Grudiorum* illuſtre Lycæum,
Alma Parens Sophiæ, *Romanæ* filia ſedis.
Obſequio cujus parens tot protulit olim
Ingenio præſtante viros, & fortibus auſis,
Belgiacæque procul fugitivas finibus oræ,
Artes Palladicas meritas revocavit in arces.
Nec ſterilis modò, præclaros enixa Magiſtros,
Tot fœtas rerum mentes, pulchroque labori
Inſtantes animas, Divinæ oracula mentis
Pandere quas juvat, aut ſtudijs inſiſtere Patrum,
Et cœli monſtrare vias, aut condere faſtos,

Geſta-

Gestaque priscorum venturo prodere sæclo.
Quéis se inter primos, non inferiora secuti,
Zonigerâ de gente Patres, magno ordine jungunt.
Omnibus idem ardor matrem defendere scriptis.
His Lupe, te non indecorem Scriptoribus infers,
Magna Patris magni soboles, decus addite doctæ
Flandrigênum genti, *Grudiorum* lumen, ephebi
Delitium Phœbi. Siquidem vix nomen Eremo
Aureli dederas, hìc nîl vulgare volutans,
Nîl sapis abjectum, tibi dum sapit inclyta virtus,
Doctrinæque decor. Genij præstantibus ausis,
Palladij à Sophia ducunt cunabula fasces.
Quin juvenis Patrem spiras, dum commoda spectans,
Et populi commune bonum, quæ pectore condis,
Eructas, præclara ferunt monumentaque lucem.
Obstupuit Phœbus, Pallasque exporgere frontem
Visa fuit, doctæ cernens exorsa juventæ.
Progrederis, nec te scribendi deserit ardor.
Mox in Desertum properas, ortisque disertus
Germinibus, patrio rationum umbone retundens
Adversas acies, genuinum adscribis honorem.
Sic studij in stadio sudas, tantosque labores
Invictâ cervice subis, durantque sub illâ
Mole humeri: Ipsa etiam majus sibi postulat ultrò
Mens onus, & tantis animosa accingitur ausis,
Quæ nulli, aut certè pauci tentâre priorum.
Eruerint alij Scripturæ arcana, Patrumque
Sensa indagârint vigiles: Haud infima, sanctis
Dogmata Concilijs sancita evolvere, laus est;
Quéis perstat trinis Ecclesia nixa columnis.
Ut fugitiva scholis, retrò sublapsa referri
Hæc Decreta vides, quorum ignorantia multis
Errorum tenebras & nubila mentibus auxit;
Neglectum haud patiens, verique accensus amore,
Hoc, calamo mox crimen, ais, commune refellam.
Hinc vitæ pars nulla vacat, sed tempora curis
Sunt distincta suis. Solers oracula Patrum
Consulis, & sacris latices è fontibus hauris,
Præcipuè *Augusti* curas augusta *Parentis*
Scripta, laboranti vix intellecta cerêbro.

Indagas quidquid Romanæ induſtria pennæ
Prompſit, vel Graiûm ſapuit veneranda vetuſtas.
Sic Lupe prædaris, cunctiſque voracia libris,
Ora patent. Hinc rapta tuos ſeponis in uſus,
Impatiens otî, totúſque in imagine ſcripti es.
Tantæ molis erat Canones revocare fugaces.
Gaudete ô *Grudij*. Rapuit quas ſedulus eſcas,
Dividit ecce Lupus. Grandis monumenta laboris
Exſpectata diu, tandem ſub luminis oras
Venerunt, complexa ſinu memorabile quidquid
Pontificum Decreta tenent, quæ reſpuit uſque
Hæreſis, utque ſuis adverſas artibus artes
Deteſtata fuit. Sua iam decreſcere rurſus
Regna dolet, dum mille doli, molimine tali,
Erroreſque patent oculis, mendacia mille.
Chriſtiadum aſt magno ſe attollet robore virtus,
His firmata Notis, cùm tantùm cognita priſcis
Nomina temporibus, Regumque Patrumque labores,
Relligio, veterum ritus, res pace vel armis
Egregiæ, & qui Concilijs malè conſulit error,
His Scholijs detecta ſcholis. Quin tota vetuſtas
Dudum ignota orbi, cæciſque ſepulta tenêbris,
Nota fit, & totum ſurgit rediviva per orbem.
Zoilus audaces nequaquam illidere dentes
Audeat his ſcriptis; Lupus eſt in fabula. Abito
Livor iners. Hic dente potens tua comprimet ora.
At tu *Roma* virum, Canonum qui firmus honorem
Excepit labentem humeris, quo vindice rurſus
Naſceris, atque tuæ ſpectas molimina ſedis,
Aſpice, hic eſt ſacram qui ſcriptis reſtituit rem.
Quod precor, evenit. Scholijs Schola ſacra peractis,
Lætitiæ dat ſigna ſuæ. Sua gaudia plenis
Effundit ſtudijs, vultuque arridet amico,
Et ſibi Depoſitum tam nobile *Roma* repoſcit.
Macte animi, macte ingenij clariſſime Scriptor.
Virtuti Sophiæque favens, ſacer ordo ſenatus
Purpurei applaudit. Tibi Tybridis inclytus Heros,
Urbis & orbis apex, de collibus annuit altis.
Quoque laborantem ſuſtentat *Maximus* orbem

Nu-

Numine *Alexander*, molimina prima Patronus
Fulcit, & eximio *Flavius* fovet altra favore.
Perge fovere Lupum *Pastor sanctissime.* Talis
(Nota loquor) vestro non insidiatur ovili.
Nil habet ille Lupi, placidis qui moribus agnum
Exprimit, atque sibi demit demissus honores,
Quos pudibundus habet, nec dant fastigia fastum.
Ast si fœda lues, tactu quæ sacra profanat,
Bella Lupi moveant: Hic acuti dentis & oris,
Pro grege, proque fide, sacras tueatur ut aras,
Hostiles irrumpet haras, instabit & istis
Triste Lupus stabulis, & strictis faucibus ora
Comprimet, ac prædas feret haud inglorius antro.
Tu quoque perge Pater sanctis incumbere curis,
Dum vires tulerint. Tibi se illustranda reservant
Quæ restant Decreta Patrum. Si Numina doctos
respiciant ausus: Ingens te gloria tanto
Pro sudore manet. Memores volventur in annos
Qui rerum sistunt fugitiva oblivia libri.
Cumque libris tu vive diu. Vitæ ille meretur
Pærmia, qui vitam fastis pereuntibus addit.

Pangebat benevolentia affectu Fr. Joannes Huyssens *Aug. in Gymn. literario M.P. Augustini Lovanij Poësios Professor.*

SCHEMA

SCHEMA.

Synodorum, quæ Parte primâ Scholijs ac Notis illustrantur, locum, tempus, &c. summatim repræsentans.

Series.	Nomina.	Annus.	Pontifex.	Præsidens.	Episcoporũ numerus.	Imperator.	Caussa seu occasio.
1.	Synodus Nicæna, coacta Nicææ in Bythinia. 1. 99.	325. P. 19.	S. Sylvester P. 97. Pontificatus anno 12. P. 97.	Hosius Episcopus, Vitus & Vincentius Presbyteri Romani. P. 94.	318. P. 96.	Constantinus Augustus Imperij an. 20. P 97. & 117. Paulinus & Julianus Consules. P. 96.	Arij hæresis. P. 103.
Nicænę Appendix.	Sardicensis, Sardicæ in Dacia mediterranea. P. 187.	347. P. 191.	S. Julius I. P. 188. Anno Pontif. 11.	Hosius Episcopus, Archidamus ac Philoxenus Presbyteri, ac Leo Diaconus, Romani. P. 188	344. P. 90.	Constans ac Constantius Augusti. Imprij an. 8. Ruffinus ac Eusebius Consules. P 191.	Eusebiana factio. P. 187.
2.	Constantinopolitana I. Constantinopoli in Thracia dicta II. Synodus. P. 27.	381. P. 275.	S. Damasus, Pontific. anno 15. P. 275.	Gregorius Nazianzenus Episcopus Constantinopolitanus post eum Nectarius, successor, P. 290.	150. P. 273.	Theodosius Augustus Imperij an. 3. Eucherius & Syagrius Consules. P. 275.	Hæresis Macedonij & Apollinarij. P. 273.
3.	Ephesina, Ephesi in Asia, dicta III. Synodus. P. 401	430. P. 402.	S. Celestinus P. 395. Pontific. an. 4. P. 402.	Cyrillus Episcopus Alexandrinus. P. 395. Arcadius & Projectus Episcopi, & Philippus Presbyter Cardinalis. P. 80.	200. P. 399 & 400.	Thedosius Junior Augustus. Imp. a 23. Valentinianus tertius Augustus. Impe an. 5 P. 402.	Hæresis Nestoriana. P. 394.
4.	Chalcedonensis, Chalcedone in Bythinia. dicta IV Synodus. P. 6,6.	451. P. 630.	S. Leo Pontif. an. 12. P. 630.	Paschasinus, Lucentius Episcopi, Bonifacius Presbyter Romanus. P. 632.	630. P. 653.	Martianus Augustus, Imperij an. 1. P 630. Martianus Augustus & Clodius Adelphius Consules. P. 6,0.	Eutychianorum Acta in Latrocinio Ephesino. P. 629.
5.	Constantinopolitana II dicta V. Synodus. P. 704.	554. P. 7,7.	Vigilius. P. 734. Anno Pontific. 18. P. 787.	Vigilio P. Synodum, recusante, Patriarchæ, sine Rom. Pontificis auctoritate, præfuêre P. 764 764.	165. P. 737.	Justinianus Augustus Imperij an. 27. post consulatum Basilij. an. 13. P. 737.	Tria Capitula ac Hæresis Origenis. P. 726.

SYNOPSIS CANONVM ET CAPITVLORVM,

Qui hâc primâ Parte exponuntur.

SYNOPSIS CANONVM NICÆNÆ SYNODI.

Can.

Can. 19. Paulianistæ ad Ecclesiam accedentes baptizentur. Atque ab ijs ordinati reordinentur. Etiam Diaconissæ. Si quæ verò manuum impositionem needum acceperint, inter laicas permaneant. 79.

Can. 20. Nec in Dominico nec in diebus Pentecostes orantes genua flectant. 83.

SYNOPSIS CANONVM SYNODI SARDICENSIS.

CAn. 1. Episcopus, si à parvâ civitate in aliam transmigrârit, laicâ etiam communione privetur. 127.

Can. 2. Episcopus, si fraudulento prætextu sedem mutaverit, laicam communionem ne vel in fine recipiat. 132.

Can. 3. Episcopus non nisi vocatus ad aliam transeat provinciam. Inter Episcopos discordes Episcopi comprovinciales audiant. Si quis damnatus Pontificem Romanum appellaverit; quod ipse censuerit, observandum est. 134.

Can. 4. Proponitur, an pendente depositi Episcopi appellatione, antequam Romanus Pontifex sententiam tulerit, alium oporteat substituere. 145.

Can. Si Episcopus depositus Romanum Pontificem appellaverit, poterit hic vicinis Episcopis & causæ cognitionem & judicium deferre. A quo si denuò appelletur, poterit Presbyteros à proprio latere mittere, etiam cum Episcopis judicaturos, uti ejus prudentissimo consilio visum fuerit. 147.

Can. 6. Si unicus in provincia sit Episcopus, institutioni Comprovincialium nolens assentiri; & literis rogatus non adfuerit, populi Episcopum postulantis voluntati satisfiat. Ex vicina quoque provincia ad Metropolitæ institutionem oportet Episcopos accersiri. In pagis aut oppidis Episcopus ne statuatur, sed in urbibus, ubi antehac fuêre, aut de novo in urbe admodùm populosâ. 152.

Can. 7. Episcopi pauperibus, viduis, &c. opitulentur. Ad aulam nisi ab Imperatore accersiti vel necessitatibus oppressorum subventuri non accedant. 157.

Can. 8. Episcopus, si quid Principem rogatum velit, preces per proprium mittat Diaconum. 159.

Can. 9 Episcopi precibus Metropolitæ ad Episcopum loci, in quo Princeps agit, commendatitiæ adjungantur. Amicorum in aula poterit auxilium implorari. Diaconus, si Romam transeat, preces Pontifici examinandas præbeat: A quo ad Comitatum mittantur. 161.

Can. 10. Laicus, nisi Lectoris, Diaconi, & Presbyteri munere perfunctus, Episcopus non constituatur. Inter Ordines quoque interstitia serventur. 161.

Can. 11. Episcopus ultra tres hebdomades, nisi necessitas urgeat, à sua Ecclesia non absit. 167

Can. 12. Episcopus prædia sua in aliena diœcesi curaturus accedens, in Ecclesia rurali proxima, si ultra tres septimanas ibidem commoretur, officia divina obeat. 168.

Can. 13. Clericus à suo Episcopo excommunicatus, ab altero non recipiatur. 169.

Can. 14. Clerico, qui injustè ex Ecclesia videtur ejectus, ad Metropolitam, vel eo absente, ad finitimum Episcopum licet confugere. Appellatione pendente, ne sibi communionem arroget. 170. Si verò ex superbia rem illam attentasse constiterit, acerbioribus verbis arguatur. 171.

Can. 15. Nullus Episcopus Clericum sine consensu proprij Episcopi ex aliena parochia ordinet. Ejusmodi ordinatio irrita existimetur. 172.

Can. 16. Ea decreta, quæ de Episcopis constituta sunt Canone undecimo, serventur in Clericis Thessalonicam confluentibus. 173.

Can. 17. Episcopus injustè sede pulsus ab alijs benignè excipiatur. 180.

Can. 18. Clerici à Musæo & Eutychiano ordinati suscipiantur. 181.

Can. 19 Clerici ad Ecclesias, ad quas nominati sunt, redire nolentes, non admittantur: Eutychianus ac Musæus nomen Episcopi non usurpent. Laica communio, si petiverint, ne denegetur. 182.

Can. 20. Si quis Canones fuerit prævaricatus, criminis reus est, & Episcopatus honorem ac dignitatem amittat. Episcopus qui viderit Episcopum ad aulam, ut statutum est, accedentem, ne ei sit impedimento: Si secùs, nec ejus literis subscribat, nec cum eo communicet. 183.

SYNOPSIS CANONUM SYNODI CONSTANTINOPOLITANÆ.

CAn. 1. Fides Nicæna rata permaneat, oportet. Omnis autem hæresis anathematizetur, speciatim Eunomianorum, &c. 218.

Can. 2. Episcopi sibi subjectas Ecclesias gubernent. Non invitati ultra diœcesin non accedant. Synodus Provincialis singulas Provincias administret. Antiquæ Patrum consuetudines in Ecclesijs barbaricis serventur. 221.

Can. 3. Ecclesia Constantinopolitana post Romanam Primatum habeat. 227.

Can. 4. Maximus Cynicus nec fuit nec est Episcopus: Omnisque ab eo attentata ordinatio est planè irrita. 231.

Can. 5. Antiocheni, qui unam SS. Trinitatis Deitatem confitentur, in communionem suscipiantur. 232.

Can. 6. Quilibet potest in Episcopum civiliter agere, criminaliter accusare non possunt Hæretici, excommunicati, de crimine damnati. Dumtaxat accusati etiam ad Clericorum accusationes non admittentur, nisi se insontes ostenderint. Prima judicialis de Episcopo instantia coram Provinciæ, secunda coram diœceseos, tertia coram generali Synodo fiat, oportet. 236. Accusator pœnam talionis subire sit paratus. Nemo, hoc non servato ordine, Imperatorem adeat, aut universalem Synodum perturbet. 237.

Can. 7. Ariani, Macedoniani, Sabbathiani, Novatianenses, Tessaradecatitæ, & Apollinaristæ Chrismate signati absque Baptismo in Ecclesia recipiuntur: Sed Eunomiani, Montanistæ, ac Sabelliani baptizantur. 241.

DUODECIM S. CYRILLI CAPITULA.

CApitulum 1. Emanuel verus Deus est, & ob id S. Virgo est Deipara: Illa enim Verbum Dei secundùm carnem seu humanitatem genuit. 307.

Cap. 2. Verbùm Dei secundùm hypostasim est carni unitum: Unus est Christus, Deus simul & homo. 316.

Cap. 3. In Christo est conjunctio secundùm naturalem unionem, non tantùm secundùm dignitatem vel auctoritatem. 321.

Cap. 4. Voces, quæ à S. Scriptura atque à Sanctis Christo tribuuntur, non possunt partim homini, partim Deo tanquam duabus personis attribui. 326.

Cap. 5. Christus est verus Deus, unus æ naturalis Filius, quatenùs Verbum perindè ac nos carni communicavit, non autem dici potest tantùm homo Deifer. 332.

Cap. 6. Verbum non est Christi Deus aut Dominus. Estque Verbum incarnatum unus idemque Deus & homo. 335.

Cap. 7. Christus non est tantùm vi Verbi Divini homo actus, nec gloria Unigeniti ipsi uti alteri advenit. 337.

Cap. 8. Homo assumptus tanquam alter in altero assistens non est unà cum Deo adorandus, sed unâ potiùs adoratione Emmanuel honorandus. 342.

Cap.

Cap. 9. Christus non est à Spiritu sancto tanquam virtute à se alienâ glorificatus, nec potestatem miraculorum uti alienam accepit, sed per proprium ac naturalem Spiritum miracula patravit. 344.

Cap. 10. Christus Pontifex & Apostolus extitit. Estque ipsum Dei Verbum: Non autem homo alter quispiam ab eo diversus. Christus pro nobis solis Sacrificium obtulit, non pro se ipso; quippe qui nullum peccatum commiserat, adeòque nec oblatione opus habebat. 347.

Cap. 11. Domini caro vivifica est, ipsiusque Verbi propria, non autem est alterius cujuspiam ipsi Verbo secundùm dignitatem tantùm conjuncti, aut Divinam inhabitationem tantùm sortiti. Estque vivifica, eò quod Verbo omnia vivificanti sit facta propria. 350.

Cap. 12. Verbum secundùm carnem est passum, crucifixum, & mortuum. Estque primogenitus factum ex mortuis, seseque ut Deus vivificavit. 353.

CANON DE NON ALTERANDO SYMBOLO NICÆNO.

NEmini licet aliud Symbolum præter id, quod Niceæ traditum est, conscribere. Nec illi quid addere aut demere. Item nemini licet sentire aut docere quæ in expositione à Charisio oblatâ continentur. Secùs facientes Episcopi ab Episcopatu, Clerici à Clericatu sint alieni; laici anathematizentur. 356.

Decretum de Ecclesia Cypriorum.

EPiscopus Cypriorum juxta veterem morem non debet ab Antiocheno ordinari. In alijs id quoque servandum, ut scilicet Patriarcha Provinciam non occupet, quæ sub ejus non fuit hactenùs potestate: Sed unicuique Provinciæ sua jura juxta veterem consuetudinem serventur. 365.

Proœmium Canonum Ephesinorum.

EPiscopos, qui à Concilio 30. defecerunt antesignano Joanne Antiocheno, Synodus ab Ecclesiastica communione statuit alienos. 369.

Can. 1. Metropolita, qui relictâ Synodo schismaticis adhæret aut Celestio consentit, jurisdictione in Episcopos Provinciæ exuitur: Ipse Episcopis Provinciæ ac circùm vicinis Metropolitis recta sentientibus subjacebit. 371.

Can. 2. Episcopi Provinciales schismaticis adhærentes, à sacerdotio & gradu denudantur. 371.

Can. 3. Clerici à Nestorio excommunicati aut degradati, restituuntur in integrum, atque à subjectione schismaticorum eximuntur. 372.

Can. 4. Clerici, qui cum Nestorio aut Celestio sapiunt, deponuntur. 372.

Can. 5. Condemnati à Synodo, ab alijs restituti, manent depositi. 373.

Can. 6. Episcopi ea, quæ in Synodo gesta sunt, movere volentes, à proprio gradu cadunt, laici verò excommunicantur. 373.

Decretum de Eustatio Pamphyliæ Metropolita.

EUstatij, licèt facta per pusillanimitatem, renuntiatio, ac Theodori suffectio approbatur. Eustatius nomen Episcopi, honorem, ac communionem retinet, non tamen ordinandi authoritatem, nec sacrificandi, nisi à loci Episcopo ipsi id deferatur. 373. & seqq.

Decretum de Messalianis.

CLerici Messaliani ad Ecclesiam reduces, maneant Clerici: Laici ad communionem admittantur. Presbyteri vel Diaconi in illa hæresi pertinaces excidant à Clero, gradu, &

communione, laici verò excommunicentur. Convicti non permittantur habere monasteria. Asceticon (liber ita dictus) anathematizatur. 378. 379.

Decretum de Ecclesia Europa, quæ est Thracica diœceseos Provincia.

EUprepio & Cyrillo postulantibus veterem consuetudinem servari, ut nempe in Europâ Ecclesiæ cathedrales unitæ, itâ permaneant, annuitur. 383.

Capitula adversùs Ibam.

CAp. 1. E nummis, qui captivis redimendis erant destinati, non parùm Ibas subtraxit, ac sibi applicavit. 406.

Cap. 2. Gemmatum calicem, Ecclesiæ oblatum, Ecclesiæ non tradidit; de eo quid factum, ignoratur. 462.

Cap. 3. De ordinationibus accipit. 465.

Cap. 4. Abrahamium Diaconum maleficij conscium, ideòque excommunicatum ordinavit Episcopum; Archidiaconum verò Edessenum, qui turbam civitatis ad id impediendum concitaverat, excommunicavit. 743.

Cap. 5. Adulterum publicum ordinavit Presbyterum; Obsistentes per Judicem carceri mancipavit. 474.

Cap. 6. Nepotem suum inquietum & luxuriosum juvenem ordinavit Episcopum. 475.

Cap. 7. Reditus Ecclesiæ fratri aut consobrinis confert. 477.

Cap. 8. Item hæreditates, munera, cruces aureas, &c. 477.

Cap. 9. Atque etiam quæ in expensas captivorum erant eroganda. 477.

Cap. 10 Ad Sacrificium altaris, ad sanctificationem, & ad populi communionem non est datum vinum, nisi admodùm exiguum, ac vile. Quod resciens ipse non emendavit, sed contempsit. 480.

Cap. 11. Nestorianus est, & S. Cyrillum hæreticum appellat. 481.

Cap. 12. Nepos Ibæ indiscretè Clericos ordinavit, 481.

Cap. 13. Tentavit impedire Presbyterum, quo minùs alienas Ecclesias patrimonij sui scriberet hæredes. 481.

Cap. 14. Permisit Danieli Episcopo bona ex rebus Ecclesiasticis acquisita consanguineis donare. 483.

Cap. 15. Challoa amica Danielis ex illis subitò ditata. 483.

Cap. 16. Daniel Episcopus Abrahamio Diacono persuasit, ut res ex bonis Ecclesiæ Edessenæ acquisitas legaret pauperibus Ecclesiæ Carrhensis. Ille verò bona adeptus sibi servavit, ac Challoæ impendit. 483.

Cap. 17. Daniel ob lucrum, Paganis idololatriam impunè permisit. 485.

Cap. 18. Ex lignis Ecclesiæ Edessenæ profanas ædes exstruxerunt. 486.

CONCILII CHALCEDONENSIS

Definitio de Fide.

SYmbolum Nicænum ac Constantinopolitanũ innovatur 516. Omnia quæ de fide sunt constituta in Ephesino, Nicæno, ac Constantinopolitano Concilio, ac etiã decreta servanda. 516. 517. Doctrina quæ de substantia Spiritus sancti in Synodo Constantinopolitana tradita est, confirmatur. 518. Uti & Epistolæ synodicæ S. Cyrilli. Atque Epistola S. Leonis ad S. Flavianum conscripta. 518. Quæ Nestorianis, Apollinaristis, ac Eutychianis repugnat. 518. Catholica fides de Christo adversùs Nestorium & Eutychen potissimùm declaratur. 519. Alterum Symbolum componere, docere, tradere omnibus interdicitur. 519.

Can.

pi

QVINTI CONCILII GENERALIS

Capitula adversùs Origenem.

Capitula Contra Nestorium ac Eutychianos.

SYNODORVM GENERALIUM AC PROVINCIALIUM DECRETA ET CANONES,

SCHOLIIS ET NOTIS ILLUSTRATI.

SYMBOLVM NICÆNVM.



Redimus in unum Deum, Patrem omnipotentem; omnium visibilium & invisibilium factorem. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei, ex Patre natum unigenitum, id est, ex substantia Patris: Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero. Natum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, & quæ in cælo, & quæ in terra. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus; passus est, & resurrexit tertiâ die. Et adscendit in cælos, & iterùm venturus est iudicare vivos & mortuos. Et in Spiritum sanctum. Eos autem, qui dicunt, Erat aliquando, quando non erat, & quia ex ijs, quæ non sunt, factus est, aut ex alia substantia vel essentia dicunt esse, vel creatum, vel mutabilem, vel convertibilem Filium Dei, anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia.

DIS-

DISSERTATIO
DE SYMBOLO APOSTOLICO ET NICÆNO.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit fidei Symbolum in genere?



Vod nos fidei Symbolum, Tertullianus ac alij antiqui latini paſſim vocant *fidei aut veritatis Regulam*, Matremque Catholicam ab ejus integra cuſtodia *Eccleſiam authentica Regula*. Vox porrò *Symbolum* duas ſignificationes habet, de quarum prima venerabilis Beda in Commentarijs Proverbiorum: *Symbolum Gracum nomen eſt, & interpretatur collatio. Eſt autem collatio ſermonum, ſicut in conſilijs ſolet; eſt & pecuniarum, ſive aliarum rerum.* Etiam convivium ex collatis per varios ferculis conflatum eſt Symbolum. Altera ſignificatio indicium, ſignum diſtinctivum, verbalemque militum teſſeram ſignificat, de qua Ruffinus, Aquileienſis Eccleſiæ Preſbyter, in Symboli Apoſtolici expoſitione ad Laurentium Epiſcopum: *Et in bellis civilibus hoc obſervari ferunt. Quoniam & armorum habitus par, & ſonus vocis idem, & mos unus eſt atque inſtituta bellandi eadem, ne qua doli ſubreptio fiat, Symbola diſcreta unuſquiſque Dux ſuis militibus tradit, qua latinè ſigna vel indicia nominantur: ut ſi fortè occurrerit quis, de quo dubitatur, interrogatus Symbolum, prodat ſi ſit hoſtis, an ſocius.* Sic, teſte Arnobio, ejuſdem ſolennitatis conſcij *Symbola* proferebant, quibus & ſeſe agnoſcerent, & ſecernerent ab alijs. Cur verbalem militum teſſeram Ruffinus dicat ſolis civilibus bellis uſitari, neſcio: Omni expeditione uſitatam Romana docet hiſtoria, praxiſque hodierna. Utraque ſignificatio quadrat noſtræ Regulæ, præſertim illi, quam Apoſtoli compoſuerunt, qui & creduntur vocem *Symbolum* in Eccleſiam introduxiſſe. *Apoſtoli*, inquit Ruffinus, in mundi regiones *ab invicem diſceſſuri normam priùs futura pradicationis in commune conſtituunt, ne fortè alius ab alio abducti diverſum aliquid his, qui ad fidem Chriſti invitabantur, exponerent. Omnes ergo in uno poſiti, & Spiritu ſancto repleti, breve illud futura ſibi pradicationis indicium, conferendo in unum quod ſentiebat unuſquiſque, componunt, atque hanc credentibus dandam Regulam ſtatuunt. Symbolum hoc multis & iuſtiſſimis ex cauſis appellari voluerunt.*

l.cont. Valent.c.4.

l.2.c.23.

Hæ caussæ sunt iam dictæ *Symboli* significationes. Ea enim Regula est vera plurium in unum collatio, quoniam *in his sermonibus unusquisque Apostolus in unum contulit, quod sensit*: Quisque suum articulum. Est & indicium, signum distinctivum, verbalis tessera. *Idcircò quippe istud indicium posuere, per quod agnosceretur is, qui Christum verè secundùm Apostolicas Regulas prædicaret aut crederet*, ut quisquis hanc Regulam aut nesciret aut sperneret, tamquam à veris Evangelij lineis devius fugeretur. Sic antiquus Tertullianus in libro præscriptionum vocat *contesserationem hospitalitatis*: frater advena hospitio recipiendus, rogabatur hanc tesseram, eamque doctrinam non adferenti nullus locus in domo, quomodò mandat Apostolus Ioannes. Et hæc posterior significatio iam pridem magis placuit. Etenim Calchedonensis Synodus in Relatione ad Martianum Augustum, Symbolum Nicenum vocat *fidei signaculum*; & in fidei definitione *tesseram pietatis*: Nullibi collationem. Et meritò. Solùm quippè Apostolicum Symbolum, in quod quisque Apostolus suum articulum contulit, collatio fuit.

Cap. 20.

Epist. 2.

Sanctus Leo magnus in Epistolam ad Pulcheriam Augustam scribit Symbolum oportere esse *Brevem ac perfectam confessionem*. Ruffinus *breve prædicationis indicium*, in quo complentur Prophetiæ: *Verbum consummans & breviatum*. Et sanctus Augustinus in libro de Symbolo. *Est autem fides Catholica in Symbolo nota fidelibus, memoriæq; mandata, quantùm res passa est, brevitate Sermonis, ut incipientibus atque lactentibus, paucis verbis credendum constitueretur, quod proficientibus & ad divinam doctrinam surgentibus, multis verbis exponendo esset perficiendum.* Quare Symbolum eleganter definivit Synodus Petricoviensis: *Est brevis credendorum collectio.* Quæ qualitas etiam à militari in nostrum venit, constante passim ex unico verbo. Pertinax factus Augustus pro primo Symbolo dedit, *Militemus*; Severus moriens, *Laboremus*; Anthoninus Pius, *Aequanimitas*; Nero primo imperij die, *Optimam matrem*; longissimum fuit Claudij, versus quidam. Symbolum quippè in omnium memoria sine hallucinationis metu assiduè debet vivere: Et quidem nostrum in memoria tot mille millium idiotarum. Hinc necesse sit paucarum syllabarum. Quare vocem ampliavit sanctus Leo Magnus in Epistola ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum, longam satis Synodi Calchedonensis de fide definitionem vocans *Symbolum Calchedonense*. Synodus enim à se non condi novum, sed vetus solummodò Nicenum exponi disertè est protestata. Ad solam discrimandi vim, quam inter Catholicos & Eutychianistas exercuit dicta definitio, Pontifex attendit.

Epist. 13.

Cap. 1.

Epist. 77.

Esse item debet confessio perfecta, verbum consummans: Hoc est, omnium omninò credendorum collectio, certis vocum finibus circumscripta, uti in Heronis Philosophi Encomio dicit Gregorius Nazianzenus; in qua, ut rectè Ruffinus, nihil poni possit ambiguum, nihil obscurum: Addit ille ità Symbolo Apostolico omninò provisum à Spiritu sancto. Quomodo filij Noë in gentes dissipandi turrim superbæ, rebellionis, confusionis; ità in easdem dividendi Apostoli istud fidei, obedientiæ, unitatis signum posuere, tamquam munimentum ex dominicis lapidibus ædificatum nullis umquam hæreticorum aut aliorum infidelium procellosis arietationibus subvertendum. Hinc Augustinus in loco iam memorato. *Sub ipsis paucis verbis in Symbolo constitutis plerique hæretici venena sua occultare conati sunt.* Nullus unquam, nisi duplicis divinitatis fabulones, ausus est ipsi renunciare. Tertullianus, Praxeas, Arius, Photinus, Nestorius, Eutyches aliud non tentavêre, quàm nugas suas Symbolo conformes ostendere, ità rati abundè expurgatas.

CAPUT II.

An breve nostrum Symbolum sit reverà Apostolorum?

QVidam hodie non tantùm hæretici, sed & Catholici Apostolicam huius Symboli originem ad Apocrypha abijciunt. Primus abjecit Marcus Ephesiorum Metropolita, Latinæ Ecclesiæ hostis infensissimus, eo effugio Juliani Cæsarini, Cardinalis longè doctissimi, argumenta elisum iri credens, uti in Florentini Concilij Historia scribit Sylvester Sguropulus, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Cruciger, ac in dicto Concilio comes Josephi Patriarchæ. Adversus
A. 1228. illum nolo cum Mattheo Paris adducere testimonium Josephi, Judæi ambulantis: fabulis id adnumero. Nec item Joannis Ragusini, in Synodo Basileensi disputantis contra Ioannem Rockij-sanam, Hussitarum
A. 386. Primatem. *Nusquam legitur in sacris litteris, quod Apostoli Symbolum composuerint aut fecerint, vel in duodecim articulos distinxerint, & tamen fideles tenent & credunt, immò & nominant ipsum Symbolum Apostolorum, & hoc non nisi auctoritate Ecclesiæ, & specialiter Concilij Niceni, cuius etiam auctoritate & articulus de descensu Christi ad inferos tenetur, firmiter creditur.* Etenim de Apostolorum Symbolo Nicena Synodus omninò non meminit, neque de Domini ad inferos descensu. Ragusinus hallucinatur. Rectè tamen urget communem fidelis populi sensum, de quo rectè Augustinus: *Vox popularis est quandoque doctrina salutaris.* In eiusdem Augustini Appendice exstant sermones antiqui & varij Sym-

Symbolum istud Apostolis disertè adscribentes. Hincmarus Remensium Metropolita, apocriphorum hostis infensus, hæc scribit in elaboratissima Epistola adversus Nepotem suum, Episcopum Laudunensem. *Quintam Synodum Apostolorum Patres nostri fuisse tradunt, quando tempus adimpletionis advenit, ut in omnem terram exiret sonus eorum. Et tunc Symbolum, sicut universalis Ecclesia tenet, condiderunt.* Hoc ipsum dicit antiqua satis Synodus Augustodunensis. Epist. 33. c. 24.

Et quid multis? Habemus testes multos irrefragabiles. Antiquus Tertullianus in Libro Præscriptionum hæc dicit. *In ea Regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo tradidit.* Ea utique Regula, cuius ipse & in hoc ipso Libro, & in Libro de velandis virginibus singulos fermè articulos adducit. Sanctus Ambrosius in Epistola ad Siricium Papam. *Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit & servat.* Sanctus Hieronymus in Epistola ad Pammachium contra Ioannem Hierosolymæ Episcopum: *In Symbolo fidei & spei nostræ, quod ab Apostolis traditum non scribitur in charta, sed in tabulis cordis carnalibus.* Plena Ephesina Synodus in Relatione ad Theodosium Augustum de Nestorij depositione: *Fides initio quidem à sanctis Apostolis tradita, posteà verò à trecentis decem & octo sanctissimis Patribus in Metropoli Nicena exposita,* hoc est; Symbolum Apostolicum ac Nicenum. Sanctus Cælestinus Pontifex in Litteris ad Nestorium Constantinopolitanum Episcopum, registratis in prima dictæ Synodi parte: *Symbolum ab Apostolis traditum.* Eadem verba repetit eius successor Xixtus tertius in Litteris ad sanctum Cyrillum, Alexandriæ Episcopum, insertis in tertiam Synodi partem. Sanctus Leo Magnus in sermone de Domini nativitate: *Catholicum & Apostolicum Symbolum.* In quarto de Epiphania: *Apostolicum Symbolum.* In undecimo de Domini passione: *Symbolum per auctoritatem Apostolicæ institutionis acceptum.* In sermone habito ad sanctam Anastasiam contra mercatores Alexandrinos Eutychianistas, Romam inficere conatos: *Institutum à sanctis Apostolis Symbolum.* In Epistola ad Pulcheriam Augustam contra acta Ephesini Latrocinij; *Symbolum ab Apostolis institutum* Et in alia ad eandem Principem Epistola: *Catholici Symboli brevis & perfecta confessio, quæ duodecim Apostolorum totidem est signata sententijs.* Ad solos sanè Apostolos hoc spectabat. Rebellantes Batavos graviter arguit Cornelius Tacitus, quod non solummodò Romanas legiones sibi attraxissent, sed & dare præsumpsissent verbalem militiæ tesseram: Esse dicit piaculum Romano Imperio inauditum. Erat enim solius Principis, aut illo absente vicarij Ducis. Eodem iure toti mundo universalem ac perpetuam fidei no-

C. 37. C. 13. C. 1. L. 1. Epist. 7. Epist 61. c 9. L. 1. f. 379. C. 18. C. 41. Serm 4. c. 8. C. 3. Epist. 26. Epist. 13. L. 4. c. 58.

tam præſcribere ſpectabat ad ſolum Deum-Hominem, aut Sanctos Apoſtolos, eius Duces. Romanæ enim Reipublicæ forma à Deo præmiſſa eſt, ex qua tamquam ex materia Chriſtianæ Regulæ effingerentur: Quomodo ſpiritale ex animali. Habemus vocem *Symbolum*, quomodo vocem *Statio*, de qua Tertullianus in noviſſimo capite Libri de oratione. *Statio de militari exemplo nomen accipit; nam & militia Dei ſumus.*

Neque ſpernenda eſt iam adducta Symboli expoſitio ad Laurentium Epiſcopum. Eſt antiquiſſima, per alios ſancto Cypriano, per alios ſancto Hieronymo adſcripta. Hodie conſtanter Ruffino adſcribimus. Eius ſanè auctor profitetur ſe Aquileiæ baptizatum, peritumque moris Eccleſiaſtici Romani, quæ omnia Ruffino quadrant. Eſſe illius cum laude teſtatur Gennadius Maſſilienſis. *Proprio labore, immò gratiæ Dei Dono, expoſuit Ruffinus Symbolum, ut in eius comparatione alij non expoſuiſſe credantur.* At dicet quis, Quare Apoſtoli Symbolum, ſi quidem ipſorum, non tradidére ſcripto, quomodo orationem Dominicam? Idem Ruffinus dat cauſſam. *Idcircò hac non ſcribi chartis atque membranis, ſed cordibus retineri tradiderunt, ut certum eſſet, neminem hac ex lectione, quæ interdùm pervenire etiam ad infideles ſolet, ſed ex Apoſtolorum traditione didiciſſe.* Et ſuprà à ſancto Hieronymo audivimus Apoſtolicum Symbolum non ſcribi in charta, ſed in tabulis cordis, ut eſſet Chriſtianæ profeſſionis ſignaculum certum ac ſecurum, excluſio omnis fictionis: ut quivis illius peritus ſine metu tamquam fidus frater in communionem admitti poſſet, utpotè noſcens arcanam ſolis probatis & ſolâ voce credi ſolitam Chriſtianitatis conteſſerationem. Iam ſuprà dixi attendiſſe Apoſtolos ad naturam teſſeræ militaris: Ob aſſiduas Iudæorum ac Gentilium in nos inſidias, de quibus
Cap. 7. in Libro Apologetico Tertullianus.

Aliam cauſſam ſcribit Petrus Chryſologus, Ravennatum Archi-Epiſcopus, hæc declamans ad ſuos Catechumenos. *Hoc ſpei factum, hoc ſalutis placitum, hoc vitæ Symbolum, hanc fidei cautionem mens teneat, conſervet memoria, ne Divinitatis pretioſum munus depreciet charta vilis, ne myſterium lucis atrum tenebret atramentum, ne Dei ſecretum habeat indignus ac profanus auditor.* Adeò ipſum ſcribi noluerunt Apoſtoli, eorumque ſucceſſores Epiſcopi, ut nec ab ipſis Catechumenis, adjuvandæ diſcentis memoriæ cauſâ, deſcribi paterentur. Nempe ob generalem ſecreti legem, quæ de omnibus fidei noſtræ arcanis dici juſſit, *Norunt fideles.* Nicenum Symbolum hiſtoriæ ſuæ inſerere putarat Her-
L. 1. c. 19. mias Zoſomenus, verùm iam dicta lex vetuit, de qua ipſe. *Cùm pij viri, ijque amici, & rerum eius generis periti, me docerent res eiuſmodi à Sacer-*

ardotibus solùm & Episcopis tum debere dici, tum audiri, eorum sanè approbari consilium. Nam verisimile est nonnullos, qui non sunt initiati mysterijs, hunc librum perlecturos. Hoc secretum ante datam Ecclesijs à Constantino Augusto pacem nullus Christianus Scriptor libris suis inseruit, nisi unicus Tertullianus. Et quidem vocum compendio immutatum. Quæ omnia respiciens doctissimus Cardinalis Iulianus Cæsarinus respondit Marco Ephesio ipsum Romæ in Archinis servari, ut primarium monumentum. Creditur ab Apostolo expressum in Epistola ad Hebræos, dictusque *Sermo inchoationis.* Cap. 6.

CAPVT III.

Exponitur Symbolum Nicenum.

AD usque Arij lites solo Apostolico Symbolo contenta ac usa fuit omnis sub cælo Ecclesia. Novam dari fidelibus orthodoxis tesseram Arius coëgit, de quo sanctus Gregorius Nazianzenus in encomio Heronis Philosophi. Nicena Synodus *Certis finibus ac verbis divinitatis doctrinam circumscripsit.* Eam ab Hermiæ Zosomeni conscientia omissam sanctus Athanasius inseruit literis suis ad Iovinianum Augustum, Basilius Magnus professioni præscriptæ Eustatio Sebastensium in Armenia Episcopo, sanctus Leo Pontifex litteris ad Leonem Augustum, Socrates Historijs suis, alijque id genus testes irrefragabiles. Rectè illud Athanasius in Epistola ad Episcopos Africanos dicit esse *Trophæum & columnam, in qua omnes hæreses ostentui inscriptæ sunt, ac triumphantur.* Nequaquam illic triumphatus solus Arius. Etenim Theophilus, Alexandrinus Episcopus, in litteris ad Porphyrium, Antiochiæ Patriarcham, lectis & probatis in quinta Synodo, Basilius, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus & Archimandrita, in precibus Theodosio Augusto ac Valentiniano tertio contra Nestorium Episcopum suum exhibitis, insertisque primæ parti Synodi Ephesinæ, nec non sanctus Cyrillus, dicti Theophili Successor, in Libro de Incarnatione verbi, inserto in tertiam ejusdem Synodi partem, disertè dicunt damnatum illic & Paulum Samosatensem, & Antiochenæ Synodi in ipsum de fide sententiam probatam & confirmatam. Vtique his verbis: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus.* Ea eleganter exponit Synodus Calchedonensis in Relatione ad Martianum Augustum. *Quod descendit quidem, hæc dicta sunt spontaneæ potestatis condescensionem describentia; dicens verò, Et incarnatus est, veram assumptionem nostræ carnis, & ex virgine per nativitatis unitatem ostendit. Quod verò inhu-*

Epist. 78.

Collat. 5.

Cap. 30.

Cap. 8.

L. 3. Epist. 1.

inhumanatus eſt, in ipſo noſtra natura plenitudinem ex anima rationali & corpore manifeſtat. Addit Synodus hæc à Nicenis Patribus adjecta contra Divinæ incarnationis ſubverſores: Nequaquam Arium, ſed omninò Paulum Samoſatenſem. Unde & decimus nonus Canon Nicænus decidit etiam de Paulianiſtarum Sacramentis. Scio etiam Arianos circa Domini incarnationem erraſſe. Circa vocem, *Inhumanatus eſt*, De quo Sanctus Auguſtinus in libro de Hæreſibus. *Chriſtum ſine anima ſolam carnem ſuſcepiſſe arbitrantur. Hoc & Epiphanius non tacuit, & ego ex eorum quibuſdam ſcriptis & collocutionibus certiſſimè comperi.* Nihilominùs eos non tangit Symbolum Nicenum. Pergit enim Auguſtinus. *Sed in eo minùs noti ſunt, nec adverſus eos ab aliquo inveni de hac re aliquando fuiſſe certatum.* Nempe non ipſius Arij eſt, ſed error poſterior Arianorum.

Secundo itaque Apoſtolici Symboli articulo contra Arium hæc ſunt adjecta: *Ex Patre natum unigenitum, id eſt, ex ſubſtantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero; genitum, non factum, conſubſtantialem Patri.* Adjecta ſunt ad circumſcribendos dolos Arij, Euſebij Nicomedenſis Epiſcopi, & Aſſeclarum, quos Sanctus Athanaſius in Epiſtola de Niceno fidei decreto fuiſſe dicit animo magis varios, atque mutabiles, quam ſint coloribus chamæleontes. Dixêre illi Deum verbum eſſe nobiſcum ex nihilo, cui blaſphemiæ ſynodus oppoſuit vocem, *Ex Patre.* Dixêre illud more noſtro creatum & factum; Synodus *Natum.* Dixêre more noſtro filium Dei per gratiam; ſynodus *Vnigenitum*, utique non gratiâ, ſed naturâ. Et hæc quidem ſufficiebant. At vide chamæleontes. *Euſibius*, referente Athanaſio in Epiſtola ad Epiſcopos Africanos, *eiuſq; fautores, perversâ ſuâ opinione à vero abducti, dixêre inter ſe, hiſce conſentiamus, etenim nos quoque ex Deo ſumus, unus nempè Deus, ex quo omnia.* Quomodò vocem *Vnigenitus* intellexerint atque receperint, edisſerit Athanaſius in Epiſtola de Niceno decreto. *Per ſummam Impudentiam dixerunt ſe ad iſtum modum putare filium prærogativam præ alijs habere, unigenitumque appellari, eò quod unus ille à ſolo Deo conditus ſit, cætera verò omnia à Deo per ipſum.* Senſum ſuum de voce *Natus* exponit apud Theodoretum ipſe Euſibius in Epiſtola ad Paulinum, Tyriorum Metropolitam, eâdem leprâ fœdiſſimum. *Scriptura etiam de hominibus ſic loquitur, filios genui, & exaltavi.* Hinc pergit

Lib. 1. c. 6. Athanaſius in Epiſtola ad Epiſcopos Africanos. *Epiſcopi, eorum aſtutia cognita, plenius explicarunt illud, Ex Deo eſſe; ſcripſeruntque filium eſſe ex Eſſentia Dei,* Seu ſubſtantia Patris, ita oſtendentes longè aliter verbum, aliter creaturas eſſe ex Patre. Addidêre, *Deum ex Deo, lumen ex*

lumine,

lumine, Deum verum ex Deo vero. Caussam dat S. Basilius in fidei professione præscripta Eustatio Episcopo Sebastẽsi. *Et hoc confitendũ est, quod in propria persona sit Pater, in propria Filius, quemadmodùm & ipsi Patres manifestè exposuerunt,* dicentes: *Lumen de lumine.* Nam aliud est *Lumen gignens, aliud quod gignitur: Lumen tamen & lumen utrumque, ità ut unum sit & idem essentiæ verbum.* Addidit tandem Synodus, *Genitum, non factum, consubstantialem Patri.* Atque ità omnes Eusebianas artes elisit, plenèq; obstruxit omnes rimas dolosę evasionis. Hinc voces illas adeò cum paucis asseclis aversatus fuit Eusebius, ut Episcopatu exui & relegari maluerit, quam eas profiteri. Dixit novas, canonicis Scripturis incognitas, blasphemas, aut certè de blasphemia suspectas, scandalosasque, ac piarum aurium offensivas, utpotè quæ corporeæ partitionis, derivationis, aut productionis passionem significarent, aut saltem significare viderentur. Easdem improbarat & Eusebius Cæsariensium in Palestina Metropolitanus, attamen ante Synodi finem ex Constantini Principis reverentia suscepit: Recepit tandem recipiendę sedis libidine & Nicomediensis Episcopus, at fallacissimè, ut docent theatrica & arenaria spectacula, quibus ambo post Constantini mortem & voces illas & omnes sub cælo Ecclesias hostilissimè arietarunt. Epist. 78. Socrat. l. 1. c. 8.

De Ecclesia, Sanctorum communione, alijsque vicinis articulis nihil edixit Symbolum, quod illos nemo hæreticus eò usque pulsasset. Hinc & de Spiritu sancto hæc paucula: *Et in Spiritum sanctum.* Ad Cledonium enim scribit sanctus Gregorius Nazianzenus. *A Patribus illis minùs plenè de Spiritu sancto dictum est, quoniam nondùm coorta atque excitata hæc quæstio fuerat.* Et sanctus Basilius in professione Eustatij Sebastensis. *Sententia de Spiritu sancto in transcursu sine omni diligentia posita est, propterea quod nondùm esset mota ista quæstio, sed adhuc credentium mentibus securus, & nullis obiectus insidijs ineßet de Spiritu sancto intellectus.* Quapropter labitur Gelasius Cyzicenus in præfatione sua dicens Arianos in Nicena Synodo *Non solùm contra Filium Dei, sed etiam contra Spiritum sanctum blasphemasse.* Nihilominùs rectè sanctus Athanasius culpat factionem Macedonianam, quod suum de Spiritu sancto errorem blateraret fidei Nicenæ non adversari. Etenim, uti ad Africanos Episcopos scribit, *Eadem illa Synodus blasphematores Spiritus sancti subvertit. Nam cùm Patres statuissent de fide in Filium, id statim adiectum voluere, Credimus & in Spiritum sanctum, ut perfectam & plenam de sancta Trinitate fidem, confeßionemq; absolventes, formam eius, quæ in Christo est, fidei & doctrinam Catholicæ Ecclesiæ exhiberent.* Quod ipsum tradit in Epistola ad Jovinianum Augustum, quam Historiæ suæ inseruit Theodoretus. Ille quippè, in quem credimus, est solus verus L. 4. c. 3.

Deus. Et hinc Macedoniani non minùs Nicenam odêre Synodum, quam Constantinopolitanam. Sabinus, eorum Metropolita Heracleensis, apud Socratem dicit Nicenæ Synodi Episcopos fuisse rudes atque imperitos: Circumscribere conatur auctoritatem sancti Athanasij, à quo iam suprà audivimus Nycenam Synodum esse trophæum & columnam omnium hæreseon triumphatricem. Dixit illud præser-
L.1.c.6. tim adversùs Macedonianos. Pulchrè Socrates: *Illud secum Sabinus non cogitat, Episcopos, qui concilio aderant, licet fuissent imperiti, animis tamen à Deo illustratos, & Spiritus sancti gratiâ imbutos, nullo modo à veritate aberrare potuisse.* Hoc & sibi dictum accipiant Lutherani & Calvinistæ, Sabiniana calumnia impetentes Synodum Tridentinam.

Pergit Symbolum. *Eos, qui ex alia substantia vel essentia dicunt esse Filium Dei, anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia.* Vox, *substantia*, respondet voci Græcæ, *Hypostasis*; nos Latini hodie ac pridem illam omisimus, vocemque *Subsistentia* ex causis usurpamus. Synodi scopum exponit sanctus Basilius in professione Eustatiana. *Nonnulli ex illis, qui impietatem Sabellij Lybici sectantur, hypostasin & usiam idem esse arbitrati, illinc argumenta ad tuendam blasphemiam suam trahunt, quod in Nicena fide ità scriptum est: Si verò quisquam ex alia essentia vel substantia Filium esse dixerit, hunc anathemate reijcit Catholica & Apostolica Ecclesia. Non enim idem esse dixerunt Patres illi essentiam & subsistentiam. Si enim voces illæ unam & eandem significationem haberent, quid alterutram ponere opus fuisset? Sed liquet ideò positas, quod alij quidem Filium ex Patris essentia negabant, alij verò & ipsi non esse ex Patris essentia Filium dicebant, adijciebant autem ex alia quoque esse subsistentia quadam: Atque ità utramque opinionem tamquam alienam à sensu Ecclesiastico, à sanctis Patribus reiectam esse. Alioquin ubi mentem suam simpliciter declararunt, ex Patris essentia Filium esse dixerunt; nec adiecerunt, Et ex illius hypostasi. Itàque illud quidem ad reprobandum malum sensum positum est; hoc verò declarationem habet salutaris dogmatis.* Dictas voces Symbolo
L. 3. c.8. simpliciter inseruit Synodus, rectèque Socrates. *In Concilio Niceno nec verbum quidem factum est de hac controversia:* De essentiæ ac subsistentiæ differentijs. Eam à Sabellianis coactus movere cæpit Hosius, Cordubensis Episcopus, in Synodo Alexandrina, *Vndè & alteri contentioni materia suppeditata est.* Contentioni durissimæ, de qua sanctus Gregorius Nazianzenus in Encomio sancti Athanasij. *Eò tandem res adducta est, ut periculum esset, ne orbis terrarum fines unà cum syllabis à se invicem distraherentur & abrumperentur.* Etenim non iam orthodoxi cum Arianis aut Eusebianis, sed orthodoxi orientales in orthodoxos occidentales digladiabantur, invicemque Sabellianismi ac Arianismi elogijs arie-

rixtabant. Græci dictas voluêre tres hypoſtaſes; Latini unicam, quod voci Græcæ Latina ad amuſſim non reſponderet. Lis longa: videnda in iam dicto Athanaſij Encomio, actis Synodi Alexandrinæ, Epiſtola Epiſt. 87. ſancti Hieronymi ad Damaſum Pontificem, Epiſtola ſancti Baſilij ad fratrem ſuum Gregorium Nyſſenum Epiſcopum, ac Profeſſione Euſtatij Sebaſtenſis. Eam tandem ſanctus Athanaſius exſtinxit.

Concluſio Symboli: *Hunc anathematizat Catholica & Apoſtolica Eccleſia. Anathema*, inquit quinta Synodus in ſententia ſua adversùs tria capitula, *nihil aliud eſt, niſi ſeparatio à Deo.* Et ſanctus Hieronymus in Commentarijs Epiſtolæ ad Galathas: *Anathema, verbum propriè Iudæorum eſt.* Ab illis acceptum introduxit Apoſtolus in Eccleſiam, quæ hunc imitata eo fulmine ſemper, non tantùm in generalibus Synodis, ſed & olim in privatis fidelium conlocutionibus, terruit atque ferivit Regulæ Evangelicæ novatores. Hinc Tertullianus adhortatur fideles, *Vt Gnoſtico ſcorpio pro ſolea anathema inlidãt*: ut quomodò ſcorpium fixa ſolea, ſic Gnoſticũ hæreticum dicto anathemate exſtinguant. Et in Libro de ieiunijs queritur per Pſychicos, id eſt, nos Catholicos, Paracleticis Montaniſtis, quaſi *aliter adnunciantibus*, dici aſſiduum *anathema*. Sedente Alexandro ſecundo Pontifice, *cunctis ferè* Romanæ Eccleſiæ *decretalibus paginis anathema ſubiungebatur.* Repugnaſſe antiquis Eccleſiæ moribus, ſolis *fidei Catholica clauſulis* apponere ſolitæ, ideòque corrigi, ac illi pœnas pecuniarias aut ſimiles ſubſtitui ſcripſit, à dicto Pontifice rogavit, ac impetravit ſanctus Petrus Damiani.

L ſcorp. c. 1.

C. 1.

L. 1. Ep. 22

CAPVT IV.

De Auctoritate Symboli Niceni.

NIcenum Symbolum eſſe *pauciſſimis quidem Sermonibus, ſed perfectis ſenſibus Scriptura Divina, per viros eius ſcientiæ periti ſsimos completum*, rectè cum ſua Synodo affirmat Pergamius Antiochiæ Epiſcopus, Piſidiæ Metropolita, in literis poſt Synodum Calchedonenſem exſtantibus ad Leonem Auguſtum. Quanta ſit eius apud Eccle- Epiſt. 423 ſiam auctoritas, liquet ex Relatione Synodi eiuſdem ad Martianum Auguſtum. *Vnam eſſe, veluti principali loco, trecentorum decem & octo Patrum doctrinæ confeſſionem, lex nobis Eccleſiæ praſcribit, quam velut commune Sanctorum decretum ad eorum, qui vocantur in adoptionem filiorum, tradimus firmitatem.* Et in ſecunda eiuſdem Synodi actione poſt recitatum hocce Symbolum, *Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt, Hac Catholicorum fides, huic omnes credimus, in hanc baptizati ſumus, in hac baptizamus.* Eodem modo iſtorum ſucceſſores exclamaverunt in Collat. 4. quin-

quinta Synodo: *In hoc omnes baptizati sumus, & nos in hoc baptizamus.* Etenim mox à Nicena Synodo omnes Græcorum Ecclesiæ reliquerunt Apostolicum Symbolum, & assumpsêre Nicenum Catechumenis tradendum, atque ab omnibus fidelibus verbotenùs addiscendum. Assumpsére ipsum, tamquam novam Christianæ professionis tesseram, discreturam Catholicos à rebellibus Arianis, ut quisquis illud non profiteretur, haberetur convictus Arianus. Factũ id credo ex speciali mandato Nicenæ Synodi, quod à Calchedonensi innovatum scribit cum sua Synodo ad Leonem Augustum Basilius, Seleuciensis Episcopus, Metropolita Isaurorum. *Patres, qui sanctum Concilium Calchedonense celebraverunt, Symbolum Patrum Nicenorum pro lapide sumentes, ubique hoc solùm circumferri & prædicari ad illuminationem fidelium sanciverunt.*

Epist. 39.

Nunquam ex integro omissum est ab illis Apostolicum Symbolum. Absit, ut ulla umquam Ecclesia omiserit catechumenis tradere articulos de sancta Ecclesia, Sanctorum communione, remissione peccatorum, carnis resurrectione, & vitâ æternâ. Hi articuli ex Apostolico fuere Niceno adjecti, quousque prodijt Constantinopolitanum, completum singulis duodecim articulis, ideòque ab omnibus Græcorum Ecclesijs statim suffectum in locum Niceni. Neque tamen nomen mutatum est. Omnes Constantinopolitanâ posteriores Synodi & Patres, quoties de Niceno loquuntur Symbolo, passim intelligunt Constantinopolitanum, neque tamen Constantinopolitanum vocant, sed Nicenum. Etiam hodie nos, quod ad Missarum solemnia cantamus, Nicenum dicimus, cùm sit Constantinopolitanum. Locutionis caussam infrà dabo.

Dico, *Ecclesiæ Græcorum.* Ait enim Ruffinus in opusculo superiùs memorato. *Illud non importunè commonendum puto, quod in diversis Ecclesiis aliqua in his verbis inveniuntur adiecta. In Ecclesia tamen urbis Romæ hoc nõ deprehenditur factum, quod ego propterea esse arbitror, quod neq; hæresis ulla illic sumpserit exordium, & mos ibi servatur antiquus, eos, qui gratiam baptismi suscepturi sunt, publicè, id est, fidelium populo audiente, Symbolum reddere, & utique adiectionem unius saltem sermonis, eorum, qui præcesserunt in fide, non admittit auditus. In ceteris autem locis, quantùm intelligi datur, propter nonnullos hæreticos addita quædam videntur, per quæ novella doctrinæ sensus crederetur excludi. Nos tamen illum ordinem sequimur, quem in Aquileiensi Ecclesia per lavacri gratiam suscepimus.* Eodem Iure Symbolum Apostolicum sine additamento retinuerunt Ecclesia Africana, Italica, Gallica, Latinæ omnes, uti liquet ex sanctis Augustino, Petro Chrysologo, Maximo Taurinensi, alijsque Latinis Episcopis, qui istud

ſolum leguntur catechumenis ſuis tradidiſſe atque expoſuiſſe. Theodoreto, Zoſomeno, ac Socrate teſtibus, Ariana hæreſis Illyrici fines tranſire nunquam valuit, atque ità apud nos novâ profeſſionis teſſerâ non fuit opus. Excipe Eccleſias Hiſpaniarum, quæ à Gothis Arianis, Wandalis, & Suevis pervaſæ ac poſſeſſæ, quomodo trinam baptiſmatis merſionem in unicam, ità Apoſtolicum Symbolum in Nicenum mutaverunt, id eſt, Conſtantinopolitanum, uti liquidè habetur in tertia Synodo Toletana.

Eiſdem ex rationibus aliæ citiùs, aliæ Eccleſiæ ſeriùs cœperunt Symbolum publicè in Miſſarum ſolemnijs dicere aut cantare. De Eccleſia Græca Nicephorus Calixtus: *Petrum Cnapheum quatuor Eccleſiæ commodiſſima reperiſſe dicunt.* E quibus unum eſt, *ut Symbolum ſanctum, quod ſemel tantùm anteà magno & ſancto paraſceves die dici ſolitum fuerat, in ſynaxi & conventu Eccleſiæ quovis decantaretur.* Dictum ſemper fuit in paraſceve, quod *tunc Epiſcopus primas Religionis noſtræ inſtitutiones* ex more Apoſtolico *traderet.* Quidam tamen *Timotheum*, Conſtantinopolitanum Epiſcopum, Macedonij ſecundi ſucceſſorem, *non Petrum Cnapheum inſtituiſſe dicunt, ut in quovis conventu Symbolum diceretur.* Forſan à Timotheo in Conſtantinopolitana Eccleſia & Patriarchatu, à Petro inſtitutum in Antiochena. Cantari inſtitutum eſt, non Nicenum Symbolum, ſed Conſtantinopolitanum, quod modulationi, inquit Walfridus Strabo, eſſet aptiùs, aut Græci, conſueto impetu, honorari vellent rem Regiæ urbis. Rationes frivolæ. Vera eſt, quod Conſtantinopolitanum ſit plenius, recentius, integrum antidotum contra hæreſes omnes eo uſque natas.

L. 15. c. 28.

L. 16. c. 35.

E Latinis prima id æmulata eſt Hiſpaniarum Eccleſia, ex conſilio Richaredi Regis, novellos ſuos in fide Romana Gothos firmare cupientis, ſtatuens in tertia Synodo Toletana. *Vt per omnes Eccleſias Hiſpaniæ & Galliciæ, ſecundùm formam Eccleſiarum orientalium, Concilij Conſtantinopolitani Symbolum recitetur, & priuſquam Dominica dicatur oratio, voce clarâ populo prædicetur, quo & fides vera manifeſtum teſtimonium habeat, & ad Chriſti corpus & ſanguinem prælibandum pectora populorum fide purificata accedant.* Imitatæ id poſtmodùm ſunt quædam ſub Carolo magno Gallicanæ Eccleſiæ; aliæ tamen, ac ipſa Capella Palatina, imitari non ſunt auſæ, ideòque à Leone tertio Pontifice veniam impetrarunt. Fecit id Carolus, ut francos ſuos in reparata iam Chriſtianitate figeret. Ad Bernarium autem Wormatienſem, ac Ieſſe Ambianenſem Epiſcopos, nec non Adalardum Abbatem Corbeienſem, Caroli Legatos, dixit Leo Tertius: *Quod aſſeritis ideò vos cantare Symbolum, quoniam alios in iſtis partibus vobis priores audiſtis cantaſſe,* quid

Cap. 2.

quid ad nos? Nos enim ipsum non cantamus. Quin & eam cantandi consuetudinem omitti suasit: *Quia & in nostra Ecclesia non cantatur.* Romana Ecclesia necdum sub Ioanne octavo videtur cantasse. Etenim Methodium, Moravorum ac Bohemorum Episcopum, rogavit dictus Pontifex, *Si orthodoxa fidei Symbolum ità crederet, & intra Missarum solemnia cantaret, sicut sanctam Romanam Ecclesiam tenere constat.* Non rogat, quomodo Romana Ecclesia tenet & cantat, sed solùm quomodò tenet: Quia nempe illa necdum cantabat. Cantabat Methodius, utpotè græcus, more græco. Tandem & Roma cantare cæpit, unitatis ac pacis amore, ne à subditis sibi Hispaniarum & Galliarum Ecclesijs, morem deponere nolentibus, dissonaret. Quo tempore, fateor me nescire. Synodus Basileensis graviter arguit quasdam Ecclesias,
Sess. 21. *Quod illud non completè usque in finem cantarent.*

CANONES
CONCILII NICENI.
CANON PRIMVS.

SI quis à Medicis propter languorem desectus est, aut à Barbaris abscissus, hic in clero permaneat. Si quis autem seipsum sanus abscidit, hunc & in clero constitutum abstinere convenit, & deinceps nullum talium promoveri. Sicut autem hoc claret, quod de his, qui hanc rem affectant, audentq; seipsos abscindere, dictum sit; sic eos, quos aut barbari, aut domini castraverunt, si inveniuntur aliàs dignissimi, tales ad clerum suscipit Regula.

SCOLION.

L.14.c.17. EVirandi hominis ars pessima pessimum habet auctorem: Ammiano Marcellino teste, Reginam Semiramidem; teste S. Basilio in Libro de vera virginitate, ipsum diabolum, non solius animi nostri, sed

d & corporis inimicum. Quod iſtud hominis monſtrum etiam naſ-atur, omninò eſt una ex pænis delicti originalis. Hinc & gentilibus iit ſemper exoſum. Ælius Lampridius eſſe dicit reipublicæ cladem, rincipum circumſcriptores & perditores, laudatque Alexandrum Auguſtum, quod Eunuchos nec in officijs, nec in miniſterijs habue-t. Et Conſtantinum, quod nec chlamyde uti permiſerit, ſed depu-irit neceſſitatibus domeſticis. Licinius Auguſtus, teſte Aurelio vi-tore, omni domo ſuâ ejecit, utpotè ſorices & tineas palatiorum. De Domitiano Auguſto ſcribit ex Ammiano Marcellino Caſſiodorus in hronico: *Eunuchos fieri prohibuit.* Adrianus Auguſtus addidit pænam apitalem *in medicum, qui exciderit*, nec non *in ipſum, qui ſe ſpontè ex-dendum præbuerit.* Quæ omnia Juſtinianus ac Leo Imperatores confir-narunt, innovarunt, auxerunt.

Cap. 66. Cap. 67. Cap. 47. Lib. 18. c. 8. L. 48. ff. ad l. Cornel. Novell. 142. Novell 60

Huc reſpicit Juſtinus Martyr in ſecunda Apologia. *Exſtitit quidam noſtris, qui ut vobis perſuaderet non eſſe nobis ſacrum & myſterium obſce-um, & impudicum concubitum, libellum Fælici Præfecto Alexandriæ ob-ulit, petens, ut medicum ſineret teſtes ſuos præcidere. Hoc enim ſine Præ-ecti permiſſu fieri nefas eſſe, medici, qui illic erant, aſſeverabant.* Nempe b dictam Legem Adriani. Hæ ſunt Romanæ Leges, quas in Homilia rigeſima prima ſupra primam ad Corinthios prædicant ſanctus Joan-es Chryſoſtomus, ſanctuſque Hieronymus in Commentarijs Epiſto-e ad Galathas. Addit hic in Commentarijs Oſee Prophetæ. *Effami-atos hodie Romæ, matri non Deorum, ſed dæmoniorum ſervientes, Gallos ocant: Eò quod de hac gente Romani truncatos libidine in honorem Athijs, uem Eunuchum Dea meretrix fecerat, Sacerdotes illius manciparint. Pro-tereà autem Gallorum gentis homines effæminantur, ut qui urbem Romam eperant, hâc feriantur ignominiâ.*

Lib. 3. c. 3. Lib. 1. c. 4.

Nihilominùs Eunuchos, fide & moribus integros, ſemper ad Cle-um admiſit Eccleſia. Etenim Candacis Reginæ Eunuchum ab ip-s Apoſtolis ordinatum Epiſcopum, conſtans eſt ſententia Patrum. Melithonem Sardenſem Epiſcopum, tamquam in Spiritu ſancto Eu-nuchum, laudat plurimùm Polycrates, Epheſiorum Epiſcopus, in iteris ad Victorem Pontificem, relatis ab Euſebio, ac S. Hierony-no in Cathalogo virorum illuſtrium. Idem Euſebius æquè com-nendat Dorotheum, Eunuchum natum, Presbyterum Eccleſiæ Antiochenæ. Lib. 7 c. 28

At Domini verbum de Eunuchis ob cæleſte regnum ſeipſos ca-trantibus pravè intelligens ad literam, ac violentas manus, ſervandæ aſtitatis fuco, ſibi ipſi inferens Origenes excitavit in Eccleſia no-am quæſtionem. Facinùs auctoritatem habuit ex patrantis eminenti

per-

persona; ex Demetrij Alexandrini Episcopi, licet admirantis, tamen quasi ex fidei impetu profectum solantis tolerantia; ac præsertim ex Theoctisto Cæsareensium apud Palestinos Metropolita, ac Alexandro, Herosolymæ Episcopo, deferentibus homini mutilo Presbyteratum. Verùm Demetrius posteà sententiam vertit, Theoctistum & Alexandrum durè incusavit apud Ecclesias, atque ità per omnem orientem natæ sunt graves contentiones, variæque Synodi, invicem uti affectibus, ita decretis impugnantes. Quin immò facinùs transijt in sectam, quam Epiphanius & Augustinus vocant valesiorum, non seipsos tantùm, Sed & quosvis advenas violenter exsecantium, idque ob idem Domini verbum carnaliter & stultè acceptum. Etiam de rerum Principijs errarunt. Quæ omnia palàm olent Origenis discipulatum.

Quidquid sit, Nicæam lis deducta est ad plenum Ecclesiæ judicium, finitaque hoc nostro canone, uti insinuat Sanctus Basilius in libro de vera virginitate. Ferit Canon solos à semetipsis excisos. Caussam dat Sanctus Hieronymus in adducto commentario super Epistolam ad Galathas. *Tam detestanda est abscißionis Paßio, ut & qui invitis eam intulerit, legibus publicis puniatur, & qui se-ipsum castrârit, infamis habeatur*: Mandat verò Apostolus Episcopo & Presbytero adesse debere bonum testimonium etiam ab illis, qui foris sunt. Per naturam, Dominos, Barbaros, Medicos ob morbum truncatis canon disertè parcit, nolens afflictis addere afflictionem, nec lædere priorem Ecclesiæ consuetudinem. Hinc Leontium, Antiochenum Episcopum tamquam contra Nicenas Regulas promotum, graviter reprehendunt in Epistola ad Solitarios Sanctus Athanasius, & in Historia
l. 1. c. 24. Theodoretus, *Quod sua ipsius manu sibi execuisset testiculos.* At verò
l. 8. c. 24. Tigrium, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyterum, *Natione Barbarum, & Eunuchum, sed non à nativitate,* Utpotè à Domino in servitute excisum, admodùm laudat Hermias Zosomenus. Etiam Sancti Germanus atque Ignatius, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Antistites, fuere violenter excisi, pro quorum Episcopatu quæ bella gesserit Romana Ecclesia, omnibus est manifestum.

c. 7. Eodem modo canonem intelligunt secunda Synodus Arausicana apud Jacobum Sirmondum, Hincmarus Remensis Episcopus in caus-
l. 3. c. 23. sa Presbyteri Cameracensis, relata per Flodoardum & Baldricum in Historia Ecclesiarum Remensis & Cameracensis, nec non Sanctus
l. 1. c. 51. Ivo Carnotensis Episcopus, in Epistola ad Pontium Abbatem
Epist. 231. Cluniacensem disertè scribens canonem latum *In eos, qui se abscindunt obtentu servandæ castitatis.*

Quis-

Quispiam Pontij monachus, curandæ epilepsiæ caussâ, seipsum castrârat, responditque Ivo consultus. *Nec ad altiorem gradum promoveri poterit, nec in eo, in quo erat, ministrabit, quod, sicut benè nostis, ei non interdiceretur, si esset sectus à medicis.* Hinc apud Guilielmum Malmesberiensem Hugo Londinensis Episcopus, eiusdem morbi caussâ sectus à medicis, mansit Episcopus, sectoque similiter Presbytero liberam ministerij facultatem permittit Innocentius tertius apud Gregorium nonum sub titulo de corpore vitiatis. F. 236.

Addit Canon noster, *Propter languorem.* Qui ergo citra morbum ex libidine, quâvis mundi caussâ, aut etiam castitatis fuco permittit seipsum medicis, fit plenè irregularis. Caussam dat Leo Augustus, quod licet alienâ manu, ipse tamen sibi sit omninò auctor injuriæ. Quare rectè Leo nonus Pontifex, in Literis ad Michaëlem Patriarcham Constantinopolitanum, Græcos schismaticos arguit, quod contra Sanctorum Canonum censuram Eunuchos eiusmodi indifferenter promoverent etiam ad Episcopatum. *Vt Valesii*, inquit Sigebertus Gemblacensis, *Hospites suos castratos etiam ad Episcopatum promovebant.* C. 23. A. 1054.

Apostolica increpatio non fuit penitùs infructuosa. Romanos enim Legatos honorificè suscepit, audivit, ex eorum præscripto suorum mores corrigi jussit Augustus Constantinus Monomachus, fieriq; tunc cæpit, quod scribit Theodorus Balsamon. Nemo consideratior aut se aut è suis quempiam tradidit medicis, nisi priùs morbi caussâ cognitâ per Ecclesiam, ac impetratâ licentiâ, quo ità nulla irregularitatis vel suspicio esset. Quin immò nullus, licet ob morbum de Ecclesiæ licentia, excisus fuit admissus ad Clerum. Nempe dum vitant stulti vitia, in côntraria currunt. Eiusmodi enim excisio, ut rectè Leo Augustus, naturam non mutilat, sed conservat, ideòque legi non advertatur. Ad 23. Con. Apost. Ad 1. Con. Nicen.

Nicena porrò Lex statuit de sola genitalium truncatione. Etenim Ammonij Parotæ, qui Episcopatus vitandi caussâ sibi ipsi auriculam abscîdit, dicens, *Me deinceps ne volentem quidem Lex Sacerdotem creari permittit, nam neminem, qui non sit integris membris, Sacerdotem debere institui.* Huius, inquam, Ammonij caussam discutiens apud Hermiam Zosomenum Ecclesia respondit: *Hæc esse Iudæis solùm observanda, Ecclesiæ autem Christi membra corporis minimè curæ esse, sed ut Sacerdos duntaxat sit integris moribus.* Judaicam enim legem, non hunc Canonem etiam Ammonius respexit. Canonem ergo ad qualemcumque sui mutilationem extendit tandem Innocentius primus, in literis ad Fælicem Nucerianum Episcopum, quas adducunt, non tantùm Gratianus, apud quem videnda plura hanc materiam tangentia decreta, sed L. 6. c. 30. Dist. 58.

etiam Dyonisius Exiguus, & Crisconius Africanus Episcopus, fidissimi antiquorum Canonum collectores.

CANON II.

QVoniam plura aut per necessitatem, aut alias cogentibus hominibus, adversùs Ecclesiasticam facta sunt regulam, ut homines ex gentili vita nuper accedentes ad fidem, & instructos brevi tempore, mox ad lavacrum spiritale perducerent, simulq; ut baptizati sunt, ad Episcopatum vel ad presbyterium promoverent; optimè placuit, nihil tale de reliquo fieri. Nam & tempore opus est ei, qui catechizatur, & post Baptismum probatione quam plurimâ. Manifesta est enim Apostolica Scriptura, quæ dicit: Non neophytum, ne in superbiam elatus in iudicium incidat, & in laqueum diaboli. Si verò processu temporis aliquod delictum animæ circa personam reperiatur huiusmodi, & à duobus vel tribus testibus arguatur; à clero talis abstineat. Si quis autem præter hæc fecerit, quasi contra magnum Concilium se efferens, ipse de clericatus honore periclitabitur.

SCOLION.

TRes sunt Neophytorum species, diversis temporibus in Ecclesia natæ: Neophyti ex fide, Neophyti ex Laicis, Neophyti ex ætate, quam postremam speciem Sanctus Ivo Carnotensis Episcopus Epist. 149 183. in Literis ad Guilielmum Metropolitam Rothomagensem meritò vocat *Ecclesiæ stercora, puerorum spurcitiam, novam Neophytorum hæresim, inauditum genus invasionis.* De prima specie scribit ad Timotheum Apostolus: *Oportet Episcopum esse non Neophytum.* Caussam dat Pontius Diaconus in vita sancti Cypriani. *Ne stupore gentilitatis nondum fundatis sensibus adhærente, aliquid in Deum novitas inerudita peccaret.* Baptisma enim, uti in Libris contra Pelagianos scribit Sanctus Hie-L. 1. c. 8. ronymus, non statim omni justitiâ plenum facit; vetera peccata con-

scin-

indit, non donat plenitudinem virtutum: At verò Episcopatus est
radus acquisitæ & possessæ perfectionis.

Aliam rationem dat ipse Apostolus: *Ne in superbiam elatus in iudi-
um incidat diaboli. Quod*, inquit ad Oceanum Hieronymus, *quis non
cemplo verum probet? Ignorat momentaneus Sacerdos humilitatem &
ansuetudinem rusticorum, ignorat blanditias Christianas, nescit seipsum
ntemnere, de dignitate transfertur ad dignitatem, non ieiunavit, non fle-
t, non mores suos sæpè reprehendit, & assiduâ meditatione correxit, non
bstantiam pauperibus erogavit. De cathedra quodammodò ducitur ad ca-
edram, id est, de superbia ad superbiam. Iudicium autem & ruina diaboli,
illi dubium, quin arrogantia sit.*

Et hinc de solo Episcopo, sub quo & Presbyter comprehenditur,
postolus loquitur. Nam ipse Onesimum non tantùm Christo ge-
uit, sed & mox Diaconum fecit de servo, uti ad Theophilum Ale- Epist.62.
andrinum Episcopum scribit idem Hieronymus. Diaconus dum-
xat minister est, ideòque Christianæ perfectionis adhuc discipulus,
on Possessor & Doctor.

Addit Canon octuagesimus Apostolorum. *Eum, qui è vita gentili
ccesserit, & baptizatus fuerit, protinùs Episcopum fieri, æquum non est.
isi fortè hoc divinâ gratiâ fiat.* Eâ gratiâ, quam Apostolus in Epistola
d Timotheum vocat *Præcedentes Prophetias*, id est, divinas revelatio-
es, quibus Episcoporum Electiones frequenter fieri consuetas etiam
anctus Cyprianus, Sanctus Hieronymus in Aggæi Prophetæ Com-
entarijs, variaque exempla attestantur. Sic Alexander Hierosolymi-
anam, Nicolaus Myrensem, Fabianus Romanam Cathedram adscen-
erunt. Et quidem Fabianus à columba in caput eius devolante osten-
us, quam Prophetiam dudum continuâ serie perseverasse apud Ra-
ennates, asseverant illius Ecclesiæ Annales. Et huiusmodi electiones
erità vult Canon ille ab Apostolo non improbari. Caussam dat san-
tus Ambrosius in Epistola ad Ecclesiam Vercellensem. *Neophytus* Epist.25.
*rohibetur ordinari, ne extollatur in superbiam. Si non deest humilitas
ompetens sacerdotio, ubi caussa non hæret, vitium non imputatur.* Ubi au-
em divina revelatio, certum est hanc caussam non hærere.

Attamen quandoque etiam humanus dies fecit huiusmodi Episco-
os. Cæpit malum ab hæreticis, quorum ordinationes Tertullianus C.41.
n Libro Præscriptionum scribit esse leves, temerarias, inconstantes,
tque ab illis gloriâ obligantibus, quod veritate non possint, *Neophy-
os conlocari.* Quod ipsum de Eusebiana Arianorum factione queritur
n Apologia ad Constantium Augustum sanctus Athanasius. Et san- Epist.61.
cto Hieronymo teste, *Prætextatus, vir consularis, solebat ludens beato* c.3.

Papa Damaso dicere; facite me Romanæ urbis Episcopum, & ero protinùs Christianus. Episcopales proventus etiam in medio persecutionum æstu fuisse amplissimos, liquet ex Tertulliano, qui Episcopatum vocat *regnum*, arguitque nostros Episcopos, quod eius securam fruitionem ac persecutiones largo ere redimerent. Huius ergo regni amor invasit etiam gentiles, atque hæreticorum conventiculis præfecit Antistites.

l. de fuga persecut. c. 16.

Malum tandem serpsit etiam ad nos. Nam apud Græcos sanctus Gregorius Thaumaturgus Alexandrum Carbonarium, novellum è Philosopho Christianum, Ecclesiæ Comanensi dedit Episcopum, uti refert in illius encomio sanctus Gregorius Nyssenus; eodem tempore apud Latinos Carthaginensi Primatui impositus est sanctus Cyprianus Neophytus, de quo Pontius Diaconus. *Ille fuit primus, & puto solus exemplo, plus fide posse, quàm tempore promoveri.* Fælicissimus eiusdem Ecclesiæ Diaconus, & cum illo quinque Presbyteri, promotionem, ut Canoni Apostolico adversam, hostilissimè apud Romanam Ecclesiam impugnavêre, & confirmari postulârunt Fortunatum, Cypriano à se superordinatum; verùm conjuratione illâ damnatâ, Cyprianum succepit sanctus Cornelius Pontifex, atque ità gratia in exemplum, exemplum degeneravit in frequentem abusum: Etiam violatis cathecumenorum legibus. Hac de caussa sanctus Hieronymus eiusmodi Episcopos in laudata superiùs Epistola vocat *momentaneos sacerdotes.* Etenim *heri cathecumenus, hodie Pontifex; heri in amphitheatro, hodie in Ecclesia; vespere in circo, manè in altario; dudum fautor histrionum, nunc virginum consecrator.*

Abusui obviare cæpit quartus Canon Laodicensis. *De his, qui nuper inluminati sunt baptismate, quod eos in sacerdotali non conveniat ordine promoveri.* Eumque, quod non proficeret, innovavit & ad omnem Ecclesiam extendit hic noster Canon Nicenus. Statuit de solo Episcopo atque Presbytero, quod de illis solis etiam Apostolus statuerit; verùm & ad Diaconos postmodùm extendit Siricius Pontifex, & secunda Arelatensis Synodus, haud dubiè ex auctoritate Sardicensis, cuius decimus Canon secundam Neophytorum speciem facit irregularem etiam ad Diaconatum.

Sed neque Nicenus Canon ubique profecit. Omitto Eusebianæ factionis effrontem proterviam, de qua videndus sanctus Athanasius in suprà adducta Apologia; omitto item sanctum Ambrosium, Eusebium in Cappadocia Cæsareensem, Nectarium Constantinopolitanum, Synesium Cyrenensem, aliosque id genus divino aut Ecclesiastico judicio probatos ex Neophytis Episcopos: Adduco solas

Hiero-

Hieronymi querelas in Libris contra Pelagianos. *Vult Apostolus, ut non* L.1.c.8.
Neophytus Episcopus ordinetur, quod videmus nostris temporibus pro summa legi iustitia. Nempe humanæ ambitionis iniquitas nullo unquam fræno potuit coërceri.

Hæc Canonis verba, *Si verò processu temporis, &c.* Huc usque promotos tangunt. Eos dispensatoriè tolerant, dummodò alius irregularitatis obex non subsit

CANON III.

INterdixit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, nec Diacono, nec alicui omninò, qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem; nisi fortè aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantùm personas, quæ suspicionem effugiunt.

SCOLION.

ROmana, ac Latina omnis Ecclesia Episcopis, Presbyteris, atque Diaconis plenam semper continentiam imposuit, etiam ab uxoribus anteà ductis Eandem Ægypti atque Orientis fuisse consuetudinem, testatur sanctus Hieronymus in Libro contra Vigilantium. Legem hanc & reliquis Græcorum Ecclesijs inferre conati sunt in hac Synodo Legati Apostolici; Verùm sancti Paphnutij, Ægyptij Episcopi intercessio impedivit, fecitque proscribi solam introductionem mulierum extranearum. Scio Paphnutij intercessionem à quibusdam abijci ut supposititiam & Græculum figmentum: At existimo, quod malè, ex gravibus rationibus ac testimonijs. Rectè tamen Gregorius septimus Pontifex, in Latinorum Clericorum sacrilega matrimonia statuens, illam damnavit: utpotè contrariam antiquæ puritati Latinæ.

Sed quid est introductio, quid mulieres introductæ? Ruffinus hunc Canonem è Græco Latinum reddens pro *subintroductas* ponit *Extraneas*. Eumque plures Gallorum atque Hispanorum Synodi, quidamque alij sunt secuti. Nec penitùs malè. Extraneas enim mulieres Canon vetat introduci, de quo quærimus, quid sit? Exstant de illo numerosa antiquorum testimonia, & quædam oportet adduci.

Tertullianus in Libro exhortatorio ad castitatem, nec non in Libro de monogamia, secundas nuptias damnat, virisque viduis passim dicentibus, *Consors onerum domesticorum est necessaria,* respondet. *Habe* C.12. C.16.

aliquam uxorem ſpiritalem, adſume de viduis Eccleſiæ, fide pulchram, paupertate dotatam, ætate ſignatam: Bonas nuptias feceris. Huiuſmodi uxores etiam plures haberi, Deo gratum eſt.

Apud Euſebium Cæſareenſem Antiochena Synodus in Paulum, Samoſatenſem, Patriarcham Antiochenum, Synodaliter dejectum,

l.7.c.24. Scribit ad Dyoniſiũ Papam. *Præterea quid eſt, quod literis prodamus adſcititias illius mulieres, quas ſubintroductas Antiocheni appellãt, & mulieres etiam Presbyterorum ac Diaconorum ſuorum, quorum non hoc peccatum ſolum, ſed alia propè inſanabilia callidè occultavit. Atque hoc pro certo habemus cognitum, non Epiſcopum modò, ſed ſacerdotium etiam univerſum populo omnium bonorum operum exemplar eſſe debere; ſic illud minimè ignoramus permultos ab iſta mulierum in ſuam ſocietatem adſciſcendarum ratione & modò, pietate penitus excidiſſe, alios autem veniſſe in ſuſpicionem flagitij. Quare licet aliquis hoc daret, eum nihil laſcivia aut petulantia in illas admiſiſſe; ſuſpicio tamen, quæ ex eiuſmodi re oriri ſolet, ſedulò cavenda fuiſſet, ne fortaſſe alicui eſſet offenſioni, alios autem ad ſe imitandum impelleret. Quo pacto enim alium reprehendere poterat aut admonere, qui unâ repudiatâ, duas ætate florentes & adſpectu perliberales ac venuſtas ſecum habuit? Quas, ſi quopiam iret, circumduxit unà, idque delicias conſectando*, &c.

Epiſt. 62. De introductione agit omninò etiam Sanctus Cyprianus in Epiſtola Synodali ad Pomponium Epiſcopum, dicens eſſe illicitas, ſcandaloſas, periculoſas conjunctiones, Epiſcopali interceſſione dividendas, utpotè ex quibus videmus fieri graves multorum ruinas, corrumpique plurimas ſacras vigines.

Theodorus, Cappadociæ Presbyter, à Sancto Baſilio de dimittenda ſubintroducta muliere admonitus, reſpondit ſe hominem ſeptuagenarium, liberum ab omni corporali perturbatione; repoſuit verò Baſilius. *Neque enim credo eum, qui ſeptuaginta annos natus eſt, cum muliere animi perturbatione commotum habitare: Nec tamquam propter aliquam turpem actionem, quæ facta fuerit, ſtatuimus ea, quæ ſtatuimus; ſed quia ab Apoſtolo docti ſumus fratri non eſſe ponendum ſcandalum vel offendiculum. Scimus autem, quod rectè & ſanè fit ab aliquibus, erit alijs occaſio ad peccatum. Ea de cauſa decrevimus, Sanctorum Patrum conſtitutionem ſequentes, ut à muliere ſepareris.* Sequentes & exequentes hunc canonem Nicenum. Rectè enim in illius Epiſtolæ commentarijs Theodorus Balſamon. *Introductitias vocat Synodi Nicenæ Canon, quæ introducuntur in ædes Sacratorum hominum, qui uxores non duxerunt, & cum eis cohabitant.*

Sancti Baſilij frater, Sanctus Gregorius, Niſſenus Epiſcopus, in libro de Virginitate hæc habet. *Qui nominetenùs cælibatus ſtudioſi nihil à*

com-

ommuni vita differunt; qui non solùm ventri voluptates indulgent, sed palàm um mulieribus convivunt, & eam consuetudinem fraternitatem vocant, sinirami suspicionem splendido hoc nomine obnubendo.

Sanctus Gregorius Nazianzenus in oratione in novam dominicam eclamat ad sacras virgines. *Servam voluptatem ne suffuremini, libertaem fugientes, ex eo quod cum illis habitetis, qui viri quidem non sunt, sed amen viri.* Uti enim sacri viri fœminas, ità sacræ virgines ac viduæ ntroducebant viros, eosque Gregorius suadet fugiendos. Pergit in armine continente præcepta virginum. *Cùmq; viros omnes, tum nullos cyùs illis effuge, quos inductitios de nomine dicunt. Namque duplex metus st, si te fiducia carnis efficit intrepidam: Quis enim confidere membris ausit, uæ tecto semper clauduntur eodem? Sacrum dedecoras Sponsum, qui te, uamq; mirificè affectat formam, nec sustinet ullum rivalem adiungi.* Et nfià. *Sæpè animis & mente pares collegit in unum, & *lucis speciem præ se ulit, atque decorum cognomentum Agapes subijt: mox callidus omnem ex nimo ad carnes vicinas flectit amorem, & flammam aut flammæ tristißima gna reliquit.* Vtique diabolus.

Sanctus Epiphanius de Hieracitis, nuptias damnantibus, hæc ait. *ubsannantur autem perfectißimè propter eas, quas singuli habent subinroductas mulieres, de quibus gloriari solent se habere ipsas ad ministerium.* Hæref. 67.
Et de falsa Encratitarum continentia. *Inter mulieres reperiuntur, mueres undequaque decipiunt, cum mulieribus iter faciunt, simul cum illis ivunt, & illarum ministeria admittunt.* Et de turpibus Origenistis. *ccusant eos, qui in Ecclesia, dilectas appellatas, aliundè subintroductas & ohabitantes fœminas habent, &c.* 68. 63.

S. Ioannes Chrysostomus proprium adversùs hasce mulieres sermonem declamavit, easque ità describit. *Sunt, quidam, qui puellas innuptas absque nuptijs & concubitu ducentes domi perpetuò collocant, & ad upremam usque senectutem inclusas tenent, non propagandorum liberorum ausâ, neque causâ libidinis.* Quod factus Episcopus hasce Agapetas nulieres sacris clericis mox abstulerit, scribit apud Photium in bi- L. 46.
liotheca Georgius Episcopus Alexandrinus.

Omnium distinctissimè easdem depinxit sanctus Hieronymus. Ad Rusticum Monachum hæc scribit de eius matre, vidua, religiosa. *Hanc suscipe ut parentem, ama ut nutricem, venerare ut sanctam. Nec* Epist. 4.
horum imiteris exemplum, qui relinquunt suas, & alienas appetunt, quo- c. 2.
um dedecus in propatulo est, sub nominibus pietatis quærentium suspecta onsortia. Novi ego quasdam, iam maturioris ætatis, Libertini generis adolescentibus delectari, & filios quærere spirituales, paulatimq; pudore supeto ficta matrum nomina erumpere in licentiam maritalem. Videas non-

nullos

nullos accinctũ renibus, pullâ tunicâ, barbâ prolixâ, à mulieribus non posse discedere, sub eodem manere tecto, simul inire convivia, ancillas iuvenes habere in ministerio, & præter vocabulum nuptiarum omnia esse Matrimonij.

Epist. 12. Et in Epistola ad Gaudentium. *Pudet dicere, & tamen dicendum est. Nobiles fœminæ, quæ nobiliores habuêre neglectui procos, vilissimæ conditionis hominibus & servulis copulantur, ac sub nomine religionis & umbra continentiæ interdum deserunt viros Helenæ, sequuntur Alexandros, nec Menelaos pertimescunt. Videntur hæc, planguntur, & non vindicantur, quia multitudo peccantium peccandi licentiam subministrat.*

Epist. 22. c. 5. Et in Epistola ad Eustochium. *Pudet dicere, prô nefas: triste, sed verum est. Vndè in Ecclesias Agapetarum pestis introijt? undè sine nuptijs aliud nomen uxorum? Immò unde novum concubinarum genus? Plus inferam: undè meretrices univiræ? Eâdem domo, uno cubiculo, sæpè uno tenentur & lectulo; & suspiciosos nos vocant, si aliquid extimemus. Frater sororem virginem deserit, cælibem spernit virgo Germanum, fratrem quærit extraneum: Et cùm in eodem proposito esse se simulent, quærunt alienorum spirituale consortium, ut domi habeant carnale commercium.*

Legenda est integra Epistola quadragesima septima, ubi hosce Agapetos vocat *Præsules clericos*, à sacris fœminis *assumptos vel ob hospitij solitudinem, vel ob custodiendas facultatulas*: vocat *maritos portentosos, qui regant familiam, emant quidquid de publico necessarium est, dispensatores & dominos, parasitos, impostores, hæredipetas.* Nam & contra eos prodijt illa Valentiniani Augusti lex, Ecclesiæ infamis & damnosa.

Et in Libris contra Jovinianum sorores mulieres, ab Apostolis circumductas, negat fuisse uxores, sed *alias mulieres, quæ iuxta morem* L. 1. c. 14. *Iudaicum Magistris de sua substantia ministrabant, sicut legimus ipsi quoque Domino factitatum. Quod & in veteri Lege de Sunamitide illa scribitur, quæ solita sit Elisæum recipere, & ponere ei mensam, & panem, & candelabrum.*

L. 4. c. 27. Et in Commentarijs sancti Matthæi Evangelistæ. *Consuetudinis Iudaicæ fuit, nec ducebatur in culpam more gentis antiquo, ut mulieres de substantia sua victum atque vestitum præceptoribus ministrarent. Hoc quia scandalum facere poterat in nationibus, Paulus abiecisse se memorat.*

L. 1. tit. 3. leg. 19. Easdem Agapetas seu dilectas fœminas in Codice Justiniani describit Lex Honorij & Theodosij. *Eum, qui probabilem sæculo disciplinam agit, decolorari consortio sororiæ appellationis non debet. Quicumque igitur cuiuscumque gradus sacerdotio fulciuntur, vel clericatus honore censentur, extranearum sibi mulierum interdicta consortia cognoscant.*

Primi Concilij Bracharensis Canon quintus decimus, adductus à Martino Bracharensi, hasce Agapetas vocat *fœminas adoptivas, quasi in loco filiæ, sororis, aut matris.*

Quo-

Quocirca subintroductæ mulieres fuerunt res judaicæ originis, ab Apostolis traducta in Ecclesiam, primitùs quidem bona, ideòque commendata à Tertulliano; postmodùm verò per humanam infirmitatem demutata in pestem, honesto Agapes seu dilectionis, Agapetarum seu dilectarum, nec non sororum, matrum, filiarum vocabulis fucatam, factaque scandalosa, periculosa, offensiva piarum aurium & oculorum, atque ideò à Paulo speciali gentium Apostolo numquam usitata. Et quidem judæi habuere solas subintroductas mulieres, nos autem etiam subintroductos viros.

Subintroductio erat contractus innominatus, inter solas sacras personas iniri solitus, adoptioni aut arrogationi similis, quo quis adsciscebatur in spiritualem Patrem, matrem, filium, filiam, fratrem, sororem, atque ità, uti loquitur secunda Turonensis Synodus, in adsciscentis familia stabiliebatur. Hunc ergo contractum Canon noster iniri vetat à Clericis, nisi cum matre, sorore, amita, alijsque personis liberis ab omni scandalo, periculo, piarumque aurium & oculorum offendiculo. C.10.

CANON IV.

EPiscopum convenit maximè quidem ab omnibus, qui sunt in Provincia, Episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit aut propter instantem necessitatē, aut propter itineris longitudinem; tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus, & per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur. Firmitas autem eorum, quæ geruntur per unamquamque Provinciam Metropolitano tribuatur Episcopo.

SCOLION.

HVnc Canonem egregiè exponit Ioannes Scholasticus, Ecclesiæ Antiochenæ Presbyter, ac deindè in Eutychij per Iustinianum Augustum iniquè dejecti locum Patriarcha Constantinopolitanus, in collectione Canonum divisa in quinquaginta titulos, laudata à Nicolao primo Pontifice in Epistola ad Photium Ecclesiæ Constantinopolitanæ intrusum. Eum ponit sub hoc titulo: *Oportere Episcopum tum à Metropolitano, tum etiam ab omnibus eiusdem Provinciæ Episcopis ordinari, vel præsentibus ipsis, vel scripto consentientibus, ac non multi-* Epist. II. tit. 7.

tudini permittere Episcoporum electiones facere. Ab illo ait innovari atque ad omnem Ecclesiam extendi duodecimum ac decimum tertium Canonem Laodicensem. *Vt Episcopi Metropolitanorum, & eorum, qui sunt circumcirca, Episcoporum iudicio constituantur. Turbis non esse permittendum eorum, qui sunt in sacerdotio constituendi, electiones facere.*

Eodem modo Canonem exponit apud Theodoretum Petrus Alexandriæ Episcopus, sancti Athanasij successor, in Epistola ad omnes
L.4.c.20. Orthodoxos, dicens *Sacros Ecclesiæ Canones præscribere, ut Episcopatus detur consensu Episcoporum in unum convenientium, suffragijs cleri, & populi postulatione.* Et Synodus Constantinopolitana ad Damasum Pontificem scribit Flavianum Antiochenum Episcopum electum ab Episcopis illius Provinciæ, tota Ecclesia suffragante, *uti Canon postulat.* Vtique Canon noster Nicenus. Etenim *& vetus lex obtinuit, & sanctorum Patrum in Niceno Concilio decisio, ut singularum Provinciarum Antistites unà cum finitimis, modò illis ità visum fuerit, Episcopis ministros ad Ecclesiarum commodum in suis ipsorum provincijs ordinent.* Hoc est, & eligant & consecrent: voce enim, χειροτονια, quæ est in textu græco, certum est hìc quomodò & alibi, actum utrumque significari. Eodem
L.5.c.23. modo Canonem exponit Theodoretus, à Paulino Antiocheno Episcopo, qui Evagrium Successorem solus elegerat & ordinarat, dicens *plures simul Canones violatos.* Nempe vigesimum tertium Antiochenū, statuentem *non licere Episcopo alium pro se successorem constituere, licet sit in fine vitæ;* & hunc Nicenum, qui *omnes Provinciæ Episcopos iubet in unum convocari* caussa faciendæ electionis, & consecrationem fieri per tres ad minùs Episcopos. Ait duas priores hasce nostri Canonis partes à Paulino violatas.

Canon enim habet tres partes. Prima agit de Episcopi constitutione seu electione; secunda de consecratione, quam fieri mandat per tres ad minùs Episcopos. Innovat & ad omnem Ecclesiam extendit
C.21. nuperum Canonem primi Concilij Arelatensis. *De his, qui usurpant sibi, quod soli debeant Episcopum ordinare, placuit, ut hoc nullus sibi præsumat, nisi aßumptis secum alijs septem Episcopis: si tamen non poterunt septem, sinè tribus fratribus non audeant ordinare.* Ex Apostolico Canone ordinatio spectat ad solos Comprovinciales, quos septem non habent variæ Provinciæ: Hinc Arelatensem Canonem mitigat hic noster, statuens generatim ordinationem à Comprovincialibus omnibus fieri, aut ad minùs eorum tribus. Ità exponit & Innocentius
Can.Calche. primus in literis ad Victricium, Rothomagensem Episcopum, secunda Synodus Arelatensis, nec non cum sua Synodo Evippus, Neocæ-
l.3.Ep.52. sareensis Metropolita, in literis ad Leonem Augustum, dicens debere

tres

tres Episcopos *corporaliter adesse*. Pars tertia vult in quavis Provincia esse Episcopum Metropolitam, eumque unicum, cui & electorum Provincialium Episcoporum, aliorumque omnium per Provinciam ligendorum competat confirmatio. Hanc partem respicit Innocentius primus in dictis literis dicens statutum atque definitum à Nicena Synodo, ut *extra conscientiam Metropolitani Episcopi nullus audeat Episcopum ordinare*. Eandem plures Synodi assiduè confirmarunt.

Huc husque per regiones varias ob assiduos persecutionum motus plenè formata non fuerat Ecclesiastica Hierarchia, neque ereƈtæ sedes Metropoliticæ. Etenim per Hispanias, & Africanas, excepta Proconsulari, Provincias præsidebat senior Episcopus, quod ipsum in Provincia Arelatensi prætendisse Proculum Massiliensem Episcopum, non obscurè colligitur ex Synodo Taurinensi, & literis Zosymi Papæ. Porrò ad Romanæ Reipublicæ normam Ecclesiæ Provincias ac potestates ordinarunt Apostoli, atque ideò, ut illa cuique Provinciæ unicum Rectorem, in Metropoli, tamquam in capite residentem, ità isti cuique unum cum debita potestate Metropolitanum Episcopum præposuerunt, quod decretum ubique tandem recipi præsens Canon mandat. Hispanos obediviſſe vident oculi nostri, itemque obedire Proculum coëgit Zosymus Pontifex; Afri autem manserunt in sua consuetudine, quam rursùm à Pelagio secundo eliminari jussam manere permisit, motus multis supplicationibus, Gregorius magnus.

Et hanc Canonis partem respicit Bonifacius primus in literis ad Hilarium Narbonensium Metropolitam. *Nulli videtur incognita Synodi constitutio Nicena, quæ ità præcipit, ut eadem propriè verba ponamus, per unamquamque Provinciam ius Metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse subiectas*. Atque exindè decidit litem pro præfato Hilario contra Patroclum Arelatensis Ecclesiæ Episcopum, eiusque prætensum Primatum. Eodem respicit actio tertia decima Synodi Calchedonensis, Bythiniæ Metropoliticam potestatem ex integro adscribens Cathedræ Nicomediensi, Nicenæ autem solùm Metropolitæ vacuum nomen, quoniam Canones, utique hic noster, statuant eidem Provinciæ esse non posse duos cum potestate Metropolitas. Epist. 3.

Rectè verò Constantinopolitana Synodus dicit & veterem Ecclesiæ legem, & Niceni Concilij decisionem habere, ut Episcopus à Collegis Comprovincialibus eligatur. Antiquam enim, ab Apostolis præscriptam, electionis formam pandit nobis sanctus Cyprianus in literis ad Ecclesias Legionensem atque Asturicensem. *Propter quod diligenter de traditione divinâ & Apostolica observatione observandum est* Epist.68.

 & te-

& tenendum, quod apud nos quoque, & ferè per Provincias universas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam Plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi eiusdem Provinciæ proximi quique conveniant, & Episcopus deligatur Plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè novit, & unius cujusque actum de eius conversatione perspexit. Quod & apud vos factum videmus. Venire id dicit ex traditione Divina, id est, Lege Mosaicâ, cuius plures ritus Apostoli in Ecclesiam traduxerunt.

Ait in Episcopi electione totius fraternitatis, id est, Cleri & Plebis esse suffragium; judicium autem, seu confirmationem, esse præsentium Episcoporum: Et addit de Plebe. *Quando ipsa maximè habeat potestatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi.* Hinc in Electionibus frequenter olim à scissa in factiones Plebe fuere maximi tumultus usque ad manus & publicas cædes; hinc rapti ad Episcopatum inviti, rudes, neophyti, alijque irregulares atque indigni. Hisce de causis pristinam Electionis formam, quod iam antè Lodicena Synodus fecerat, hic noster Canon immutavit.

Addidit tria. Primò, ut deinceps Episcopi Electio non fiat, nisi præsentibus Comprovincialibus. Quod ubique quoad Metropolitas receptum est, non quoad Provinciales: Horum Electioni in quibusdam regionibus assistere & præsidere perseveravit solus interventor seu visitator Episcopus, atque ità servatum semper per Italiam, Illyricum, & Gallias liquet ex Epistolis sancti Ambrosij, sancti Leonis, ac Gregorij Magni. Et hinc, quod Clerus & populus in Electionibus frequenter deviarent, Ludovicum tertium Francorum Regem hortatur Hincmarus Remensis Episcopus, eique adjuncta Synodus Gallicana, ut deinceps præsideant Metropolita & vicini Episcopi, quomodo mandat Canon Nicenus. Epist. 12. c. 3.

Secundò addidit, ut penes hosce præsentes Episcopos esset non dumtaxat de fraternitatis suffragio judicium, sed & principale suffragium. Liquet hoc ex literis Celestini Pontificis ad Ecclesiam Gallicanam. *Docendus est populus, non sequendus, nosque, si nesciunt, eos, quid liceat, quidque non liceat, commonere, non eis consensum præbere debemus. Per totas hoc, quæ proprijs Rectoribus carent, Ecclesias volumus innotescat, ut nullus sibi spe aliquâ blanditus illudat.*

Tertiò addidit, ut ultimum de quovis suffragio judicium peti oporteat ab Episcopo Metropolitano. Undè is apud Græcos, uti in Libro de sacris ordinationibus asserit Symeon Archi-Episcopus Thessalonicensis, electionibus numquam aderat; aderat & quidem sine suffragio, quispiam eius clericus, passim Carthophylax, inspecturus & re-

la-

ſaturus omnem electionis ſucceſſum, ut ille tam de fraternitatis, quàm ſe Epiſcoporum ſuffragio poſſet liberè judicare.

Exiſtimant quidam Plebem à Canone fuiſſe privatam omni ſuffragio. At malè. Nimis manifeſtum eſt & apud Orientis & apud Occidentis Eccleſias etiam poſteà Plebem poſtulaſſe & ſuffragatam, idque ex præſcripto Canonum, & contra eorumdem præſcriptum frequenter uſque ad effuſum ſanguinem tumultuatam. Et hinc Gregorius Nazianzenus in defuncti Patris encomio, ſtultam & temerariam plebem optat excludi ab electionibus, eaſque committi ſolis clericis & monachis, *Sic enim nunquam Eccleſiis malè eſſet.* Quod votum tandem recepit, ac in Canonem redegit Eccleſia, atque adeò adversùs populares electiones & turbas reducere conantes Lutheranos & Calviniſtas rectè ſtatuit Tridentina Synodus: *Si quis dixerit ordines ab Epiſcopis collatos ſine populi & poteſtatis ſæcularis conſenſu irritos eſſe, anathema ſit.* Longa eſt hæc res, varijs ſæculis paſſa mutationes varias, alibi enucleandas. Seſſ. 23. c. 3.

APPENDIX.

An Epiſcopi Conſecratio facta ab uno Epiſcopo ſit valida?

A Paucis annis quidem ab uno Epiſcopo per Apoſtolicæ Sedis juſſionem conſecratus Epiſcopus apud nos ordinavit non tantùm Presbyteros ac omnium graduum Clericos plurimos, ſed & quoſdam Epiſcopos alijs duobus adſiſtens, atque ità apud multos de hiſce Ordinationibus natus eſt ſcrupulus, exiſtimantes Epiſcopum de jure divino ordinari debere à tribus, in quo Sedes Apoſtolica non poſſit diſpenſare. Eſt ſcrupulus palàm injurioſus dictæ Sedi, conſuetæ non ab heri aut nudiustertiùs, ſed ab ipſis Apoſtolorum temporibus uti iſtâ poteſtate. Nam & Ferrandus Fulgentius, Eccleſiæ Carthaginenſis Diaconus, antiquus Canonum collector, ex Synodo Zellenſi & Siricij Pontificis ſanctionibus adducit hunc Canonem: *Ut unus Epiſcopus Epiſcopum non ordinet, exceptâ Eccleſiâ Romanâ.*

Fateor ergo atque profiteor eſſe omninò morem & Canonem Apoſtolicum, ut Epiſcopus à cunctis ſuis Comprovincialibus, aut ad minus eorum tribus ordinetur. Etenim teſtatur Apoſtolus Timotheum quidem à ſe ordinatum, attamen per impoſitas manus Presbyterij, id eſt, plurium Presbyterorum, ſeu Epiſcoporum. Apoſtolicis enim temporibus inter Epiſcopos & Presbyteros nullum fuiſſe diſcrimen aſſeverat frequenter ſanctus Hieronymus. Epiſcopatus & Presbyteratus ſunt jure divino diſtincti omninò Ordines; verùm primis

illis Ecclesiæ exordijs nemo dumtaxat in Presbyterum, sed omnis Presbyter completè in Episcopum ordinabatur, qui mos dudum perseveravit in quibusdam Ecclesijs, præsertim Alexandrina. Hunc esse Hieronymi sensum, facilè & lucidè possit ostendi. Possit ostendi, eisdem Ecclesiæ initijs Episcopos passim consecratos à tribus, quos inter principalis consecrator erat Patriarcha, Primas, aut Metropolita.

Nihilominùs & ipsi Apostoli, & eorum proximi Successores frequenter etiam soli Episcopos consecrarunt. Etenim Tito Cretensium Metropolitæ mandat Apostolus, ut per civitates constituat Presbyteros, id est, ut ipse statim subdit, Episcopos, utique solus, quoniam post abitum Zenæ & Apello, quos statim Nicopolim evocabat, nullum penitùs collegam in omni insula Titus erat habiturus. Quod ipsum alios quoque gentium primos Doctores fecisse, ac ob eandem Collegarum carentiam facere debuisse, referunt fidi Ecclesiastici Annales. Reddita per Constantinum Ecclesijs pax exclusit hanc necessitatem, adeòque & eandem licentiam exclusit primùm Arelatensis Synodus, deindè Nicena, volueruntque iuxtà Apostolicam Regulam deinceps Episcopum ad minus à tribus ordinari.

Nequaquam tamen datam ab uno aut duobus ordinationem declarunt irritam, aut iterandam. Nullo modo. De futuro dumtaxat statuunt, proscribentes consuetam huc usque variorum Episcoporum usurpationem; de factis Ordinationibus omninò nihil: Ratas relinquunt & inconcussas. Quod ipsum liquet ex ratione motiva Niceni Canonis, adducta per Innocentium primum in literis ad Victricium Episcopum Rothomagensem. *Ne unus Episcopus ordinare præsumat, ne furtivum beneficium præstitum videatur.* Inhibetur eiusmodi ordinatio, non quia irrita, sed quia obnoxia aut certè suspecta furtivæ clandestinitatis. Rationem hanc eleganter & largiùs exponit Gregorius magnus in literis ad sanctum Augustinum, Anglorum Episcopum, qui intra Angliam nullos habens orthodoxos Collegas proposuit Pontifici
Q. 8. hanc quæstionem: *Peto, si longinquitas itineris magna interiacet, ut Episcopi facilè non possint convenire, an debeat sine aliorum Episcoporum præsentia Episcopus ordinari?* Dubitabat, num ordinationi adstituros Collegas advocari oporteret è Gallia. Respondit verò Pontifex. *Et quidem in Anglorum Ecclesia, in qua adhuc solus tu Episcopus inveniris, ordinare Episcopum non aliter, nisi sine Episcopis potes. Nam quando de Gallijs Episcopi venient, illi in ordinationem Episcopi testes tibi assistent. Sed fraternitatem tuam ità volumus in Anglia Episcopos ordinare, ut ipsi sibi Episcopi longo intervallo minimè disiungantur, quatenùs nulla sit necessitas, ut in ordinatione alicuius Episcopi convenire non possint. Pastorum quoq; ali-*

quo-

quorum præsentia valdè est utilis, ut facillimè debeant convenire. Cùm igitur, Deo auctore, ità fuerint Episcopi etiam in propinquis sibi locis ordinati, per omnia Episcoporum ordinatio sine aggregatis tribus vel quatuor Episcopis fieri non debet. Nam in ipsis rebus spiritualibus, ut sapienter & maturè disponantur, exemplum habere à rebus etiam carnalibus possumus. Certè enim dum coniugia in mundo celebrantur, coniugati quique convocantur, ut qui in via iam coniugij præcesserunt, in subsequenti quoque gaudio misceantur. Cur ergo non in hac spiritali ordinatione, quâ per sacrum Mysterium homo Deo coniungitur, tales conveniant, qui vel in profectu ordinati Episcopi gaudeant, vel pro eius custodia omnipotenti Domino preces pariter fundãt? Disertè dicit adsistentes Episcopos non esse Sacramenti substantiales comministros, sed dumtaxat testes contra furtivam clandestinitatem, qui sacram ordinationem honorent, illi congaudeant, & pro novo Ecclesiæ Sponso preces Deo fundant.

Hoc ipsum patet ex secundo Canone quartæ Synodi Carthaginensis. *Episcopus cùm ordinatur, duo Episcopi ponant & teneant Evangeliorum Codicem super caput & cervicem eius, & uno super eo fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput eius tangant.* Cur unicus fundit benedictionem? Quia unicus est Sacramenti necessarius Minister, alij non nisi honorarij assistentes & testes, manusque ab illis imposita est dumtaxat ceremonialis. Alioquin & benedictionem deberent fundere: Etenim Sacramenti elementum ac benedictionis verbum per diversos adhiberi non possunt, de quo, quoniam Joannes Morinus in opere de sacris ordinationibus movet novas quæstiones, alibi dicemus.

Assertionem meam confirmo exemplis varijs. Etenim de Paulino, Antiochiæ magnæ Episcopo, iam suprà audivimus, quod Evagrium Successorem solus elegerit & consecrarit, atque ità actu uno varios violârit Canones. Addit nihilominùs Theodoretus, Paulini ac Evagrij mastix, Flaviani autem eorum adversarij encomiastes, de Ecclesia Romana: *Evagrij communionem illa amplexata est*, id est, ut verum agnovit Episcopum, *Imperatorisq; animum contra Flavianum incitavit.* L. 5. c 23.
Et Evagrius & Flavianus, uti ad Theophilum Alexandrinum Episcopum scribit sanctus Ambrosius, mutuis potiùs vitijs alienæ ordinationis, quam suis meritis fulciebantur, eorum caussa & Romæ, & Capuæ, & Alexandriæ fuit Synodaliter tractata & retractata, de Evagrianæ tamen ordinationis validitate nemo unquam dubitavit, ne quidem ipse Flavianus. Epist. 4.

Eodem ferè tempore apud Numidas duo Episcopi ordinarunt Episcopum, ideòque Honoratus & Urbanus Episcopi in Synodo apud Au-

Aurelium Carthaginensem Episcopum, totius Africæ Primatem institerunt condi Canonem de Episcopis non nisi per duodecim Collegas ordinandis. Respondit verò Aurelius: *Forma antiqua servabitur, ut non minùs quam tres sufficiant ad Episcopum ordinandum.* Dictam autem à duobus attentatam ordinationem nemo prorsùs postulavit ad nullitatem.

L. 2. c. 8. Apud Evagrium Scholasticum scribit ad Leonem Augustum Ecclesia Alexandrina de suo pervasore, ac sancti Proterij Episcopi trucidatore, Timotheo Æluro. *Timotheus, assumptis sibi duobus Episcopis dignitate Episcopali abdicatis, & Clericis itidem exilio multatis, à duobus illorum creatus Episcopus; nullo omninò Episcoporum orthodoxorum ex Diocesi Ægyptiaca, sicut in creando Episcopo Alexandrino fieri solet, præsente.* Quin immò Gennadius, Presbyter Massiliensis, Timothei coëtaneus, in catalogo virorum illustrium, dicit illum ordinatum ab uno. Quidquid sit, Ecclesiæ Alexandrinæ literas ad omnes totius orientis Metropolitas, eorumque Synodale judicium misit Præfatus Augustus, qui uno ore omnes ordinationem censuerunt variè vitiosam, nemo tamen irritam ac nullam. Quare varijs technis & dolis veniam à Sede Apostolica venatus est Timotheus, non rursùm ordinari volens, sed absolvi solummodò à vitæ criminibus ac vitijs ordinationis.

L. 3. c. 20. 21. Idem Evagrius scribit de Petro Mogo, ejusdem Sedis Alexandrinæ pervasore. *Petrus à duobus solùm Episcopis, eâdem erroris pravitate cum illo infectis, creatus est.* Quin immò Georgius Cedrenus ait ordinatum

F. 289. ab unico. Romana tamen Ecclesia, non ob istud vitium, sed quod hæreticus ab hæreticis esset intrusus, hominem abiecit.

Dum sanctus Hilarius, Arelatensis Episcopus, vicinarum Provinciarum Primatum, omniumque istic Episcoporum ordinationes prætendens, Gallicani Præfecti apparitura armatus procederet, & adversas sibi civitates quasi hostis invaderet, Ebredunensium Ecclesia, Alpium maritimarum Metropolitana, Primatum illum refutans, ac longæ per duos ac amplius annos viduitatis pertæsa, per duos Episcopos sibi ordinavit Armentarium Episcopum. Hinc Reiensem Synodum coëgit tumidus Hilarius; *Ordinationem, quam irritam Canones*

C. 1. 2. 3. *definiunt, ipse quoque vacuavit*; Armentariumque, abjectum in Chore-Episcopi nomen & communionem peregrinam, relegavit, relictâ tamen potestate *confirmandi neophytos, & offerendi ante quosvis Presbyteros*: Quin & Clericos ab ipso ordinatos, qui quidem essent sine macula & ab eius successore acceptarentur, suis gradibus reliquit. Quare clarum est, hanc Synodum de istius ordinationis validitate nihil dubitasse. Quin immò sanctus Leo Pontifex, Hilarij durus & justus adver-

versarius, videtur Armentarium, à vinculis his solutum, in Ebredunensem aut aliam quampiam Sedem reposuisse. Etenim inter Gallicanos Episcopos, ad quos post Hilarij mortem perscripsit acta Synodi Calchedonensis, est omninò quis Armentarius. Epist 58.

Ordinationis huius validitas æquè clarè patet ex Canone vigesimo primo primæ Synodi Arausicanæ. *Duo si præsumpserint ordinare Episcopum in nostris Provincijs, placuit de Præsumptoribus, ut sicubi contigerit duos Episcopos invitum Episcopum facere, auctoribus damnatis, unius eorum Ecclesiæ ipse, qui vim passus est, substituatur, si tamen vita respondet, & alter in alterius deiecti loco nihilominùs ordinetur. Si voluntarium duo fecerint, & ipse damnabitur, quò cautiùs ea, quæ sunt antiquitus instituta, serventur.* Est ab Hilario procuratus Canon contra eiusmodi iam frequentari solitas ordinationes. Episcopi namque, Arelatensem Primatum aversati, viduatam in suis Provincijs Sedem mox Episcopo implebant, quandoque ob Hilarij metum invito, & per duos ordinato, quod illius violentiæ præveniendæ essent, nec sinerent exspectari tertium. Vim passum ac violenter ordinatum noluit plenè punire Synodus, ideòq; imponit in alterius ordinatoris deiecti Sedem: Ex quo claret illam de ordinationis valore non dubitasse.

Liber Pontificalis hæc habet de Pelagio primo. *Dum non essent Episcopi, qui eum ordinarent, inventi sunt duo Episcopi, Ioannes de Perusio, & Bonus de Ferentino, & Andreas Presbyter de Ostia, & ordinaverunt eum Pontificem. Tunc enim non erant in Clero, qui eum possent promovere. Et multitudo Religiosorum, & Sapientium, & nobilium, subduxerant se à communione eius, dicentes, quia in morte Vigilij Papæ se immiscuisset, ut tantis pœnis affligeretur.* Hermannus contractus Andream illum dicit fuisse Archi-Presbyterum Ecclesiæ Ostiensis vacantis, ac eius esse privilegium, ut Romanum Pontificem, dum nequit per Episcopum, consecret per suum Archi-Presbyterum. At figmenta sunt. Adversùm tria Concilij Calchedonensis Capitula, eorumque defensorem Vigilium Papam, truculenta passum à Justiniano Augusto, egerat in quinta Synodo Pelagius adhuc Diaconus, ideòque ab omni Occidentis Ecclesia tamquam Calchedonensis Synodi prævaricator, & Vigilij Pontificis persecutor, derelictus, nec in ipsa Italia reperire potuit tres Episcopos, qui illi manus imponerent: De eius tamen ordinatione nullus unquam fecit quæstionem. A. 584.

Huiusmodi exempla adducere possim longè plura. Quare certum penitus est. Episcopum ab uno Episcopo validè ordinari. Est tamen contra Canones, ideòque ordinatio vitiosa, licèt fiat à Patriarcha, ut suprà à Theodoreto & sancto Ambrosio audivimus de ordinatio-

ne Evagrij facta per Paulinum Patriarcham Antiochenum. Caussam
C.27. dat secunda Synodus Arelatensis. *Hoc etiam placuit custodiri, ut nihil contra magnam*, Nicenam utique, Synodum *Metropolitani existiment* dispensatoriè *vindicandum*. Romanæ solius Ecclesiæ Privilegium est, de quo Ferrandus Fulgentius: *Vt unus Episcopus Episcopum non ordinet, exceptâ Ecclesiâ Romanâ*, supra quam, uti ad Dardaniæ Episcopos scribit Bonifacius primus, nec ipsa Nicena Synodus ausa est aliquid constituere, sciens illi omnia concessa à Domino.

Scio nobis obijci literas Anacleti Pontificis, & Apostolicas Constitutiones Clementis Romani. Verùm apocrypha sunt illa, & modicæ auctoritatis: Nec nobis adversantur.

CANON V.

DE his qui communione privantur, seu ex Clero, seu ex Laico ordine, ab Episcopis per unamquamque Provinciam, sententia regularis obtineat, ut hi, qui abjciuntur, ab alijs non recipiantur: Requiratur autem, ne pusillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet Episcopi vitio videatur à congregatione seclusus. Vt hoc ergo decentiùs inquiratur, benè placuit, annis singulis per unamquamque Provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut communiter omnibus simul Episcopis congregatis Provinciæ, discutiantur huiusmodi quæstiones. Et sic qui suo peccaverint evidenter Episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimentur, usquequo vel in communi, vel Episcopo placeat humaniorem pro talibus ferre sententiam. Concilia verò celebrentur, unum quidem ante Quadragesimam Paschæ; ut omni dissentione sublatâ, munus offeratur Deo purißimum: secundum verò circa tempus autumni.

SCOLION.

ALienum excommunicatum in communionem recipi vetat om-
L.1 c 4. nibus Episcopis Canon Apostolicus, uti apud Theodoretum scri-

ribit ad Alexandrum Constantinopolitanum Alexander Episcopus lexandrinus. Eius prævaricatio quandoque graves lites Ecclesiæ ovit. In Ario per posteriorem Alexandrum damnato insolentissimè ævaricatus fuit Eusebius Nicomediensis, Regiæ urbis Episcopatu, Constantini Augusti consanguinitate tumidus, turbisque assuetus, potè secutus nuper partes Licinij. Illum ergo ad Alexandri preces rit Canon præsens, frænumque inijcit ausibus futuris. Eo Aurelius, arthaginensis, alijque Africani Episcopi, cum Romana Ecclesia de ppellationibus contendentes, pessimè abusi sunt, putantes Natio-lium Synodorum judicium ab illo statui inappellabile.

Porrò vox *communio* latissimè accipitur pro omni gradu Christia-tatis, Laico ac Clericali. Ità illam intellexêre dicti Africani Episco-, cum sua Synodo Anastasius, Ancyræ Episcopus, primæ Galatiæ etropolita, in literis post Synodum Calchedonensem exstantibus Epist. 57. Leonem Augustum, alijque semper omnes.

Nullos item frequentiores habemus Canones, quàm de Provin-alium Synodorum utilitate, necessitate, frequentia, deque Eccle-rum damnis ex earum omissione nascentibus: Passim tamen Metro-litæ earum, quandoque ex caussis, fuère negligentes.

CANON VI.

ANtiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum nnium habeat potestatem; quia & urbis Romæ Episcopo ilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam, cæte-sq; Provincias, suis privilegia serventur Ecclesiis. Illud utem generaliter clarum est, quod si quis præter sententiam etropolitani fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus efinivit, Episcopum esse non oportere. Sin autem communi nctorum decreto rationabili, & secundùm Ecclesiasticam gulam comprobato, duo aut tres propter contentiones pro-rias contradicant, obtineat sententia plurimorum.

SCOLION.

IN Synodo Calchedonensi inter Sedis Apostolicæ Legatos, ac Ætium Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archi-Diaconum quæstio

fuit

etiam justitiæ ac moderationis. Quod namque Patriarchæ sub Sacerdotij prætextu quandoque mundanæ potestatis fastum agerent, & subditorum sibi Metropolitarum libertatem clam paulatim invaderent, queritur Ephesina Synodus, agens de lite inter Cypriorum Metropolim & Patriarchicam Antiochiæ Sedem. In Synodo Calchedonensi Eusebius, Ancyræ Metropolitanus, suam ac alias Metropoliticas Ecclesias queritur redactas ad inopiam per nimias exactiones Patriarchæ Constantinopolitani. De eodem excessu sanctum Athanasium accusavit Eusebiana factio, Paulum autem Samosatensem, Antiochiæ Patriarcham, damnavit Synodus Antiochena. Similes caussas adversùs Petrum Patriarcham persuasit Meletius Ægypti & Thebaidos Provincijs, atque ità ad se avulsit. Hinc ergo Canon noster easdem Alexandro reddit, eâ lege, ut ipsas gubernet, quomodò Romanus suas: Eâdem mensurâ, quomodò potestatis, ità justitiæ & moderationis. Atque adeò nec super Patriarchicam Romanæ Ecclesiæ potestatem aliquid constituit.

Pergit, *Similiter autem & apud Antiochiam, caterasq; provincias.* Antiochia enim est tertia Patriarchica Sedes, cui Apostoli subiecerunt quindecim Dioceseos orientalis Provincias, in quibus vetustam eius auctoritatem Canon vult manere integram & inconcussam.

Hanc Canonis partem respicit sanctus Leo Pontifex in Epistola ad
Epist.62. Maximum Patriarcham Antiochenum. *Dignum est, te privilegia tertia*
c.3. *Sedis agnoscere, ut in nullo cuiusquam ambitione minuantur: Quia tanta est apud me Nicenorum Canonum reverentia, ut ea, quæ sunt à sanctis Patribus constituta, nec permiserim nec patiar aliquâ novitate violari. Etsi enim diversa nonnunquam sunt merita Præsulum; tamen iura permanent Sedium, quibus etsi poßint perturbationem aliquam fortaßis inferre, non tamen possunt minuere dignitatem.* Agit in Anatolium Constantinopolitanum Episcopum, in Ephesino Latrocinio Maximum, Domno justè dejecto suffectum, consecrare ausum, atque ità conatum Sedem illam, quasi in lapsi ac dejecti Episcopi pænam, autocephaliâ & Patriarchicâ dignitate privatam subjugare Constantinopolitanæ. Nunquam id permissum iri asseverat Pontifex ob hunc Canonem sextum. Eundem respicit Simplicius Pontifex, agens adversùs Stephani Antiocheni ordinationem, attentatam Constantinopoli ab Acacio Episcopo ex sacra jussione Zenonis Augusti. A suis enim subditis in propria Sede consecrari est non infimum Patriarchale privilegium, cuius causâ nuper Græci Patriarcham Constantinopolitanum noluerunt Florentiæ consecrari in Synodo, nec ab ipso Papa. Nempe dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Eandem Canonis partem attendit Gelasius primus, dicens Cathe-
am Constantinopolitanam non tantùm non inter Patriarchales Se-
s, sed nec inter Metropoles relatam per Canones, ac esse dumtaxat
fraganeam Parochiam Metropoleos Heracleensis. Hic namque Ca-
n solas tres agnoscit Patriarchales Sedes, suaque antiqua privilegia
vari jubet cunctis etiam alijs Provincijs, ac earum Metropolibus,
eòque & Thracum Europæ atque Heraclææ.

Per *cateras* namque *Provincias* intelligit præsertim tres Dioceses
tocephalas ab omni Patriarchali potestate liberas & exemptas, ha-
ntésque Primatem potestate pari gaudentem in subjectas sibi Pro-
ncias; nempe Diocesim Asiaticam sub Ephesino, Thracicam sub
eracleensi, Ponticam sub Primate Cæsareensi: Atque eorum vetu-
m, institutamque per Apostolos dignitatem à nullo unquam vult
vadi aut truncari.

Hæc est Canonis pars, de qua sanctus Leo Pontifex in Epistolis ad
arcianum Augustum, eiusque conjugem Pulcheriam. *Contra statuta* Epist. 54.
aeternorum Canonum, qua in urbe Nicena spiritualibus sunt fundata de- 58.
*etis, nihil cuiquam addere conceditur: Qua si à cunctis Pontificibus inte-
rata serventur, per universas Ecclesias tranquilla erit pax & firma con-
rdia, nulla de mensuris harum dissensiones, nulla de ordinationibus lites,
lla de privilegijs ambiguitates, nulla erunt de aliena usurpatione certa-
ina.* Et in Epistola ad Anatolium Constantinopolitanum Episco-
m. *Ab universalis Ecclesiae te perturbatione contineas. Non convellantur* Epist.
*ovincialium iura Primatum, nec privilegijs antiquitus institutis Metro-
litani fraudentur Antistites.* Hunc esse dicit Canonem mansurum ad
nem mundi, ad perpetuam generaliter utilitatem spiritu Dei con-
tum & totius mundi reverentiâ consecratum, qui neque per majo-
m, neque per minorem Synodum possit auferri aut variari. Agit ad-
rsùs Anatolium, qui in Synodo Calchedonensi tentârat Sedi suæ
bijcere tres dictas cum suis Primatibus Dioceses, ac illic inducere
ovam formam judiciorum atque ordinationum.

Addit Canon generale Epiphonema, *Suis privilegia serventur Ec-
sijs.* Non tantùm Patriarchalibus, Primatialibus, ac Metropolita-
s, sed & suffraganeis: illis potestatem, his avitam libertatem, quæ ab
is ultra Canonum præscripta non possit premi, longè minùs oppri-
i: Hæc enim est privilegium subditorum. Huic epiphonemati ni-
ntur dicta sancti Gregorij magni: *Mihi ipsi iniuriam facio, dum fratrum
eorum iura perturbo.* Et, *Sicut nostra defendimus, sic omnibus Ecclesiis* L. 2. Epist.
a iura servamus. 37. 39.

Canon servari mandat præsertim privilegia Ecclesiæ Romanæ.

Ratio-

Rationem dat Nicolaus primus in literis ad Hincmarum Remensem Archi-Episcopum, suæ confirmari postulantem, Romanæ autem
Epist.28. Ecclesiæ privilegia impugnantem. *Quomodo privilegia tua stare poterunt, si illa cassentur, per quæ tua initium sumpsisse noscuntur; aut cujus momenti erunt tua, si pro nihilo nostra pendantur?* Destructo enim fundamento, ruit tota ædificij moles. Quare hocce Epiphonema assiduè obviat legenti literas & acta antiquorum Patrum, Pontificum præsertim Romanorum. Hic, inquam, pro omnis Ecclesiæ Privilegio est Canon palmaris, quem neque à Constantinopolitana Damasus, neque ab Ephesina Cælestinus, neque à Calchedonensi Synodo Leo Pontifex, neque ab ullis umquam hæreticorum aut schismaticorum violentijs eorum successores permiserunt lædi vel attingi.

Secundus Canon Constantinopolitanus hoc Canone prohiberi dicit etiam peregrinas ordinationes atque judicia, ut nempe Alexandrinus & Antiochenus Patriarchæ, tres autocephali Primates, omnesque generaliter seu Metropolitani seu Provinciales Episcopi nihil attentent extra suas Dioceses. Quod ipsum apud Photij bibliothecam in
L. 96. vita sancti Joannis Chrysostomi dicit Georgius Patriarcha Alexandrinus. Soli namque Romano Episcopo totius vineæ custodia à Domino est commissa. Hunc igitur Canonem respexit sanctus Joannes Chrysostomus, dum à Theophilo Patriarchâ Alexandro ad Synodale judicium citatus dixit eum *contra Leges & Canones* conscendere in judicis locum sibi non competentem; & Thraces ab Ægyptijs non posse judicari. Et ante hæc ipse Joannes, ab Arcadio Augusto caussam ejusdem Theophili de gravibus accusati audire jussus, recusavit, *sciens*, ut ad Innocentium Pontificem scribit, *Leges Patrum*. Utique Leges, de quibus ad illum, uti iam dictus Georgius scribit, cùm bile dixit Theophilus: *Arbitror non ignorare te Niceni Concilij Canones, ijsque prohiberi, ne Episcopus de Peregrino, alteriusque Diocesis Iudicium exerceat.* Ex eodem Canone Ephesina Synodus exauctorationis sententiam, quam in sanctum Cyrillum Alexandrinum & Memnonem Ephesium tulerat Joannes Episcopus Antiochenus, esse judicavit non sacerdotale judicium, sed contumeliam atque convicium, quod Antiochenus in Ægyptios & Asiaticos nullam habeat potestatem. Et Joannem Hierosolymæ Episcopum, caussam suam deducere conantem ad tribunal Theophili Alexandrini, sanctus Hieronymus arguit aut ignoratorum aut spretorum
Epist.61. c.15. *Nicenorum Canonum*, iuxtà quos *Palestinæ Metropolis est Cæsarea, & totius orientis Antiochia.* Qui lucidè est Canon noster sextus, omnibus generaliter Episcopis mandans, ut neque quoad judicia,

quoad judicia, neque quoad ordinationes extra territorij ſui fines aliquid præſumant.

Addit tandem Canon nullum poſſe fieri Epiſcopum ſine prævio examine, licentiâ, & confirmatione Metropolitani, per Metropolitanum non iam, quomodo quartus Canon, intelligens unius Provinciæ, ſed totius Dioceſeos Præfectum, Patriarcham ſeu Primatem autocephalum. Frequens eſt vocis illius acceptio huiuſmodi. Ità Facundus Hermianenſis Epiſcopus Domnum Antiochenum Ibæ Edeſſeni Metropolitæ vocat *Metropolitanum*, id eſt, Patriarcham. Eodem modo Joannes Antiochenus, in Synodali relatione ex Epheſino conventu per Palladium Magiſtrianum facta ad Theodoſium Auguſtum, vocat Memnonem Epheſinum. Et ſextus decimus Canon Antiochenus perfectam, id eſt, totius Dioceſeos Synodum eſſe dicit illam, cui intereſt Metropolitanus Epiſcopus, id eſt, Primas ſeu Patriarcha. Etenim eorum civitas eſt non ſuæ tantùm Provinciæ, ſed & totius Dioceſos Metropolis, ideòque & ipſi ſunt omninò ſummorum thronorum Metropolitani.

Statuit itàque Canon Epiſcopum à Comprovincialibus electum, ac à Provinciæ Metropolita diſcuſſum & confirmatum, referendum etiam ad Dioceſeos Metropolitam, ac ſine eius novo examine & præviâ licentiâ non ordinandum. Ità ipſum exponit Innocentius primus in literis ad Alexandrum Patriarcham Antiochenum. Epiſt. 18. c. 1. *Revolventes auctoritatem Nicena Synodi, qua unam omnium per orbem terrarum mentem explicat Sacerdotum, arbitramur, frater chariſſime, ut ſicut Metropolitanos auctoritate ordinas ſingulari, ſic & cateros non ſine permiſſu, conſcientiâq; tuâ ſinas Epiſcopos procreari, in quibus hunc modum rectè ſervabis, ut longè poſitos literis datis ordinari cenſeas ab his, qui nunc eos ſuo tantùm ordinant arbitratu; vicinos autem, ſi æſtimas, ad manus impoſitionem tua gratia ſtatuas pervenire.* Protractum ferè per centum annos Schiſma Euſtatianum Antiochenam Eccleſiam involverat multis calamitatibus, eiuſdemque jura permiſerat à Metropolitis invadi & lacerari. Horum confirmationem & conſecrationem ſibi manutenuerat Patriarcha, at Provincialium ſuorum ordinationem illorum quiſque à Sede Patriarchali remotior invaſerat, idque ſuo arbitratu, id eſt, nullâ Patriarchæ poſtulatâ licentiâ & confirmatione. Quare exſtincto iam Schiſmate, ulceroſum hunc Sedis ſuæ ſtatum refert Pontifici Patriarcha Alexander, jubeturque reſtituere obſervantiam Niceni Canonis, & per Metropolitas, quantumvis remotos, nullum permittere ordinari Provincialem Epiſcopum, niſi ad ſuas literas, id eſt, præviam licentiam & confirmationem.

Eodem modo ad Anastasium, Thessalonicensem Episcopum, suum
Epist.84. c.6. per Illyrici Orientalis Provincias Vicarium, scribit Leo Magnus. *De persona autem consecrandi Episcopi, & de Cleri Plebisq; consensu Metropolitanus Episcopus ad fraternitatem tuam referat, quodque in Provincia benè placuit, scire te faciat, ut ordinationem ritè celebrandam tua quoque firmet auctoritas.* Propter nimiam ab urbe distantiam in Provincijs illis vices suas Episcopo Thessalonicensi commiserat Sedes Apostolica, ideòque ab illo non tantùm Metropolitarum, sed & Provincialium Episcoporum præviam confirmationem jubebat peti virtute Canonis præsentis.

In eodem fundatur violentia Hilarij Arelatensis Episcopi in Armentarium Ebredunensem Metropolitam, variosque hinc indè Provinciales. Per vicinas Provincias & Primatum & vices Apostolicas prætendebat Hilarius, ideòque nullum Episcopum sine suis licentiâ & literis volebat promoveri.

Hinc item intelligitur obscurum decretum Siricij Pontificis ad Ecclesiam Africanam. *Extra conscientiam Sedis Apostolicæ, hoc est, Primatis, nullus audeat ordinare.* Carthaginensis Episcopus erat totius Dioceseos Africanæ Primas, non tamen autocephalus, quoniam Sedis Apostolicæ juri Patriarchico subjectus. Nihilominus sine eius prævia licentia nullus per Provincias primæ Sedis Episcopus poterat Episcopum ordinare. Volebat autem hanc suam licentiam etiam sufficere, opus non esse Romanâ Patriarchali licentiâ, habereque istud aliquid autocephaliæ. At intercessit Siricius Pontifex, dicens Autocephalum Africæ Primatem nullum esse, nisi Romanum Episcopum, ideòque sine eius licentia non posse istic Episcopos creari.

Per Hispanias item, Gallias, aliasque Occidentis Provincias Canon dudum non obtinuit: Ex caussis Apostolica Sedes credidit Metropolitis, quos & ipsos permisit ab eorum Synodo sine sua prævia
C.73. licentia ordinari, qui tamen, uti ad Bulgaros scribit Nicolaus primus, priusquam Pallium Româ reciperent, in throno sedere non poterant, nec quidquid nisi Domini corpus consecrare. Quin & hodie Metropolita Salisburgensis suos suffraganeos ordinat sine Romana licentia. Verùm dispensatoriè contra Canones. Quare Gregorius septimus, dum omnium in Occidente & Septentrione Episcoporum confirmationem voluit Româ ante ordinationem peti, nequaquam, uti dixère eius adversarij, novam legem invenit, sed restituit Nicenam.

CANON

CANON VII.

QVia consuetudo obtinuit, & antiqua traditio, ut Aeliæ Episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam, salvâ Metropoli propriâ dignitate.

SCOLION.

HIerosolymam, Judæorum Metropolim, destruxit, ac Metropoliticâ dignitate, Cæsaream translatâ, privavit Vespasianus Augustus per filium Titum; reædificavit Ælius Adrianus, appellavitque Æliam de suo nomine, non tantùm Judæos omnes, sed & antiquum illud nomen damnans capitali exilio.

Hinc apud Eusebium Firmilianus, Cæsareensium Proconsul, Pamphylo Martyre dicente patriam suam esse civitatem Hierusalem, *quæ tandem esset illa civitas, & ubi terrarum sita*, penitus ignoravit, aut se ignorare finxit. Etiam Christiani Imperatores, licet Episcopi & alij fideles vocem *Hierosolyma* passim resumerent, perstitere dudum in suis legibus & rescriptis vocare Æliam atque Episcopum Æliensem. L.8.c.21.

Hincmarus Remensis Episcopus, Otto Frisingensis, ac Theodorus Balsamon putant Æliæ Episcopum ab hoc Canone erigi in Primatem aut Patriarcham. Errant. Etenim Apostoli, Ecclesiasticam Hierarchiam Romanæ Reipublicæ accommodantes, Palestinæ Provinciæ Metropolim posuêre Cæsaream, sanctæ tamen civitati, ubi Dominus glorificatus, ejusque primo Episcopo, Iacobo Apostolo, honorare volentes, dederunt honoris consequentiam, id est, primum locum post Metropolitam, ut esset Provinciæ illius Protothronus, plenè tamen subjectus Sedi Cæsareensi. Hocce utriusque Ecclesiæ privilegium confirmat noster Canon, uti liquet ex sancto Hieronymo, in Epistola adversùs errores Joannis Hierosolymitani Episcopi, dicente, secundùm Nicenos Canones totius Orientis Metropolim esse Antiochiam, Palestinæ autem Cæsaream, cuius Hierosolyma non sit, nisi Parochia suffraganea. Quod idem tradit sanctus Epiphanius in Epistola adversùm objecta ejusdem Ioannis. Et hinc statim post Nicenam Synodum Acacius luscus, Eusebij, qui Synodo interfuerat, in Metropolim Cæsareensem successor, Maximum Hierosolymæ Episcopum, tamquam suum suffraganeum dejecit, intrusitque Cyrillum. Epist.61. c.18. Socrat.l.2. c.30.

Edendi Canonis caussam docent successus posteriores. Iam dictos enim Acacium & Cyrillum Theodoretus scribit scandalosè digladia- L.2.c.27.

L.2.c.24. tos fuisse de jure Metropolitico, additque Zosomenus exauctoratum Cyrillum à Synodo Seleuciensi, *Quod velut Sedis Apostolicæ Antites cum Acacio de Iure Metropolitano dissensisset.* Etiam eius Successor Ioannes, uti culpat sanctus Hieronymus, jactabat se habere *Cathedram Apostolicam*, ideòque Cæsareensem Episcopum in Metropolitam, Antiochenum in Patriarcham nolebat agnoscere. Attamen nihil obtinuit: Etenim, uti sanctus Augustinus testis est in libris contra Julianum, Diospolitanæ contra Pelagium Synodo non ipse præsedit, sed Eulogius Cæsareensis. Eius post Praylium successor, Epheso translatus, ideòque pluribus Provincijs dominari solitus, Iuvenalis non tantùm Metropolita esse prætendit, sed & Sedi Antiochenæ subripuit sex Provincias, tres Palestinas, duas Phænicias, ac Arabiam, ostentavit se illic Patriarcham, tentavit desuper, uti ad Maximum Antiochenum scribit sanctus Leo Pontifex, impetrare assensum & authoritatem Synodi Ephesinæ. Palestinam quippe, unicam primitùs Provinciam, ac, teste Ammiano Marcellino, Syriarum ultimam, Romani Principes tandem in tres divisêre. Verùmenimverò Cælestinum Pontificem, sanctumque Cyrillum Alexandrinum, eius in Synodo Vicarium, passus adversarios, convertit se ad laicam potestatem, obtinuitque Theodosij Augusti confirmatoriam Pragmaticam, quam ad tres Palestinas contraxit Calchedonensis Synodus, Arabiam ac duas Phænicias Antiocheno restituens: Ast Ecclesiasticæ potestatis & Canonum Nicenorum tenacissimus Leo Pontifex exufflavit denuò & Pragmaticæ liberalitatem, & Synodi temperamentum. Perstitit tamen Iuvenalis in ambitu, uti liquet ex Synodo trium Palestinarum habitâ post Calchedonensem Synodum, ejectumque è Sede Æliensi Pseudomonachum Theodosium, in qua præsedit ipse ut omnium Primas, non Irenæus Cæsareensis. Hæsit lis usque ad quintam Synodum, quæ à Iustiniano Augusto mota recepit & firmavit decretum Calchedonense. Similis ergo inter Cæsareensem ac Æliensem Ecclesias quæstio fuerat ante Nicenam Synodum, quæ definivit pro Cæsareensi.

[Margin notes: Epist. 61. c. 3. — L. 1. c. 5. 7. — Epist. 62. c. 3. — L. 14 c. 16 — Act. 7. — Con. Calc. L. 3. Epist. 20.]

CANON VIII.

DE his, qui se nominant Catharos, id est mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit sancto & magno Concilio, ut impositionem manus accipientes, sic in Clero permaneant. Hæc autem præ omnibus eos scri-

ſcriptis convenit profiteri, quod Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ dogmata ſuſcipiant & ſequantur; id eſt, & bigamis ſe communicare, & his, qui in perſecutione prolapſi ſunt; erga quos & ſpatia conſtituta ſunt, & tempora definita, ita ut Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ placita ſequantur in omnibus. Vbicumque verò ſive in vicis, ſive in civitatibus ipſi ſoli reperti fuerint ordinati, qui inveniuntur in Clero, in eodem habitu perſeverent. Vbi autem Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopo vel Presbitero conſtituto, quidam ex illis adveniunt, certum eſt, quod Epiſcopus Eccleſiæ habebit Epiſcopi dignitatem. Is autem, qui nominatur apud eos Epiſcopus, honorem Presbiterij poßidebit: niſi fortè placuerit Epiſcopo, nominus eum honore cenſeri. Si verò ei minimè placuerit, providebit ei aut Chorepiſcopatus, aut Presbyterij locum; ut in Clero prorsùs eße videatur: Ne in una civitate duo Epiſcopi probentur exiſtere.

S C O L I O N.

ALij ſunt in hæreſi aut Schiſmate baptizati, alij poſt ſuſceptum in Eccleſia Baptiſmum in foveas iſtas lapſi. Horum crimen Tertullianus in Libro de pudicitia dicit eſſe in hoc ſæculo irremiſſibile, utpote *blaſphemiam in Spiritum Sanctum*, ob quam Alexandrum & Hymeneum Apoſtolus *tradidit Sathanæ non in ſpem veniæ, pronunciavit naufragos, non habentes ſolatium navis Eccleſiæ*, & quorum omnis pænitentia *non ſit in reſtitutionem*. Priores fatetur pænitentiâ reduci poſſe in Eccleſiam, at gentilium more per novum Baptiſma. C. 13. 19.

Utraque aſſertio eſt penitùs Montaniſtica. Etenim electam poſt Baptiſma hæreſim aut ſchiſma tribus famoſis criminibus, quibus antiquus diſciplinæ rigor etiam in exitu negabat communionem, nunquam adnumeravit Eccleſia, ideòque nullo titulo potuit eam irremiſſibilem delirare inſana Montani Prophetia. Acceptum item apud alienos Baptiſma nunquam exufflavit Eccleſia: Primus illo errore Agrippinum Carthaginenſem Epiſcopum circumſcripſit, & Eccleſiam Africanam fædavit ſeductus Tertullianus, atque ità tandem involvit

etiam S. Cyprianum. Attamen aliter factos, aliter natos hæreticos atque schismaticos semper tractavit Ecclesia, in istos longè rigidior, utpotè longè graviùs reos.

Epist.22. c.8. Porrò *vetus*, uti ad Macedoniæ Episcopos scribit Innocentius primus, *ab Apostolis vel Apostolicis viris tradita regula habet*, ut Episcopus aut Clericus, in hæresi aut schismate ordinatus, seu in illa postmodum lapsus, nunquam reddatur suo gradui, laici dumtaxat communione perpetuum contentus. Hinc quidam volunt nulli olim eiusmodi, ne dispensatoriè quidem, factam hanc gratiam: Hanc gratiam esse nostri Canonis beneficium, anteà inauditum.

L.2.c.4. Errare existimo. Etenim in Commentarijs Osee Prophetæ ait sanctus Hieronymus. *Veteres scrutans historias invenire non possum, scidisse Ecclesiam, & de domo Domini populos seduxisse, præter eos, qui Sacerdotes à Domino positi fuerant, & Prophetæ.* Quocircà & Marcion & Praxeas fuêre omninò Sacerdotes. At verò eorum alterum, ob hæresim pertinaciter electam & Ecclesiâ & gradu ejectum, fuisse sub certis conditionibus & professionibus receptum, alterum destinatum ad pacem,

L. cont. Prax.c.1. Præscript. c.30. scribit Tertullianus: utique non ad solius communionis, seu sacramentalis reconciliationis, sed & gradus sui pacem. Non plenè id constare fateor, nititur tamen validis conjecturis.

Quidquid sit, Maximus, Romanæ Ecclesiæ Presbyter, fuit omninò schismaticus. Etenim *multa designarat, turbarat omnes penè Ecclesias, schismatis & hæresis auctor, Novatiano manus quasi in Episcopum imponi passus.* Attamen pœnitenti *locum suum ignovit* sanctus Cornelius Pontifex, quod gloriosus anteà Confessor protestaretur se circumventum, soloque corpore, non animo fuisse extra Ecclesiam, utque multos eius auctoritatem secutos eiusdem gratiosa receptio reduceret ad unitatem.

S.Cyprian. Epist.44. 46.47.

Aliud exemplum habemus à Melchiade Papâ, qui, uti ad quosdam

Epist. 162. Donatistas Episcopos scribit sanctus Augustinus, in sua Romana Synodo solùm Donatum in casis nigris Episcopum, utpotè totius mali Principem, damnavit, *Sanitatis recuperandæ optionem liberam cæteris fecit, paratus communicatorias literas mittere etiam ijs, quos à Maiorino ordinatos esse constaret, ut in quibuscumque locis duo essent Episcopi, quos dissensio geminasset, eum confirmari vellet, qui fuisset ordinatus prior, alteri autem eorum Plebs alia regenda provideretur.*

Omninò ergo nota fuit hæc gratia ante nostrum Canonem. Eandem ipse fecit Episcopis & Clericis Novatianensibus, quorum exemplaris vita, etiam Constantino Augusto chara, firmaque & perpetua fidei *Consubstantialis* professio, eam merebantur.

Ex-

Extendit & ad Meletium, ordinatosque ab ipso Episcopos & Clericos, uti liquet ex Epistola Synodali ad Ecclesiam Alexandrinam. Epist. 33. Caussam dat Hincmarus, Remensis Episcopus: ut ab Arianis, quibuscum, quomodò cum Herode Pilatus, conspirârant, abstracti desinerent vexare Ecclesiam. Quin facta eadem gratia etiam Eusebio Nicomediensi Episcopo, Theognidi Niceno, alijsque Arianis, quos enumerat sanctus Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos. c. 19. Cap. 7.

In septima Synodo inter Theodorum, Catanensem in Sicilia Episcopum, ac Epiphanium Diaconum, Thomæ Sardorum Metropolitæ Vicarium, nec non inter Tharasium, Patriarcham Constantinopolitanum, orta est quæstio, an huius Canonis gratia facta esset omnibus generaliter hæreticis, aut certè ad illos posset extendi. Affirmavit Tharasius *esse de omni hæresi*, vicit tamen Theodori ac Epiphanij sententia esse de solis Novatianensibus, adeòque ad Iconoclastas aut alios hæreticos extendi non posse. Et jure merito. Act. I.

Etenim ad Rufum, Thessalonicensem Episcopum, Clericos à Photinianis Episcopis ordinatos, huius Canonis virtute, nec non exemplo Antecessoris sui Anysij, qui à Bonoso Photiniano promotos susceperat, recipere volentem, scripsit Innocentius primus. *Possum dicere de solis hoc Novatianis esse præceptum, nec ad aliarum hæresum Clericos pertinere. Nam si utique de omnibus ità definirent, addidissent à Novatianis, alijsque hæreticis revertentes debere in suum ordinem recipi.* Eodem modo excusat factum Anysij, summi nuper Episcopi, quasi etiam dispensatoriè ex temporis necessitate profectum, ideòque singularem hanc Novatianensibus gratiam non posse quasi legem ad quosvis hæreticos extendi. Epist. 22. c. 8.

Ex eodem principio loquitur in commentarijs Sancti Matthei, & Ezechielis Prophetæ sanctus Hieronymus de Episcopis lapsis in Synodo Ariminensi. Dicit eos de solijs Episcopalibus dejectos debuisse inter Laicos redigi ad perpetuas de scelere lacrymas: *Sed ut ardentissimus Poeta testatur, quidquid à multis peccatur, inultum est; multitudo peccantium facit impetrabiliorem impijs veniam.* Et in Libro contra Luciferianos. *Tentatum est, illis depositis novos Episcopos ordinare: At penè omnes populi, Sacerdotes suos diligentes, penè ad lapides & interemptionem deponentium convolavêre.* Hinc ergo sanctus Athanasius, Hilarius Pictaviensis, ac Eusebius Vercellensis in Synodo Alexandrina statuerunt quoad sceleris Principes servari illæsum antiquum Ecclesiæ Canonem, dispensari verò quoad alios, quod non in hæresim spontè lapsi, sed in solam eius conviventiam essent dolo & violentia dejecti; consensitque Romana & Occidentalis omnis Ecclesia: quam dispensatio- L. 2. c. 12. L. 13. c. 44. C. 7.

Epist. 80. tionem eleganter in Epistola ad Comitem Bonifacium illustrat Sanctus Augustinus, Sanctusque Athanasius in epistola ad Ruffinianum. Eius verò causa laceravit Ecclesiam Lucifer, Calaritanus Episcopus, effusam in adeò multos gratiam asseverans esse dissipationem. Eam nihilominùs ad omnes pedetentim hæreticos atque schismaticos quasi legem Ecclesiæ pietas extendit, uti liquet ex actione prima Synodi septimæ. Ad omnes, inquam, in heresi aut schismate natos & baptizatos. Rectè enim in eadem actione dixit Constantinus Cypriorum Metropolita. *Sufficienter ostensum est, quia qui ab hereticis accedunt, suscipiendi sunt. Si quis autem studio ad hereticos ierit, & susceperit ordinationem, sine receptione sit.*

Quæstionem faciunt hæc canonis verba. *Impositionem manus accipientes, sic in Clero permaneant.* Quam lectionem probat in jam dicta actione septimæ Synodi etiam Anastasius Bibliothecarius. Eodem modo loquitur Dyonisius exiguus in decreto de Clericis Meletianis. *Simul atque sanctiori ordinatione confirmati fuerint, hac conditione in Ecclesiæ communionem admittantur, ut Ecclesiasticæ dignitatis & ministerij gradum habeant.* Et antiqua huius canonis versio. *Per manus impositionem sacerdotum maneant in clero.* Et alia versio, quam decreto suo inse-
1. p. 7. c. 8. ruit Gratianus *Placuit Sancto Concilio, ut ordinentur, & sic maneant in Clero.*

Act. 1. Hanc quæstionem in septima Synodo moverunt Joannes, Patriarchæ Antiocheni legatus, & Sabas Studitarum Archimandrita. Iconoclastas enim Episcopos, in errore illo natos, & baptizatos, ac ordinatos, quidam in gradum suum recipi, quidam voluere perpetuò relinqui inter laicos. Hinc producto & lecto hoc nostro canone, quæsivit Tharasius, Patriarcha Constantinopolitanus, *Quomodo intelligitur manus impositio?* Addiditque: *fortè in benedictione tantum hic manus impositionem dicit, & non consecrationem.* Ad quæ verba Ioannes Morinus in
Exercit. 5 c. 11. n. 18. opere de sacris ordinationibus: *Quis unquam audivit Presbyteros hæreticos per Sotam Eulogiam in Ecclesiam admissos?* Quare cum Augustino
1. p. 7. c. 8. Caravita, Gratiani Scoliaste, imponit Tharasio, quod hæreticos Episcopos, non per novam ordinationem, sed per nescio quam cæremonialem benedictionem crediderit, idque virtute huius canonis, suscipiendos. Et quia eiusmodi benedictio nullum in sacris canonibus fundamentum habet, affirmat ipse Novatianenses iussos reordinari, operosè id probare tentans ex varijs, Sancto præsertim Basilio.

Reverà imponit Tharasio. Quæstio erat, an dati apud hæreticos ordines deberent aut possent ab Ecclesia suscipi, auditoque hocce canone, clamaverunt monachi Studitæ, *Eos, qui manus impositionem, per-*

ce-

ceperant, dixit Regula suscipi, ac quærente Patriarchâ, *Quomodò intelligitur manus impositio*, quæsierunt & illi, *Deprecamur, Domine, ut doceamur*; respondit verò Tharasius verba iam adducta. Ait Novatianenses illos forsan quâpiam dumtaxat benedictione signatos, non autem ordinatos in hæresi, ideòque susceptos eorum ordines, ac proindè gratiam hanc nihil loqui pro Iconoclastis, quos constabat ordinatos in hæresi. Adeò nihil dicit de illis receptis, aut his recipiendis per nescio quam ritualem Eulogiam. Fateor fuisse effatum imperitum, explosumque à gloriosissimis judicibus: Nempe Tharasius erat Novellus è Laico & publicâ administratione assumptus Episcopus, ideòque Canonum necdum plenè peritus.

Fateor item sanctum Stephanum Pontificem adversùs sanctum Cyprianum pronunciasse de solo hæreticorum atque schismaticorum Baptismate. Quin immò Antecessori suo Firmiliano, eiusque damnatis opinionibus nimium addictus sanctus Basilius, etiam de repetendo quovis extraneo Baptismo temerariè loquitur, omnem hanc quæstionem non ad dogma, sed spectare volens ad disciplinam, in qua quisque sequi possit regionis suæ consuetudinem. Verùm nos cum Romana Ecclesia Latini semper hæc abominati sumus, ideòque nec palàm in Ecclesiæ pulpitis, sed clandestinè dumtaxat in clausis cubiculis inter fidos socios, idque cum magno metu, tradere ille fuit ausus. Et has eius cogitationes, licet Nicenæ Synodo patenter adversas, abundèque ab illa damnatas, denuò discussit atque damnavit prima Synodus Constantinopolitana. Et reordinationes eodem jure atque rigore, quo rebaptizationes, damnavit Capuana Synodus, laudata toties à sancto Ambrosio & Synodis Africanis: Omninò autem loquitur de ordinationibus apud hæreticos acceptis. Easdem constantissimè ratas habet sanctus Augustinus. In dubium vocare nemo unquam in Ecclesia præsumpsit ante Formosi Pontificis scandalum & Stephani septimi præsumptionem: Et quotquot tunc dubitârunt, oluerunt pessimè, uti liquet ex Auxilio Presbytero, Bertholdo Constantiensi, & S. Petro Damiani.

Quare absit, ut Synodus Nicena decreverit reordinandos Novatianenses. Longè aliter Canonem legit atque exponit S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos. *Synodus Nicena Episcopo Novatianorum, si conversus fuerit, Presbyterij gradum servat*. Et in septima Synodo Studitæ Monachi dixêre: *Eos, qui manus impositionem perceperant, dixit Regula suscipi*. Ejsque omnis Synodus assensit. Innocentius primus in iam dictis Literis ad Rufum Episcopum Thessalonicensem: *De his, qui nominant seipsos Catharos, & aliquando veniunt ad Ecclesiam Catholicam, placuit*

C.9. Act.1. Epist. 22. c.8.

placuit magna & sancta Synodo, ut acceptâ manus impositione, sic maneant in Clero. Hoc est, qui apud illos manus impositionem acceperunt, maneant in gradu accepto. Et ità omninò habetur in Græco. Eodem modo habet antiqua versio, facta jussu sextæ Synodi Carthaginensis. *Si aliquando veniunt ad Ecclesiam Catholicam Cathari, placuit magna Synodo, eos ordinatos sic manere in Clero.* Et Fulgentius Ferrandus in sua
C.172. collectione. *Vt hi, qui nominantur Cathari, accedentes ad Ecclesiam, si ordinati sunt, sic maneant in Clero.* Item Alexius Aristinus & Symeon Logotheta. *Hæretici Cathari, si qui ordinati reperiantur, sint in eodem ordine, exempli gratiâ, qui verè est Episcopus, sit Episcopus.* Et ipse Dyonisius Exiguus in posteriori Canonis parte. *Vbicumque verò, sive in vicis, sive in civitatibus, ipsi soli reperti fuerint ordinati, qui inveniuntur in Clero, in eodem habitu perseverent.* Quocirca superior Canonis pars perperam ab illo versa est: Pro *Accipientes* dicere debuerat *Manus impositionem acceptam habentes.* Malè versum est & decretum de Meletianis, cuius in Græco est hic sensus: *Qui ab illo designati & sancti re ordinatione confirmati sunt.* Id est, quotquot à Meletio fuerunt, non tantùm electi, sed & consecrati, in eundem gradum recipiantur.

Recipiendos Novatianenses Canon cogit ad articulatam errorum eierationem, fideique orthodoxæ professionem. Ex more antiquo.
L. cont. Etenim de Praxea hæretico, per Zephyrinũ Papã in Ecclesiam admis-
Prax. c. 1. so, scribit Tertullianus: *Caverat pristinum de emendatione sua, & manet chirographum apud Psychicos.* Eodẽ modo Arsenium, Hypselitarum Episcopum Meletianum, reducem ad Ecclesiam, sibi professum fuisse scribit S. Athanasius in secunda Apologia. Rectè enim in septima Synodo dixit Basilius, Ancyræ Episcopus, primæ Galatiæ Metropolita. *Legislatio est Ecclesiastica, canonicè tradita desursum ab initio tam à sanctis Apostolis, quàm eorum Successoribus, sanctis videlicet Patribus nostris atque Magistris, sed & à sanctis & universalibus sex Synodis, seu localibus Conciliys, ut ab hæresi quacumque ad orthodoxam confessionem conversi, in scriptis suam abnegent hæresim, & fidem confiteantur orthodoxam.*

Summa difficultas erat de illis Episcopis, quos in eadem civitate dissensio duplicârat. Recedit Canon non nihil à suprà memorato Melchiadis Pontificis pro Donatistis decreto: Mandat Novatianensem, sive posteriùs sive priùs ordinatum, cathedrâ cedere, futurum, & quidem de orthodoxi gratia, solo nomine sine plebe & civitate Episcopum, aut certè descensurum in Presbyteri titulum, mittendumve in Chorepiscopatum. Ex quo liquet Chorepiscopatum fuisse Ecclesiastici officij genus, non absimile nostris Decanatibus ruralibus. Et

hanc

nc pietatem etiam Armentario, ad Ebredunenſem Eccleſiam vitio-
ordinato, impendit Synodus Reienſis.

Quid porrò ſit ſolo nomine Epiſcopus, docet nos Epheſina Syno-
s, Euſtatio Pergenſi Epiſcopo, Pamphyliæ Metropolitano, qui Se-
m malè renunciârat, reddens *non Eccleſiam, ſed ſolùm Epiſcopalis no-
is honorem, vocationem, & communionem.* Et apud Theodorum F. 800.
ctorem Martyrius Antiochenus Epiſcopus, Epiſcopatui renun-
ns, dicenſque in publica Eccleſia: *Clero immorigero, populo rebelli, &* L. 1.
leſia contaminata renuncio, ſervatâ interim mihi Sacerdotij dignitate.
rrò ſanctus Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus, & Memnon Ephe- F. 418.
us, accuſant Joannem Antiochenum, quod eiuſmodi Epiſcopos
Synodum Epheſinam induxiſſet.

Concludit Canon, *Ne in una civitate duo Epiſcopi probentur exiſtere.*
am eius partem ignoravit ſanctus Auguſtinus, dum vivo Valerio
erordinatur Hipponenſis Epiſcopus, & quod in ſe factum doluit,
tmodum in alijs fieri noluit, uti ſcribit in eius vita ſanctus Poſſi-
s. Eadem enim Eccleſia non plus capit duos Epiſcopos, quam ea-
n uxor duos maritos. Quare Conſtantij Auguſti, Liberium Pon-
cem in Sedem reducentis, & unà cum intruſo Fælice ſecundo ſe-
e jubentis, Divales Literas meritò apud Theodoretum riſit in cir- L. 2. c. 21.
Romanus populus, uno ore exclamans: *Vnus Deus, unus Chriſtus,*
Epiſcopus. Addit Zoſomenus. *Haud ità poſt moritur Fælix, ſoluſq;* L. 4. c. 14.
rius Eccleſiæ præeſt. Quod non ſine divina providentia factum eſt, ne Se-
Petri à duobus Præſulibus gubernata, & à ſacroſanctis Eccleſiæ Legi-
aliena, ullâ infamiæ notâ reſpergeretur. Adeò Petrus & Paulus ne-
unt ſimul Romani Epiſcopi fuiſſe.

Quæſtio eſt, an hic Canon ſit Divinus, aut certè Apoſtolicus?
ctus Hieronymus reſpondet non eſſe. Exiſtimat primis Eccleſiæ
is neminem in ſimplicem Presbyterum, ſed omnem Presbyterum
e completè ordinatum in Epiſcopum, atque ità in eadem Ec-
a paſſim plures Epiſcopos, quorum communi conſilio omnia re-
ntur. *Poſtquam verò,* inquit in Commentarijs Epiſtolæ ad Titum, Cap. 1.
ſquiſque eos, quos baptizârat, ſuos putabat eſſe, non Chriſti, in toto or-
ecretum eſt, ut unus de Presbyteris ſuperponeretur cæteris, ad quem om-
Eccleſiæ cura pertineret, & ſchiſmatum ſemina tollerentur. Hoc eſt,
orbe decretum eſt, ut Presbyteratus deinceps ab Epiſcopatu ſe-
retur, & in quavis civitate non niſi unicus Presbyter in Epiſco-
, totius Parochiæ Rectorem, conſecraretur. Longa eſt hæc quæ-
Quidquid ſit, ex alijs documentis longè certiſſimum eſt, ſolum
um fuiſſe Romæ Epiſcopum, & memoratum à Hieronymo Ca-

nonem, si non Apostolicum, certè antiquissimum, innovat hic noster Nicenus.

CANON IX.

SI qui Presbyteri sine examine sunt provecti, vel cùm discuterentur, peccata sua confessi sunt, & homines contra Canones commoti manus confessis imponere tentaverunt; tales regula non admittit: Quia quod irreprehensibile est, Catholica defendit Ecclesia.

SCOLION.

ANtiquum ordinandorum examen, eiusque modum habemus apud Ælium Lampridium, scribentem de Alexandro Augusto, promovente ad publicas Reipublicæ Præfecturas. Promovendo-
C. 48. rum *nomina proponebat, hortans populum, ut si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus; si non probasset, subiret pænam capitis.* Idq; ideò, quod & Christiani ità facerent in ordinandis suis Sacerdotibus. Adeò placuit Canon noster gentili Principi, ut eum in Legem publicam adsumeret, muniretque pœná capitali. Eius examinis etiam Tertullianus meminit, Sanctusque Cyprianus scribit in Ecclesia Carthaginensi fuisse *Presbyteros Doctores*, quorum cum Episcopo examen & approbatio admitteret alios ad Clerum, alios faceret Clero proximos: utique ex Canone Apostolico, mandante nemini citò manus imponi, & ordinandos sine crimine esse, atque desuper discuti & probari. Porrò ad Eliam Aquileiensium Metropolitam Pelagius secundus
C. 17. 18. Pontifex rectè scribit Canones esse *morum Regulas*, quibus *quorumdam fidelium inlicitas actiones Synodi iudicant*, ac refrænant, bonas leges malis moribus opponentes. Lapsam ergò examinis disciplinam reparat noster Canon, mandatque illud fieri circa omnes Presbyteros huc usque sine ipso promotos, ac in aliquo impedimento reperiendos exauctorari.

CANON X.

QVicumque de lapsis ad ordinem Cleri promoti sunt per ignorantiam, vel per ordinantium dissimulationem; hoc Ecclesiasticæ non præiudicat regulæ, cogniti namque deponuntur.

SCOLION.

SCOLION.

LApsorum ac stantium frequentissima est mentio apud antiquos Patres, qui floruére temporibus gentilium persecutionum. Sanctus Cyprianus Epistolas quasdam scripsit ad lapsos, reliquitque insignem tractatum popularem, cui titulus, *Sermo de lapsis.* In literis ad suos Presbyteros & Diaconos dolet in sua Ecclesia esse numerosam lapsorum stragem, & *exiguam stantium paucitatem.* In alijs ad eosdem literis ait *lapsorum* per pænitentiam erigi postulantium caussam tractari oportere synodaliter ab Episcopis, *Præsente & stantium plebe.* Et in Epistola ad lapsos dicit Ecclesiam *in Episcopis, Clero, & omnibus stantibus constitutam.* Vocabulum ergo *Lapsus* eo tempore per antonomasiam significabat Idololatriæ delictum, thurificationem, libellum, convivium, ac aliud quodvis. Et in hunc sensum omninò accipit noster Canon. Epist. 8. Epist. 4. Epist. 31.

Porrò idololatria, ut rectè Tertullianus, *Principale crimen generis humani, summusque sæculi reatus*, fuit primùm ex illis tribus, quibus sacramentalem reconciliationem etiam in fine negavit vetusta disciplina. Adeò lapsis ad clericatum nullus erat aditus. Fidelium artificum miseranda tum erat querimonia: *Idola quidem facio, sed non colo, aliter vivere non possum.* Ea enim facere detrectans radebatur è corpore artificum, ideòque quidam Episcopi mitiùs de illis censebant, assumebantque etiam in Clerum. Verùm exclamat Tertullianus: *Alleguntur in ordinem Ecclesiasticum artifices idolorum; prô scelus!* Ast ubi lapsis reconciliationis atque Ecclesiæ ianuam aperuit materna Sedis Apostolicæ pietas, cæperunt & ad Clerum adspirare, varijsque vijs subindè irrepere: Hunc ergo abusum noster Canon eliminat & damnat. L. de idolol. c. 1. C. 6. 7. 8. 12.

Solummodò vetat lapsos admitti in Clerum: Quare videri possit permittere lapsos Episcopos & Clericos restitui in suum gradum. At longè aliter habet antiquus Ecclesiæ Canon, à sancto Cypriano in Epistolis ad Episcopum Anthonianum, Epictetum Episcopum Assuritanum, & ad Legionensem atque Asturicensem Ecclesias relatus & expositus, quem absit solvi vel mutilari à nostro. Lapsos, inquam, Episcopos & Clericos ex gravissimis quibusdam caussis admittebat antiquus Canon ad laicam communionem; verùm illos in gradum reponere erat crimen pessimum & contagiosum, cuius sanctum Cornelium Pontificem, ut tamquam indispensabilis Canonis prævaricatorem, & sacrilegâ thurificatorum communicatione pollutum, à Pontificatu excluderent, accusavêre calumniosi & mendaces Novatianenses. Addit in Epistola ad dictum Epictetum Sanctus Cyprianus Epist. 52. 64. 68.

 hu-

huiusce criminis reos Episcopos & Clericos esse *lapsos ultra laicos*, id est, infra laicorum in Ecclesia gradum, utpotè lapsos extra Ecclesiam in perpetui fletus necessitatem, atque irregularitatem inseparabilem, ideòque quicumque eorum redire tentârint, tentare reditum *ad altaris*, non ministerium, *sed impiamentum, fratrumque*, pro quibus in altari orârint, non sanctificationem, *sed contagium*. Et mendacem calumniam veraci accusatione dissipans memoratus Pontifex ad Fabium Episcopum Antiochenum scribit, præfatum Novatianum, quod se, licet non Christianum, tamen Christianorum Presbyterum negârit, esse irreparabiliter & plenè irregularem, ideòque nec in gradu suo manere posse, longè minùs adscendere Episcopalem.

Opponi possint lapsus & restitutio sancti Pontificis Marcellini. At respondet sanctus Augustinus in libro de unico Baptismo contra Petilianum, Cirthensem Episcopum Donatistarum. *Quid iam opus est,*
C.16. *ut Episcoporum Romanæ Ecclesiæ, quos incredibilibus calumnijs insectatus est, obiecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus, & Presbyteri eius Melchiades, Marcellus, Sylvester, traditionis codicum Divinorum & thurificationis crimine ab eo arguuntur; sed numquid ideò convincuntur,*
L.1. c.3. *aut convicti aliquâ documentorum firmitate monstrantur? Ipse sceleratos & sacrilegos fuisse dicit, ego innocentes fuisse respondeo.* Addunt Theodoretus & Nicephorus Calixtus *Marcellinum fuisse virum perse-*
L.8.c 6. *cutionis temporibus magnâ gloriâ planè nobilitatum.* Vt Melchiadis ac Sylvestri Pontificum de suo Donato in Casis nigris Episcopo & schismate judicia exufflarent, hæc pessima mendacia per Ecclesiam sparserúnt nequissimi Donatistæ, imitati Novatianenses, simili fine accusantes eiusdem criminis Cornelium Papam, & è spacijs imaginarijs producentes nescio quem alium lapsum Pontificem Macedonium,
L.182. uti apud Photium in Bibliotheca refert Eulogius Patriarcha Alexan-
280. drinus, cuius opus commendat S. Agatho Pontifex in literis dogmaticis ad Synodum sextam.

Quod porrò Canon noster antiquum neque solvat, neque mutilet, docet nos apud sanctum Epiphanium sanctus Potamon, Heracleensis in Ægypto Episcopus, in Eusebium Cæsareensem Episcopum, se-
Hæres.68. dentem sancti Athanasij stantis quasi rei in Synodo Tyria judicem, libero ore hæc invectus. *Tu sedes, Eusebi, & Athanasius innocens à te iudicatur? Quis tulerit talia? Dic mihi tu, nonne mecum fuisti in carcere tempore persecutionis? Et ego quidem amisi oculum pro veritate, tu verò nihil mutilatum in corpore habere videris, neque testimonium per confessionem præbuisti, sed stetisti vivens nullâ parte detruncatâ. Quomodo decessisti è carcere, nisi quod promisisti his, qui persecutionis necessitatem nobis intulerunt,*

unt, id, quod nefarium est, te facturum, aut fecisti? Appellat ad antiuum Canonem, affirmatque Eusebium è iudicis throno eijciendum d reos, utpotè lapsum ultra laicos, Episcopatu & omni clericali grau irrecuperabiliter amisso. Quod ipsum in Epistola ad omnes orthooxos Episcopos repetit Synodus Alexandrina. Videantur Canones ncyrani.

CANON XI.

DE his, qui præter necessitatem prævaricati sunt, aut præter ablationem facultatum, aut præter periculum el aliquid huiusmodi (quod factum est sub tyrannide Licinij) lacuit Synodo, quamvis humanitate probentur indigni, tamen s benevolentiam commodari. Quicumque ergo veraciter pætudinem gerunt, tribus annis fideles inter Audientes haeantur; & sex annis omni se contritione deijciant; duobus tem annis sine oblatione populo in oratione communicent.

SCOLION.

MOto ad quamvis novi facti speciem dubio, hodie Theologos consulimus, atque ex imperitis aut temerarijs quorumdam ponsis incurrimus subindè gravia mala. Alius longè fuit mos Ecsiæ antiquæ. Eiusmodi dubia Presbyter Episcopo, Episcopus Mepolitæ, Metropolita suæ Synodo, Synodus Patriarchæ aut Priti, Patriarcha Pontifici referebat. Hinc Theodorum, Poro-julien- Episcopum, quasdam de morientium pænitentia & reconcilia- Epist. 91. re quæstiones referentem, arguit sanctus Leo Pontifex perversi Ec- c, 1. siastici ordinis, utpotè qui priùs hæc cum suo Metropolita conferre uerat, quia in eiusmodi caussis nihil sine illo oportet per Provinem Episcopum à Patriarcha inquiri. Relatus ab Episcopis suis quęnes Metropolita referebat ad suam Synodum, nec nisi ipsâ ignoe poterat Patriarchæ esse importunus. Hinc plurimæ Provinciarum odi scatent huiusmodi responsis, & pleræque Dyonisij & Petri xandrinorum, Cypriani, Basilij, Gregorij Thaumaturgi, ac Rogorum præsertim Pontificum Epistolæ sunt synodales ad consulta litorum. Eorum quippè ad factas dubiorum relationes fuit Epist. 18. munis cum sancto Cypriano vox: *Quæ res, cùm omnium nostrum lium & sententiam spectet, præiudicare ego, & soli mihi rem communem care non audeo.*

Nu-

Nupera porrò Licinij Imperatoris per orientales Ecclesias persecutio quasdam lapsorum species novas induxerat, novasque de illis quæstiones. Hasce ergò Patriarchæ & alij Primates Episcopi retulerunt Synodo, responditque hæc per aliquot Canones sequentes.

L. 1. c. 8. Etiam vocabulum, *Prævaricatio*, uti ex Sancto Ambrosio in libris de pœnitentiâ liquet, olim per antonomasiam significabat idololatricum in persecutione delictum, quomodo dixi de voce *lapsus*. Vetusta Ecclesiæ disciplina omnibus prævaricatis negabat communionem, id est, Sacramentalem Reconciliationem etiam in vitæ exitu: Perpetuâ totius pœnitentiâ functos transmittebat Christo Domino, in quem peccârant, supremo Episcopo, judicandos.

Ex unica tamen gravissima caussa erat dispensationi locus. Sanctum quippè Cornelium Pontificem, dum Trophymum, cum omni sua plebe lapsum & prævaricatum Episcopum, in laicam communionem, quæ erat omninò Reconciliatio Sacramentalis, suscepit, nihil egisse, nisi quod *colligendis fratribus* eius in Romana ac alijs Ecclesijs *Antecessores sapè fecerant*, scribit ad Anthonianum Episcopum S. Cyprianus,

Epist. 52.

Ab eodem Cypriano persuasus Romanæ Ecclesiæ per Sancti Fabiani Pontificis Martyrium vacantis Clerus, dictusque Sanctus Cornelius, cunctis generaliter lapsis & prævaricatis pacem Reconciliationis dare cœperunt & jusserunt: Attamen lapsis ex tormentorum, deportationis, relegationis, aut fiscalium descriptionum violentia & metu, de quibus solis loquitur primum Romani Cleri decretum, registratum inter Epistolas Sancti Cypriani: Sponte lapsos antiquo rigori relictos, disertè testatur idem Cyprianus in sermone de lapsis, & in adductis litteris ad Anthonianum. Sponte lapsos, tamquam salem plenè infatuatum, ludibrio fuisse etiam ipsis gentilibus, apud Eusebium scribunt Ecclesia lugdunensis & Viennensis ad Asiæ Ecclesias, & Sanctus Dyonisius Alexandrinus Episcopus ad Fabium Antiochenum.

Epist. 3.

L. 8. c. 1.

L. 6. c. 34.

Quare antiquum rigorem in eos confirmavit paucis ante Nicenam annis prima Synodus Arelatensis, nosterque hic etiam Canon affirmat omni gratiâ indignos, gratiâ nihilominus impartit: *Attamen solos pœnitudinem veraciter gerentes*. Hoc est, uti ad Cornelium Pontificem scribit Cyprianus, eos solos, qui de Ecclesia Domini non recesserunt, sed pœnitentiam agere, lamentari, Dominum deprecari, instanter pulsare Ecclesiæ misericordiam statim à lapsu non destiterunt.

C. 23.

Epist. 84.

Quatuor verò olim fuerunt pœnitentium gradus, classes, seu stationes: Fletus, Auditio, Substratio, Consistentia, quas eleganter describit in Epistola Canonica Sancti Gregorij Thaumaturgi Canon postremus, licèt, ut eruditis videtur, adjectus & suppositus, antiquus tamen

tamen & venerandus. *Fletus est extra portam oratorij, ubi peccatorem stantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro se precentur. Auditio est intra portam in Narthece, ubi oportet eum, qui peccavit, stare usque ad Catechumenos, & illinc egredi. Audiens enim, inquit, scripturas & doctrinam eijciatur, & precatione indignus censeatur. Substratio autem est, ut intra portam templi stans cum catechumenis egrediatur. Consistentia est, ut cum fidelibus consistat, & cum catechumenis non egrediatur. Postremò est participatio Sacramentorum.* Eosdem gradus describit eodem ferè modo fælix tertius Pontifex in epistola ad universos Episcopos, meminitque Sanctus Ambrosius in libris de pœnitentia, hæc Domini verba de Lazaro, *Vbi posuistis eum*, exponens: *In quo reorum statu est, quo pœnitentium ordine?* Epist.7. L.2.c.7.

Quidam existimant illos Novatiano non antiquiores, utpotè ab Ecclesia institutos adversum eius errores. Existimo errare. Fateor non esse institutum Apostolicum, eorum tamen non tantummodò Sanctus Cyprianus, sed & Tertullianus meminit tamquam rei vetustæ.

Exponitur primus pœnitentiæ gradus.

FLetus itaque, primus gradus, fiebat *extra portam oratorij*, in Ecclesiæ porticu vestibulari, seu, uti in libro de pudicitia Tertullianus loquitur, foris extra Ecclesiam ad certum limitem à limine. Antiquas enim omnes Ecclesias matrices habuisse vestibularem porticum, patet ex antiquis Romanis Basilicis, Lateranensi, vaticana, nova licet, ad formam tamen antiquam exstructa, Sanctæ Crucis, Sanctæ Mariæ Majoris, & ad Martyres, plurimisque per Flandriam nostram, & omnem fermè Galliam, Canonum olim observantissimam, Ecclesijs rusticorum. Et hinc intelligitur locus Tertulliani in jam dicto libro: *Impias* contra naturam *libidinum furias*, *monstra* passim dictas, *non modò limine, verùm omni Ecclesiæ tecto arcemus.* c.1. c.4.

Et Canon Ancyranus decimus septimus easdem furias stare & flere mandans *inter hyemantes*, id est hyemantium more extra omne Ecclesiæ tectum. Et locus Sancti Hieronymi, dicentis Fabiolam, matronam adulteram, flevisse in Lateranensi Basilica: Intelligit porticum Basilicæ adnexam. Epist.30.

Hic ergò *peccatorem stantem oportet orare ingredientes, ut pro se precentur.* Distinctiùs Joannes Abbas de Raithu in Scolijs ad scalam Ioannis Climaci Abbatis. *Procidens cum fletu ab ingredientibus postulat orationem ante ipsorum pedes prostratus.* Eleganter Tertullianus in libro de pœnitentia. *Exomologesis*, quâ ille voce omnem passim Pœnitentialium Stationum paraturam complectitur, *est prosternendi & humilificandi* c. 9.

 di

di hominis disciplina, conversationem iniungens misericordiæ illicem, mandans sacco & cineri incubare, Presbyteris advolvi, caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere. Hæc omninò
C.1. respiciunt fletum. Eiusdem in libro de pudicitia opus esse dicit *profundere lacrymas pacis* expostulatrices, facere *dedecoris sui publicationem,*
L. de pænit. c. 10. *fratrum compaßionem negotiari.* Hocce *opus, ut publicationem sui,* plerique *aut suffugiebant, aut de die in diem differebant.*

Et sanctus Ambrosius in libris de Pænitentia. *Volo veniam reus spe-*
L. 1. c 16. *ret. Petat eam lacrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus. Et cùm secundò & tertiò fuerit dilata eius communio, credat remißiùs se supplicasse. Fletus augeat miserabilior, posteà revertatur, teneat pedes brachijs, osculetur osculis, lavet fletibus, nec dimittat, ut de ipso dicat Dominus Iesus: Remissa sunt peccata eius multa, quoniam dilexit multùm.*

L. 8. c. 27. Sic de Natalio Confessore, in Theodoti Coriarij errorem lapso, scribit Eusebius, quod cilicio & sacco indutus, adspersusque cinere, *cum magno mærore & lacrymis ad pedes Zephyrini, Romani Pontificis se abiecerit supplicem, & non modò ad Cleri, sed & ad laicorum quoque genua advolverit; ità ut Christi misericordis Ecclesia, illum magnoperè miserata, lamentis una se dederet.* De Eccebolo, Sophista Constantinopolitano,
L. 3. c. 11. lapso sub Juliano Augusto, scribit Socrates. *Ante portam Ecclesiæ se pronum abijciens sic vociferatus est: Me quasi salem insipidum pedibus con-*
Epist. 30. *culcate.* Et in Epistola ad Oceanum multis describit sanctus Hieronymus, quomodo Fabiola, nobilissima Romana matrona, adulterij pænitens saccum induerit, errorem publicè fassa fuerit, ad Basilicam Lateranensem steterit in ordine Pænitentium, Episcopo, Presbyteris, & omni populo collacrymantibus, habens sparsum crinem, ora lurida, squalidas manus, colla sordida. Hæc enim erant flentium ornamenta.

Etiam Philippum Augustum, criminibus obnoxium, volentem Paschalibus Sacramentis communicare, Fabianus Pontifex Ecclesiam
L. 6. c. 27. intrare non permisit, jussum, uti scribit Eusebius Cæsareensis, *suâ sponte* inter pænitentes se collocare. Nempe fletum exigebat Ecclesia, non imponebat virtute divinâ clavium, neque ad sacramentalis satisfactionis opus operatum elevabat: Esse debebat spontanea humilitas, expostulans divini istius adjutorij donum. Hinc flentibus nullæ impendebantur impositiones manuum, nullæ expurgativæ preces, nulla Divini nominis super ipsos solemnis invocatio, sine quibus Christiana Sacramenta non possunt confici, nec opera nostra ad operis operati virtutem elevari.

Hinc item in fletu fiebat *dedecoris publicatio*, seu peccatorum confessio,

sessio, &, iuxta sanctum Ambrosium, postulabatur venia secundò, tertiò, & ampliùs, lacrymis, gemitibus, geniculationibus, pedum osculis; neque tantùm ab Episcopo & Presbyteris, sed & ab omni populo. Nempe licèt pænitentiæ actionem imponere, & sacramentalem Reconciliationem impendere fuerit ex jure divino semper solius Episcopi & Presbyterorum, tamen circa graviora, quæ Ecclesiam scandalizârant, delicta olim sine totius fraternitatis consensu aut consilio id non poterant per Canones, uti testatur frequenter sanctus Cyprianus, alijque Patres.

Hunc gradum respiciunt hæc verba nostri Canonis: *Quicumque ergo veraciter pænitudinem gerunt.* Id est, quicumque se veraciter dederint in fletum. Et sanctus Gregorius Nazianzenus, agens adversùm Novatianenses, huius Canonis calumniatores. *Nec ipse eos recipio, qui vel nullo modo, vel non satis deprimuntur, nec patrato crimini parem vitæ emendationem afferunt.* Hoc est, qui fletum non satis fervidè adimplent. Hæc verba, *Non recipio,* non tantùm de communionis redditione, sed & de admissione ad Audientiam & Substrationem intelligi possint, atque ità clarè edicunt flentes necdum esse receptos ab Ecclesia, id est, fletum per claves non consuevisse imponi. Orat. 34.

Porrò Canon flentibus nullum tempus præfigit. More latino. Quod enim esset spontanea humilitas, sacramentalis satisfactionis expostulatrix & præparatrix, Patres nostri Episcoporum arbitrio reliquerunt, ex compuncto potiùs corde, quam tempore mensurandam. At verò Græci præfixêre certum temporis limitem, uti patet ex canonicis literis sancti Basilij, ac fratris & suffraganei eius, sancti Gregorij, Episcopi Nysseni.

Exponitur secundus gradus.

SEcundus gradus *est Auditio intra portam in Narthece, ubi oportet eum, qui peccvit, stare usque ad Catechumenos, & illinc egredi.* Vocabulum, *Narthex*, Gregorio thaumaturgo recentius, utpotè sub finem quinti, aut sexti sæculi exordium, à Græcis usitari cæptum, quibusdam persuadet Canonem esse suppositum & adiectum. Quidquid sit, res est antiqua. Græci ènim Ecclesias suas, quomodo nos Belgæ & plerique Galli & Germani, diviserunt in tres partes, enumeratas à Theodosio Augusto in Edicto de Asylo Ecclesiastico, quod habes ad finem Synodi Ephesinæ: *Sacrosanctum altare* cancellis clausum, *quadratum templi oratorium murorum ambitu circumseptum, & locum residuum usque ad Ecclesiæ fores exteriores.* Hoc est, sanctuarium seu sanctum Sanctorum, aulam seu chorum, & populi atrium, qui est Narthex.

Canoni Gregoriano conſonat Matthæus Blaſtares in Nomocanone. *Audientes ſunt, qui ſtant intra portam in loco, qui Narthex dicitur, & divinas Scripturas communiſq; doctrinæ explicationem audiunt, & poſteà cùm Catechumenis exeunt.* At verò Theorianus, Emmanuelis Comneni Imperatoris Legatus, in diſputatione cum Nierſece Patriarcha Armeniorum, contradicit: *Auditores ſtent extra Eccleſiam in ferula, ſacraſque literas audiant.* Ferula erat locus, in quo Catechumeni docebantur inchoationis ſermonem. Contrarietatem eleganter conciliat Scoliaſtes Harmenopuli in Epitome Canonum: *Nam & Audientes extra Eccleſiam ſtabant uſque ad lectionem ſancti Evangelij.*

C.84. Tunc ergo ingrediebantur iuxta Canonem quartæ Synodi Carthaginenſis. *Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam & audire verbum Dei, ſive gentilem, ſive hæreticum, ſive Iudæum, uſque ad miſſam Catechumenorum.* Ab hac auditione hi noſtri Pænitentes vocabantur Auditores. Etiam impænitentes adulteros admitti mandat quartus Canon Ilerdenſis. Ea de cauſſa Valentina Hiſpaniæ Synodus ſtatuit Evangelia legi ante munerum illationem, *ut non tantùm fideles, ſed & Catechumeni, Pænitentes, & omnes, qui ex diverſo ſunt, audire licitum habeant.* Exiſtimant quidam extraneos hos admitti primùm cæpiſſe

C.14. poſt datam Eccleſijs à Conſtantino pacem: At aliud ſuadet Apoſtolus in prima Epiſtola ad Corinthios, nec non dialogus Luciani, cui nomen *Philopatus.* Hi omnes ſtabant inter portas Eccleſiæ exteriores & ambonem, ſine confuſione diſtincti in ſuos ordines, unàque eijciebantur. Hæc erat prima miſſa, miſſio, ſeu dimiſſio Catechumenorum.

Addit Gregorius Thaumaturgus, aut certè illi adiectus Canon: *Audiens, inquit, Scripturas & doctrinam eijciatur, & oratione dignus non habeatur.* Vox, *inquit*, oſtendit hanc ſententiam adſumi ex quopiam

C.75. Doctore & Patre alio. Utique ex ſancto Baſilio in literis canonicis ad S. Amphilochium Epiſcopum Iconienſem: *Scripturam & doctrinam audiens eijciatur, & precatione indignus cenſeatur.* Ex quo liquere videtur Canonem eſſe adiectum. Loquuntur ambo de precatione, nequaquam Euchariſtica, ſed expurgatoria & expiativa. Quocirca etiam Audientibus nulla imponebatur manus, nulla divini nominis ſuper ipſos invocatio, ideòque & hanc ſtationem ſuſpicor poteſtate clavium non conſueſſe imponi, fuiſſeque non ſacramentalem, ſed dumtaxat ſecundum ad ipſam præparationis gradum.

Addit item ſanctus Baſilius. *Deinde ſi quidem illam,* iam dictam precationem, *cum lacrymis inquiſivit, & Domino cum cordis contritione & valdà humiliatione ſupplex procidit, ei detur Subſtratio.* Expleto igitur Audientiæ tempore, nequibat Audiens ſuo arbitrio migrare ad

Sub-

Substratos, debebat denuò supplicare, examinari, ab Episcopo transferri. Eodem modo transferri solitum à Substratione ad Consistentiam, & à Consistentia ad Perfectionem, docent S. Cyprianus, & quintus Canon Ancyranus. Epist. 10.

Quocirca *Auditio* & *Audiens* apud antiquos Canones sunt vocabula æquivoca, primum Catechumenatus & secundum Pœnitentiæ gradum significantia. Graviora enim delicta Christianam Iustitiam ad ima usque fundamenta quatiunt, & quandoque evellunt, ideòque per prima elementa, quibus homo vetus in novam creaturam parturitur, Ecclesia credidit esse curanda.

Difficultatem faciunt hæc verba nostri Canonis: *Quicumque ergò veracitèr pœnitudinem gerunt, tribus annis fideles inter Audientes habeantur.* Etenim, uti suprà à Canone Valentino audivimus, fideles distinguuntur contrà Catechumenos & Pœnitentes: Quid ergò est, *Fideles inter Audientes habeantur*? Eodem modo legit Codex canonum Ecclesiæ universæ, lectus & probatus in Synodo Calchedonensi, nec non Crisconius, Africanus Canonum Collector. Omittit verò versio antiqua latinorum. At malè: Est enim in Græco. Ioannes Scholasticus, Patriarcha constantinopolitanus, in collectione quinquaginta capitum sic legit: *Tres annos inter Audientes ut fideles exigent.* Isidorus Mercator hoc modo: *Tribus annis inter Pœnitentes habeantur; si tamen fideles sunt, septem alijs annis inter Pœnitentes sint.* At loquitur de suo extra Canonem, in quo nihil tale. c.88. c.39.

Diversi diverso modo exponunt. Quidam hoc sensu: Tribus annis inter Audientes habeantur, si tamen fideles sint Hæreticos lapsos autumant cogi ad longius tempus Auditionis. Alij hoc sensu: licèt sint fideles.

Exponitur tertius Gradus.

TErtius Pœnitentium gradus est Substratio, de qua noster Canō: *Sex annos omni se contritione dejiciant.* Est commentarius potiùs, quam versio: Græcus enim textus simpliciter habet, *Subiacebunt.* Theorianus ità exponit: *Ecclesiam quidem ingredientur, sed in parte Ambonis postica stabunt, & cum Catechumenis egredientur.* Caussam vocabuli, *Substratio*, dat fælix tertius Pontifex in literis ad universos Episcopos: *Subiaceant manibus Sacerdotum.* Mandat enim tertia Carthaginensis Synodus: *Cuiuscumque pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est, quod universa Ecclesia noverit, ante absidem manus ei imponatur.* Afrorum enim absis erat in loco eminentiori, ab omnibus conspicuo. Et quarta Synodus: *Omni tempore ieiunij manus pœnitenti-* c.32. c.80.

c.82. *bus à Sacerdotibus imponatur.* Substratis & genu flexis: Etenim *etiam remissionis diebus genua flectunt.* Porrò manus impositio, uti in libris
L.3.c.16. de baptismo contra Donatistas Sanctus Augustinus, *quid est aliud, nisi oratio super hominem?* Proindè substratorum Pœnitentia variis Ecclesiæ ritibus & precibus adjuvabatur, Deo commendabatur, ad operis operati virtutem elevabatur, eratque verè Sacramentalis.

Erat manus impositio substrati cinere, sacco, infami rasurâ, cilicio comitata, quæ idcircò Episcopis, Presbyteris, ac Diaconis, sacræ ordinationis manum impositam habentibus, fieri non poterat, idque
Epist. 92. c.2. ex traditione Apostolica, uti scribit Sanctus Leo ad Rusticum Episcopum Narbonensem. Caussam dat Sanctus Augustinus in libris con-
L.1.c.13. tra Parmenianum: *Ne non homini, sed ipsi Sacramento fieret iniuria.* Hinc Optatus Milevitanus Episcopus scribit damnatum à Melchiade Papa Donatum in Casis nigris Episcopum, quod convictus fateretur se rebaptisasse, ac Episcopis lapsis manum imposuisse utique pœnitentialem, quâ vivis hominibus honores occiderat, id est, innocentes Episcopos, Presbyteros, atque Diaconos de gradu dejecerat, fecerat perpetuò irregulares. Quisquis enim, etiam innocens atque invitus, seu laicus, seu clericus hanc publicam humilitatem passus fuérat, sine reparationis spe erat irregularis.

Hujus stationis etiam Tertullianus meminit. In libro de pudicitia ità alloquitur Romanum Pontificem. *Et tu quidem pœnitentiam mœchi*
c.13. *ad exorandam fraternitatem in Ecclesiam inducens, conciliatum & concineratum, cum dedecore & horrore compositum prosternis in medium ante viduas, ante Presbyteros, omnium lacrymas suadentem, omnium lacinias invadentem, omnium vestigia lambentem, omnium genua detinentem.* Loquitur non de flentibus, sed omninò de substratis: Neque enim flentes inducebantur in Ecclesiam. Et ex hoc loco manifestum puto errare eos; qui solos flentes existimant debuisse lacrymabiliter supplicare fraternitati. Nam & quartus Canon Ancyranus substratos mandat esse supplices. Et in libro de pœnitentia dicit Exomologesim, sub qua omnes hasce stationes comprehendit, esse *disciplinam hominis proster-*
c.9. *nendi & humilificandi*, utique sub manibus Sacerdotum, *qui super te lacrymas agunt*, & per quos *Christus Patrem deprecatur*, id est, qui legatione pro Christo fungentes tibi prostrato manus imponunt & orant. Hæc est prostratio, quam apud Minutium Fælicem ridentes Pagani, dixére à Christianis adorari virilia suorum Sacerdotum.

Et in libro Apologetico scribit esse nobis *summum futuri Iudicij præiudicium, si quis ità deliquerit, ut à communicatione orationis & conuentus, & omnis sancti commercij relegetur.* Hi sunt Substrati, qui Eucharisticis

Ecclesiæ orationibus & conventui non poterant interesse. Quocirca hæc statio est longè antiquior Novatiano. Eiusdem, ut rei vetustæ, meminit Sanctus Cyprianus. Epist. 10.

Exibant verò Substrati cum Catechumenis secundi ordinis, dictis etiam Substratis seu Genu-flectentibus, eratque hæc secunda eorum missio seu missa. Erant enim plures stationes etiam Catechumenorum.

Exponitur quartus Gradus.

QVartus gradus est Consistentia, ut Pœnitens *cum fidelibus consistat, & cum Catechumenis non eijciatur*, de qua. Canon noster: *Duobus annis populo sine oblatione in oratione communicent.* Utique in oratione Eucharistica seu sacrificio.

Porrò integros fideles jam suprà dixi olim appellatos *Stantes.* Hinc & ad sacrificium erecti stabant in prima Narthecis parte inter ambonem & portas speciosas; etiam ad sacrificij consecrationem ac sumptionem: Erecto corpore erectam à peccati lapsu mentem, Dominicæque Resurrectionis participem profitentes. Eadem de causa hic gradus dictus Consistentia & huc promoti, Consistentes.

Ad hunc enim gradum admissio erat omninò Reconciliatio Sacramentalis. Neque enim solum corpus, sed & mens per ipsum erigebatur à substrationis sordibus, quod fieri non potest, nisi virtute Clavis Apostolicæ reconciliantis.

Consistentes ergò communicabant Eucharisticis & perfectivis Ecclesiæ orationibus, verùm sine oblatione. Exponit hoc Theorianus: *Sacramentorum*, Eucharistiæ videlicet, *perceptionem non impetrant.* Caussam dat Sanctus Cyprianus in sermone de eleëmosyna dicens ad quosdam avaros divites. *Locuples & dives es, qui in dominicum*, id est, Ecclesiam *sine sacrificio venis; qui partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis.* Et Sanctus Hieronymus in Epistola ad Heliodorum monachum. *Clerici de altario* vivunt; *mihi* monacho, *quasi infructuosæ arbori, securis ad radicem ponitur, si munus ad altare non defero. Nec possum obtendere paupertatem.* Panem & vinum sibi in Eucharistiam consecranda olim offerebat populus; de alieno participare erat illicitum ac sordidum: Qui non offerebat, non sumebat, ideoque omnis ab oblatione suspensus, suspensus erat & à sumptione. Hinc toties apud antiquos legimus, *Eius oblatio non recipiatur.* Hoc est, Sacrificio quidem adesse possit cum fidelibus, verùm de illo non percipere: Et hoc est communicare solis orationibus. Epist. 1.

Huius rei memoria adhuc superest in Romani Missalis Canone:

Ora-

Oramus enim Deum pro omnibus illis, qui ipsi offerunt hoc sacrificium laudis, id est, qui huic sacrificio panem & vinum solemni ritu ministrârunt. Hodie item usurarij & alij peccatores publici missam quidem audire, sed ad ipsam offerre, nec de ipsa sumere possunt, quod ex disciplina antiqua est orationibus sine oblatione communicare.

Ex eodem principio Consistentium *Nomen*, uti loquitur Sanctus Cyprianus, *offerri* non poterat, seu recitari ad altare: Nequibat, inquam, pro ipsis expresśim orari in sacrificio. Cuius enim persona arcebatur, arcebatur & nomen. Et hinc, quoniam antiqua disciplina tractabat eâdem lege mortuos, quâ & vivos, eorum non acceptâ Perfectione decedentium non recipiebatur oblatio, nec solemnia Ecclesiæ suffragia illis fiebant: fieri enim non poterant sine oblatione nominis, uti scribit idem Cyprianus ad Ecclesiam Furnensem. At rigorem hunc posterior disciplina mitigavit.

Epist.10.

Epist.66.

Aliam Consistentium pœnam adducit Sanctus Gregorius in Epistolis ad Venantium Patricium, & Joannem Syracusæ Episcopum: Eorum in domo nequibat missa celebrari. Et hinc in dictum Ioannem, quod eius oblationem recipi noluisset, indignatus Venantius milites suos *immisit in Episcopium, diversa* hostili more mala commissuros. Et Eugenij Imperatoris Comites frenduisse in Sanctum Ambrosium, quod eius oblationes respueret, scribit Presbyter Paulinus. Erat enim pœna infamiæ plena, & futuri divini judicij magnum præjudicium, uti cum Tertulliano tradit in quinquagesima homilia Sanctus Augustinus.

L.5. Epist. 42.43.

Quocirca Consistentes erant omninò adhuc Pœnitentes, convincuntque nostros Lutheranos & Calvinistas, existimantes remisso peccato nullum posse restare nævum, nullum debitum pœnalis satisfactionis.

Hinc è Consistentia ad Perfectionem adscensuris repetebatur Reconciliatio, dabaturque alia eius species, de qua suo loco. Quocircà Ioannes Abbas de Raithu, in Scolijs ad scalam Ioannis Climaci, malè ponit quinque pœnitentium classes: Perfectio enim non classis erat, sed fructus pœnitentiæ.

Porrò Canon noster sistit in horum lapsorum Consistentia, nihil penitùs statuens de eorum Perfectione, seu admissione ad sacrosanctam Eucharistiam. Nempè suprà illos humanitate indignos dixit, ideoque dignatur solâ Consistentiâ, quoad Perfectionem volens servatum rigorem antiquum. Secunda Synodus Arelatensis addidit hanc moderationem: *In potestate tamen vel arbitrio sit Episcopi, ut si eos*

C.11.

ex

ex animo deflere & agere pœnitentiam viderit, ad communionem pro Ecclesiastica humanitate suscipiat.

Hunc, aliosque id genus plurimos canones antiquos respicit Sacrosancta Tridentina Synodus in decreto de satisfactionis necessitate. *Debent Sacerdotes Domini, quantum Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & Pœnitentium facultate salutares & convenientes Satisfactiones iniungere: ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum Pœnitentibus agant, levissima quadam opera pro gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Eiusmodi Sacerdotes Sanctus Cyprianus vocat Pœnitentium deceptores, qui illos, ut magis pereant, & amplius cadant, seducunt. Sess. 14. c. 8. Epist. 10.

CANON XII.

Qvicumque vocati per gratiam, primum quidem impetum monstraverunt, deponentes militiæ cingulum, postmodùm verò ad proprium vomitum sunt relapsi, ità ut quidam & pecunias tribuerent, & beneficijs militiam repeterent; hi decem annis, post triennij tempus, quo inter Audientes erunt, in afflictione permaneant. Sed in his omnibus propositum & speciem pænitentiæ convenit explorare. Quotquot enim metu & lacrymis, atque patientiâ, vel bonis operibus, rebus ipsis conversionem suam non simulatione demonstrant; hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum fidelibus in oratione communicent: postmodùm verò licebit Episcopo de his aliquid humanius cogitare. Quicumque verò indifferenter tulerunt, & aditum introeundi Ecclesiam sibi arbitrati sunt ad conversionem posse sufficere, hi definitum modis omnibus tempus impleant.

SCOLION.

Canonis intellectus hauriri debet ex primitivæ Ecclesiæ sententia de bello, seu Christianorum licentia belligerandi sub Principe gentili. Eam optimè exponit Tertullianus. Religionem Christianam, licet forsàn à tribus famosis sceleribus innocuam, tamen

Romanæ Reipublicæ inutilem, ideòq; eliminandam calumniantibus
C.42. Gentilibus respondet in libro Apologetico. *Navigamus & nos vobiscum, & vobiscum militamus, & rusticamur, & mercamur: Quomodo infructuosi videamur negotijs vestris?* Quàm non infructuosi Romanæ militiæ fuerimus, docet Marci Aurelij Anthonini Augusti pro legione fulminatrice ad senatum Epistola, quam secundæ suæ Apologiæ subnexuit Justinus Martyr. Milites nostros etiam solemni Sacramento professos Principi, scribit idem Tertullianus in libro de corona militis.
C.11.
L.2. Formam refert Vegetius. *Iurant per Deum, Christum, & Spiritum sanctum, & per maiestatem Imperatoris, omnia se strenuè facturos, quæ præceperit Imperator, numquàm deserturos militiam, nec mortem recusaturos pro Romana Republica.*

C. 14. Pergit Tertullianus in libro de Idololatria. *At nunc de isto quæritur, an fidelis ad militiam converti possit, & an militia ad fidem admitti, etiam caligata vel inferior, cui non sit necessitas immolationum vel capitalium iudiciorum.* Respondetque fidelem ad nullam penitus, utìque sub gentili Principe, posse converti: Quòd humanum Sacramentum, utì in dicto
C. 11. libro de corona militis scribit, non possit superduci Divino; quòd filius pacis, cui nec litigare convenit, nequeat in gladio conversari, & prælio operari; quòd ipsum de castris lucis in castra tenebrarum nomen deferre sit transgressio; & quòd Dominus in Petro, qui pòst baptisma gladium sumpsit, exarmando suscipiendam militiam interdixerit omni Christiano.

At verò propter Christi Domini, Centurionem laudantis, Joannis Baptistæ, Romanos milites Baptimo suo donantis, & Petri Apostoli, Cornelium centurionem nostro Sacramento abluentis, auctoritatem, fatetur posse ad fidem admitti militiam, attamen dumtaxat caligatam seu inferiorem. Audiamus librum de corona militis. *Planè si quos mi-*
C. 11. *litiâ præventos fides posterior invenit, alia conditio est, ut illorum, quos Ioannes admittebat ad lavacrum; ut Centurionum fidelissimorum, quem Christus probat, & Petrus catechizat: Dùm tamen susceptâ fide atque signatâ, aut deserendum statìm sit, ut à multis actum, aut omnibus modis cavillandum, ne quid adversùs Deum committatur, aut novissimè perpetiendum pro Deo, quod æquè fides pagana condixit.* Pagani tùnc erant homines infimi à militia exclusi, Apolemi dicti à Græcis, ideòque pagana fides seu pagani fideles erant fideles non milites: varijs quippè temporibus varia voci illi significatio, de qua aliàs.

Et hæc quidem de sola militia caligata sive inferiori. Superior statìm à suscepta & per Baptismum signata fide debebat deseri, quod illi ex officio esset necessitas immolationum & capitalium judiciorum.

Capi-

Capitalia enim & judicia & accusationes homicidio adjunxit, & fidelibus interdixit etiam Lactantius. Quin immò & sanctus Ambrosius Studio, nobili viro, de his interroganti, respondit. *Sunt, qui eos in communionem non vocent Sacramentorum cælestium, qui in aliquos capitalem sententiam ferendam æstimaverunt. Plerique etiam sponte se abstinent, & laudantur quidem, nec ipsi eos possumus non prædicare.* Et infrà. *Maiores nostri maluerunt indulgentiores esse circa iudices, ut dum gladius eorum timeretur, reprimeretur scelerum furor, & non incitaretur. Quòd si negaretur communio, videretur criminosorum vindicata pœna. Maluerunt igitur Priores nostri, ut id in voluntate magis abstinentis, quam in necessitate sit Legis.* Baptizatos judices, eorum curiales, omnesque milites, de quorum communione, quod nihil *à Maioribus definitum sit*, sentit cum Ambrosio, in Clerum adsumi vetat Innocentius primus in litteris ad Synodum Toletanam, & Victricium Rotomagensem Episcopum, idque vigore huius Canonis. Iudices ob capitalia judicia, milites ob præstita illis severa ministeria, Curiales ob editiones publicas, etiam Christianis temporibus non immunes ab idololatria.

L.6.c. 20.

Epist. 51.

Epist. 23. c. 6.

Attamen & caligata atque inferior militia, licet nullam immolationum necessitatem, habuit tamen varia variæ idololatriæ pericula, in dicto libro de corona militis eleganter enumerata à Tertulliano, addente, eorum utique caussâ, ipsam à multis, susceptâ atque signatâ fide, statim desertam. Ità & Valentinianus Senior Augustus, utì in filij eius encomio Funebri testatur Sanctus Ambrosius, *militiam sub Iuliano, & tribunatus honores, fidei amore, contempsit.* Factum id etiam tunc à pluribus scribit Theodoretus. Sic igitur & Licinio Augusto apostatante, divinâ gratiâ tacti nostri milites deposuêre cingulum, chlamydem, caligam; verùm quidam ad vomitum relapsi etiam pecuniâ ac beneficijs ab Apostata militiam redemerunt, atque ità seipsos in mille idololatriæ quidam pericula, quidam necessitates projecerunt. Hisce ergò spontaneo fletu Ecclesiam pulsantibus Canon noster imponit triennij Audientiam, decennij Substrationem, Consistentiam Episcopi arbitrio relinquit. Substrationem rectè vocat afflictionem: Caussâ infinitarum afflictionum, quibus in gradu illo oportebat defungi.

L.3 c. 18. 16.

Auditionis vult ab omnibus indispensabiliter impleri, Substrationis & Consistentiæ tempora permittit ab Episcopo breviari: Attamen in solos ob pœnitentiæ fervorem gratiâ dignos. Flaccidos, prævaricationem suam, quasi à communi delicto non differat, singulari luctu non impetentes, contentosque quomodocumque & quandocumque intrare Ecclesiam, cogi mandat ad plenum rigorem.

CANON XIII.

DE his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisq́ servabitur; ità ut si quis egreditur è corpore, ultimo & necessario viatico minimè privetur. Quod si desperatus & consecutus communionem, oblationisq́ particeps factus, iterùm convaluerit; sit inter eos, qui communionem orationis tantummodò consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit.

SCOLION.

QUòd Ecclesia à Christo Domino acceperit potestatem in omnia
Cap.8. fidelium peccata, est dogma immobile fidei. Hìnc Ioannes Apostolus, ut ipsemet sanæ adhuc mentis Tertullianus in libro de pœni-
Cap.12. tentia ac in libro de patientia profitetur, & idololatras & mæchos invitat, non solummodo ad pœnitentiam, sed & ad veniam. Quod Paulus Apostolus in utraque ad Corinthios Epistola agat de eodem mæcho, atque illi pacem dederit, una est omnium Patrum senten-
L.3.c.7. tia, quam ut in libro de pudicitia devius Tertullianus evertat, qualia nugatur? Homicidam ac publicum latronem receptum in communionem à Ioanne Apostolo Eusebius testatur. Eleganter hæc ex Apocalypsi sancti Ioannis Apostoli ostendit sanctus Hieronymus in
Cap.8. libro contra Luciferianos. *Angelo Ephesi deserta charitas imputatur. In Angelo Pergamenæ Ecclesiæ Idolothytorum esus & Nicolaitarum doctrina reprehenditur. Item apud Angelum Thyatirorum Hiezabel Prophetissa, & simulacrorum esca, & fornicationes increpantur. Et tamen omnes hos ad pœnitentiam Dominus hortatur. Non autem cogeret pœnitere, si non esset pœnitentibus veniam concessurus.* Nihilominùs postmodùm durior in Ecclesias inducta est disciplina, tribus hisce delictis absolutionis pacem negans etiam in fine, cuius autorem atque occasionem
Cap 2. fateor me ignorare. Sanctus Innocentius primus in Epistola ad Exuperium, Tholosæ Episcopum, inductam dicit contra persecutiones, quò omnem in eis lapsum, utpotè ab Ecclesia nunquam
Cap.1. remittendum, horrerent fideles: Quò eos, uti in libro de spectaculis

lis Tertullianus loquitur, Ecclesia faceret *Expeditum morti genus*. Duravit usque ad Zephyrinum Pontificem, qui mœchis pœnitentiâ functis pacem impartiri, decreto peremptorio, tamquam Pontifex maximus, ac Episcoporum Episcopus, jussit, idque adversus Montanum, cuius pseudo-Paracletus disciplinam hanc tentavit in regulam ac potestatis defectum vertere, assereréque Ecclesiam in tria jam dicta crimina nihil posse, nisi pœnitentiæ actionem injungere. Idololatris ac omni lapsorum generi pacem ad Sancti Cypriani suasum dedit Sanctus Cornelius: Etiam homicidis dedisse, ex bonis conjecturis probare conatur Doctissimus Ecclesiæ Aurelianensis Episcopus, Gabriel Albaspineus. Quam clementiam damnans Novatianus schisma in hæresim vertit, Montanizans circa solos lapsos.

Attamen data est pax solis *Pœnitentiâ functis*, conditæque à Sanctis præsertim Cornelio & Cypriano varię pœnitentium leges. Statûtum, ut omnibus lapsis in exitu pax daretur, hâc tamen exceptione, de qua Cyprianus ad Episcopum Anthonianum. *Pœnitentiam non agentes nec dolorem delictorum suorum toto corde & manifesta lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omninò censuimus à spe communicationis & pacis, si in infirmitate & periculo cœperint deprecari: Quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum.* His solis morientibus data est pacis gratia, qui sani in Fletus gradu Ecclesiæ misericordiam pulsassent. Quam exceptionem dudùm post denuò confirmavit prima Synodus Arelatensis. Hispaniarum Ecclesia addidit exceptionem peccatorum duplicatorum. Dictis tribus delictis dabat in fine pacem, nisi quis aut duo, aut omnia tria commisisset. Ità liquet ex Canonibus Eliberinis. Epist. 52. Cap. 22.

Quocircà hæc omnis quæstio rursùm deducta est ad Synodum Nicenam, confirmataque & aucta in omnes morientes antiqua Ecclesiæ pietas: ut omninò nullus *ultimo ac necessario viatico privetur*. Licèt sanus se in Fletum non dederit; licèt commiserit è tribus plura delicta. Quibusdam visa est prodiga pietas, movitq; pręsertìm Ecclesiam Gallicanam. Etenim sanctus Exuperius Innocentio primo refert, quosdam fideles per omnem vitam in mæchia volutatos, in mortis vicinia expostulare simul pœnitentiam ac reconciliationem, petitque quid circa illos agendum. Cœlestino primo Pontifice, alij Gallicani Episcopi criminosis in fine dumtaxat pœnitentibus negavêre pertinaciter communionem. Quin & intrà Italiam à Sancto Leone Papa rogavit Theodorus Forojuliensis Episcopus, quid donandum *his, qui in tempore necessitatis, & in periculi urgentis instantia, præsidium pœnitentiæ &* Cap. 2. Epist. 91. c. 3.

mox reconciliationis implorant. Antiquus enim Canon vetabat etiam à morientibus ſimul pœnitentiam ac Reconciliationem peti & accipi; hanc poſtulari ſinebat à ſolis illis, qui iſtam ſani in ſpontaneo fletus gradu poſtulaſſent: Huic Canoni, quod diſertè non exprimatur, credebant Epiſcopi illi non eſſe ab hoc noſtro derogatum. Verùm enim verò jam dicti Pontifices, eorumque ſucceſſores hunc noſtrum ſemper largiſſimè intellexerunt. Attamen quoad ſolos morientes. Etenim ſanos utriuſque ſimul doni poſtulatores non ſeipſos velle ſolvere, ſed
L. 2. c. 9. Epiſcopum ligare, ſcribit in libris de pœnitentia Sanctus Ambroſius.
Epiſt. 180. Sanctus Auguſtinus in Epiſtola ad Honoratum Epiſcopum Thabennenſem ait in barbarico incurſu quoſdam petere baptiſmum ab Eccleſia, alios reconciliationem, alios etiam pœnitentiæ ipſius actionem: Eos nempè, qui antè ſe in fletum non dederant, ideòque ſimul
Epiſt. 59. reconciliationem petere erubeſcebant. Et medijs ſæculis Hincmarus, Remenſis Epiſcopus peritiſſimus antiquorum Canonum, operosè deſudat, ut Pipinum Regem, criminibus obnoxium, oſtendat donari poſſe utrâque ſimul gratiâ, eò quod ſit paralyticus, ideòque gaudeat privilegio infirmorum.

Quocirca Nicenam in morientes pietatem tandem admiſit omnis Eccleſia: Etiam illi Africani Epiſcopi, quos Zephyrini in Mæchos miſericordiam recipere, ſalvo tamen unitatis ſpiritu, noluiſſe refert Cy-
Epiſt. 52. prianus in Epiſtola ad Anthonianum. Ità innuit Auguſtinus. Antiqua
Homil. duritia, verſa in hæreſim, manſit apud ſolos Novatianenſes, Montani-
27. c. 3. ſtas, ac Tertullianiſtas, receptaque etiam poſtmodum eſt, uti Socrates
L. 5. c. 21. aſſerit, ab Helleſponticis Macedonianis. Manſiſſe addit, tamquàm rem non Regulæ, ſed diſciplinæ, in catholica Cappadocum Cæſareenſi Eccleſia: At dubitare me facit Euſebius Pamphili, dicens Romana pro lapſis decreta recepta in Synodo Antiochena pro omni
L. 6. c. 38. orientis Eccleſia, etiam pro Cappadocibus Cæſareenſibus, aderat
l. 7 c. 4. enim eorum Epiſcopus Firmilianus. Quidquid ſit, medijs ſæculis
L. 1. c. 14. Sonnatius Remenſis Epiſcopus, apud Baldricum in chronico Eccleſię Cameracenſis, ſynodaliter mandat homicidæ voluntario dari in fine pacem: Quia nempè quidam negabant. Eius ſucceſſor Fulco, apud
L. 4. c. 6. Flodoardum in Hiſtoria Eccleſiæ Remenſis, graviter arguit Didonem, Laudunenſem Epiſcopum, quod reis ad ſupplicium capitale
L. 5. Clement. tit. 9. c. 1. damnatis negaret Reconciliationem: Eandem in quibuſdam juſtitiarijs duritiam damnat Clementis quinti Synodus Viennenſis, ac apud Ioannem Bromptonum, Abbatem Iornalenſem, lex Canuti,
C. 65. Regis Anglorum. Quæ omnia erant veſtigia diſciplinæ antiquæ, antiquæque contra Nicenam pietatem recalcitrationis.

Per

Per *ultimum ac necessarium viaticum* Canon intelligit Sacramentalem absolutionem; simplicem admissionem ad Consistentiam. Eam fuisse olìm vocis significationem ordinariam, ostendit prima Synodus Arausicana, statuens, ut in extremis pænitentiam accipienti detur non legitima communio cum reconciliatoria manûs impositione, sed simpliciter communio, *quod morientis sufficit consolationi secundùm definitiones Patrum*, utìque Nicenorum, *qui huiusmodi communionem congruentèr viaticum nominârunt*. Et secunda Synodus Vasensis, nec non secunda Arelatensis *Sacramentorum viaticum* opponunt *absolutissimæ Reconciliationi*, id est, Reconciliationi, quâ quis ad Perfectionem, perfectamve cum oblatione communionem admittebatur. Adcò viaticum non fuit idem, quod Eucharistia. Eâdem phrasi loquuntur Innocentius primus, Synodus Agathensis, prima Matisconensis, Epaonensis, Hincmarus Remensis, Isaac Lingonensis, Sonnatius Remensis, ac novissimis sæculis apud Gregorium nonum etiam Eugenius tértius. Fateor tamen vocem etiam olim quandoque pro Eucharistia acceptam: lucidè sic accipit Paulinus Presbyter in vita sancti Ambrosij. At hocce viaticum non fuit necessarium.

Cap.2. Cap.2. Cap.28. Cap.15. L.5.tit. 17.c.2.

Hìnc pergit Canon: *Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit*. Hoc est, communionem cum oblatione, seu sumptam ex propria infirmi oblatione. Hę voces, *Omni cuilibèt*, evincunt à Dyonisio Exiguo linguæ latinæ vulgarem Italicam permixtam. Græcus textus est lucidissimus: *Generaliter omni in exitu Eucharistiam petenti Episcopus dabit iuxta arbitrium suum*. Non itàque debet, sed possit dare, proùt expedire viderit: Quoniam non est viaticum necessarium.

Addit tandem Canon: *Quod si desperatus*, &c. Provident quæstioni à Novatianensibus motæ adversùs sancti Cornelij decretum de pace morientium: Quidnam fieret de illis, qui Reconciliatione perceptâ convalescunt, an donum sine plena satisfactione susceptum sit ratum ac firmum? Paradoxum id videbatur. Et Episcopo Anthoniano aliud reponere non novit Cyprianus, quàm Dei donum à nobis exufflari non posse, eoque impartitos non posse suffocari. Illos ergo noster Canon à Perfectione accepta reijcit in Consistentiam, atque in illa pænitere jubet modo ac tempore per Episcopum præfigendis. Rejectio hæc, quoniam datæ Perfectionis exufflatio, primæ Synodo Arausicanæ, secundæ Vasensi, secundæ Arelatensi, alijsque Gallicanis non placuit: Hinc moribundis dari mandant solam Consistentiam, viaticum necessarium atque sufficiens; Perfectionem reservant complendæ

pæ-

pænitentiæ à convalituris: usæ authoritate per nostrum Canonem datâ, qui Perfectionem committit arbitrio Episcopali.

CANON XIV.

DE Catechumenis lapsis, sancto & magno Concilio placuit, ut tribus annis sint inter Audientes tantummodò; post hæc autem cum Catechumenis orent.

SCOLION.

VOx *Catechumenus* quandòque genus significat, quandòque speciem. Fuère enim sex catechumenorum classes, distinctæ ex diversa sacrorum rituum paratura: Christiani, Audientes, Catechumeni, Initiati, Competentes, Electi. Quatuor primas habes partim in septimo Constantinopolitano, partim in nonagesimo quinto Canone Trullano: Competentes ac Electos reperis passim in sanctorum Patrum sermonibus. Hìnc intelligitur Eusebius Cæsareensis, dicens Pan-
L.5.c.10. tenum Philosophum Alexandriæ præfuisse *Institutioni Christianorum*, id est, Scholæ primorum principiorum. Qui singuli gradus an etiam
L.6.c.5. apud Latinos fuerint, multùm ambigo: Apud nos enim Christianos fuisse Catechumenis perfectiores, lucidè supponit Augustinus in quadragesimo quarto tractatu in Joannem. Hìnc fortè sanctus Cyprianus
Epist.23. Optatum, Lectorem solummodò, constituit *Doctorem Audientium*, quod Audientia esset prima classis novitiorum. Quod ipsum innuit præsens Canon.

Adstipulatur quintus Canon Neocæsareensis, distinguens duas Catechumenorum stationes: Audientium in Ecclesia, & Genuflectentium, seu Substratorum, qui videlicèt quotidianis manus impositionibus expurgabantur, eijciebanturque cum Substratis Pænitentibus. Hosce lapsos mandat reijci ad Audientiam, illos verò de Audientia expelli. Ex quo non vanè colliges etiam ab audiendo Evangelio & Episcopi Sermone abstentos, factosque quasi Catechumenos flentes. Etenìm Pænitentiæ flentes fuisse ab illis abstentos, non est improbabile. Hisce duabus stationibus addi oportet Competentes & Electos. Quæ omnia sunt longi examinis. Porrò prima statio dicebantur Audientes, quòd nostra rudimenta non scribere, sed audire dumtaxat possent, ob rationes suprà adductas in dissertatione de Symbolo. Canon noster mitigat Neo-Cæsareensem. Etenìm Genuflectentes lapsos quidèm reijcit in Audientiam, Audientes tamen Audientiâ non expellit, sed illic

llic toto triennio hærere jubet, cùm totus passim catechumenatus esset solius biennij. Eos mitiùs, quàm lapsos fideles punit, quod eorum delictum sit adhuc in homine veteri. Porrò Genuflectentes vocat Orantes, utique in Ecclesia, ab alio & alio circa illos ritu. Facto enim post Evangelium Episcopi sermone, statim eijciebantur Audientes; restabant verò Genu-flectentes, varièque pro ipsis & supra ipsos orabatur.

CANON XV.

PRopter multam perturbationem, & seditiones, quæ fiunt, placuit consuetudinem omnimodis amputari, quæ præter regulam in quibusdam partibus videtur admissa; ita ut de civitate ad civitatem non Episcopus non Presbyter, non Diaconus transferatur. Siquis autem post definitionem sancti & magni Concilij tale quid agere tentaverit, & se huiuscemodi negotio mancipaverit; hoc factum prorsus irritum ducatur, & restituatur Ecclesiæ, cuius fuit Episcopus, aut Presbyter, vel Diaconus ordinatus.

SCOLION.

S. Petrus Antiochiâ, Linus Vesontione Romam translati sunt, Marcus autem Aquileiâ Alexandriam. Episcoporum nihilominùs & Clericorum translationes ab ipsis Apostolis vetitas testantur Iulius Pontifex in literis ad factionem Eusebianam, & Constantinus Magnus in literis ad Eusebium Cæsareensem, ab ipso in vita Constantini relatis. L.3.c.59. Etenim inter Ecclesiam ac Episcopum, nec non & quemvis Clericum, intercedit conjugium spirituale, ideòque translatio est divortium, sine caussis non faciendum. *In Nicena Synodo*, scribit ad Oceanum sanctus Hieronymus, *à Patribus est decretum, ne de alia ad aliam Ecclesiam Episcopus transferatur; ne virginalis paupercula societate contemptâ, ditioris adulteræ quærat amplexus.* Epist.83. Ex caussis tamen potest & licere, & expedire. Ipsa Nicena Synodus, teste Theodoreto, in defuncti apud se Philogonij Sedem Antiochenam transtulit sanctum Eustatium, Episcopum Berrhæensem. L.1.c.7. Ecclesia Latina usque ad Formosi Papæ tempora rigidissimè abstinuit à transferendis Episcopis: Quin & Dominos Cardinales, licèt dumtaxat Presbyteros aut Diaconos,

quos ab Episcopo suo intra propriam Parochiam transferri nequaquam prohibet Canon, dicens *de civitate in civitatem*, id est, de unius in alterius Episcopi Parochiam, à titulo in titulum primus mutavit Alexander quintus, causſâ schismatis Clementini, quod illos in quibusdam titulis geminârat.

CANON XVI.

QVicumque temerè aut periculosè, neque timorem Dei præ oculis habentes, nec agnoscentes Ecclesiasticam regulam, discedunt ab Ecclesia Presbyteri aut Diaconi, vel quicumque sub regula prorsùs existunt; hi nequaquam debent in aliam Ecclesiam recipi, sed omnem necessitatem convenit illis imponi, ut ad suas parochias revertantur. Quod si non fecerint, oportet eos communione privari. Si quis autem ad alium pertinentem audacter invadere, & in sua Ecclesia ordinare tentaverit, non consentiente Episcopo, à quo discessit is, qui regulæ mancipatur; ordinatio huiuscemodi irrita comprobetur.

SCOLION.

HIc Canon non factam à superiori potestate translationem, sed proprio nutu præsumptum transitum damnat, datamque transeuntibus ab alieno Episcopo ordinationem. Hinc ut grande crimen sanctus Hieronymus improperat Joanni Hierosolymæ Episcopo, quòd Theosebam, Ecclesiæ Tyriæ Diaconum, in Presbyterum consecrasset. Calcata ab illo dicit jura Ecclesiæ. Malum frequentissimè proscriptum, nunquam extinctum. Quare tandem etiam laicos ab alieno Episcopo ordinari sub pænis gravissimis interdictum: Dudum enim quemvis habilem laicum quivis Episcopus ordinavit. Porrò Regula, cui mancipantur, & à qua excidunt Clerici, est illa, à qua sextus Canon Constantinopolitanus vocat *Episcopos Canonicos*, & cuius transgressio seu amissio facit irregularem, de qua alibi largiùs.

Epist. 61. c.16.

CANON XVII.

*QVoniam multi sub regula constituti, avaritiam & turpia lucra sectantur, obliti*q*ue divinæ Scripturæ dicentis: Qui pecuniam suam non dedit ad usuram: mutuum*

dan-

dantes centesimas exigunt: iustè censuit sancta & magna Synodus, ut si quis inventus fuerit post hanc definitionem usuras accipiens, aut ex adinventione aliqua, vel quolibet modo negotium transigens, aut hemiolia, id est sescupla exigens, vel aliquid tale prorsus excogitans turpis lucri gratiâ; deyciatur à clero, & alienus existat à regula.

SCOLION.

CAnon damnat duplicem usuram: Pecuniariam, ac sescuplam, quam disces ex lege Constantini magni in Codice Theodosiano. *Quicumque fruges humidas vel arentes indigentibus mutuas dederint, usuræ nomine tertiam partem superfluam consequantur, id est, ut si summa crediti in duobus modijs fuerit, tertium modium ampliùs consequantur.* Legem exponit sanctus Hieronymus in commentarijs Ezechielis Prophetæ. *Solent in agris frumenti & milij, vini & olei, cæterarumque specierum usuræ exigi, sive, ut appellat sermo Divinus, superabundantiæ: verbi gratiâ, hyemis tempore ut demus decem modios, & in messe recipiamus quindecim, hoc est, ampliùs partem mediam. Qui iustissimum se putaverit, quartam plùs accipiet portionem, & solent argumentari, & dicere: Dedi unum modium, qui satus fecit decem modios, nonne iustum est, ut medium modium de meo plùs accipiam, cùm ille meâ liberalitate novem & semis de meo habeat?* Porrò omnis olim pecuniaria usura erat menstrua, adeòque centesima erat per mensem unus, per annum duodecim nummi è centum. Ambas hasce usuras Lex Romana permittebat, ideòque & clerici manus & animas utrâque fædabant: utramque Synodus damnat, priorem in illas Laodicenum Canonem extendens ad omnem Ecclesiam.

L.2.tit.33. c.1.

L.6. c.18.

CANON XVIII.

PErvênit ad sanctum magnumq; Concilium, quod in quibusdam locis & civitatibus, Presbyteris gratiam sacræ communionis Diaconi porrigant; quod nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab his qui potestatem non habent offerendi, illi, qui offerunt, Christi corpus accipiant. Nec non & illud innotuit, quod quidam Diaconi ante Episcopos sacra oblata

contingant. Hæc igitur omnia resecentur & in sua Diaconi mensura permaneant, scientes, quod Episcoporum quidem ministri sunt, inferiores autem Presbyteris habentur. Per ordinem ergò post Presbyteros gratiam sacræ communionis accipiant, aut Episcopo eis, aut Presbytero porrigente. Sed nec sedere in medio Presbyterorum Diaconis liceat: quia si hoc fiat, præter regulam & ordinem probatur existere. Si quis autem etiam post has definitiones obedire noluerit, à ministerio cessare debebit.

SCOLION.

Diaconorum superbia est antiquissima & varia, de qua Canon vigesimus Laodicensis. *Quod non oportet Diaconum ante Presbyterum, seu coram Presbytero sedere, sed sedere ex iussu Presbyteri.* Invasit & Romanam Ecclesiam, de qua Canon decimus octavus primæ Synodi Arelatensis. *De Diaconibus urbicis, ut non aliquid per se præsumant, sed honor Presbyteris reservetur.* Romanus enim Diaconus erat & ille Falcidius, de quo apud Augustinum Auctor quæstionum veteris

Q.101. ac novi testamenti: *Diaconos Presbyteris coæquare contendit, non dicam præferre, quia stultius est, & fortè incredibile videtur.* Et sanctus Hiero-

Epist.85. nymus in Epistola ad Evagrium. *Legimus in Esaia, fatuus fatua loquetur. Audio quemdam in tantam erupisse vecordiam, ut Diaconos Presbyteris anteferret.* Et superbia & error habuêre varias radices. Quòd in Ecclesia Romana essent plurimi minores clerici, ideòque à multis inferioribus ministerijs Diaconi excusarentur; quòd Romanus Episcopus esset totius Ecclesiæ Primas, ideòque eius lateri semper adhærentes Diaconi possent omnibus plurimùm & obesse,& prodesse; quòd *Roma ad testimonium Diaconi Præbyter ordinaretur; quòd Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contemptibiles faceret; quòd Presbyteri essent lucris minores.* Quæ omnia suo modo etiam in alijs Ecclesijs habuêre

L.14.sup. Ezechiel. c 48. locum, atque ità ubique passìm Diaconi *ignorantes humilitatem status sui, ultra Presbyteros intumescebant, & dignitatem non merito, sed divitijs æstimabant.*

L.14.c.48 Invasit superbia præsertìm Archi-Diaconos. Caussam dat sanctus Hieronymus in Commentarijs Ezechielis Prophetæ, *Quòd per singula concionarentur in populos, & à Pontificis latere non recederent.* Erant non tantummodò Sacramentorum, sed & totius Ecclesiasticæ substantiæ dis-

dispensatores, Præsules Ecclesiasticarum opum, Præfecti omnium Ecclesiasticorum negotiorum, utì scribit sanctus Leo Magnus in sermone de sancto Laurentio, & in Epistola ad Pulcheriam Augustam. Epist. 58.
Præerant omnibus Diaconis, eosque non minùs, quàm ipse Episcopus, excommunicabant, utì in Synodo Berytensi, inserta in Calchedonensem, testatur Ibas Metropolita Edessenus. Quin immò & Metropolitanum Episcopum, evehentem indignos ad gradum Episcopalem, corripiebant & prohibebant, utì affirmat libellus oblatus iam dictæ Synodo contra memoratum Metropolitam ab eius Clericis Edessenis. Et dum Meletius, Antiochiæ Patriarcha, fidem Nicenam è suggestu prædicaret, *Archi-Diaconus*, Arianâ leprâ scabiosus, *ad eum accurrit, & manu admotâ eius os obturavit.* Et hìnc Canon quinquagesimus septimus Arabicus Archi-Diaconum in publico Ecclesiæ consessu ponit ante omnes Presbyteros, etiam Archi-Presbyterum & Chorepiscopum, ad dextrum Episcopi latus. At malè. Eum quippè fuisse omnibus Presbyteris posteriorem docet Synodus Mopsuestena laudata per quintam Collationem Synodi quintæ, & Romana Adriani secundi Pontificis relata per octavæ Actionem Septimam. Attamen S. Anselmi Cantuariensis Primatis in Synodo Barensi coram Urbano secundo acta referens Guilielmus Malmesberiensis, hæc dicit. *Ad consessum Apostolici levatus est, sedere iussus iuxta Romanum Archi-Diaconum, cui ante Papam sedere moris est.* Sedebat ergò in ipso Papali throno, eique assidere fuit grandis honor S. Anselmo.

Act. 10.

Zosom. l.4.c.27.

L. 1.f. 223.

Addit sanctus Hieronymus in dictis commentarijs Ezechielis Prophetæ. *Iniuriam putat, si Presbyter ordinetur.* Ità Ætius, Constantinopolitanæ, & Andræas, Salonitanæ Ecclesiæ Archi-Diaconi, quòd à suis Episcopis ad Presbyteratum eveherentur, sancto Leoni & Gregorio Magno Pontificibus questi fuêre, sese sub honoris fuco degradari, jussique restitui. Et apud Photium in bibliotheca scribit sanctus Eulogius, Patriarcha Alexandrinus, *Novatianum Cornelio Pontifice Romanæ esse Ecclesiæ Archi-Diaconum creatum, ad quem ipsum Pontificium, pro eius temporis more, decedente è vita Pontifice, deferebatur. Archi-Diaconum enim succedere summo Sacerdoti, statutum erat. Verùm hunc superbiâ laborantem Cornelius, & in suam mortem imminentem cùm cognovisset, Presbyterum ordinat, omnes sic illi ad supremam Cathedram perveniendi spes præcidens.* Hanc fuisse Novatianensis schismatis radicem existimat Eulogius. At certum est errare. Disertè enim apud Eusebium testatur ipse sanctus Cornelius Novatianum secum sub Fabiano Pontifice fuisse Presbyterum Romanum. Etiam sanctus Gregorius Laurentium, Archidiaconum suum, passus est rebellem, ideòque

Epist 56. 57.58.71.

L.181.280

L. 1. Epistolarum, Præfat. exauctoravit. Et calamitatum, quas sanctus Joannes Chrysostomus pertulit, bona pars originem traxit ex nimia Serapionis Archi-Diaconi ergà Episcopos advenas superbia. Quare tandem arrogantiæ pertæsa Romana Ecclesia Archi-Diaconatum suum exstinxit. Factum id fuit inter Urbanum secundum, & Alexandrum tertium. Illi enim fuisse iam audivimus à Gulielmo Malmesberiensi; huic verò non fuisse Archi-Diaconum, haud obscurè colligitur ex eius apud Franciscum du Chesne Epistola, dicente Electum Romanū Pontificem immantari Epist. 19. id est, Papali veste indui per Priorem Diaconorum, quòd nempè tunc Archi-Diaconus, cuius id olim officium, esset exstinctus. Romanam Ecclesiam, teste Codino, Constantinopolitana fuit imitata. C 17.

Eâdem superbiâ laborasse Diaconos apud Gratianum queritur Victor Episcopus, respondetque sanctus Gelasius Pontifex, *Quapropter quia invitos fieri Ecclesiastica moderatio, gravitasq; non patitur, ut ex nolentibus fiant volentes, ordinatio illa poterit perficere, si quos habes vel in Acolythis, vel Subdiaconis maturiores ætate, & quorum sit vita probabilis, hos in Presbyteratum studeas promovere, ut qui in suis ordinibus proficere noluerint, reddantur suis inferioribus posteriores; ipsaq; commoda Presbyteri propensiùs, quàm Diaconi consequantur: ut hâc saltem ratione constricti & honorem, quem refugerant, appetere nitantur & quæstum.* Dist. 74. c. 9. Et hinc Gregorius magnus, teste Joanne Diacono, egentibus Ecclesijs dans Episcopos etiam de suis Cardinalibus, solis Diaconis super hac re quodam modo parcebat: Quòd nempè hi Romæ esse Diaconi mallent, quàm alibi Episcopi. L. 3 c. 7.

Ex hac superbia, teste sancto Hieronymo, etiam præsumebant *in domesticis convivijs benedictiones Presbyteris dare,* nec non in solemni sacrificio Eucharistiam, eandem ante Episcopum sacrificantem sumere, atque in pleno Ecclesiæ conventu inter Presbyteros sedere: Quæ omnia Canon noster corrigit, definiens illos Presbyteris omninò inferiores, ac Episcoporum ministros. Addit, *Qui potestatem non habent offerendi.* Confirmat quintum decimum Canonem primæ Synodi Arelatensis: *De Diaconibus, quos cognovimus multis locis offerre, placuit minimè fieri debere.* Cuius intolerabilis arrogantiæ meminerunt etiam vigesimus quintus Canon Laodicensis, & secundus Ancyranus. Quin & sacramentalem pænitentium Reconciliationem ab illis attentatam quidam credunt ex duodecima Epistola sancti Cypriani, & trigesimo secundo Canone Eliberino, de quibus aliàs. Epist. 85.

Ecclesia Romana, Canonum observantissima, Diaconos suos mox correxit. Liquet ex sancto Hieronymo. *Cæterùm etiam Romæ in Ecclesia Presbyteri sedent, & stant Diaconi, licèt paulatim increbrescentibus vitijs* Epist. 85.

inter

ter Presbyteros, absente Episcopo, sedere Diaconum viderim. Etiam in Romanis Synodis sedebant soli cum Episcopis Presbyteri, Diaconi tro Episcopos stabant. Liber Pontificalis hæc habet de Anastasio imo. *Hic constituit, ut quotiescumque sancta Evangelia recitarentur, Sacerdotes non sederent, sed curvi starent.* Presbyteri enim, partìm ob hunc anonem, partìm ob supra memorati Falcidij fatuam prædicationem, dere volebant, etiam Evangelium cantante Diacono; correxit verò Anastasius, dicens non Diacono, sed Domino Jesu Christo per eius os tùm loquenti, non dumtaxat assurgendum, sed & corpus incurvandum. Huius forsàn litis vitandæ caussâ, in quibusdam Ecclesijs, quod Zozomenus scribit, Evangelium soli Presbyteri olim cantabant. Quidquid sit, tunc Romæ inductum credo morem à Vigilio Pontifice relatum in damnatione Rustici & Sebastiani Diaconorum, ut nullus promoveretur in Diaconum, nisi tactis Evangelijs corporaliter juratus, quod sine vitio, neglectu, & superbiâ officium compleret.

Canonem etiam in Gallia servatum testantur Synodus secunda Arelatensis, Andegavensis, & Agathensis; de Orientali autem Ecclesia fidem faciunt Canon Arabicus & Trullanus.

CANON XIX.

DE Paulianistis ad Ecclesiam Catholicam confugientibus definitio prolata est, ut baptizentur omnimodis. Si qui autem de his præterito tempore fuerint in clero, si quidem immaculati & irreprehensibiles apparuerint, baptizati ordinentur ab Episcopo Ecclesiæ Catholicæ. Quòd si discussio incongruos eos invenerit, abijci tales convenit. Similiter autem & de Diaconissis, & omninò de his, qui sub regula versantur, hæc forma servabitur. Meminimus autem de Diaconissis, quæ in eodem habitu esse probantur, quòd non habeant manus impositionem, & ideò modis omnibus eas inter laicas deputari.

SCOLION.

CAnonem exponit sanctus Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos. *Nicena Synodus omnes hæreticos*, id est, datum à quovis C. 9.

vis hæretico Baptismum, *suscepit, exceptis Pauli Samosateni discipulis.*
C.44. Et sanctus Augustinus in libro de Hæresibus. *Istos sanè Paulianos baptizandos esse in Ecclesia Catholica, Niceno Concilio constitutum est. Vndè credendum est eos regulam Baptismatis non tenere, quam secum multi Hæretici, cum de Catholica discederent, abstulerunt, eamq; custodiunt.* Et Innocentius primus in Epistola ad Rufum Episcopum Thessalonicen-
Epist.22. sem. *Canones apud Niceam constituti à Paulianistis venientes etiam bapti-*
c.6. *zari præcipiunt. Numquidnam cùm de Paulianistis iubent, omnes, qui ab Hæreticis revertuntur, erunt hoc exemplo baptizandi? Quod cùm nullus audeat facere, de ipsis tantùm esse præceptum ratio ipsa demonstrat.* Eadem enim Synodus recepit non solummodò Baptisma, sed & ordinationes Novatianensium. *Quod idcircò distinctum esse ipsis duabus hæresibus ratio manifesta declarat: Quia Paulianistæ in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti minimè baptizabant, & Novatiani eisdem tremendis venerandisque nominibus baptizabant.* Eadem de caussa natos ex Paulo hoc
C.6. Photinianos rebaptizari mandat secunda Synodus Arelatensis.

Et hinc exorto Nestorio quidam moverunt quæstionem, cur Paulianistarum & Photinianorum Baptismum exufflaret Ecclesia, reciperet verò Nestorianorum, quos certum est cum istis eadem docere.
C.2. Respondet verò in Nestorianæ & Eutychianæ hæreseos Breviario Liberatus, Diaconus Ecclesiæ Carthaginensis, Nestorium quoad solam Divinæ Incarnationis, non autem circa sanctissimæ Trinitatis fidem cum illis, quos certum est Sabellio adhæsisse, adeòque nec circa Baptismatis Regulam delirasse.

Hunc Canonem laudat frequentissimè sanctus Augustinus dispu-
L.1.c.7. tans de sancti Cypriani rebaptizantis errore contra Donatistas. In libris de Baptismo dicit antiquam consuetudinem, post varia ac invicem pugnantia Provincialium Synodorum decreta, *plenario tandem*
C.18. *totius orbis Concilio, remotis dubitationibus, firmatam.* In eodem libro hocce decretum vocat universalis ac Plenarij Concilij syncerum & eliquatum placitum, totiusque orbis Catholici consensum. Et in li-
L.1.c.13. bris contra Parmenianum ait hoc *iam in ipsa totius mundi unitate discussum, consideratum, perfectum, atque firmatum.* Ad quæ & alia loca id genus plura rectè Scoliastæ nostri Lovanienses: *Quia nusquàm neque nomen, neque locum Concilij Augustinus expressit, varij varia divinârunt.*

Quidam putârunt esse primam Synodum Constantinopolitanam, cuius Symbolum profitetur *unum Baptisma in remissionem peccatorum,* & cuius Canon septimus sancti Basilij de rebaptismo sententiam discussit accuratissimè, solosque Eunomianos, Montanistas, ac Sabellianos,

nos, à ſubſtantiali regula deviantes, rebaptizari mandat, ſuſcipiens omne legitimi verbi ac elementi Sacramentum, apud quoſvis hæreticos datum.

Alij eſſe putant Synodum Capuanam, habitam ſub Siricio Papa, quam, quod rebaptiſmum ac reordinationes damnet, ſemper maximi fecit, & adverſum Donatiſtas ubique publicavit Eccleſia Africana. Licet cojerit ad ſolum Eccleſiæ Antiochenæ ſchiſma componendum, adfuêre tamen omnium dioceſeon Epiſcopi, atque ità decîdit etiam quæſtiones Africanas.

Nec deſunt exiſtimantes eſſe primam Synodum Arelatenſem: Hæc enim disertè damnat Donatiſtarum Rebaptiſma, & à ſecunda Arelatenſi Synodo, omnibuſque, præſertim Afris, orthodoxis dicta paſſim fuit Synodus magna.

Verùm hiſce omnibus obſtant varia. Etenim prima Conſtantinopolitana Synodus non fuit totius orbis plenaria: Coijt ex ſolis citra Apoſtolicam juſſionem & legationem orientalibus Epiſcopis, quorum multi obſcuriſſimi, utpotè per Euſebianam factionem promoti, deſcripti ad vivum à Sancto Gregorio Nazianzeno. Nullus ei adfuit Africanus Epiſcopus, eiuſque dumtaxat Symbolum probavit Romana Eccleſia, Canones ſemper conſtantiſſimè refutavit. Etiam Capuana & prima Arelatenſis nequaquam fuerunt ex orbe toto plenariæ: Hæc ex ſolo Romano Patriarchatu pro ſolis quæſtionibus Africanis; Capuana eſt adeò obſcura, ut eius meminerint ſolus Sanctus Ambroſius, & quædam Synodi Carthaginenſes. Epiſt. 5. 9.

Pergunt Scoliaſtæ Lovanienſes. *Rectè Franciſcus Balduinus, & poſt eum Pamelius, non aliud quam Nicænum id eſſe cenſuerunt.* Verùm & huic aſſerto obſtant quædam Auguſtini loca. Dicit enim, in libris de Baptiſmo contra Donatiſtas, *Vigilantius etiam poſt iſtas* variarum Synodorum provincialium *diſputationes tanti Sacramenti ſaluberrimam obſervationem in Eccleſia Catholica non potuiſſe mutari, ſed Conciliorum etiam maiori robore confirmatam religioſiſſimè cuſtodiri.* Et in alio eiuſdem operis libro ait, *univerſæ Eccleſia conſuetudinem etiam Concilijs univerſalibus roboratam.* L. 3. c. 9. L. 6. c. 7.

Quocircà omninò exiſtimo illum loqui de Nicéna Synodo, attamen non de ſola: loqui de Nicena, Conſtantinopolitana, Arelatenſi, & Capuana, ac per varias regiones alijs, quæ Stephani Pontificis decretum probârunt, receperunt, confirmârunt. Principaliter verò de Nicæna, quæ ſola fuit totius orbis plenaria, cuiuſque Canones Sanctus Leo magnus ſcribit Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ conſecratos. Nihilominùs tres aliæ fuerunt univer-

ſales. Eaque eſt cauſſa, cur adductæ Synodi nec nomen nec locum Auguſtinus exprimat: Nempè non de una, nec uno unius Canone, ſed de pluribus loquitur, pluribuſque eiuſdem Nicenæ Canonibus, utique octavo & hocce decimo nono.

Hic ergò noſter Canon diſpenſatoriam antiqui rigoris gratiam, Meletianis ac Novatianenſibus factam, extendit & ampliat, reſarciendæ unitatis ſtudio, etiam ad Epiſcopos & Clericos Paulianiſtas. Reverà ampliat. Etenim in illos omninò quadrat, quod ad Amphilochium Iconienſem Epiſcopum ſcribit Sanctus Baſilius de Encratitis: *Vt indigni receptione iudicarentur ab Eccleſia, conati ſunt etiam proprio baptiſmate præoccupare*, ac ſeſe à nobis longiùs alienare. Nullum Chriſtianitatis Sacramentum, nullum Divinæ benedictionis ſignaculum habuêre ratum & validum, ideòque tamquam ex gentilibus Neophyti à ſuperioribus Eccleſiæ gradibus merebantur arceri.

Iſidori Mercatoris verſio Paulianiſtis adjungit Cataphryges. At malè. Crediderim irrepſiſſe ex ſeptimo Canone Conſtantinopolitano. Fallitur item Alexius Ariſtinus Paulianiſtas vocans Paulicianos. Duo enim fuêre Pauli Samoſatenſes: alter Antiochenus Epiſcopus, diſcipuluſque Artemonis, alter Manicheus, & huius ſequaces paſſim vocamus Paulicianos. Sub Conſtantino Copronymo per Thraciam graſſatos ſcribit Theophanes, ac à Michaële Auguſto eliminatos Hiſtoria miſcella in eius vita. *Divino zelo imperator piiſſimus motus contra Manicheos, qui nunc Pauliciani dicuntur, capitalem animadverſionem promulgavit.*

Ut autem Paulianiſtæ gratiâ Canonis frui poſſint, eſſe debent cætera irreprehenſibiles, deſuperque ſubire Epiſcopi ordinaturi examen. Eſt antiqua Eccleſiæ regula, de qua Tharaſio, Patriarchæ Conſtantinopolitano, dicenti Epiſcopos & Clericos è quavis hæreſi venientes fuiſſe ab omni ſemper Synodo ſuſceptos in ſuo gradu, rectè repoſuit ſeptima Synodus: *Sic ſe veritas habet, niſi alia canonica cauſa ſubſit, quæ prohibeat.* Act. 7.

Eamdem gratiam Canon extendit ad Diaconiſſas, utpotè membrum cleri. At cur eas dicit *non habere manus impoſitionem, ideòq; modis omnibus inter laicas deputari*? Hiſce verbis quidam circumſcribuntur ad negandam earum clericalem ordinationem. Reſpondeo eſſe exceptionem à gratia facta. Dyoniſij Exigui verſio non plenè conſonat textui Græco, cuius hic legitimus ſenſus. *Meminimus autem Diaconiſſarum, quæ in illo ordine & habitu deprehenſæ ſunt, ut cum nullam manus impoſitionem habuerint, omninò inter laicas habeantur.* Hoc eſt gratiam hanc facimus ſolis illis, quæ in Pauli parte manus impoſitionem,

ionem reapsè acceperint; ad illam autem necdum acceptam dumaxat electæ ac designatæ nullam huius gratiæ partem habeant, utpotè tiam in illo schismate adhuc laicæ. Gratia item participari potest à olis illis, quas Episcopi catholici examen repererit dignas.

CANON XX.

QVoniam sunt quidam in die Dominico genua flectentes, & in diebus Pentecostes: ut omnia in liversis locis consonanter observentur, placuit Sancto Concilio, stantes Domino vota persolvere.

SCOLION.

VArias orantium superstitiones suggillans Tertullianus in libro de oratione dicit. *Item quod adsignatâ oratione, assidendi mos est quibusdam, non perspicio rationem. Porrò cum perindè faciant Nationes, adoratis sigillaribus suis residendo, vel propterea in nobis reprehendi meretur, quod apud idola celebratur. Eò apponitur & irreverentiæ crimen, etiam ipsis Nationibus, si quid saperent, intelligendum. Siquidem irreverens est assidere sub conspectu, contraq́ conspectum eius, quem quam maximè revereraris & venereris, quantò magis sub conspectu Dei vivi, Angelo adhuc orationis adstante, factum istud irreligiosissimum est?* Agit adversùs morem sedendi in publico Ecclesiæ conventu, idque *adsignatâ* seu finitâ *oratione*, id est, incruento nostro sacrificio, ad solemnes preces subsequi consuetas. Cap. 12.

Porrò sigillaria sunt parvæ Deorum iconculæ, pueris dari consuetæ, uti etiam nos hodie illis damus sacras aut profanas puppas. Hinc ille pupulus apud Senecam: *Ego sum Falicio, cui solebas sigillaria adferre.* Epist. 12.

Notanda sunt & hæc verba: *Angelo orationis adhuc adstante.* Ostendunt antiquitatem fidei nostræ, quâ nostro tremendo sacrificio, precibusque ritualibus ipsum ornantibus, credimus Sanctos Angelos adesse & ministrare.

Eundem sedendi morem damnat in Clericis divina psallentibus Synodus Aquisgranensis sub Ludovico pio, scribitque ad Hugonem primum, Vesontionensium Metropolitam, Sanctus Petrus Damiani. *Vnum torporis & desidiæ signum in Ecclesia tua vidi. Plerique siquidem ibi Clericorum resident, dum vel Canonica horarum celebrantur officia, vel etiam ipsa missarum offeruntur terribilia Sacramenta. Cuius torporis* L. 1. c. 131. L. 3. Epist. 8.

poris ignaviam per Galliarum partes nonnullis inesse etiam monachis deprehendi: Quod profectò pravæ consuetudinis vitium constat penitùs eradendum. Eleganter & variè ostendit psallentes in Ecclesia Clericos debere stare.

Pergit & de Laicis. *Districtè prohibendum est, non modò Clericis, sed & Laicis utriusque sexûs, ut nisi, sicut mos est, inter nocturni lectiones officij, aliàs dum Divinis hymnis insistitur, nemo sedeat, nisi corporis eum valetudo compellat.* Plurimùm laudat illos & clericos & laicos, qui nec podio, nec ulli alteri sustentaculo volunt stantes inniti. Abusus postmodùm denuò invaluit. Etenim clericis psallentibus, ut ad
Sess. 21. *Gloria Patri* surgant & ad venerandum *Iesu* nomen caput inclinent, mandat Synodus Basileensis. Etiam Græcos psallentes passim sedere
L. 3. c. 7. testatur Codinus Curopalates.

Etiam ad popularem Episcopi aut Presbyteri sermonẽ stetisse olim
L. 4. c 33. omnes, liquet ex Eusebio Cæsareensi. Laudat enim Constantinum Augustum, quod in populi turba stans audierit, *Regali in Solio, quod ibi sessionis caussâ positum erat*, nunquam, vel ab Episcopis rogatus, volens reclinari, rogantibusque Episcopis austerè respondens, *Nefas esse institutis de Deo disputationibus negligentes aures præbere.* Huiusmodi sessionem esse Ecclesiastico Canoni adversam, ideòque ex Indorum Ecclesia ab eorum Apostolo Theophilo eliminatam, testatur Nicephorus Calixtus. Et apud Sanctum Augustinum extat integra homi-
Homil. 26 lia adversùm sedentes in Ecclesia, cuius auctor etiam ad concionem sedere permittit solos debiles ac infirmos.

Fateor tamen ad certos sacrificij actus, stante populo, sedisse olim cum Præsbyteris Episcopum. Etenim, uti Tertullianus in libro ex-
Cap. 7. hortatorio ad castitatem, una inter Ordinem & Plebem differentia erat *consessus Ecclesiasticus*, seu *honor per* ordinis consessum Sanctificatus à Deo. Eodem modo Sanctus Cyprianus vocat *honorem Cathe-*
Epist 73. *dræ Episcopalis*, Sanctusque Cornelius *Sacrum venerandumq; Cleri con-*
Epist. 55. *sessum*, idque circum circa altare, quomodò etiam hodie in antiquis Ecclesijs sedet Clerus Romanus. Longa est hæc res, neque huius loci.

Porrò privatas extra Ecclesiæ conventum orationes semper fecimus flexis genibus. Ità legimus orasse Paulum Apostolum, Jacobum,
Hieron. Stephanum, & quidem *in tantùm, ut camelorum duritiem traxisse Iacobi*
in catal. *genua crederentur.* Etiam legio fulminatrix, uti ad senatum scripsit Marcus Aurelius Anthoninus, precatura *se humi abiecit*, additque Eu-
L. 5. c. 5. sebius Cæsareensis: *ut nobis, cum oramus, in more est.* Quin immo *Præceptas in oratione geniculationes* affirmat Sanctus Hieronymus in com-

ommentarijs Epistolæ ad Ephesios. Etiam *volutari* solitos orantes C.3.
ribit in libris ad uxorem Tertullianus, additq; in libro ad Sca-
ulam: *Quando non geniculationibus & orationibus nostris etiam siccitates*
unt depulsa? Justinus Martyr in dialogo cum Tryphone eas preces L.2.c.8.
sseverat Domino gratissimas, *qua dimisso in terram vultu, flexisq; ge-* C. 4. F.70.
ibus funduntur.

Verùm aliter preces in publico Ecclesiæ conventu. Hinc apud
undem Justinum incognitus, antiquus tamen quæstionum auctor
uærit, quandoquidem geniculatio plùs quàm statio preces com- Q. 118.
nendet, quare diebus dominicis ac per omnem Quinquagesimam ge-
ua non flectamus, & quis talem consuetudinem induxerit in Eccle-
as? Respondet per omnem Quinquagesimam ac singularum hebdo-
nadarum dominicas recoli Domini à mortuis, nostramque à pecca-
o resurrectionem, reliquis sex diebus nostrum in primo parente lap-
um, ideòque in his geniculandum, in istis standum, ut fidem no-
tram profiteamur etiam habitu corporis. Cæpisse morem ab ipsis
Apostolorum temporibus addit ex sancto Irenæo. Esse longè anti-
uissimum affirmat & Tertullianus in libro de corona militis: *Die* C. 3.
ominico nefas ducimus de geniculis adorare; eâdem immunitate à die Pas-
ba in Pentecosten usque gaudemus. Eodem modo loquitur Hierony-
nus in Dialogo contra Luciferianos, & in præfatione primi libri C.4.
ommentariorum super Epistolam ad Ephesios, sanctus Basilius in
bro de Spiritu sancto, Ambrosius, Hilarius, Epiphanius, Augusti- C. 27.
us in Epistola ad Januarium, Maximius Taurinensis. Divinorum
fficiorum Rationale quasi ex sancto Gregorio addit: *Qui die dominico* Epist. 119.
enua flectit, Deum negat resurrexisse. Et Augustinus in iam dicta Epi- c.15.17.
ola: *Vt stantes in illis diebus oremus, utrùm ubique servetur, ignoro.* Cer- L.6.c. 28.
um est ubique non servatum antè Nicenam Synodum: Hinc enim
oster Canon.

Eum elucidat Trullana Synodus: *Quod post vespertinum Sacerdotum* C.90.
d altare Sabbatho ingressum nemo genua flectat usque ad sequentem ves-
erum in die dominico, in qua post ingressum in completorio genua rursùs
ectimus. Quòd nempè à vespera in vesperam, more Iudaico, Sabba-
a nostra celebremus. Attamen nos latini nec in dominicæ com-
letorio geniculamus.

Quin immò quædam Ecclesiæ omni tempore oravêre stantes.
Africanam etiam Stationum, id est, solennium jejuniorum diebus
etisse ad sacrificium, non obscurè innuit Tertullianus in libro de
ratione. Sanctus Cyprianus in libro contra Demetrianum dat duas C.14.
ausas. Quod ante sua idola genicularent Gentiles, à quorum ritibus

fideles voluerunt eſſe remotiſſimi; & quòd homo à Deo creatus ſit
rectus, ac per Jeſum Chriſtum à peccati lapſu erectus: Reſuſcitatam
mentem erecto corpore profitebantur. Et hinc forsàn integri fideles
paſſim, à Sancto Cypriano præſertim, dicti fuére ſtantes; Pœ-
nitentes autem, Reconciliationis gratiâ donati, Conſiſtentes. Ge-
niculari enim eſſe Subſtratis, id eſt, à lapſu necdùm erectis Pœ-
C. 82. nitentibus, proprium, oſtendit Canon quartæ Synodi Carthagi-
nenſis: *Pænitentes etiam remiſsionis*, utique Quinquageſimæ ac domini-
cis, quibus alij ſtant, *diebus genua flectant*. Ex quo videtur, quod &
Auguſtinus in ſuperiùs laudata Epiſtola inſinuat, Afros tunc in ſolis
Quinquageſima & dominicis ad orationem ſtetiſſe.

Eumdem ſemper ſtandi morem tenuit Gallicana Eccleſia uſque ad
tempora Caroli magni, qui ſervari voluit regulam ſuperiùs adductam
ex antiquo quæſtionum auctore apud Juſtinum Martyrem. Diſertè id
C.37. mandat tertia Synodus Turonenſis, idque ne fortè nobis, criminum
indulgentiam à Domino poſcentibus, dicatur, *Quid ſuperbis terra &*
Epiſt. 2.7. *cinis*? Verùm ubique non obtinuit. Quaſdam enim Eccleſias manſiſſe
C. 6. in priori conſuetudine docent Epiſtolæ Hincmari Remenſis Epiſco-
C.114. pi, nec non Capitularia Theodulfi Aurelianenſis, & Herardi Turo-
nenſis. Eaque varietas tandem peperit contentiones, ſtantiumque,
etiam ad Euchariſtiæ conſecrationem & elevationem, ac geniculan-
tium factiones, quas uſque ad tempora Henrici ſecundi Regis, ſtandi
morem, licèt multis viſum intolerabilem, exſtinguere non auſi, du-
L.2. c. 16. raſſe in Eccleſia Lugdunenſi, ſcribit in opere de Euchariſtia Claudius
Eſpencæus. *Cuius equidem controverſiæ quis exitus fuerit, haud certò ſcio,
niſi quod audio partes à Chriſtianiſsimo Rege noſtro Henrico ſecundo, ex
conſilio RR. Cardinalium Lotharingi & Tornonij, ad eum, in quo ante litem
motam, ſtatum reductas, & manere iuſſas.*

Eadem varietas dudùm fuit apud Germanos. Etenim Everardi,
Saliſburgenſis Archi-Epiſcopi, ſub Martino quinto Synodus man-
dat, ut populus ad Sacræ Hoſtiæ elevationem ac publicam deporta-
tionem aut genua flectat, aut certè ſe reverenter inclinet. Eodem reſ-
L.3.tit 41. picit Honorius tertius apud Gregorium nonum ſtatuens: *Sacerdos do-*
c.10. *ceat Plebem ſuam, ut cùm in celebratione Miſſarum elevatur Hoſtia ſaluta-
ris, ſe reverenter inclinet, idem faciens, cùm eam Presbyter defert ad infir-
mum.* Et Clemens quintus Beggardis ac Begginis imponens hunc er-
rorem: *Quod in elevatione corporis Ieſu Chriſti non debeat aſſurgi, & reve-
rentia exhiberi.* Exſtinctus iam pridem eſt ad Euchariſtiæ elevationem
L.2. tit.9. ſtandi mos, idque ex cauſſis fundatiſſimis.
c.2. Antiquum Romanæ Eccleſiæ morem aperit Alexander tertius
apud

apud Gregorium nonum. *Diebus dominicis, & alijs pracipuis festivitatibus, sive inter Pascha & Pentecosten, genuum flexio fieri nequaquam debet, nisi aliquis ex devotione id velit facere in secreto.* Hic namque noster Canon per solas dominicas & Quinquagesimam stari jussit, quoad dies alios permisit quamque Ecclesiam in suo sensu abundare.

DISSERTATIO
DE SYNODO NICENA.

CAPVT PRIMVM.

Synodi occasio fuit hæresis Ariana.

POst liberatam à Gentilium persecutionibus Ecclesiam, exstinctamque à Constantino magno idololatriam mox erupit hæresis Ariana. Caussam dat sanctus Augustinus in libris de civitate Dei. *Videns diabolus templa demonum deseri, & in nomen liberantis Mediatoris currere genus humanum, hæreticos movit, qui sub vocabulo Christiano doctrinæ resisterent Christianæ.* L. 18. c. 51. Lucifer Calaritanus Episcopus, in libro de Regibus Apostaticis ad Constantium Augustum, electos dicit à Diabolo præsertim Arianos. Hi enim, ut in oratione Apologetica scribit Gregorius Nazianzenus, plures Deos reducunt & idololatriam, jubentes, quàm Dei filium fingunt, adorari creaturam. Nec enim refert, an manu an intellectu effigietur idolum.

Arius itàque, uti frequenter idem Nazianzenus, à furore nomen habuit. Qui enim Grecis Arius, nobis latinis & Mars, dæmonium bellis, discordijs, furoribus, gentilium errore, præfectum. Alij in Libya, alij Alexandriæ natum adserunt; quidquid sit, fuit homo longus, subtristis, dolosus, benevolentiæ venator, zeli Christiani simulator, in Meletij Lycopolitani Episcopi schisma lapsus, à S. Petro Alexandriæ Patriarcha ad Ecclesiam reductus & Diaconus ordinatus, tandemque, quod Meletianorum Baptisma damnari nollet, & ipse damnatus, idque secundùm præcedentes Prophetias. Etenim sanctus Antonius, uti in eius vita sanctus Athanasius refert, vidit, tamquàm Arianæ impietatis portentum, Dei altare à mulis fædari & calcibus impeti; sanctus autem Petrus Patriarcha Dominum Jesum veste discissa indutum & dicentem, *Arius vestem meam, quæ est Ecclesia, dilaceravit*, vetantemque ei reddi gradum & communionem. Quod ipsum sub tyranni gladio positus Petrus Achillæ & Alexandro Presbyteris, suis in Cathedra successoribus, seriò mandavit. At horum, quòd veniam

Zosom. l. 1. c. 11. niam Arius peteret, Achillas immemor Diaconatui Presbyteratum addidit, præfecitque curatæ Baucalidis in civitate Alexandrina Ecclesiæ: Addit Theodoretus ei creditam sacrarum literarum interpre-
L. 1. c. 2. tationem. Quibus ille non contentus, defuncto Achillâ, etiam Episcopatum ambijt, invîdit delatum Alexandro, atque ità, quòd mores non posset, eius doctrinam culpare cæpit, & nova docere.

Eius errores enumerat Alexander in Epistola ad omnes sub cœlo orthodoxos. *Asserit tempus aliquando fuisse, cùm non esset filius Dei; posteà factum, cùm non exstiterit. Talem fuisse tum, cùm factus est, qualis quisque homo: Omnia enim Deum ex nihilo fecisse. Eum naturâ posse mutari, virtutis & vitij capacem esse. Esse in nostra potestate filios Dei fieri, non aliter atque ille factus est. Omni exutâ in Deum pietate, & reverentiâ, ait Deum, cùm illum præscientiâ & præsensione prænovisset neutiquam ipsum adspernaturum, idcircò ex omnibus praelegisse: Non enim eum aut naturâ aut prærogativâ quidquam præter cæteros filios habuisse, sed cùm esset naturâ mutabili, & propter singularem in vita & moribus ritè instituendis diligentiam ac studium non ad vitia deflecteret, Deum illum elegisse, adeò ut Paulum & Petrum, si in hoc & ipsi obnixè incubuissent, eodem modo futuros fuisse asserat filios Dei, quo ille fuit.* Quæ execrandæ blasphemiæ, ad quas in Nycena Synodo aures meritò occluserunt multi Episcopi, etiam errorem Pelagianum involvunt, illâque divinâ scientiâ, veræ Theologiæ in multis necessariâ, quam mediam hodie vocamus, pessimè abutuntur. Eas hausit Arius ex Luciano, Ecclesiæ Antiochenæ Presbytero, pertinacissimo asseclа Pauli Samosateni.

Septima Synodus Arianis imponit & duos alios errores. Primò,
Act 6. quòd sacras Christi Domini & Sanctorum imagines damnârint. Deindè, quòd *in Domino prædicent carnem sine anima, dicentes Divinita-*
F. 629. *tem adimplesse animæ voluntates & motus, adeò ut & passionem Divinitati adscribant.* Ex Origine id sumptum est, qui, utì in libris contra Ruffinum sanctus Hieronymus, Deum Verbum, Spiritum sanctum, An-
L. 2. gelos, Dæmones, Animas nequaquàm essentiali specie, sed solis voluntarijs operum meritis differre insanijt, atque ità Deum Verbum esse id ipsum in Christo Domino, quòd in nobis anima nostra. Addit sanctus Augustinus in libro de hæresibus: *In eo, quòd Christum solam carnem sine anima suscepisse arbitrantur, minùs noti sunt, nec adversùs eos ab aliquo inveni de hac re aliquando fuisse certatum.* Crediderim non Arij, sed Eusebij Cæsareensis, insignis Origenistæ, fuisse posterius & clandestinum commentum. Ex hoc pessimo fonte postmodùm prodierunt Apollinaristæ, Eutychiani, Monothelitæ.

Novas

Novas hasce prædicationes Alexandro Patriarchæ primus detulit Meletius, Lycopolitanus Episcopus, Ario ob nuperam à schismate defectionem offensus: Eaque est radix odiorum inter Arianos ac Meletianos. Hominem, utpotè doctum, Alexander præcipitare noluit, nimiæ idcircò cunctationis à quibusdam reprehensus; corripuit tamen, at nullo fructu: Ab eius enim communione recessit, plurimosque abstraxit sermone blandus & potens Arius, quos inter fuére clerici varij, duo Episcopi, & septingentæ sacræ virgines: Nulla, uti ad Clesiphontem Sanctus Hieronymus, unquam hæresis sine cooperatione mulierum.

Errores suos Arius confirmavit edito libro, cui nomen Thaleia, id est, convivium seu crapula, non imitatus aliquem Apostolum aut Apostolicum Ecclesiæ virum, sed Sosatem Ægyptium, quem Sanctus Athanasius, in Epistola de Synodo Ariminensi & seleuciensi, & in oratione secunda contra Arianos, ait etiam apud suos Ethnicos fuisse ridiculum. Erant rythmi vulgares, *Sotadeis*, inquit Socrates, *cantilenis seu carminibus persimiles*, blasphemijs pleni, inter pocula & tripudia cantandi, atque ità circumscripturi infimam plebem. Eos Athanasius rectè vocat *Sotadici & crapularij Arij Bacchanalia*, Herodiadis choreas ductitantia, blasphemijsque lusitantia in Christum Dei Filium. Ità & miserandam Germaniæ plebem circumvênit Martinus Lutherus. Per omnes & civitates & pagos efferbuisse de Dei Filio lites & turbas contumeliosas, imperitamque plebem non tantummodò factorum spectatricem, sed & judicem fuisse scribit Theodoretus; Socrates Religionem Christianam ubique à gentilibus fuisse derisam, etiam in publicis theatris. L. 1 c. 6.

Etiam litteris per omnem Ecclesiam Arius divagatus est, attraxitque in partem suam quosdam Episcopos, præsertim Eusebium Nicomediensem, Bythiniæ Metropolitam, hominem natum ad factiones, Regio sanguine & Regiæ civitatis Episcopatu inflatum & potentem, suum olim Antiochiæ condiscipulum sub jam dicto Luciano Paulianista.

Quare tandem Alexander Patriarcha centum ferè Episcoporum Synodum coëgit, damnavit dogma blasphemum, Arium gradu & communione movit, unàque Secundum Ptolomaidis Episcopum, & Theonam Marmaricensem, suæ dioceseos, ab Ario seductos, quosdamque suæ civitatis Clericos; Eusebium autem Nicomediensem, quem Ponticæ dioceseos judicare non poterat, in suis ad omnem sub cælo Ecclesiam Synodalibus litteris insignitèr & variè notavit. Quare contumeliam suam ratus ille fugientem ad se Arium suscepit, gradui

& communioni synodaliter reddidit, atque ità Alexandrum de facta sibi & Ario injuria, ipsum Alexander de recepto alieno damnato, & violato Apostolico Ca none traducere cæpit, dentatis in invicem literis totum Romanum orbem arietantes.

Rebus componendis Hosium Cordubensem Episcopum, virum potentem opere & sermone, unàque Regias preces & jussiones miserunt in Ægyptum Sylvester Pontifex, & Constantinus Augustus: verùm adeò flagrabant omnia, ut Ariana Plebs etiam in Principis imagines insaniret.

CAPUT II.

Exponitur indictio Nicena Synodi.

GRavissimè hæc afflixerunt & Sylvestrum Pontificem, & Constantinum Augustum. Quare ille generalem Synodum, extremam desperati mali medelam, suasit Principi atque persuasit. Extrema veraciter medela: Generalem enim Synodum fieri non posse sine omnium Ecclesiarum turbatione scribit ad sanctum Leonem Pontificem sanctus Flavianus Constantinopolitanus Episcopus, ideòque sine
Epist. 9. gravissima necessitate non faciendam ad Theophylum Alexandrinum sanctus Ambrosius, & ad Gratianum Augustum Synodus Aquilegiensis. Per nimias à Constantio Augusto coactas Synodos & Romanam Rempublicam & Christianam Religionem subnervatam affirmat etiam homo gentilis Ammianus Marcellinus.

Constantinus igitur *semper Augustus*, adclamat ad Constantinum quartum sexta Synodus, *& Sylvester laudabilis magnam in Nicea Synodum congregârunt.* Eam à Constantino ex Sacerdotum sententia
L. 1. c. 1. convocatam Ruffinus adfirmat: utique Hosij Cordubensis, utì apertè
L. 1. c. 16. innuit Zozomenus, Alexandri Alexandrini, quem ea de re ad Principē scripsisse adserit sanctus Epiphanius, ac præsertim Sylvestri Pontificis
Hæres. 68. suasu. Erat enim tùm Romæ Constantinus de Licinio victo & cæso triumphans. Rectè Capitulare Engilramni Metensis Episcopi affirmat congregandarum generalium Synodorum potestatem singulariter competere Sedi Apostolicæ ex jussione Domini; sancti Petri meritis, & varijs Canonibus. Ad Leonem Augustum in literis post Synodum Calchedonensem exstantibus scribit Synodus secundæ Mesiæ, dictam
Epist. 32. Calchedonensem Synodum *convenisse per iussionem Leonis Romani Pontificis, qui verè caput est Episcoporum.* Et in præfatione octavæ Synodi Anastasius Bibliothecarius ad Adrianum secundum: *Sedes Apostolica, ut Synodus Calchedonensis fieret, sola decrevit.* Eam à Theodosio Augusto, cuius importunis postulationibus secundam Ephesinam dederat,

Flaviani Constantinopolitani & aliorum cum ipso istic damnatorum Episcoporum appellationi permitti voluit ex Sardicensi Canone S. Leo Pontifex, tandemque obedivit Marcianus Augustus. Ephesinam primam à Celestino Pontifice idem Theodosius, sextam generalem ab Agathone Constantinus quartus, ab Adriano primo septimam Constantinus & Irene, ab Adriano secundo Basilius Augustus impetravit octavam. Prima Constantinopolitana graviter periclitata est, apud Damasum Pontificem, nec nisi dispensatoriè quoad solam fidei definitionem confirmata, quod sine eius jussione cōvenisset. Quod vitium à Vigilio Pontifice dispensari debuit & in quinta. Quare rectè in Epistola ad Hincmarum Laudunensem Hincmarus Remensis Episcopus scribit generales Synodos faciendas *Apostolicâ iussione & imperiali convocatione*, atque ità semper factum ostendit in Prosphonetico ad Principem sermone Synodus sexta. Epist. 33. c.10.

Oppones, in generalium Synodorum singulis Actionibus semper repeti, *Conveniente sancto & universali Concilio, quod per imperialem sanctionem congregatum est*. Et sanctus Leo magnus in Epistola ad Juvenalem Hierosolymæ Episcopum fatetur Calchedonensem Synodum *ex præcepto Christianorum Principum & consensu Apostolicæ Sedis fuisse congregatum*. Addit Socrates in præfatione quinti libri. *Passim in historia Imperatorum mentionem propterea fecimus, quod ex illo tempore, quo Christiani esse cœperunt, Ecclesiæ negotia ex illorum nutu pendere visa sunt, atque adeò maxima Concilia de eorumdem sententia & convocata fuerunt, & adhuc convocantur.* Epist. 61.

Respondeo hæc non probari à Socrate, sed querulosè referri. Ecclesia tunc, utì scribit Optatus Episcopus Milevitanus, erat in imperio, non imperium in Ecclesia, item sine notando imperij motu, Evectionibus, impensis non poterat fieri generalis Synodus, ideòque illi per sacras jussiones, dummodò Canonibus conformes, commisceri Principem Ecclesia olim toleravit. Sacra porrò jussio erat nomen re suâ majus. Landericus Parisiensis Episcopus, in privilegio monasterij Dyonisiani, rectè ait fuisse Regias preces, iuxta antiquam paremiam, *Est orare Ducum species violenta iubendi*. Synodus Vernensis esse dicit petitam & obtentam Regiam licentiam. Et hoc sensu generales Synodi se convenisse dicunt ex præcepto aut jussione Principis, id est, licentiâ aut postulatione. Modicam rem alto nomine honorant ob reverentiam Regiæ Majestatis. Attamen sacras generaliter jussiones semper odit, & excutere gestijt Ecclesia, quòd essent indigna servitus, precariumque & usurpatum beneficium, cuius modum Principes frequenter excederent: excutere cæpit Gregorius secundus ob C. 6.

violentias Leonis Isauri, tandemque plenè excussit Leo tertius, sub earum stipulatâ renunciatione dans Carolo magno Imperium occidentis. Et hinc in octava Synodo nullus imperialis sanctionis aut convocationis meminit, nisi Elias Presbyter, Syncellus & Legatus Theo-
Act. 8. dosij Patriarchæ Hierosolymitani: *Scitis, quia in præteritis temporibus,*
f. 226. *Imperatores erant, qui congregabant Synodos, quorum more & Dei cultor Imperator noster universalem hanc Synodum fecit.* More Græco, Principi
F. 229. adulatur. Aliter loquuntur Romani Legati: *Pijssimus & Christianissimus Imperator, Prædecessorum suorum secutus exempla, transmisit legatos suos, nobilissimos viros, Romam,* utique Synodum postulaturos. Græcos hanc imperialem usurpationem resuscitare volentes nec audire latini voluerunt in Synodo Florentina, utì in eius historia refert Syl-
L. 10. c. 2. vester Sguropulus. Omnia enim Divina & humana, ut schisma in Latinos firmarent, miseri Græcorum Episcopi in Principem transcripserunt.

CAPUT III.

Exponitur Synodi Nicenæ Præsidentia.

NIcenæ Synodo non adfuit Sylvester Pontifex. Eusebius Cæ-
L. 3 c. 7. sareensis in vita Constantini magni, Theodoretus, & Zozo-
L. 1. c. 7. menus dant caussam, *quòd ingravescente ætate impediretur.* Longè aliam
L. 1. c. 16. in Ephesino Latrocinio dedit Hilarus, Romanæ Ecclesiæ Diaconus & Legatus. *Gloriosissimi & Christianissimi Imperatores, charitatem circa fidem Catholicam & affectum tenentes, beatissimum Episcopum nostrum Leonem, Apostolicæ Sedis Præsulem, ut huic venerabili & sancto Concilio ad-*
Con. Calched. Act. 1. *esset, dirigentes venerabiles Epistolas, supplicârunt: Cuius Pietati placere potuit, si in hac re teneretur aliqua similitudo. Nam meliùs vestra potest cognoscere Sanctitas, quia neque in Nicena, neque in Ephesina Synodo, neque in alio tali sancto Concilio Papa perpetuæ sanctæ Sedis adfuit. Pro qua re, huius forma sequens consuetudinem, nos direxit.* Invitanti & supplicanti Principi Pontifex respondit in hæc verba: *Ad diem Concilij Episcopalis occurrere me ratio nulla permittit, cùm nec alia ex hoc exempla præcesserint, & temporalis necessitas me non patiatur deserere civitatem,* timen-
Epist. 57. tem ab Hunnis ea ipsa, quæ nuper à Wandalis tolerarat. Et Marciano Augusto ad Synodum Calchedonensem invitanti: *Nec necessitas temporis, nec ulla consuetudo id possit permittere.* Consuetudinis caussam edicit Vigilius Pontifex, Episcopis Orientalibus ad quintam Synodum
Act. 2. invitantibus, respondens *non se posse unà convenire, eò quod plurimi quidem hic sint Orientales Episcopi, pauci verò cum eo* Occidentales. *Nec in sanctis quatuor Synodis,* utì dixit Eutychius Patriarcha Constantino-

po-

politanus, *multitudo Occidentalium Episcoporum inventa est unquam, sed* *duo vel tres Episcopi & certi Clerici.* Contentiosis ergò passim intra Græciam Synodis noluit cum paucis suæ dioceseos Episcopis adesse Romanus Pontifex, partim quod Apostolicæ sedis Majestati non congrueret, partim ob metum eorum, quæ in hac ipsa quinta Synodo Vigilius est passus. Hæ rationes moverunt & Sylvestrum.

Neque verò solius honoris, sed rigidissimi debiti caussâ Constantinus illum invitavit. Antiquus enim Ecclesiæ Canon vetat sine Romano Episcopo fieri generalem Synodum, uti testantur Socrates, Hermias Zozomenus, & Nicephorus Calixtus, ex eo capite damnantes Antiochenam Encæniorum, & Synodum Ariminensem. Neque tantùm adesse ille debet, sed & præsidere. Hinc Lucentius, [illegible]sculanus Episcopus, & sedis Apostolicæ legatus, in Synodo Calchedonensi Dioscorum Episcopum Alexandrinum damnat, tamquam Canonum prævaricatorem, *Quia cum personam iudicandi non haberet, præsumpsit, & Synodum ausus est facere sine auctoritate sedis Apostolica, quod nunquam licuit, numquam factum est.* Non Apostolicæ sedis, sed laico Theodosij Augusti, à Pansaphio Eunucho circumventi, Rescripto præsidentiam Ephesini latrocinij, exclusis Romanis Legatis, Dioscorus invaserat. Galla Placidia Augusta eidem Principi, filio suo, scribit legatos hos *adesse consuetos Secundùm definitiones Niceni Concilij,* Scoliastesque marginalis esse existimat quintum Canonem Sardicensem. Rectiùs sanctus Leo Pontifex in litteris ad Ephesinam Synodum dicit esse *Divinum institutum*, utìque nobilem partem Romani Primatûs. Ità servatum in Apostolorum Synodis, cunctisque semper generalibus, ideòque septima Synodus eleganter vocat *Legem Conciliorum.* Rectè vocatur & Canon Nicenus: Quia est Canon Evangelicus & Apostolicus servatus à Nicena Synodo, licetque non Canone, tamen opere confirmatus. Hunc respicit Valentinianus tertius, in litteris ante Synodum Calchedonensem exstantibus, ad socerum, Theodosium Augustum. *Debemus dignitatem propria venerationis Beato Apostolo Petro intemeratam & in nostris temporibus conservare, quatenùs Beatissimus Romana civitatis Episcopus, cui Principatum Sacerdotij super omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de Fide & Sacerdotibus iudicare.* Et Galla Placidia in litteris ad Pulcheriam Augustam, *ad Apostolica sedis iudicium, in qua primus Apostolorum Beatus Petrus Sacerdotij principatum tenuit, Episcopatus caussa mittatur.* Agunt adversus illam dictam Dioscori in Ephesino latrocinio præsidentiam, laicâ potestate invasam contra Divinam Evangelij traditionem, rogantque restitui Sancti Petri successoribus

L. 1. c. 8. 13. 22.
L. 3. c. 9. l. 6 c. 23.
L. 9. c. 8. 10.
L. 1. Con. Calched.
Epist. 26.
Epist. 18.
Act. 6. f. 870.
Epist. 18.
Epist. 18.

Præsédit ergò Silvester Pontifex per legatos & vicarios, Hosium Cordubensem Episcopum, ac Vitum & Vincentium, Romanæ Ecclesiæ Presbyteros. Photius Patriarcha Constantinopolitanus, in literis ad Michaëlem Bulgariæ Principem de septem Synodis œcumenicis, adfirmat præfuisse Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum, & Silvestrum ac Julium Romanos per jam dictos Presbyteros. Nilus, Rhodi Episcopus ac Insularum Metropolita, in enarratione Synoptica de sanctis & œcumenicis Synodis, præfuisse Sylvestrum Romanum, Alexandrum Constantinopolitanum, Alexandrum Alexandrinum, Eustatium Antiochenum, & Macarium Hierosolymitanum. Auctor incertus de sex Synodis œcumenicis præficit Sylvestrum Romanum & Alexandrum Constantinopolitanum,
C'p 34. incerti auctoris libellus Synodicus Vitum & Vincentium, Sylvestri & Julij Pontificum Legatos Presbyteros, Alexandrum Alexandrinum, Macarium Hierosolymitanum, Eustatium Antiochenum, Alexandrum Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyterum, vice Episcopi sui Metrophanis, Hosium Cordubensem, & Constantinum inter Christianos Imperatores Apostolum.

Respondeo hæc omnia esse nugas aut schismatica commenta Græcorum. Quis enim nesciat, quo spiritu Photius Sylvestro Pontifici præponat Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum? An ille ut Episcopus, an ut Presbyter Synodo adfuerit, est incertum. Hermias Zozomenus in Episcopatu sedisse dicit annis viginti quinque,
L.3.c.3.2. defunctum Constantij tertio, secundo Consulatu Constantis, adeòque promotum ad sedem Gallicano & Basso Consulibus, anno Domini trecentesimo decimo septimo, octo annis ante Synodum, atque ità illi ut Episcopum adfuisse. At verò Gelasius Cyzicenus, &
L.2.c.8.7. Alphonsi Pisani acta Synodalia asseverant adfuisse ut Presbyterum
L.4. Metrophanis Episcopi Byzantini, non nisi post Synodum mortui: Hæc ut eius præsentis adjutorem, ille ut absentis Vicarium. Quidquid sit, Constantinopolitanus & Hierosolymitanus Patriarchatus tunc necdum seminati erant, eorum Episcopi istic non ut Præsides, sed fuére in turba ut suffraganei Metropolitarum Heracleensis & Cæsareensis.

L.3.c.7. L.1.c.7. Eusebius Cæsareensis, unus è Synodi Episcopis, eumq; secuti Theo-
L.1.c 16. doretus ac Zozomenus aiunt Præsedisse solos Vitum & Vincentium;
L.2 c.8.12 at verò Socrates, Gelasius Cyzicenus, cuius fidem Photius in Bi-
L 88. bliotheca sequitur & probat, nec non Hincmarus Remensis Episco-
Epist.33.c. pus disertè Hosium tamquam caput adjungunt. Erat Constantino
20. Augusto charissimus, ad componendas Arij lites nuper legatus, Ro-

mana-

manarum rerum Ecclesiasticarum & civilium peritissimus, antè & pòst Arelatensis & Sardicensis Synodi cum Romanis Clericis Præses, ideòque aptissimus & ad hanc Synodum dirigendam. Hincmaro Nicenos Canones ab illo falsatos adserenti nemo antiquus adstipulatur: summâ cum laude egisse Niceæ scribit Theodoretus. L.1 c.18.

Attamen & alij omnes Patriarchæ adfuerunt, & adesse debuerunt. Etenim Anastasius Bibliothecarius in præfatione septimæ Synodi refert in ipsa apud Constantinopolim cepta fuisse *lecta Synodica conscripta, quæ perhibent non oportere aliquandò Synodum universalem fieri præter consensum cæterorum sanctissimorum Patriarcharum.* Octavam Synodum in eius præfatione dicit fuisse verè œcumenicam seu universalem, quòd adfuerint omnes quinque Patriarchæ. Cuius defectu Constantinopolitanum Iconoclastarum conventiculum esse à generalis Synodi authoritate & naturâ remotissimum, septima Synodus definivit. Basilius Augustus in octava Synodo graviter arguit Photiũ & Episcopos eius, quòd *sine Patriarchijs thronis* sint ausi *facere inordinatas Synodos*, easque *vocare sanctas.* Addit Synodis, quibus omnes Patriarchæ adfuére, neminem unquàm ausum reluctari. Inter Romanum tamen & alios erat grande discrimen, de quo ad Tharasium Patriarcham Constantinopolitanum scribit Cosmas Alexandrinus & Theodorus Antiochenus. *Etiam in ipsa sacra & universali sexta Synodo nullus eorum, qui per id tempus in his partibus Episcopi erant, convenisse repertus est propter obscænorum* Saracenorum *obtinentiam. Sed nullum ex hoc sanctæ Synodo adhæsit præiudicium, neque vires habuit prohibitio aliqua statuendi & manifesta faciendi recta dogmata pietatis, præcipuè cùm sanctissimus & Apostolicus Papa Romanus concordaverit, & in ea inventus sit per Apocrisarios suos.* Et in octava Synodo Bahanes, Magnificentissimus Patricius, ad Theodorum Crithinum, Iconoclastam. *Posuit Deus Ecclesiam suam in quinque Patriarchijs, & definivit in Evangelijs suis, ut nunquam aliquandò penitùs decidant, eò quòd capita Ecclesiæ sint: Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Hoc denunciat, quando duo ceciderint, currunt ad tria; quando tria ceciderint, currunt ad duo; cùm verò quatuor fortè ceciderint, unum, quod permanet in capite omnium Christo Deo nostro, revocat iterùm reliquum corpus Ecclesiæ.* Hocce unum, quod cadere non potest, quodque debet revocare reliqua, est thronus Romanus, cui dictum à Domino, *Non deficiet fides tua, confirma fratres tuos.* Romanus Patriarcha ex Divino Jure est Synodi caput, sine quo sit acephalus conventus.

Act. 6. f.231.

Act.7. f.238.

Act. 8.

Nicææ ergò adfuerunt & alij Patriarchæ duo, & tres Autocephali Primates, ideòq; fuit plenissimè Oecumenica seu universalis. Alexander

der Alexandrinus, cuius non Præsidentiam, sed diligentiam & labores prædicant in literis ad Ecclesiam eius ipsa hæc Synodus & Princeps Constantinus; Philogonius Antiochenus, cui apud Synodum defuncto suffectus est Eustatius, Berrhæâ translatus, omnium Patrum testimonio laudatissimus, quem primum, utique labore & doctrinâ,
L.11.c.1. fuisse in hac Synodo verè dicit Facundus Hermianensis. Adfuit & Leontius Cæsarcensis Cappadocum & Ponticorum, Menophantus Ephesinus Asiaticorũ,& Phædrius aut Theodorus Heracleensis Thracũ Primas,quisq;cum numerosa suorum Episcoporum corona,quos,quid-
L. 3. c.9. quid de ducentis & quinquaginta dicat Eusebius,certum est fuisse trecentos decem & octo. Rationem dat S. Ambrosius in libris de fide.
L. 1.c 9. *Vt in numero eorum per signum suæ passionis & nominis Dominus Iesus suo se probaret adesse Concilio: Crux in trecentis, Iesu nomen in decem & octo est Sacerdotibus.* Alij Patres passim illos comparant trecentis decem & octo vernaculis, per quos Abraham victoriam fecit. Eos inter fuêre viri, quidquid Sabinus Macedonianus garriat, doctissimi, sanctissimi, in nupera Diocletiani ac Maximiani persecutione variè membris mu-
L. 1.c. 11. tilati, quorum cicatrices est Constantinus exosculatus, *pro certo persuasus*, inquit Theodoretus, *se benedictionem indè hausturum.*

Presbyteros, Diaconos, aliosque Clericos, Episcopis suis ministrantes, Eusebius fuisse dicit innumerabiles. Quos inter eminuit A-
L. 1.c. 16. thanasius, de quo Hermias Zozomenus: *Maximam partem Concilij sustinere visus est.* Socrates strenuè disputasse dicit contra Eusebium Nicomediensem, Theognidem Nicenum, Marim Episcopum Calchedonensem, professos Arianos. Hìnc totius factionis capitalia in ipsum odia. Disputavit privatim extra Synodi consessum. Etenim Dioscori
Act.1. Episcopi Alexandrini Clericis in Synodo Calchedonensi loquentibus, intercessere Episcopi: *Clerici quare clamant? Synodus Episcoporum est, non Clericorum.* Longè minùs illi in Episcopos poterant disputare.
Socrat. l.1.c.11. Alexander ergo Alexandrinus Episcopus Athanasium *duxit secum, ut sibi*, communicatis studijs, *in disputando esset subsidio.* Addit Socrates
L.1.c.8. adfuisse etiam eruditissimos laicos. Erat, uti in libro de ieiunijs loqui-
C.13. tur Tertullianus, *repræsentatio totius nominis Christiani.*

CAPVT IV.

Nicenæ Synodi tempus, locus, nomen.

DE Synodi tempore summa est difficultas. Certum est fuisse inchoatam Paulino & Juliano Consulibus, qui fuit annus Christi trecentesimus vigesimus quintus, Constantini Principis vigesimus, Syl-

Silvestri Pontificis duodecimus, die decimâ noná mensis Iunij. Disertè id tradit Dyonisius Exiguus in Epigraphè Canonum Nicenorum. *Canones trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum, qui Nicææ convenerunt, consulatu Paulini & Iuliani Virorum Clarissimorum, anno ab Alexandro sexcentesimo trigesimo sexto, decimo tertio Calendas Iulij, qui est apud Græcos decimus nonus dies Desij, id est, Iunij.* Et Calchedonensis Synodi Actio secunda Niceno Symbolo hæc præmittit. *Consulatu Paulini & Iuliani Virorum Clarissimorum Consulum, anno post Alexandrum sexcentesimo trigesimo sexto, mensis secundùm Græcos Desij die nono decimo, quod est tertio decimo Calendarum Iuliarum, in Nicæa Metropoli Bithyniæ, credimus in unum Deum Patrem omnipotentem.* Quæ temporis nota non ipsi Symbolo, sed cunctis generaliter Synodalibus actis fuit omninò apposita: fidei namque, quoniam sempiternæ & immobilis, Symbolo non posse apponi diem & Consulem, eamque esse solam Eusebianorum profanam temeritatem, docet Sanctus Athanasius in Epistola de Synodis Ariminensi & Seleuciensi; apponi autem oportere actis Synodalibus, docet Ecclesiarum praxis perpetua, Canonarius, & nupera lex Constantini. Factam Synodum ad Constantini vigesimum imperij annum asserit expresse Eusebius. Et Socrates: L.4 c 47.
Imperator festo, quod ob victoriam contra Licinium partam celebrabat, perfecto, Nicæam concessit. Licinij autem cædes omninò contigit anno vigesimo. Hinc intellige alium Eusebij locum. Nicenæ Synodi *actis ad exitum perductis, secundam istam victoriam Imperator se contra hostem Ecclesiæ consecutum affirmavit, & propterea festum triumphale ad Dei honorem illustrandum egit. Eodem tempore vigesimus eius regni annus completus est.* Prima contra Licinium, secunda victoria, idque eodem anno vigesimo, fuit contra Arium. Et Zozomenus: *His rebus à Concilio ad hunc modum decretis, accidit, ut dies festus iam anno vigesimo imperij Constantini vertente ageretur. Erat autem Romanis in more positum, ut decimo quoque anno Imperij cuiusque Imperatoris diem festum celeberrimo hominum conventu agitarent.* Errat aut mendosus est Socrates dicens factam Synodum undecimo Calendas Iunij, nec non apud Symeonem Metaphrastem ac Aloysium Lipomannum Auctor incognitus dicens cœpisse quintâ decimâ die Aprilis.

L.1 c.5.

L.3 c.14.

L.1.c 24.

L 1.c 9.

Tom.6.

Longè aliter Gelasius Cyzicenus. *Agebatur autem annus regni Constantini sextus decimus, & sextus præterea mensis, cum hæc ab illo pro Ecclesiæ pace, summâ curâ, agebantur.* Addit ex ipso Photius in Bibliotheca, *durasse actiones Synodi ad usque annum Principis primum & vigesimum cum semestri, ut nimirùm sex ipsos annos Patres consederint.* L.2.c 5. L.88.

Jam adductus Auctor incognitus tribus cum medio annis vult

N Patres

Patres consedisse. *Capit quinto decimo Aprilis, finita est autem Synodus cùm triennium rursùs pervenisset ad Aprilem, & excurrisset usque ad Septembrem: Sic enim Sapiens adnotavit Alexander, qui scripsit acta Synodi.*
L.8.c 26. Et Sapiens ille Alexander est ignotus. Adstipulatur Nicephorus Calixtus, & Cassiodorus in chronico, dicens Paulini & Juliani Consulatum, quo inchoata Synodus, fuisse Constantino annum imperij decimum septimum, atque ità illam, quam non nisi vicennalibus finitam constat, durasse tribus annis.

Non omninò malè Auctor ille incognitus durasse dicit usque ad Septembrem. Lucidiùs edicit antiqua Cresconiana collectio, laudata
A.325. per D. Cardinalem Baronium. *Factum est Concilium apud Nicaeam Bithiniae metropolim à die decima tertia Calendas Iulias, quod tenuit usque ad octavam Calendas Septembris, Paulino & Iuliano Consulibus, qui est apud Graecos decimo nono mensis eorum Desij, Alexandri anno sexcentesimo trigesimo sexto.* Ità omninò juvandus textus mendosus. Et aliâ manu: *Atticus Ecclesiae Constantinopolitanae Episcopus dixit, Edidi Canones Sanctorum Patrum olagrapha manu mea subscriptos, Amen.* Dominus Cardinalis hæc à Cresconio desumpta existimat ex rescripto Attici ad Aurelium Carthaginensem & eius Synodum, cum Romana Ecclesia de appellationibus contendentem, mittentis postulatos Canones Nicenos.

An ità per omnia sit, non desunt rationes dubitandi. Quidquid sit, assentior Domino Cardinali, credoque Synodum non durasse, nisi à decima nona Junij usque ad vigesimam quintam Augusti. Quod ipsum & in brevibus suis fastis & in fastorum Romanorum commentarijs asserit Onuphrius Panuinus, Sacræ & profanæ antiquitatis longè peritissimus. Etenim Eusebius, Socrates, Zozomenus adfirmant Constantinum semper adfuisse Synodo: Socrates addit inchoatam post victum & cæsum Licinium, quod omninò factum anno vicennali; Zozomenus eodem absolutam; Eusebius factam anno vigesimo, quomodo trigesimo Hierosolymitana, quam certum eo anno cęptam & finitam. Quisquis authenticus scriptor Nicęnę Synodi Consules exprimit, exprimit solos Paulinum & Julianum, quod nempe illa alios non viderit. Quis credat Constantinum, tanti imperij Rectorem, integro triennio cum Episcopis hæsisse? Sardicense, Constantinopolitanum, Ephesinum, Calchedonense concilia paucis mensibus fuère peracta, adeòque & Nicenum.

Rectè addit Dominus Cardinalis Cassiodorum in re manifesta hallucinari. Constantini regnum, quod certum est sub Consulatu Constantij & Maximini sexto, quo Pater eius Constantius obijt, cæpisse,

iſſe, inchoat tribus annis pòſt, à conſulatu Dio:letiani decimo & ptimo Maximiani, atque ità eius Vicennalia non Paulini & Juliani, d Ianuarij & Iuſti conſulatui cogitur adſcribere. Eodem modo lapum exiſtimo Gelaſium Cyzicenum, adſcribentem Paulini & Iuliani conſulatui annum Conſtantini decimum ſextum & medium. Non ſine auſſa hodierni eius codices nihil habent de ſex annis, quos habuit codex Photianus. Ex omnibus eraſum autumo ut paradoxum.

Opponi poſſit auctoritas Hermiæ Zozomeni, affirmantis Synoum non ſub Silveſtro, ſed ſub Iulio celebratam. *Iulius*, inquit, *Epiſcous Romanus, ætate ingraveſcente præpeditus, abfuit, ſed Vitus & Vincentius, uſdem Eccleſiæ Preſbyteri, pro illo adfuêre.* Quod ipſum affirmat Nicehorus Calixtus. Photius ac Auctoris incerti libellus Synodicus, in lois ſuprà adductis, duraſſe aiunt & ſub Sylveſtro & ſub Iulio, quorum mborum dicti Presbyteri fuerint legati. Nec ſine fundamento. Eteim in Epiſtola ad Euſebianæ factionis Synodum Antiochenam ità ulius Pontifex. *Noſtri Preſbyteri, qui tunc in Niceno Concilio aderant, e Marcelli recta fide conteſtabantur.* L. 1. c. 16.

Reſpondet eleganter Hincmarus Remenſis in litteris ad Hincmaum Epiſcopum Laudunenſem. *Refutanda eſt falſa opinio, de quorumam ſcriptis exorta, quod Nicenum Concilium tempore Iulij fuerit celebraum, cum conſtet eandem Sacram Synodum fuiſſe habitam anno poſt Alexndrum ſexcenteſimo trigeſimo ſexto, ſub Conſtantino Imperatore, die menſis ecundùm Græcos Deſij decimo octavo, quod eſt decimo Calendarum Iuarum, Conſulatu Paulini & Iuliani, tempore Sylveſtri Papæ, ſicut veridicæ hronicæ & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ produnt.* Diei numerus eſt vitiatus: egendum decimo nono Deſij, decimo tertio Calendarum Juliarum. Alioquin nec ipſe ſibi cohæret. Porrò Julius Pontifex nequaquam ult Vitum & Vincentium fuiſſe ſuos legatos ad Nicenam Synodum; os dicit adhuc vivere, fuiſſe in Synodo, & de recta Marcelli Anyrani Epiſcopi fide perhibere teſtimonium. Ex non recto verborum ntellectu lapſi ſunt Photius, Nicephorus, Zozomenus, invicem non concordes. Epiſt. 33. c. 10.

Synodi locus fuit Necæa, Bithyniæ metropolis. Cauſſam dat Euebius in vita Conſtantini Auguſti. *Civitas Bithyniæ quæ Nicæa, ἀπὸ ῆς νίκης, id eſt, à victoria nomen traxit, Concilio celebrando admodùm donea, deſignata fuit.* Expugnandus illic erat Arius, Mars inferni. Eiuſdem nominis urbem habent Gallia, Thracia, & India, ideòque æc noſtra Bithyniæ dicitur, olim dicta Antigonia à conditore Anigono, Philippi filio, poſtmodùm à Lyſimacho ad uxoris nomen Nicæa. Actiones Synodales non in Eccleſia, ſed in ampliſſima Palatij L. 3. c. 6 l 4. c. 47.

aula

L.3.c.10. aula factas testantur Eusebius, Theodoretus, & Zozomenus. Quibus
L.1.c.7. & quantis miraculis Deus Synodum ornarit, refert Gregorius Pres-
L.1.c.18. byter in oratione de Patribus Nicenis apud Symeonem Metaphrasten.

Quæstio est, quomodò Nicæa dicatur Bithyniæ metropolis. Etenim Eunomio Nicomediensi Episcopo & Anastasio Niceno de jure
Act.13. metropolitico per Bithyniam litigantibus, Calchedonensis Synodus omnem potestatem adscripsit Nicomediensi, Niceno vacuum Metropolitæ nomen, id est, eam ferè dignitatem, quam apud nos latinos Provincialibus Episcopis dat gratia Pallij. Et Nicomediam esse Bi-
L.3.c.49. thyniæ metropolim disertè in vita Constantini Eusebius, esse verò Nicæam asserit Ammianus Marcellinus.
L.26.c.1.

Respondeo hæc facilè conciliari. Nicæa enim fuit vera & unica Bithyniæ metropolis, quousque, quod in Gallienis Trebellius Pollio,
L.12.c.2. & dictus Ammianus scribunt, Nicomedes Bithyniæ Rex ex Astaco fecit de nomine suo Nicomediam, regiamque civitatem, etiam à Diocletiano, Maximino, Licinio, Constantino, Romanis Augustis, inhabitatam & ornatam. Exinde Nicęa veritatem metropoleos amisit, retinuitque solùm antiquæ dignitatis nomen. Quæ omnia liquent ex Rescripto Valentis Augusti, probato per laudatam Actionem Synodi
Act.6. Calchedonensis: Quæ ad Marciani Augusti preces addidit Calchedonem, atque ità Bythynia habere cæpit tres metropoles, unam potestate, duas solo nomine.

Proprium, inquit de octava Synodo in eius præfatione Anastasius Bibliothecarius, *Nomen huius ritè quærimus Synodi. Nam si hydræ & hippocentaurorum, qui non sunt, utique nomina dicuntur, quantò congruentiùs huius Synodi nomen sciri debet, quæ utique est, ne videlicet nomine carens comparetur rebus in maris profundo positis, quæ quidem sunt, sed quia ad notitiam hominum non pervenerunt, hactenùs nomine carent.* Hanc ergò Sacrosanctam Synodum passim dicimus *magnam Nicenam*.

CAPUT V.

Exponuntur acta Synodi circa Arium.

Etiamnum suo tempore superfuisse Episcopos Nicenæ Synodi, & acta integra, testatur sanctus Hieronymus in dialogo contrà Luciferianos. Gelasius Cyzicenus hæc in præfatione. *Omnia, quæ in præclara illa & sancta Synodo facta, dicta, & constituta fuerant, iam pridem, cum in paterna domo adhuc vitam degerem, legi, cùm illa invenissem in antiquissimo libro, in membranis planè integris descripta, qui fuit Divini &*

& celebris Dalmatij, in illustri Cyzicenorum Metropoli Sanctæ & Catho-ca Ecclesiæ Archi-Episcopi, quique tandem ad familiæ nostræ Dominum evênit, Patrem dico meum secundùm carnem, dignum habitum, qui in ordi-em Presbyterorum eiusdem Ecclesiæ coaptaretur. Ex hoc libro, quòd mnia non posset, ait se plura desumpsisse. Et Isidorus Mercator in ıa præfatione. *Nobis quidam è consortio fratrum nostrorum Orientales stati sunt, se vidisse Concilium Nicenum, habens potiorem, quàm quatuor vangeliorum, magnitudinem, continens in se sessiones Episcoporum, & ntroductiones, iudiciaq; querimoniarum, atque definitiones & constitu-ones, nec non & subscriptiones eorum, ad cuius similitudinem magnum alchedonense Concilium conscriptum esse confirmârunt.* Franciscus Tur-anus acta integra exstare dicit in Ecclesia Alexandrina, alij apud rabes. Veriùs est perijsse aut latere, ideòque cum Gelasio Cyziceno ogimur ea ex Ruffino, Eusebio, alijsque antiquis & probatis scri-toribus minutatim venari.

In primo igitur congressu & Eusebiani & Orthodoxi exarsére in riores discordias, datis in invicem libellis Principem onerantes, *uos ille*, inquit ex Eusebio Socrates, *comburi iußit*, privatas offensio-es deponi suadens ex mandato Evangelico, agique turbati dogma-s negotium, cuius causâ erant adunati. *Istæ*, inquit, *criminationes mpus sibi præstitutum habent, diem magni iudicij*, judicemque Deum; ihi fas non est de Sacerdotibus judicare. Duriora respondit appel-ntibus ad se Episcopis Donatistis, asseverans ab Ecclesia provocari l Principem esse refugium à cælestibus ad terrena, confessionem òm-um criminum, rabiem diabolicam. Adulatio, scribit ad Valentinia-um secundum sanctus Ambrosius, ità nos incurvare non debet, ut acerdotalis juris immemores demus alteri, quod nobis donavit eus: Dei lex & perpetua consuetudo habet, ut in religionis caussâ on Imperatores de Episcopis, sed Episcopi judicent de Imperatori-us Christianis. Indignus est Episcopus, qui jus suum laicis substernit, ternâque laude dignum Valentiniani senioris verbum: *Non est meum ter Episcopos iudicare.*

L. 1 c. 9.

Zozom. l. 1. c. 16.

Epist. 13.

Exustis itàque libellis *diem* Constantinus *præstituit, ad quem de bus fidei decideretur.* Hinc nata regula, ex qua Theodosius Augustus, mquam executor canonum, scribit Synodo Ephesinæ, ut ante nnia plenissimè de fide definiat, *nullamq; omninò aut Ecclesiasticam, t aliam quamcumque controversiam, undecumq; natam vel motam, quæ propositam sancti dogmatis considerationem non pertineat, antè moveri,* am fidei negotium exactissimè finiatur. Quin nec in publico hesiorum judicio anteà tractari voluit ullam quæstionem, seu pe-

Zozom. l. 1 c. 6.

cuniariam seu criminalem. Quem ordinem servari voluit & ab Ephesina Synodo secunda: Exequens Apostolicum mandatum S. Leonis Pontificis, jubentis priùs damnari errorem, deindè agitari personam, crimina, damnationem, restitutionem Eutychetis. Scio in Synodo Calchedonensi Legatos Apostolicos cœpisse ab accusatione & damnatione Dioscori: verùm de partium consensu, & ad Dioscori po-
Act. 1. stulationem. Hinc postmodùm provocantem ad Canonem, *Supplico in primis, quæ de fide sunt, examinari*, repulerunt Gloriosissimi Judices: *Interim adversus accusationem convenit te respondere, ergò sustine actorum fieri lectionem, quod ipse postulasti.* Seleuciensis Synodus, quòd binæ sacræ Constantij Principis jussiones invicem pugnarent, divisa est in factiones duas, unaque à fide, altera ab Episcoporum caussis
L.4.c.21. criminalibus inchoari voluit, & addit Zozomenus: *Eorum vicit sententia, qui voluerunt primùm de fide quæri*, idque secundùm Canones, à quibus sacra jussio, utpotè mera executrix, non poterat discordare.

L.1 c.18. *Episcopi*, inquit idem Zozomenus, *in unum convenientes accersunt Arium, & opinionibus eius in medio positis inter se disserere cœperunt.* Et
C. 19. infrà. *A Sacerdotibus de fide disceptari cœptum est*, idque *Ario in medium adducto.* Factas collationes & disputationes varias, Ariumque sæpiùs
L.2.c.11. auditum & discussum adfirmat Gelasius Cyzicenus. Lecta est, uti in
L.3 c.7. libris de fide adserit S. Ambrosius, & Eusebij Nicomediensis Epistola, nec non & Arij Thaleia, ad quarum blasphemias Episcopi multi aures occlusére.

L.1.c.16. De disputantibus Episcopis denuò Zozomenus. *Alij nihil novi contra fidem, ab initio temporu Apostolorum traditam, moliendum censuerunt; alij affirmârunt opiniones veterum, nullo iudicio exploratas, neutiquàm se-*
L.1.c.4. *quendas.* Etiam Alexander Alexandrinus, apud Theodoretum in literis ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum, arguit Arianos, quòd ex antiquis Patribus neminem sibi comparari paterentur, nullum Ecclesiæ Episcopum vel ad mediocrem sapientiam pervenisse censerent; sed se solos sapientes, sibique solis patefacta mysteria. Ità
L.7.c.32. Nestorius, teste Socrate, *lingua volubilitate & elegantiâ se efferens insolenter veteres neglexit, & seipsum omnibus antecellere existimavit.* Euty-
Con. Calc. ches in Constantinopolitana sancti Flaviani Synodo *solas se Scripturas*
Act. 1. *scrutari asseruit, tamquam firmiores sanctorum Patrum expositionibus.* Etiam Iconoclastæ *spreverunt magisteria sanctorum Patrum, perhibentes, quòd nisi de veteri & novo testamento evidenter fuerimus edocti, non sequemur doctrinas sanctorum Patrum*, ideòque illis anathema inlisit septima Synodus. Inquietum enim & impudentem hæreticæ superbiæ

biæ ſpiritum fore parentibus inobedientem prædixit per Apoſtolum ipſe Spiritus ſanctus.

Ad Synodum venerant etiam gentiles Philoſophi, Religioni Chriſtianæ, ob Deorum cultum à Conſtantino proſcriptum, infenſiſſimi: Pretio in nos diſputaturos ab Ario conductos ad Synodum, teſtatur Gelaſius Cyzicenus. Nempè hæreticorum non tantùm Patriarchæ, sed & ſubſidiarij milites ſemper Philoſophi. Eorum ſapientiam noſtri Idiotæ evacuârunt. Hinc ergò tandem, inquit S. Athanaſius, *Arij error pro hæreſi exiſtimatus* & damnatus eſt, & quidem ut plùs mali habens, quàm reliquæ hæreſes. A varijs Epiſcopis conceptæ ſunt variæ fidei formulæ. Per Euſebium Nicomedienſem, Euſebium Cæſareenſem, Theodorum Heracleenſem, Marim Calchedonenſem, Theodotum Laodicenſem, Paulinum Tyrium, Athanaſium Anazarbi, Gregorium Berytenſem, Ætium Liddenſem, Menophantum Epheſinum, Patrophylum Schytopolitanum, Theognidem Nicenum, Narciſſum Neroniadis ſeu Irenopolitánum, Theonam Marmaricenſem, & Secundum Ptolomaidis, Arianis peſſimis, prolata, *tamquam adulterina & commentitia ab omnibus proclamata eſt, & illicò diſcerpta*; tandemque omnium ſuffragio probatum noſtrum Symbolum, ſuprà à nobis expoſitum, cuius auctor incertus: Alij Hoſium exiſtimant, alij Alexandrum Alexandrinum. Ei omnes, etiam dicti Ariani, exceptis Theona Marmaricenſi & Secundo Ptolomenſi, at ex metu Principis, ſubſcripſerunt. Ad ignes damnata eſt & Arij Thaleia, & omnis ſcripta lues talium blaſphemiarum. L. 2. c. 12. Zozom. l. 1 c. 17. Orat. 2. Theodore. l. 1 c. 7.

Hìnc itum ad perſonas. *Arium*, inquit Athanaſius, *iſta loquentem Synodus eiecit ab Eccleſia, & anathemate execrata eſt.* Addit Socrates: *Concilium non ſolùm Ario, & omnibus eius opinionis fautoribus anathema denunciavit, verùm etiam vetuit, ne Alexandriam ipſe Arius omninò adventaret.* Eâdem ſententiâ percuſſi Theonas Marmaricenſis Epiſcopus & Secundus Ptolomenſis, ſpecialiter ab Ario ſeducti, ideòque Symbolo nolentes ſubſcribere. Additi Euſebius Nicomedienſis & Theognis Nicenus, quidem Symbolum, aſt Arij damnationem neutiquàm admittentes, dicenteſque Synodum falli in perſona, quæ errores ab Alexandro Patriarcha affictos nunquam docuiſſet. Eorum in ſedes mox Amphion & Chreſtus fuêre ordinati. Petrus, ſancti Athanaſij in ſedem Alexandrinam ſucceſſor, apud Theodoretum in literis ad omnes Epiſcopos orthodoxos, addit & Euzoium, Diaconum Alexandrinum, poſteà Epiſcopum Antiochenum. Certè Arij partes ſemper ſecutus fuit, damnatuſque cum illo à Patriarcha Alexandro. Ipſum, Orat. 2. L. 1. c. 5. L. 4. c. 20.

Arium,

Arium, & Achillam Lectorem fuisse mali auctores scribit S. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos.

Verùm Eusebius & Theognis, recuperandi Episcopatûs cupidine, pænituerunt, Synodo dederunt pænitentiæ libellos, atque ità in gradum & sedem redierunt, Amphione & Chresto amotis. Quod ipsum de Euzoio Diacono, Achilla Lectore, & Ario Presbytero, capite & caussâ omnium malorum, testatur sanctus Hieronymus in dicto dialogo: liquere adseverat ex integris ac publicis actis Synodalibus. Liquet item ex jam dictis Eusebij & Theognidis libellis, quorum hic tenor. *Quoniam Reverentia vestra visum est, illum, qui rerum istarum reus agitur, humanitùs excipere, & ad vos accersere, est planè à ratione alienum, ut cùm is, qui crimine tenetur implicatus, accersitus sit, illisq́ue, quæ objiciuntur, responderit, nos reticendo nosmetipsos culpa convincere videamur.* Ex quibus verbis accersitum Arium iam damnatum, ac invitatum ad pænitentiam adfirmat Socrates; egisse pænitentiam, recepisse Symbolum, ac ità redijsse in gradum sanctus Hieronymus, eius post Synodum cum Athanasio & Alexandro Constantinopolitano de communione lites referens in illius relapsum. Et quidem Athanasius eius potiùs reditum ad urbem Alexandrinam, quam communionem videtur aversatus. Nempè Synodus illi communionem & gradum reddiderat eâ lege, ut nunquam rediret Alexandriam, novorum forsàn illic motuum caussa seu occasio futurus. Eodem modo Euzoius tractatus, ut docent eius post Synodum communia cum Ario acta.

L. I. c. 5.

CAPUT VI.

Acta Synodi de Festo Paschatis.

ALias quasvis Ecclesiarum lites voluit item Synodus exstinguere. Præsertim de Paschali festo, quod alteram Synodi caussam fuisse testantur Eusebius, Socrates, Zozomenus, ac sanctus Athanasius in Epistola de Synodo Ariminensi & Seleuciensi. *Nicena*, inquit, *Synodus nō temerè habita est, ut quæ habeat gravißimos usus, & legitimam rationem. Syri enim, Cilices, Mesopotamiam in festi caussâ claudicabant, atque unà cum Iudæis Pascha celebrabant*, quartâ decimâ lunâ mensis Martij, in quemvis diem incidisset. Etiam Asiatica omnis & Pontica Diœcesis, nec non Hierosolymitana Ecclesia olim claudicavêre, uti ad sanctum Cyprianum scribit sanctus Firmilianus, Ponticorum Primas. Dico, *olim.* Quòd enim victor Pontifex rationibus atque Ecclesiasticis minis non potuit, dies tandem extorsit, teste Nicephoro Calixto, idque ante Nicenam Synodum, uti apud Eusebium ad omnes

L. 4. c. 39.

nes Ecclesias scribit Constantinus Augustus. Hinc sanctus Athanasius Synodi tempore claudicasse dicit solos Syros, Mesopotamos, & Cilices, quos tamen, quòd utique divisi essent, Constantinus adfirmat non claudicasse. L.3.c.18.

Rectè verò Firmilianus varietatem hanc non ad dogma, sed ad disciplinam spectare ait, pessimè verò addit Romanam, cui omnis & propria & Ægyptiaca diocesis semper adhæsit, Ecclesiam hac in re discrepare à traditione Apostolorum. Etenim quomodò Asiatici & Pontici Joannis Apostoli, ità Romani sequi se credebant Petri & Pauli institutum. Turbato oculo loquitur Firmilianus, ob quæstiones de Hæreticorum baptismate per Romanam Ecclesiam privatus communione. Peiùs Socrates. *Neque Apostoli, neque Evangelia ipsa iugum servitutis omninò imponunt, sed festum Paschatis, aliaq; festa libero quoq; iudicio eorum, qui illis diebus beneficia acceperant, recolenda reliquerunt. Apostolis potissimùm propositum fuit, non ut leges de festis diebus sancirent, sed ut rectæ vivendi rationis & pietatis nobis auctores essent.* Paschale festum dicit institutum ab Episcopis; hinc natam diversitatem. Fratribus suis, nostris Lutheranis & Calvinistis, animos addit ad festa, tamquam Mosaicæ servitutis jugum & humana commenta, exsufflanda. Imperitissimè. Neque enim tantummodò Firmilianus & Polycrates Ephesius cum suis Synodis, sed & Constantinus Augustus in literis, quibus Nicenum de Paschate decretum executus est, quasque haud dubiè ipsa Synodus composuit, disertè dicit Paschale festum esse mandatum Apostolicum. Ea est fides Romanæ & omnis orthodoxæ Ecclesiæ, neque caret firmissimis testibus. Æquè exorbitat Zozomenus festi huius celebrandi varietatem esse quid frivolum. Eam certè fuisse alteram Synodi caussam jam audivimus à sancto Athanasio. Licèt namque eius causâ altaris communionem & Christianitatis contesserationem non ruperint Ecclesiæ, grandi tamen animorum discordiâ agebant festum, unamque eodem tempore ieiunare & flere, aliam prandere & exultare, & potiùs impijs Judæis, quàm suis in Christo fratribus adsociari, erat *morbus gravissimus*, & confusio indecora.

L.8.c.21.

L.7.c.19.

Euseb. l.3. c.5.17.

Et hanc igitur Synodus exstinxit, statuens Pascha ubique fieri in die dominica, prima post quartam decimam lunam mensis primi, de quo videndus sanctus Ambrosius in Epistola ad Æmiliæ Episcopos, & quædam Epistolæ Sancti Leonis. Falsissima sunt hæc Socratis verba. *Neque illud verum est, quod nonnullis frequens in ore est, Concilium Constantini temporibus habitum morem huius festi celebrandi penitus pervertisse. Nam Constantinus ipse eos, qui de hoc festo ab alijs dissentiebant, per* L.5.c.21.

Epistolam hortabatur, ut cùm pauciores essent, eorum consuetudinem imitarentur, qui erant numero plures. Homo Novatianensis pro errore suo fallitur & fallit. Inverecundè imponit Constantino, disertè adfirmanti decretum hoc tamquam *Dei donum, & mandatum reverà calitùs demissum, amplexandum ab omnibus; esse sententiam decretam, quam omnes approbare &* secundùm ipsam Ecclesias suas *disponere debeant: Nam quidquid in sanctis Episcoporum Concilijs decernitur, id universum Divina voluntati debet attribui.*

Temporum injuriâ, amissum est Synodi decretum, restat tamen Synodalis ad Ecclesiam Alexandrinam Epistola, adseverans *controversiam de festo sacratissimo susceptam esse prudenter & commodè sedatam, ita ut omnes fratres, qui Orientem incolunt, & judaorum consuetudinem antè imitabantur, iam Romanos & Ægyptios, qui rectam viam à primis temporibus tenuère, consentientibus animis iam sedulò sint secuturi.* Etiam Novatianensium Primas Acesius probavit & admisit Decretum, Constantino Augusto, eius de illo mentem expostulanti, respondens apud

L.1.c.7. Socratem: *Nihil novi Concilium decrevit, nam antiquitùs à primis Ecclesia iactis fundamentis, & ab Apostolorum temporibus idem tempus festi celebrandi observatum accepi.* Novatianus enim Romanæ Ecclesiæ, à qua exivit, morem semper retinuit, & ad suos propagavit. Soli Montanistæ manserunt pertinaces, quos insanus Paracletus docuit, non ad Lunæ, sed ad Solis cursum dirigere Pascha, commento peregrino, vi-

L.7.c.18. dendo apud Zozomenum. Duravit pax usque ad Novatianensium Gazensem in Phrygia Synodum, à qua restitutus mos Judaicus, natumque posteà aliud fœdius schisma Sabbathianum: Tunc enim non de die tantùm, sed & de mense litigare cœperunt; alijs solo die Dominico, alijs solo Sabbatho, alijs Pascha facientibus Lunâ quartâ decimâ mensis primi, qui propriè dicti sunt quarto-decimani. Quin & Scoti dudum erravêre à Romana Ecclesia, cuius mali veram & primam originem ignoro.

Addit sanctus Ambrosius in Epistola ad Æmiliæ Episcopos, exstante post libellum de mysterio Paschæ. *Maiores nostri, convenientes ad Synodum Nicenam, etiam super celebritate Paschali, congregatis calculandi peritissimis, decem & novem annorum collegêre rationem, & quasi quemdam constituêre circulum, ex quo exemplum in annos reliquos gigneretur.* Est hoc Sancti Hyppoliti, nescio cuius civitatis Episcopi, sedecim annorum circulum ordinantis, saluberrimum inventum, quem postmodùm Eusebius Cæsareensis, Theophilus Alexandrinus, Prosper, Victorius Aquitanus, Dyonisius Exiguus sunt imitati, conflantes circulos annorum longè plurium, quorum quidam vitiosi. Etiam Di-

Divinæ Majeſtati ſingularem fuiſſe curam huius teſti, oſtendunt varia Baptiſmalium fontium miracula, relata à ſancto Gregorio Turonenſi, & ſancto Paſchaſino, Lilybeti Epiſcopo, in Epiſtola ad ſanctum Pontificem Leonem. L.5.c 17. l.6.c.43. l.10.c.23.

A vetuſtis Quarto-Decimanis cultum non fuiſſe diem Dominicum quidam exiſtimant, ideòque cultum illum præceptum à noſtra Synodo. At errant. Eum enim eſſe Apoſtolicum Canonem fatentur omnes. Paſcha Quarto-Decimanis erat Dominicæ Paſſionis & mortis feſtivitas, diſtincta à Dominicæ Reſurrectionis feſtivitate, obſervata ſemper in die Dominico, quas etiam à Montaniſtis fuiſſe diſtinctas teſtatur Zozomenus. L.7.c.18.

CAPUT VII.

Acta Synodi de Meletianis, Novatianenſibus, Paulianiſtis, Origeniſtis.

DEcîdit etiam Synodus ſuprà expoſitam cauſſam Meletij Epiſcopi Lycopolitani, Epiſcoporum item & clericorum ab ipſo ordinatorum. Meletius quippè, teſte Zozomeno, cùm ſanctus Petrus Patriarcha, *Perſecutionis cauſsâ fugam capiſſet*, quaſvis Miniſtrorum ordinationes invaſit. Meletianos Synodus Alexandrina vocat *Schiſmaticos, & Eccleſiæ hoſtes*, & quidem *vetuſtos, iam olim à temporibus Beati Petri, cui inſidias poſuerunt; & Achillæ eius ſucceſſoris, quem calumniati ſunt; & Alexandri, quem uſque ad tribunalia Cæſaris ſunt calumnijs perſecuti.* Eos decem & novem annis fuiſſe Arianis priores, teſtatur in ſecunda contra hos oratione ſanctus Athanaſius. Licèt verò Meletius Arium primus accuſaſſet, ideòque, quomodò Pilatus & Herodes, inimici eſſent ad invicem, odio tamen ſancti Athanaſij in unam poſteà, non quidem errorem, ſed factionem cojerunt, cujus diſſipandæ ergò indignis & nequam hominibus gratiam deſpenſatoriam Synodus fecit. L.1. c. 23.

Meletio, ordinatiſque ab illo Epiſcopis, relicta eſt ſola Epiſcopalis nominis ſine ſede & poteſtate dignitas, juſſis Alexandro Patriarchæ & eius Epiſcopis ſubeſſe, nullamque facere Epiſcopi aut Clerici electionem ſeu manûs impoſitionem. Permiſſi ſunt redire ad ſedem & poteſtatem, dummodò rursùm iuxta Canones electi à clero & populo, ac à Patriarcha confirmati: Excepto tamen Meletio, tacere juſſo in civitate Lycopolitana, nuſquam progredi, nulli miſceri Eccleſiaſtico negotio, ne homo temerarius & audax eandem rursùs perturbationem poſſ t inferre Eccleſiæ. Presbyteri & Clerici alij permiſſi ſunt

manere in clero, & gradu accepto, omnibus tamen ad eundem ab Alexandro aut alio Catholico Episcopo ordinatis posteriores.

Addit sanctus Athanasius in secunda Apologia. *Beatus Alexander, suspectans Meletij calliditatem, postulavit ab eo Breviarium eorum Episcoporum, quos in Ægypto habere se dicebat, unà cum Presbyteris & Diaconis, sive Alexandrinis, sive ruralibus. Hoc autem ideò Alexander fecit, ne Meletius per Ecclesiam securitati restitutus titulos plurimos venderet, & mendacio quotidie novos, tamquam à se creatos, subijceret.* Continebat Breviarium Episcopos viginti octo, Presbyteros quatuor, Diaconos tres, atque ex illo Ischyram calumniatorem, qui se Meletij Presbyterum jactabat, mendacij convincit Athanasius, & pergit: *Hos etiam,* Episcopos & Clericos Breviario inscriptos, *præsentes Episcopo Alexandro tradidit,* ne alius pro alio supponi postmodùm posset. Verùm Synodi gratia Meletium ac eius asseclas pejores fecit, ut docet eventus secutus.

Tractata item est Paulianistarum & Novatianensium caussa, sortitaque finem supra relatum. Evocatum ad Synodum à Constantino Augusto, benignèque habitum Primatem suum Episcopum Acesium
L. 1. c. 9. gloriantur Novatianenses Socrates & Zozomenus, fassi tamen non
L. 1. c. 21. admissum ad Episcopale suffragium, ejusque de Pænitentia errorem irrisum. Eos, quòd Synodi de fide & Paschate decretum probarent, Romanæ leges dudùm non sunt cum alijs hæreticis persecutæ.

Etiam de Clericorum cælibatu disputatum fuisse, ac latinæ Ecclesiæ conatum impeditum intercessione Paphnutij Episcopi, dixi superiùs, latiùsque dicam loco opportuno. Ignoti auctoris apud Christo-
C. 34. phorum Justellum liber Synodicus hæc addit. *Sacros etiam libros & apocryphos Nicena Synodus hoc modo manifestos fecit. In domo Dei, inferiore loco iuxta Divinam mensam omnibus collocatis, Dominum invocans oravit, ut qui divinitùs inspirati essent, superiùs; qui autem adulterini, inferiùs, quod & factum, invenirentur.* Fabula est, inferiùs convincenda.

Non item plenè recipiendum, quod in septima sessione Synodi Florentinæ dixit Andreas Rhodiorum Metropolita latinus. *Ante primam Synodum multa alia Synodi celebrata sunt; Antiochia adversùs Paulum Samosatensem; Ancyræ contra eos, qui non suscipiebant ad fidem accedentes, quòd priùs Christum abnegassent propter tormenta; & Neo-Cæsarea tertia: Quas omnes Synodos recepit Synodus Nicena, licet quædam à Neo-Cæsareensi sancita visa fuerint minimè suscipienda, quæ scilicet de septem Diaconis statuta erant.* Recepta est Antiochena Synodus in ipso Niceno Symbolo, damnante, uti suprà ostensum, etiam Paulum Samosatensem; Ancyrana à Canone undecimo, duodecimo, ac decimo tertio, lap-

psos recipientibus, præsertim in extremis, ad communionem. Ubi Nicena Synodus Neo-Cæsareensem receperit, ignoro, credoque falli Rhodium. Fallitur & de Ancyrana: Nec enim tantùm à fide, sed & communione lapsos illa excludi vetuit.

At quid de Origene? Antiqua Origenistarum vox est, *Quomodo damnabimus, quem Synodus Nicena non tetigit? Quæ damnavit Arium, damnasset utique & Origenem, si illius dogmata reprobasset.* Ad quam rectè sanctus Hieronymus. *Scilicet uno medicamine omnes simul morbos debere curari. Et idcircò Spiritus sancti neganda Maiestas est, quia in illa Synodo super substantia eius silentium fuit? De Ario tunc, non de Origene quæstio fuit; de filio, non de Spiritu sancto. Confeßi sunt, quod negabatur; tacuerunt, de quo nemo quærebat. Quamquam latenter Origenem, fontem Arij, percusserunt: Damnantes enim eos, qui filium negant de Patris esse substantia, illum pariter Ariumq; damnârunt. Alioquin hoc argumento nec Valentinus, nec Marcion, nec Cata-Phryges, nec Manichæus damnari debent, quia Nicena Synodus eos non nominat, quos certè ante Synodum fuisse non dubium est.* Epist. 65. c. 1.

Restat quæstio, an glorificationis hymnus, *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*, sit à nostra Synodo institutus. Affirmant aliqui ex Zozomeno, adserente Ecclesiam Antiochenam sub Leontio Episcopo fuisse divisam; alios in divinis laudibus cantasse, *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto*, alios *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*, idque conformitèr ad Synodum Nicenam.

Respondeo hymnum esse longè vetustiorem. De illo specialem librum, cui titulus de Spiritu sancto, scribit sanctus Basilius, dicitque esse consuetudinem vetustissimam, antiquitate, ceu quâdam canitie venerandam. Clemens Romanus, Dyonisius Alexandrinus, Ireneus Lugdunensis Episcopus esse *formam & regulam à Maioribus acceptam.* C. 29.
Eiusdem meminerunt Origenes, Julius Africanus, Firmilianus Cæsareensis, Gregorius Thaumaturgus, quorum verba & loca Basilius producit, concludens esse *vocem gratam, amicam sanctis, à prima Evangelij adnunciatione usque ad præsens in Ecclesijs usitatam.* Esse ab Apostolis non scripto, sed verbo traditam disciplinam. Eius auctoritate, tamquam vetustissimâ ac irrefragabili, secunda Synodus, idque intra ipsum Symbolum, confirmavit Divinitatem Spiritus sancti: *Qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur.* Zozomenus aliud non vult, quàm priorem difformem, posteriorem glorificandi modum esse conformem fidei Nicenæ. C. 25.

Aliqui tamen hocce additamentum, *Sicut erat in principio &c.* existimant esse recens, aut à Nicena Synodo, aut à Damaso Pontifice

adjectum contra Arianos, blasphemantes de filio, *Erat, quando non erat.* Favet quintus Canon Concilij Vasensis. *Quia non solùm in Sede Apostolicâ, sed etiam per totum Orientem, & totam Africam vel Italiam, propter hæreticorum astutiam, quâ Dei Filium non semper cum Patre fuisse, sed à tempore cœpisse blasphemant, in omnibus clausulis post Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, Sicut erat in principio & nunc & semper & in sæcula sæculorum Amen,* dicitur; *etiam & nos in universis Ecclesiis nostris hoc ità dicendum esse decernimus.* Adjectum à Damaso Pontifice affirmat eius vita ex Romanis Canonicorum sancti Petri archivis descripta per Abbatem Constantinum Cajetanum, publicata per Marcum Milessium.

Respondeo tamen etiam ipsum esse vetustissimum. Eo usos Clementem Romanum, Dyonisium Alexandrinum, Ireneum Lugdunensem, ac Julium Africanum scribit in jam laudato libro sanctus Basi-
C.13. lius: ut ritum ab omni Ecclesia usitatum prædicat in libro de specta-
C. 25. culis Tertullianus. Nec Vasensis Synodus aut dicta Damasi Pontificis vita adversantur. Edicunt, non tunc inductum additamentum, sed Psalmodiæ adijci cœptum per varias Ecclesias, de quo & varijs alijs ad hymnum hunc spectantibus alibi ex occasione.

CAPUT VIII.

De numero & Auctoritate Canonum Nicenorum.

L.1.c.8. Novissima Synodi sessio, teste Theodoreto, Canones edidit, atque hinc nata generalium Synodorum consuetudo primò moti dogmatis quæstiones, deindè civiles & criminales personarum caussas decidendi, tandemque condendi morum Canones. Porrò de Nicenorum Canonum numero est quæstio antiquissima: Mota primùm ab Aurelio Carthaginensi Episcopo ac Synodo eius, ex occasione Canonis Sardicensis, quem in Apiarij Presbyteri Siccensis caussa missum Zozymus Pontifex scripserat Nicenum. Viginti solos Afri nôrant, ac in Archivis habebant, quos secum ex Synodo detulerat, ac per omnem Africam publicârat Cæcilianus Carthaginensis Episcopus, uti asserit sexta Synodus Carthaginensis. In literis ad Cælestinum Pontificem addit Aurelius lectos à se plures, Latinos ac Græcos Canonum codices, ac in omnibus repertos solos viginti Nicenos. Etiam Zozymus, Bonifacius, Cælestinus Pontifices, ab Afris rogati instantissimè, alios proferre non potuerunt. Hinc missa legatio ad archiva Ecclesiæ Alexandrinæ, Antiochenæ, atque Constantinopolitanæ: Sanctusque

Cy-

Cyrillus Alexandrinus, ac Atticus Constantinopolitanus Episcopus solos viginti miserunt.

Eadem de re cum Nepote Hincmaro, Laudunensi Episcopo, disceptavit Hincmarus Remensium Metropolita. Etenim Laudunensis sustinebat Romanorum Pontificum antiquas Epistolas, ab Isidoro Mercatore nobis delatas, ac à Riculfo Moguntino Episcopo sparsas per omnem Franciam, quas inter Marci Pontificis ad sanctum Athanasium, ac huius ad illum epistola affirmant fuisse Canones octuaginta. At Epistolas illas tamquam suppositititias, jam docti passim reijciunt, ideòque cum Hincmaro assevero fuisse Canones solos viginti. Hoc ille probat ex Canonum Codice, quem passim dicimus Codicem Canonum Ecclesiæ universæ, usitato à Græca Ecclesia, lecto in Synodo Calchedonensi. Actio undecima finit caussam Stephani ac Bassiani, contendentium de Episcopatu Ephesino, & quoniam Stephanus ad Canones provocârat, gloriosissimi judices jussêre legi: Leontius Magnesianus Episcopus ex jam dicto Codice legit Canonem nonagesimum quintum ac nonagesimum sextum, id est, decimum sextum ac decimum septimum Antiochenum, qui istius numeri locum obtinere non poterant, si plures Niceni fuissent, quam viginti. Typis Parasinis jam vulgatus est Codex, in quo vides Hincmarum rectè ratiocinari, atque addere: *Veterum auctoritas veraci attestatione confirmat, non plura fuisse Niceni concilij capitula, quam illa, quæ ex antiqua consuetudine Catholica tenet & veneratur Ecclesia.* Prodit & radicem opinionis, asserentis Canones plures, fuisse Hosium Cordubensem Episcopum, Apostolicæ sedis in Synodo legatum, qui ex legibus Romanis ac jam dictis Romanorum Pontificum antiquis Epistolis varia capitula collegerit, detuleritque ad Synodum, & licet hæc probârit sola viginti, plura ille hinc inde vulgârit. Hanc opinionem dicit apud majores fuisse non incertam. Cuius rei fides sit penes Hincmarum. Quidquid sit, ex dictis epistolis, utpote longè post natis, nequeunt capitula fuisse collecta. Epist. 33. c. 14. 20. 21. Cap. 20.

Adstipulantur nobis etiam scriptores Hincmaro antiquiores. Socrates simpliciter dicit Niceæ conditos Canones. Zozomenus eos dicit à se non adduci, quod exstent apud plures, & à quovis facilè possint haberi. At verò Ruffinus ait fuisse solos viginti duos, id est, nostros viginti: Duos enim, quod & Hincmarus advertit, bipartitur. Eos variè partiri est antiquum: in Synodo Calchedonensi etiam Paschasinus, Lilybetanus Episcopus, ac Romanæ Sedis legatus, sextum ac septimum jungit in unum. Alexius Aristinus facit viginti quatuor, Symeon Logotheta viginti & unum. Rectissimè Theodoretus: *Episcopi* L. 1. c. 5. L. 1. c. 21. Epist. 33. c. 21. Act. 16. L. 1. c. 8.

L. 2. c. 31. *copi rursus in concilium convenientes de administratione Ecclesiastica Canones viginti conscripserunt.* Quod ipsum dicit Gelasius Cyzicenus.

Solvenda restant argumenta sancti Isidori, Hispalensis Episcopi, ac Domini Cardinalis Cæsaris Baronij, Affirmantium fuisse Canones plures. S. Isidorus adducit tres, quos putat non esse è nostris viginti. Primus est, qui unamquamque Diocesin mandat regi à suo Patriarcha aut Primate: Eum esse Nicenum disertè dicit secundus Constantinopolitanus. Secundus est de omnibus Laicorum, Clericorum, Episcoporum causis terminandis à Provinciæ Synodo, majorumque caussarum fine referendo ad sedem Apostolicam, quem esse Nicenum scribit sanctus Innocentius primus ad Victricium Episcopum Rothomagensem. Tertius est de ritu & computu Paschali, circuloque decemnovali, quem Nicenum esse scribit sanctus Ambrosius in literis ad Episcopos per Æmiliam constitutos.

Etiam Cardinalis Baronius adducit varios. Primus est ille, qui librorum Canonicorum cathalogum texit; de quo sanctus Hieronymus in prologo ad librum Iudith: *Hunc librum Synodus Nicena in numero Sanctarum Scripturarum legitur computaße.* Alter est Canon de irregularitate Bigamorum, de quo sanctus Ambrosius in Epistola ad Ecclesiam Vercellensem: *Patres in Concilio Niceno tractatus addiderunt, neque clericum quemquam debere esse, qui secunda coniugia sortitus sit.* Tertius est Canon de Romanis appellationibus, de quo Iulius Pontifex in Epistola ad Synodum Antiochenam factionis Eusebianæ: *Huiusmodi* Romæ appellandæ *consuetudo olim fuit, eiusque memoria renovata est, & scripto prodita in magna Synodo,* utique Nicena. Quartus est Canon de sacrificijs post prandium non celebrandis, de quo Synodus Carthaginensis: *de fide Niceni tractatus audivimus; verum & de sacrificijs inhibendis post prandium, & tunc & nunc confirmatum est.* Hæc verba *Nunc & tunc* sunt idem, quod *Et à Nicena Synodo, & à nostra.* Quartus est de modo scribendæ Epistolæ formatæ ad numeros literarum Græcarum, quem esse Nicenum testatur Atticus, Constantinopolitanus Episcopus, in literis exstantibus apud Gratianum.

Dist. 73 c. I. 2. Quintus denique est Canon firmans Romanas Evocationes, quem Nicenum esse scribit Theodoretus, de Iulio Pontifice appellantem Athanasium ac eius adversarios judices ad suum tribunal evocante

L. I. c. 4. dicens: *Secutus est Ecclesiæ Canonem.*

Nec desunt argumenta alia. Etenim secunda Synodus Arelatensis confirmat Canonem magnæ Synodi, qui falsos fratrum accusatores usque ad exitum suspendit à communione. Magna Synodus est Synodus Nicena: Ille est eius familiaris titulus. Innocentius primus ad Synodum

nodum Toletanam ſcribit eos, qui poſt baptiſma militârint, cauſas egerint, coronati fuerint, ſacerdotium ſuſtinuerint, editiones publicas celebrârint, itemque omnes curiales, ex Niceni concilij decreto eſſe irregulares. Theodoſium Auguſtum, ut Flaviani Conſtantinopolitani Epiſcopi, à Latrocinio Epheſino damnati, appellationem Romæ retractari ſinat, urget ſanctus Leo magnus, idque ex Canone Niceno, quem hodie non habemus. Theodoſius, Eccleſiæ Alexandrinæ Diaconus, in Synodo Calchedonenſi Dioſcorum Epiſcopum ſuum accuſat de prævaricatione variorum Nicenorum Canonum, præſertim quod in Leonem Papam auſus ſit Latrare excommunicationem. Galla Placidia Auguſta in literis ad Theodoſium Auguſtum, exſtantibus in prima parte concilij Calchedonenſis, dicit Sedis Apoſtolicæ legatos adeſſe debere Synodis generalibus, idque ex Canone Niceno. Nicolaus primus in literis ad Epiſcopos Gallicanos aſſerit Epiſcoporum cauſſas eſſe de Eccleſiæ majoribus, ideoque ſine prævia ad Sedem Apoſtolicam relatione deponi non poſſe Epiſcopum à Provinciæ Synodo, atque ità ſtatui à Synodo Nicena. Synodus Narbonenſis ſub Richaredo Rege ait conciliabula, conjurationes, quemvis ſuperiorum contemptum à Synodo Nicena damnari. Qui omnes Canones non ſunt inter noſtros viginti. Epiſt. 23. Epiſt. 24. Act 3. Ep. 42.

Similiter ſanctus Gregorius, Turonenſis Epiſcopus, adducit Canonem Nicenum, dicentem anathema mulieri, intrandæ religionis prætextu, relinquenti virum. Caroli magni capitulare Aquiſgranenſe apud Iacobum Sirmondum adfert Canonem Nicenum, præcipientem ſacerdoti, ut celebrans communionem non omittat. Synodalis Epiſtola ſecundæ Synodi Duziacenſis adfert Canonem prohibentem conſanguineorum nuptias uſque ad ſeptimum gradum. Sanctus Petrus Damiani in Epiſtola ad Capellanos Godefridi Ducis Lotharingiæ profert Canonem, qui ſolis Lectoribus nuptias permittit. Eiuſmodi plures adducit in decreto ſuo Gratianus. L. 9. c. 33.

Enodandis hiſce objectionibus figi oportet duo fundamenta. Primum eſt Hincmari Remenſis Epiſcopi. *Nicenum concilium more ſuo plures cauſſas uno capitulo comprehendit.* Ex quo ille infert Xenia, quibus Clericos & Laicos avari Epiſcopi gravant, damnari Canone decimo ſeptimo, utpote qui principaliter damnet ſolas clericorum uſuras, at ſimul etiam quævis eorumdem turpia lucra. Aliud principium eſt Gelaſij Cyziceni, teſtantis à ſe viſum, lectum, redactum in compendium, grande, quaſi mare, de Nicenę Synodi actis volumen, à Dalmatio Metropolita Cyziceno olim conſcriptum, continens grandes Sanctorum Epiſcoporum contra Arium diſputationes, & Epiſt. 33. c. 51.

 omnem

Præfat. *omnem omninò tractationem illic habitam de Apostolicis Ecclesiæ constitutionibus.* Discussi fuêre omnes Apostolici, omnes anteriores Ecclesiæ Canones, variè de illis dictum à varijs, ac in scriptum redacti soli viginti. Sancti Paphnutij, Ægyptij Episcopi, de clericorum cælibatu disputationem memorant etiam Socrates ac Zozomenus. Istud credo esse volumen, quod quatuor Evangelijs maius vidit ac legit Isidorus Mercator.

Hinc objectus nobis sanctus Ambrosius exponit scipsum. Dicit, non Canone, sed Niceno Patrum tractatu stabilitam bigamorum irregularitatem, utique Patrum disputantium de clericorum cælibatu, ubi non misceri non potuit mentio bigamorum. Similis disputatio libro Judith usa est tamquam Canonico, ac de illa loquitur sanctus Hieronymus: Conatur librum hunc stabilire ex Nicena Synodo, quomodò nos hodie Epistolam ad Hebræos, olim etiam dubiam, stabilimus ex Synodo Ephesina, in Canonem recipiente duodecim famosa sancti Cyrilli Alexandrini Episcopi contra Nestorium Hæresiarcham capitula, quorum decimum ex dicta Epistola, tamquam authentica Scriptura, assumit testimonium. Quod namque Nicena Synodus librum Judith in Canonem non receperit, nec de ipso Canonem condiderit, profitetur ipse Hieronymus in Epistola ad Chromatium & Epist. 118. Heliodorum Episcopos: *Iudith librum legit quidem Ecclesia, sed inter Canonicas Scripturas non recipit.* Et in Epistola ad Furiam: *Legimus in* Epist. 6. *Iudith, si tamen placet volumen recipere.* Etiam Laodicena Synodus non C. 60. recepit; primus recepit, sacrorumque librorum pro universa Ecclesia Canonem condidit Innocentius Pontifex in literis ad S. Exuperium Epi. 3. c. 7. Episcopum Tholosatem. Alium, quasi à Nicena Synodo conditum, Canonem ignoravit Nicolaus primus in literis ad Episcopos Galli- Epist. 42. canos.

Sancti Isidori argumenta sunt facilia. Primus ab illo adductus Canon est manifestè sextus Nicenus è nostris viginti; tertius non est Canon, id est, *lex Ecclesiasticæ administrationis*, sed fidei proximum synodale decretum, uti liquet ex Eusebio in vita Constantini, & ex synodali Epistola ad Ecclesiam Alexandrinam; secundus, quod rectè Hincmarus advertit, est quartus Sardicensis, quem sanctus Innocentius, more semper usitato, vocat Nicenum. Eum ipsum ut Nicenum protulit sanctus Leo magnus Theodosio Augusto, uti patet ex eius Epistola, inserta in primam partem Synodi Calchedonensis, apud L. 1. Epist. 19. editionem Vaticanam generalium Conciliorum. Eumdem Nicenum vocat Nicolaus primus in Epistola ad Episcopos Gallicanos. A Theodosio Alexandriæ Diacono adductus etiam est Sardicensis, atta-

tamen non Canon, ſed principale Synodi decretum, damnans Euſe-
bianæ factionis inauditam huc uſque impietatem ac facinus, auſæ in
Julium Pontificem vomere excommunicationem. Eodem decreto,
uti liquet ex tertia Epiſtola ſynodali, damnata ſunt ejuſdem factio-
nis *conflata cum interminationibus fœdera*, de quibus Synodus Narbo-
nenſis. Nihilominus rectè Auxilius, in opere de ordinationibus For- L. 2. c 11.
moſi Papæ, & marginalis ad trigeſimum quartum Canonem Trulla-
num annotatio, primam conjurationum canonicam damnationem ad-
ſcribunt Concilio Calchedonenſi. Quo etiam reſpexiſſe creditur Vi-
gilius Pontifex, in damnatione Diaconorum ſuorum Ruſtici & Se-
baſtiani, laudans Canonem, tamquam omnibus notum, qui clericis,
ignorante Epiſcopo, interdicit conjurationes. Eas enim proprio Ca-
none prima inſecuta eſt Synodus Calchedonenſis. Eaſdem, teſte Zo-
zomeno, damnavit etiam Seleucienſis: Nullius auctoritatis, quo-
niam Ariana.

Julius Pontifex pro Romanis Appellationibus nullum Canonem,
ſed antiquam Eccleſiæ conſuetudinem citat, ipſo opere probatam à
Nicena Synodo, permittente Alexandri Alexandrini Epiſcopi in
Arium & complices Patriarchalem Synodalem ſententiam coram
Legatis Apoſtolicis retractari. Hanc conſuetudinem dicens ſcripto
traditam Niceæ, reſpicit tractatus Synodales memoratos à Gelaſio
Cyziceno. Hanc ipſam conſuetudinem, agens de Romana Evocatio-
ne, Theodoretus vocat *Eccleſiæ Canonem*: Canonem Apoſtolicum,
legem divinam. Romanæ enim Sedis privilegia Petrus Apoſtolus
ab ipſo Deo-Homine accepit. Quare hæc omnia ſtabilita dici poſſunt
etiam ſexto Niceno Canone: *Sua Privilegia ſerventur Eccleſiis*. Similis
eſt Canon, ex quo Galla Placidia ait Synodum generalem fieri non L 2 c 5.
poſſe ſine Legatis Apoſtolicis. Carthaginenſis Synodi de ſacrificijs 13.
poſtmeridianis ſtatutum nequaquam Nicenam reſpicit, ſed aliam L. 1 c 7.
antiquiorem Carthaginenſem. Sic ſecunda Arelatenſis reſpicit ejuſdem L. 8. c. 9.
loci primam, meritò dictam magnam, utpotè totius occidentis Pa-
triarchalem, damnantemque Donatiſtas, fratrum de traditionis deli-
cto falſos calumniatores. Gregorius Turonenſis hallucinatur: Canon
ille eſt Synodi Gangrenſis contra Euſtatij Sebaſtenſis Epiſcopi erro-
rem. A ſancto Petro Damiani adductus eſt ex vulgaribus Apoſtoli-
cis. De Formatarum modo Canon ſumptus eſt ex Gratiano, nimiùm
facili in Apocrypha. Ab Innocentio primo ad Synodum Toletanam
ſcriptus eſt omninò Nicenus, partim decimus, partim duodecimus,
ut dixi ſuprà.

Alium adhuc, qui videtur non eſſe è noſtris viginti, adducit ſan-

L.4.c.1. ctus Cyrillus, Alexandrinus Episcopus, in literis ad Atticum Constantinopolitanum, quarum partem libris suis inseruit Facundus Hermianensis, integras verò refert Nicephorus Calixtus. L.14 c.17 Atticum Cyrillus gravitèr arguit, quod Joannis Chrysostomi, synodaliter de Episcopatu inter laicos abjecti, nomen sacris Ecclesiæ tabulis inscripsisset, idque in Episcoporum ordine: Esse id dicit contra Canones Nicenos. Respondeo esse quintum è nostris, vetantem, ne quis Episcopus recipiat aut restituat damnatum alienum: sive vivum, sive mortuum. Porrò exauctoratum Episcopum post mortem inscribere eiusmodi tabulis, est illum restituere, adeòque si legitima fuisset Joannis damnatio, legitima fuisset etiam Cyrilli querela. Concludo igitur nullum ex antiquis Ecclesiæ Patribus aut monumentis adduci posse Nicenum Canonem, qui non sit è nostris viginti.

Horum verò summa semper fuit in omni Ecclesia auctoritas. Eos sanctus Leo in Epistola ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum Epist.84. c.2. esse dicit *Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos.* In Epist.71. Epistola ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum, esse *decreta universalis Ecclesiæ pacem servantia.* In Epistola ad Pulcheriam Ep.55.c.2. Augustam, esse *statuta spiritualibus fundata decretis*, quibus nihil possit addi, *ità ut si quis diversum aliquid decernere velit, se potiùs minuat, quàm illa corrumpat*; & quibus servatis, futura sit *per universas Ecclesias tranquilla inter Episcopos pax, & firma concordia, nullæ de Ecclesiarum mensuris dissensiones, nullæ de ordinationibus lites, nullæ de privilegijs ambiguitates, nulla de aliena usurpatione certamina.* In alia ad dictum Anatolium Epist.54. Epistola, esse *per Spiritum verè sanctum ordinatam conditionem, in nulla unquam parte solubilem, tantoq; divinitùs privilegio consecratam,* Epist.[illegible] *ut sive per pauciores, sive per plures Ecclesiastica Iudicia celebrentur, omni penitùs auctoritate sit vacuum, quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum:* Esse *leges usque in mundi finem mansuras.* In Epistola ad Ju- Epist.61. venalem Hierosolymæ Episcopum, esse *Sanctorum Patrum statuta, inviolabilibus fixa decretis, Patribus divinitùs inspirata,* à quibus discordans quodvis alterius Synodi decretum *sit irritum atque infirmum.*

Horum Canonum caussâ, Damasus Pontifex rejecit & cassavit Synodi Constantinopolitanæ Canones, quòd nempè eorum tertius Episcopo Constantinopolitano daret secundum in Ecclesia locum, à sexto Niceno adscriptum Episcopo Alexandrino. Cælestinus primus ac Ephesina Synodus Juvenalem Hierosolymæ Episcopum, tres Palestinas à Sede Antiochena in suam traducere tentantem, nec audire voluerunt, quod nempè id adversaretur Niceno Canoni sexto & septimo. Gennadius, Archimandrita Constantinopolitanus, Proclo

Epis-

piscopo suo communicare noluit, quod ipse Juvenali dictorum canonum prævaricatori communicaret. Solam fidei Calchedonensis definitionem confirmavit S. Leo Pontifex, Canones omnes aversatus, non alia de caussa, quam quòd eorum quidam destruerent sextum Nicenum. Dura & longa bella de hac re adversùs Orientis Ecclesiam & Sedem Imperialem gessit Romana Ecclesia. Auxilius Presbyter Hosium Cordubensem Episcopum hostiliter insequitur, quòd prius ab illo suggestus Sardicensis Canon limitet decimum tertium Nicenum. At id ex Apostolicæ Sedis auctoritate factum est, cui Dominus concessit omnia, de quo inferiùs.

CAPUT IX.

De Actis & Potestate Constantini Augusti in Synodo, eiusq; fine & subscriptionibus.

IN locum Synodi intrasse Constantinum reverentiâ plenum, oculis demissis, vultu verecundo, sine officio & apparitura, cum paucis Palatinis orthodoxis, nec nisi in loco infimo & ad Episcoporum jussum sedere ausum, scribit Eusebius. De petita & obtenta Episcoporum licentia intrasse addit Theodoretus. Hinc Synodi octavæ Canon decimus septimus. *Illud autem tamquam perosum quiddam ab auribus nostris repulimus, quod à quibusdam imperitis dicitur, non posse Synodum absque Principali præsentia celebrari, cùm nusquam sacri Canones convenire seculares Principes in Concilijs sanxerint, sed solos Antistites. Vndè nec interfuisse illos Synodis, exceptis Concilijs universalibus, invenimus: Neque enim fas est saculares Principes spectatores fieri rerum, quæ Sacerdotibus Dei nonnunquam eveniunt.* Hoc est, audire nequeunt eorum caussas criminales. Et ad Michaëlem Augustum Nicolaus primus. *Dicite, ubinam legistis, Imperatores Antecessores vestros in Synodalibus conventibus interfuisse, nisi forsan in quibus de fide tractatum est, quæ universalis est, quæ omnium communis est, quæ non solùm ad Clericos, verùm etiam ad Laicos & ad omnes omninò pertinet Christianos?* Eum arguit, quòd criminali extra fidem in sanctum Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum judicio adesse, & quidem cum omni Palatina turma, præsumpsisset.

L. 3. c. 10.
L. 1. c. 7.
Epist. 9.

Ità Dioscoro, Alexandrino Episcopo, à Synodo Calchedonensi ad varijs extra fidem criminalibus accusationibus respondendum evocato, & Magnificentissimum Senatum, qui eius de fide processum audierat, adesse postulanti, respondit Cecropius Sebastapolitanus Episcopus: *Quando regularia examinantur, neque Iudices, neque alios Laicos adesse*

Act. 3. f. 127.

adesse oportet. Regularia sunt crimina, non in fidem commissa, sed in regulas morum.

Princeps ergò ac eius Senatus adesse poterant solis caussis civilibus & fidei quæstionibus, idque in solis Synodis generalibus. Hinc pro Eutychete, à Flaviano Constantinopolitano Episcopo de læsa fide ad Synodum provincialem evocato, postulanteq; sibi adesse personæ suæ securitatem & protectionem Regiam, rescripsit ad dictam Synodum

Con. Calc. Act. 1. Theodosius Augustus: *Quoniam scimus magnificentissimum Patricium Florentium esse fidelem, & testimonijs probatum de recta fide, volumus ipsum interesse audientiæ Synodi, quoniam sermo de fide est.* Non nisi obtentâ Flaviani licentiâ intrare præsumpsit Florentius, nec ipsum Flavianus admittere sine Eutychetis consensu, utique quod contra consuetudinem esset, nolletque Synodum suam hominis nequissimi calumnijs exponi.

Rectè dicit octavæ Synodi laudatus Canon ad Synodos à Canonibus vocari solos Episcopos, generalibus tamen Principes quandoque interfuisse: utique ex gratia, magnis Constantini meritis primitùs indulta, tractaque exindè in consuetudinem. Gratiæ caussam disce ex

Act. 4. verbis Babanis Patricij ad Synodum octavam. *Imperatores nostri miserunt servos suos, qui Senatus vocatur, ut simus districti eorum, quæ geruntur, auditores. Si vultis ergò à nobis, sicut se habet ordo Synodicus, in fine sanctæ & universalis Synodi huius exigere proprias subscriptiones, cuncti fratres & compatricij mei dicunt, nisi audiverimus, non scribet manus nostra unam syllabam in Synodo ista.* Ad exequenda, præsertim adversùm rebelles, Synodi decreta subscripti Principis sigillo & brachio egebat Ecclesia, ideòque ut testem atque auditorem permisit adesse.

Alias caussas dat Theodosius Augustus in literis Divalibus, quibus Candidianum Comitem vice suâ adesse voluit Synodo Ephesinæ.

L.1.c.35. *Candidianum Domesticorum Comitem ad sacram vestram Synodum abire iussimus, sed eâ lege & conditione, ut cum quæstionibus & controversiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat: Nefas est enim, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotijs & consultationibus sese immiscere.* Verùm ut personas inutiles, ad Synodum quasi ad spectaculum concurrere solitas, eijciat aut compescat; ut Episcopos ad Canones & Sedis Apostolicæ iussiones servandas urgeat; ut eorum in disceptando rixas cohibeat; ut eorum suffragium à Patriarchis violenter extorqueri non permittat; ut omnes Synodalibus decretis cogat obedire.

Princeps ergò Synodalibus quæstionibus nullatenùs præsidebat: Quin eis misceri nullo pacto poterat, cum illis nihil habere commune,

non

on interloqui; sed esse merus auditor. Quod Constantinus omnia ynodi judicibus permiserit, disertè testatur Eusebius. Eutycheti ad ynodalem Flaviani Episcopi de duabus Domini naturis interrogaonem tergiversanti dixit Florentius Patricius: *Duas naturas dicis, & nsubstantialem nobis?* Dic. Addiditque ad eadem verba per notarios lecta: *Quòd dixi, Dic, non quasi interloquens dixi, sed exhortans eum, ut nsentiret his, quæ à sancta Synodo dicebantur.* Adjungebant acta dixisse, *Qui non dicit ex duabus naturis, & duas naturas, non credit rectè*; verùm dignatus Florentius reposuit: *Hanc interlocutionem non dixi, neque nim idoneus eram dicere.* In octava Synodo Legatis Apostolicis, uosdam Photianos discuti mandantibus, responderunt Gloriosissimi udices: *ut obsecundantes verbo vestro, ex præceptione vestra eos interroamus, non per potestatem nostram, potestas enim hæc vestra est.* Hìnc Arianus secundus Pontifex gratias agit Basilio Augusto, quòd in dicta ynodo *non Iudicum vel Assertorum, sed consciorum tantùm & obsecuntorum personâ fuerit usus.* Ità factum in omni Synodo, etiam in Nicena à Constantino Augusto, de quo Augustus Marcianus ad Synoum Calchedonensem. *Nos ad fidem confirmandam, non ad aliquam poniam exercendam Synodo adesse voluimus, exemplo gloriosi Principis Conantini.* Act 4. Post Act. 10. Act 6.

Legatis Apostolicis, primum subscribendi locum offerentibus, respondit in octava Synodo Basilius Augustus. *Tranquillissimum Imperium nostrum, secutum præcedentes & iustissimos Imperatores, Constantinum magnum, Theodosium, & Marcianum, ac cæteros, vult subscribere post bscriptionem omnium Deo amabilium Episcoporum. Sed quoniam postulat raferri nos Sanctitas vestra, subscribam post subscriptionem omnium sanissimorum Vicariorum.* Id est, post Legatos quinque Patriarcharum. Et quoniam ordo subscribendi sequitur ordinem sedendi, liquet etam post omnes Episcopos Constantinum sedisse. Act 10.

Obijci potest Relatio Synodalis Concilij Calchedonensis ad Leoem Pontificem hæc scribens de semetipsa. *Tu quidem sicut caput memris præeras per tres Legatos; Imperatores verò fideles ad ordinandam ecentissimè præsidebant, sicut Zorababel & Iesus, Ecclesiæ, tamquam Hieusalem, ædificationem renovare circa dogmata adnitentes.* Et in singulis extæ Synodi actionibus dicitur: *Præsidente Imperatore nostro Constanna.* Et in singulis Actionibus Synodi Calchedonensis: *Residentibus loriosissimis Iudicibus in medio*, utique Episcoporum ad latera sedentium, nte *Cancellos sanctissimi Altaris.* L.3.Epi.1.

Respondeo loquendi modum provenire ex Græcorum genio, de uo Anastasius Bibliothecarius in præfatione septimæ Synodi ad Joan-

Joannem octavum Pontificem: *Apostolatus vester adulationi veniam det sæpè Prælatis suis non sine reprehensione placere studentium.* Præsidebat Princeps Synodo, non tamquam caput membris, sed ad reparandæ fidei adnitendum Regio brachio, & ordinandum decentissimè omnia, illa utique, quæ suprà audivimus à Theodosio Augusto injuncta Comiti Candidiano. Præsedisse non aliud est, quam assedisse, & omne Augustæ Majestatis opus exprimitur Augusto nomine. Hinc gloriosissimi Iudices, licet Majestatis Vicarij, dicuntur dumtaxat resedisse. Ante Sanctuarij Cancellos: Non ut Synodi caput, sed ut utrimque sedentes ac differentes Episcopos videre & audire possent, vicissimque ab illis audiri.

Episcopos namque Nicææ ex utroque Aulæ Palatinæ latere sedisse, scribit disertè Eusebius. Ad lævam Legati Apostolici & Patriarcha Alexandrinus, ad dextram Antiochenus, de quo idem scriptor: *Episcopus, qui in dextro ordine primam Sedem occupabat, adsurgens perbrevi oratione Imperatorem adfatus est.* Fuisse S. Eustatium Patriarcham adfirmat Theodoretus. Eodem ferè modo sederunt Calchedone: Ex læva Legati Apostolici, Episcopus Constantinopolitanus, Patriarcha Antiochenus, Ponticæ & Asianæ Dioeceseos Primates; ex dextra parte Patriarcha Alexandrinus, Hierosolymæ Episcopus, & Vicarius Thessalonicensis; quique cum suis Episcopis. Verùm Constantinopolitanus & Hierosolymitanus invasère locum indebitum, ideòque Antiochenus in lævam transijt, Alexandrinus in dextram.

L. 3. c. 10. C. 11. L. 1. c. 7.

Adversari videtur Nicephorus Calixtus, dicens Romanos, Byzantios, Antiochenos in dextra, Alexandrinos autem & Hierosolymitanos sedisse in sinistra. Respondeo non adversari. Etenim Eusebius & Synodus Calchedonensis vulgarem, qui intrantium situi respondet, Nicephorus Calixtus attendit Ecclesiasticam basilicæ positionem, de qua Ordo Romanus. *Episcopi atque Presbyteri sedebunt eâ locali dispositione, ut Episcopi intrantibus sint ad sinistram, Presbyteri verò ad dextram, ut quando Pontifex sederit, & ad eos respexerit, Episcopos ad dexteram, Presbyteros contueatur ad sinistram.* Eodem modo sessum fuit in Synodo Florentina. *Lis,* inquiunt acta, *& controversia orta est de Sedibus Occidentalis & Orientalis Ecclesiæ, donec lecta sunt acta Synodorum. Tandem hoc inter eos convênit, ut Papæ quidem & Pontificijs ea pars templi daretur, quæ læva esset ingredienti; altera verò, dextera scilicet, Imperatori & suis. Atque ità Sedes in hunc modum collocatæ sunt:* Latini ad aquilonem, Græci ad austrum sederunt. Et ità etiamnum hodiè servatur Romæ in Capella Palatina.

L. 15. c. 4.

Quis

Quis porrò fuerit Pontifex generali Synodo præsidens invisibiliter, scribit ad Theodosium Augustum sanctus Cyrillus Alexandrinus Episcopus in Apologetico inserto actis Synodi Ephesinæ. *Sacra Synodus Christum Confessorem & velut caput constituit, venerandum enim Evangelium in sancto throno collocatum erat, Sacerdotum auribus insonans: Iustum judicium judicate, sanctè inter Evangelistas & Nestorij voces discernite.* Ejusdem Synodi ad Principem Relatio ait *S. Evangelium, quòd ipsum Christum præsentem monstrabat, in throno, qui medium locum obtinebat, fuisse propositum.* Hìnc ergò Legati Romani erant ad lævam intrantium, ut huic Pontifici sedenti & eos intuenti essent ad dextram. Dextram namque & Latinis & Græcis fuisse semper honorabiliorem, facilè possit ostendi. Hunc morem respexit Meletius Antiochenus Episcopus, dicens ad Paulinum de eadem Cathedra contendentem. *Quòd si Sedes contentionem gignit, ego hanc contentionem à nobis repellere conabor: Ponamus in ea librum Evangelij, & utrimque nos sedeamus.* L.3.c.13. L.1. Act.1. P.379. Theodor. l.5.c.3.

Addit Synodus Calchedonensis. *Antepositis in medio sacrosanctis & venerabilibus Evangelijs, Paschasinus Reverendissimus Episcopus & Vicarius Sedis Apostolicæ, quùm in medio unà cum viris Reverendissimis Collegis suis stetisset, dixit.* Allocuturi Synodum Legati è Sede surgebant, stabantque non cum Glorioso Senatu ante Sanctuarij Cancellos, sed ante sacrosancti Evangelij thronum, ità ostendentes, cujus vice & legatione fungerentur. Non ob Synodi, sed ob ejusdem Evangelij, ac per ipsum repræsentati Pontificis Jesu Christi, reverentiam stabant. Palàm ergò errant Sectarij nostri locum ante Cancellos fuisse digniorem.

Attamen hæc omnia jam pridem mutavit Ecclesia. Sanctum Evangelium non in throno, sed inter sex luminaria ac Principum Apostolorum statuas in ipso altari ponunt Synodi, atque ità Principem & Senatum à sacris cancellis, nominali præsidentiâ, & omni olim precariò indultâ potestate amoverunt. *Cæterùm*, inquit Florentina Synodus, *in medio templi, atque inter duos Cleros, ante sacrum altare, solium pulcherrimum posuêre, perquam ornatum, apparatumque aureo velamento, in quo sedit Iudex magnus & iustus, Dominus noster Iesus Christus, hoc est, sanctum Evangelium, appositis hinc indè sanctorum Apostolorum Petri & Pauli capitibus, cereisque ante illa accensis.* Hæc verba, *Ante altare*, exponit sessio prima. *Super altare autem propositus erat sancti Evangelij liber apertus, medius inter capitum thecas sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, cereis utrimque tribus accensis.* Undè istic non tantummodò Græcorum Augustus, sed & ipse Dominus Papa ad latera sederunt. Videndus in Concilij historia Sylvester Sguropulus. Spectant hæc omnia

nia ad ſacras juſſiones, excuſſas ob Leonis Iſauri impias violentias: undè & in ſeptima & octava Synodo Princeps dumtaxat aſſediſſe cum Senatu legitur, non præſediſſe.

Soli itàque Patriarchæ, tres Autocephali Primates, & Vicarius Theſſalonicenſis habuerunt in Synodo locum ſuæ ſedis. Addendus Archi-Epiſcopus Carthaginenſis, licèt non Autocephalus, totius tamen Africanæ Dioceſeos Primas, de quo ad ſextam Synodum Conſtantinus, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Presbyter & Grammaticus Latinus. *Scio, temporibus Pauli Patriarchæ, veniſſe Fortunium, qui fuit Epiſcopus Carthaginenſis, & cùm Miſſas acturus eſſet in ſancta magna Dei Eccleſia, quæſitum eſt, quomodò ſedere debuiſſet, utrumne ante Metropolitanos, qui hìc morabantur, an poſt eos. Et requirente eodem Paulo quondam Patriarchâ in Bibliotheca Patriarchij librum quinti Concilij, ut cognoſceret, quomodo ſedere debuiſſet, contigit, ut inveniretur & latinus liber eiuſdem Concilij. Et exindè inſtructus idem Paulus fecit eum ordinabilitèr ſedere.* Utique proximè poſt dictos Primates & Vicarium, uti in quinta Synodo ſederat Sextilianus, Tunienſis Epiſcopus, Legatus Primoſi Carthaginenſis. Reliqui omnes & Metropolitæ & Provinciales juxta acceptæ conſecrationis ætatem: Primùm veri, tùm ſolo nomine Metropolitæ, poſtremò Provinciales. Hínc in octava Synodo poſt Patriarchas & Primates Metropolitæ ſederunt, deindè Archi-Epiſcopi: Nempè ex tunc apud Græcos Archi-Epiſcopi erant ſolo nomine Metropolitæ.

Act. 14.

Hic ſedendi ordo ſervatus fuit etiam in Provinciarum ac Dioceſeon Synodis. Hìnc vacanti aut canonicè impeditæ Sedi Patriarchali, Primatiali, aut Metropolitanæ non dabatur Viſitator, ſed ipſam quoad judicia & conſecrationes adminiſtrabat ſenior Metropolita aut Provincialis. Quin in Africanis Provincijs, Sedes Metropoliticas non habentibus, ſenior Provincialis erat Provinciæ Primas ſeu Primæ Sedis Epiſcopus, habens ſine nomine Metropoliticam poteſtatem. Hac de cauſſa ſanctus Auguſtinus in Victorini, Numidiæ Primatum prætendentis, tractoria nomen ſuum tertio loco poſitum, ut rem alijs injurioſam ac ſibi invidioſam, averſatus eſt, *noſcens quam poſt multos Epiſcopus factus eſſet.* Nec Victorinum in Primatem agnoſcere voluit, quouſque ſynodaliter conſtaret, an ipſe, an Xantippus Tigiſenſis Epiſcopus eſſet prior ordinatus. Quas lites ex Africa eliminatas volens, per Synodum ſtatui obtinuit, ut ordinato Epiſcopo Ordinator daret deinceps literas, ordinationis annum, menſem, diem authenticè exprimentes. Vulgata Auguſtini editio Xantippum vocat Epiſcopum Tagaſtenſem: At Vaticana exemplaria manuſcripta dicunt

Epiſt. 217.

Ti-

Tigisensem seu Tigisitanum, atque ità nos eximunt magnis & nodosis difficultatibus.

Excipe tamen Proto-thronos, id est, Sedes habentes præcedentiæ privilegium, qualis in Patriarchatu Antiocheno fuit Tyria, Phœniciæ maritimæ Metropolis, quàm in octava Synodo Elias Presbyter, Theodosij Patriarchæ Hierosolymitani Legatus, dixit esse *primam Sedem Antiochiæ*, Ioseph Ecclesiæ Alexandrinæ Archi-Diaconus & Legatus *primam Metropolim throni Antiochensium*, ac eius Metropolitam ipsa Synodus *primum Sessorem & Primatem Antiochiæ*, qui & in Patriarchali Synodo primus post Patriarcham semper sedeat, & Sedem Patriarchalem vacantem quoad omnia gubernet. Eiusmodi in Cæsareensi provincia fuit olim Hierosolymitanus, in Bithynia Nicenus, in Phœnicia maritima Berytensis, in Romana Ostiensis, in Lugdunensi Augustodunensis, in Senonensi Carnotensis, in Cantuariensi Londinensis, in secunda Belgica Suessionensis, de quorum vario iure erit alibi dicendi locus. Attamen in sola Provinciæ suæ Synodo habebant sessionis prærogativam; in totius Diœceseos aut Ecclesiæ conventu sedebant iuxta ætatem consecrationis.

Act. 1.

Act 9.

Quæstio est, an ità sessum fuerit etiam Nicææ? Ratio dubitandi est, quia ordo sedendi idem est cum ordine subscribendi: At verò Nicææ Patres subscripsêre non in diversas ordinationis ætates, sed quique in suas Provincias distributi. Respondeo tamen affirmativè. Non obscurè id probatur ex Synodi decreto de Episcopis & Clericis Meletianis, in communionem & gradum admissis eâ lege, ut omnibus ab Alexandro Patriarcha ordinatis essent semper loco posteriores. Hìnc, inquam, liquet ordinationis ætatem tunc ubique servatam inter Episcopos & Clericos, ideòque etiam in Synodo Nicena.

Neque verum est ordinem sedendi semper fuisse eumdem cùm ordine subscribendi. Etenim etiam Sardicensi & primæ Synodo Constantinopolitanæ subscriptum est ab Episcopis in suas Provincias digestis, priùsque in Ephesina Synodo ordo sedendi idem esse cæpit cum ordine subscribendi, cujus mutationis caussam ignoro. Forsàn ob lites de ordine Provinciarum.

Porrò Nicænæ Synodi subscriptiones constat esse, non tantummodò admodùm mutilas, neque enim sunt trecentæ decem & octo, neque enumerantur omnes Episcoporum, quos adfuisse constat, Provinciæ; sed & variè vitiatas. Desunt sancti Nicolaus Myrensis, Iacobus Nisibenus, Spiridion Cyprius, Paphnutius Ægyptius, alijque similes Episcopi plures.

Primum verò vitium est, quòd Apostolicos Legatos proximè sequa-

quatur Ægyptiaca Diocesis, Illyricum autem, Italia, Africa, Gallia, Gothia, Romani Patriarchæ Dioceses, postponantur omnibus orientalibus: Proximè sequi debuerant Patriarchæ sui Vicarios, non ab illis sejungi. Factum autumo ab Eusebianis, Orientalem Ecclesiam Occidentali volentibus nobiliorem.

Secundum vitium est, quod post Ægyptiacam Diocesim sequatur Palestinæ Provincia, novissima omnium Syriarum. Sequi debet Provincia Syriæ Cœles, cujus Metropolis est Antiochia, tertia sedes Patriarchica, eique adjungi non tantùm Phænicia, Palestina, Arabia, Mesopotamia, Persis, Cilicia; sed & Isauria ac Cyprus: Nulla Provincia separari potest à Patriarcha. Factum id à Græcis, Hierosolymitanū Patriarchatum extollere conantibus, Isauriamque & Cyprum, quòd posteà factum, Antiocheno ereptas transcribere in Constantinopolitanum. A simili auctore prodijt Synodus ficta de caussa Polychronij Episcopi Hierosolymitani.

Tertium vitium est, quod in Asiæ Provincia ponatur Theonas Cyzicenus ante Menophantum Ephesinum. Quis enim nesciat Ephesinum semper fuisse totius Asiaticæ Dioceseos Exarchum? Cyzicenus erat sub illo Metropolita Hellesponti.

Quartum vitium est, quòd Bythinia ad Ponticam spectans ponatur post Asiaticas Provincias, separata à suo Primate. Malè item Eulalius Iconiensis, utpotè Lycaoniæ Metropolita, adscribitur Pisidiæ: Nisi forsàn, quod ex S. Basilij ad S. Eusebium Samosatensem Episcopum
Epist. 8. Epistola videtur non obscurè colligi, Lycaonia & Pisidia tunc fuerit unica Provincia. Verùm duas fuisse suadet subscriptio Synodi Ancyranæ. Malè Nicasius Gallus dicitur Episcopus Divionensis; nam Divione numquam fuit civitas, sed semper castrum subditum Episcopo Lingonensi. Credo fuisse Episcopum Diensem. Malè Europæ Metropolita & Thracum Primas ponitur Phædrius: fuit enim famosus ille Theodorus. Plura sunt ejusmodi.

At quid de varijs, qui subscripsére, Chorepiscopis? An proprio, an alieno suorum Episcoporum nomine subscripserint? Quidam existimant, quod proprio nomine. Ephesinæ quippè Synodo, idque inter Episcopos, subscripsit & Cæsarius, Chorepiscopus civitatis Asiæ. Et Francorum Synodis consuetos adesse Chorepiscopos, testatur in
L. 2. c. 18. historia Ecclesiæ Remensis Flodoardus. Respondeo tamen adfuisse &
l. 3 c. 11. subscripsisse ut Episcoporum Vicarios. Etenim ex perpetuo Ecclesiæ more, ut suprà à Synodo Calchedonensi audivimus, Synodus est solorum Episcoporum, non Clericorum: At verò Chorepiscopi, quidquid sit de eorum ordinatione, potestate non sunt, nisi Clerici, uti

liquet

liquet ex octavo Niceno Canone, & quidem, juxta Canones Neocæsareenses, Cathedralis Ecclesiæ Præsbyteris inferiores. Hinc Synodo Calchedonensi nullus subscripsit Chorepiscopus, nisi vice sui Episcopi: Sophronius pro Bassiano Mopsuesteno, Adelphius pro Adalio Arabassi, Evelpistus pro Florentio Tenedensi. Adducta Synodi Ephesinæ subscriptio est palàm vitiata: Etenim Cæsarium vocat Chorepiscopum civitatis Asiæ, constat verò usque ad illa tempora in solis vicis aut castris Chorepiscopos fuisse. Flodoardus de solis Provinciarum Synodis loquitur, dicitque Chorepiscopos non nisi post Episcopos adfuisse; at verò Nicææ subscribunt inter Episcopos, adeòque vice suorum Episcoporum. Nicephorus Calixtus addit subscripsisse & duos Episcopos mortuos: At nullus illi antiquus Scriptor attestatur. L.8.c.23.

Peracta tandem Synodus Sylvestro Pontifici acta sua retulit, petijtque confirmari. Literas synodales in antiqua collectione Cresconiana existentes protulit etiam ex antiquo Coloniensi codice Laurentius Surius, & Vaticanæ generalium Conciliorum editioni inseri jussit Paulus quintus; at video, certè sine firma ratione, de illarum fide dubitari. Etiam Sardicensis, Constantinopolitana, Ephesina, Calchedonensis, aliæque omnes Synodi petierunt Apostolicam confirmationem, sine qua ratas non esse synodales constitutiones clamat omnis auctoritas antiqua. Dyonisius Exiguus in præfatione Nicenæ Synodi adducit hæc verba Sylvestri Pontificis in Synodo Romana ducentorum septuaginta Episcoporum. *Sylvester, Episcopus sanctæ & Apostolicæ Sedis, Præsul urbis Romæ, dixit: Quidquid in Nicæa Bythiniæ constitutum est ad robur sanctæ matris Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ, à sanctis Sacerdotibus trecentis decem & octo, nostro ore conformitèr confirmamus. Omnes, qui ausi fuerint dissolvere diffinitionem sancti & magni Concilij, quod apud Nicæam congregatum est sub præsentia pijßimi & venerandi Principis Constantini Augusti, anathematizamus. Et dixerunt omnes: Placet.* Etenim etiam laudata synodalis Epistola, quæ venerandam antiquitatis canitiem omninò præfert, rogârat à Sylvestro adunari Romanæ Provinciæ Synodum, & istic acta sua discuti & confirmari.

Confirmata fuére etiam à Constantino Augusto, ad cujus facti normam omnes postmodùm Synodi acta sua semper retulerunt ad Principem, petieruntque confirmari: Ex quo Sectarij nostri autumant illa sine Principis Placito rata non fuisse. Errant toto cælo. Datæ enim à Constantino confirmationis Eusebius dat rationes duas. Prima fuit. *Quæ ab Episcopis edita erant regulæ, suâ consignabat & confirmabat auctoritate, ne reliquarum gentium Principibus liceret eas abroga-* L.4.c.27. L.3.c.22.

rogare. Altera fuit quorumdam in Ægypto Arianorum adversùs Synodum rebellio, ideóque Princeps illius *decreta sigillo suo rata fecit.* Hæc ergò confirmatio fuit mera adversùm externos & domesticos hostes subsidiaria Regij brachij armatura.

Aliam caussam dat Synodus Calchedonensis in Relatione ad Mar-
L.3 Epi.2. cianum Augustum, dicens sese referre, ut ipse factam fidei definitionem *Petri Sedis auctoritate confirmari* impetret: Quod namque generales Synodi suas ad Romanum Episcopum supplicationes Regijs passim precibus adjuvari curârint, res est manifesta. Attamen & hoc spectat ad sacras jussiones jam pridem exufflatas.

Quibusdam tandem Primatibus Episcopis, per Gelasium Cyzicenum enumeratis, imposita est cura & jussio divulgandæ Synodi per omnes Ecclesiæ Dioceses. Sic dimissi à Constantino Episcopi, priùs Regio convivio excepti, donati honoribus & muneribus, rogati servare dilectionem & pacem in invicem, præsertim in collegas doctiores, quos, utpotè Ecclesiæ columnas, videbat Arianorum invidiæ præsertim subjacere. Omnium deindè per quasvis Provincias Ecclesiarum Clericis, sacris virginibus & viduis certum frumenti munus
L.1.c.11. donari annuatim jussit, additque Theodoretus. *Huius congiarij tertia pars adhuc suppeditatur: Quippè impius tyrannus Iulianus totum penitùs abstulerat, sed qui ei successit in Imperio, hoc, quod iam suppeditatur, donari mandavit.* Grassans tum fames prohibuit restitui totum.

CANONES
CONCILII SARDICENSIS.
CANON PRIMVS.

HOsius Vrbis Cordubæ Episcopus dixit: Non tam mala consuetudo, quam pernitiosissima rerum corruptela est ex ipsis fundamentis penitùs extirpanda, ne cui Episcopo liceat à parva civitate in aliam migrare. Eius enim causæ prætextus est manifestus, propter quem talia tentantur. Nullus enim Episcopus adhuc inveniri potuit, qui à maiori civi-

tate

tate in minorem transire studuerit. Vndè constat, eos ardenti plura habendi cupiditate succendi, & magis arrogantiæ servire, ut videantur maiorem habere potestatem. Placet ne hoc omnibus, ut eiusmodi improbitas acerbiùs vindicetur? Existimo enim eos ne Laicorum quidem debere habere communionem. Omnes Episcopi dixerunt: Placet omnibus.

S C O L I O N.

CAnonis caussam dat Julius Pontifex in Epistola ad factionis Eusebianæ Synodum Antiochenam, arguens, quòd Nicenum Canonem, utique quintum decimum, totamque Synodum *contemptui haberent, iam in usu habentes de loco ad locum ad Episcopatus capiendos transilire, & reiectâ civitate concreditâ minore transvolare ad magnam.* Nam & factionis caput Eusebius, olim Beryto translatus Nicomediam, per hosce dies Nicomediâ migrârat Constantinopolim. Hanc totius disciplinæ corruptelam violentâ medicinâ impetit Hosius, quibuscumque translatis negans laicam etiam communionem.

Vox *communio* nequaquam Eucharistiæ perceptionem importat, sed Sanctorum communionem, seu potiùs Reconciliationem sacramentalem illius restitutivam. Sanctus Cyprianus, Tertullianum imitatus, passim vocat Pacem seu restitutionem Pacis, utique cum Deo, à quo hominem separant soli reatus seu maculæ peccatorum. Alij vocant simpliciter Restitutionem, Reconciliationem, Reconciliationis auxilium, Reconciliationis remedium, Reconciliationis communionem, Reconciliationis januam, sanctæ communionis consortia, communionis gratiam, communionis unitatem, Ecclesiæ redditionem, Pænitentiæ fructum, datum Apostolicâ clave, quâ peccata solvuntur. Hìnc Patres passim damnant Montanum & Novatianum, quòd certis peccatis negarent hæc omnia, id est, ut Tridentina Synodus exponit, Gratiam remissionis.

Porrò intra Sanctorum communionem sunt varij gradus, Ordines, classes, videlicet Episcoporum, Clericorum, Laicorum, ideòque & varij Ordines cõmunionis, nempè Episcopalis, Presbyteralis, Diaconalis, Clericalis variç, variç Laicalis. Hìnc ad Anthonianum Episcopum scribit S. Cyprianus, Trophymum Episcopum, lapsum in idololatriam, à Sancto Cornelio Papa receptum quidem in communionem, verùm eâ lege, ut nequaquam locum Sacerdotis usurpet, sed communicet ut Epist. 52.

Laicus.

Laicus. Hoc est, ut intra Sanctorum communionem versetur ut Laicus, habeat Laici gradum, Laicus per omnia deputetur.

Eodem modo de uno ex tribus Novatiani Ordinatoribus Episcopis apud Eusebium Cæsareensem scribit ad Fabium Antiochenum
L. 6. c. 35. Episcopum dictus Pontifex Cornelius: *Tandem ut Laicum in Ecclesiam recepimus*. S. Hieronymus in commentarijs Ezechielis Prophetæ queritur Episcopos, in Synodo Ariminensi lapsos, sedere etiamnùm in
C. 44. solio Episcopali ac manere Episcopos, qui *in Laicos redacti deberent sui sacrilegij scelera deplorare*. S. Leo Pontifex secundæ Synodo Ephe-
Epist. 13. sinæ mandat, ut Eutycheti, si resipiscat, *reservet sui ordinis communionem*, id est, communionem Presbyteri & Archimandritæ. Euphemio Constantinopolitano Episcopo apud Nicephorum Calixtum Fælix
L. 16. c. 19. tertius aufert *communionem Episcopalem*. Ephesina Synodus Eustatio Pergensi Episcopo, Pamphyliæ Metropolitano, perperàm exauctora-
Act. 2. rato, reddit *Episcopi nomen, honorem, communionem*. Ægyptiacæ Dioceseos Episcopi, in literis ad Leonem Augustum, exstantibus post Synodum Calchedonensem, lamentantur *sanctam* Alexandrinam Ec-
Epist. 12. clesiam teneri à Timotheo Æluro, qui per Canones *nec Laicorum communionem* possit habere. Agapetus, Rhodiorum Episcopus, Provinciæ Insularum Metropolita, ad eundem Principem scribit eum *non*
Epist. 45. *solùm non inter Episcopos aut Clericos, sed nec inter Laicos constituendum*.
Epist. 54. Petrus Gangrensis Episcopus, Paphlagoniæ Metropolita, ait *non solùm sacerdotij honore indignum, sed etiam ab Laicorum ordinatione removendum*. Sanctus Gregorius Magnus, in literis ad Venantium Lunensem Episcopum & Constantium Metropolitam Mediolanensem,
L. 4. Epist. mandat, ut Subdiaconi, carne lapsi, *ab officio irrevocabilitèr depositi inter*
16 17. *Laicos accipiant communionem*. Agathensis Synodus Episcopum,
C. 51. Presbyterum, aut Diaconum, falsi convictum, mandat ab honore deponi, detrudi in monasterium, habere istic solam laicam com-
C. 19. munionem. Tertia Aurelianensis Clericum contumacem ad tempus dumtaxat deijcit *in communionem laicam*, id est, *ab ordine deponit*. In
Act. 4. f. 222. octava Synodo dicunt Legati Apostolici, quòd Romana Ecclesia Photium ut Episcopum nunquam receperit, *sed semper inter Laicos computârit*. Legatis suis mandavit Nicolaus primus, ut cum illo non com-
Act. 7. f. 240. municarent, *nisi quasi cum Laico*. Eidem, si resipiscat, Adrianus secundus spondet *non negandam gratiam laicæ communionis*. Formosus Portuen-
Act. 900. sis Episcopus, uti scribit Sigebertus Gemblacensis, à Joanne octavo usque ad laicalem habitum degradatus, juravit manere semper in laica communione. Antiquorum scripta scatent hujusmodi testimonijs.

Quocircà laicam accipere communionem cadit in solos Clericos, im-

importatque & gratiam & pænam. Communio est gratia, at quod dumtaxat laica detur, est grandis pæna, utique depositio à Clericatu. Laica, inquam, communio est criminoso Clerico impartita Absolutio sacramentalis, verùm unà cum inflictà depositione. Ità liquet ex adductis testimonijs, quæ respiciens Canon vigesimus primus Trullanus disertè dicit Clericos *perfectæ ac perpetuæ depositioni subiectos esse detrusos in locum Laicorum.* Et Remensis Synodus de caussa Arnulphi Archi-Episcopi, eius proditorem Adalgerum Presbyterum degradat, unaque per legitimam ab excommunicatione Reconciliationem donat laicâ communione. Nulla enim, seu laica, seu clericalis communio potest reddi; nullus, inquam, seu ut Laicus, seu ut Clericus potest ex peccatorum maculoso reatu in Sanctorum communionem reponi, nisi per sacramentalem Reconciliationem.

Et hìnc laica communio est varia: Alia est plena, alia est mutila seu non plena. Plena dejectum Clericum ad omnia Laicorum jura admittit, etiam ad Perfectionem; mutila non ad omnia, sed ad solam Consistentiam seu sine oblatione communionem. Dejectos namque Clericos ad usque vitæ finem quandòque fuisse Perfectione privatos, liquet ex varijs sancti Gregorij Epistolis, nec non secunda Epistola Gregorij secundi ad Leonem Isaurum.

Alia item laica communio est plenè laica, alia non plenè. Plenè laica est, quàm laudatus Trullanus Canon vocat perfectam ac perpetuam depositionem, quæ exauctoratum Clericum, & vivum & mortuum, penitùs per omnia tractari mandat ut Laicum, usque ad laicalem habitum, uti audivimus de Formoso Episcopo Portuensi. Eodem modo Anastasium Presbyterum Cardinalem à Benedicto tertio Pontifice tractatum scribunt Annales Francorum Bertiniani. Addunt de Gunthario Episcopo Coloniensi, per Nicolaum primum dejecto extra omnem Ecclesiæ communionem, ad laicam autem tandem admissо per Adrianum secundum, quod inter Laicos in Ecclesia steterit, ac inter eosdem legerit suam pænitentiæ professionem. Romani Legati in octava Synodo, dum Photium Ecclesiæ Constantinopolitanæ Pseudo-Episcopum vocari permittunt ad consessum synodalem, addidêre: *Laici vadant,* qui eum citent. Soli enim Episcopi, uti ad Nicolaum primum scribit S. Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus, iuxta Ecclesiæ Canonem per Episcopos citabantur, mandâratque Adrianus Pontifex Photium non nisi ad laicam communionem admitti. Basilius Augustus Photij Episcopos dicit in eodem consessu latrare, id est, sine licentia loqui non posse, *quia Laici sunt.* Sanctus Cyrillus, Alexandrinus Episcopus, Atticum Constantinopolitanum

A. 868. A. 869. A. 8. f. 124 Niceph. Calix. l. 14. c. 17.

R gra-

graviter arguit, quòd Joannis Chryſoſtomi, ab avunculo & anteceſſore ſuo Theophilo in laicam communionem damnati, nomen Eccleſiaſticis defunctorum Epiſcoporum tabulis inſcripſiſſet, atque ità prævaricatus eſſet Nicenos Canones, mandantes talium nomina inſcribi ſolis Laicorum tabulis: utique quintum Nicenum Canonem, vetantem recipi damnatum alienum, adeòque mandantem, ut in laicam communionem damnatus Epiſcopus etiam poſt mortem, non ut Epiſcopus, ſed ut merus Laicus tractetur. Quare in octava Synodo rectè dicunt Legati Apoſtolici, quòd criminoſum Epiſcopum in laicam communionem recipere non ſit aliud, quam recipere *in communionem ſæcularis*, ſeu *tamquam ſæcularem*. At verò communio non plenè laica eſt, quæ exauctorato & ad Laicos abjecto Clerico gratioſè indulget aliquod clericalis dignitatis reſiduum veſtigium. Ità Trullanus Canon illi, ſi ſpontè pænituerit, permittit clericalem habitum & tonſuram; ſecunda Turonenſis Synodus locum in Pſallentium choro inter Lectores.

Act.7. f.237.238.

Hinc diſcutienda opinio quorumdam exiſtimantium laicam communionem ab Euchariſtia dici, nec fuiſſe aliud, quàm eius perceptionem ſub unica panis ſpecie, aut certè cum Laicis extra ſanctum ſanctorum ſeu ſanctuarij cancellos. Probari poſſit ex literis ſancti Gregorij ad Venantium Lunenſem Epiſcopum, mandantibus, ut Saturninus Inſulæ Gorgoniæ Presbyter depoſitus, ſi dignè pænituerit, *inter Laicos accipiat communionem*. Per communionem patenter intelligit Euchariſtiam. Et adversùs Theophilum Iconienſem & Zachariam Tauromeniæ Ex-Epiſcopum, homines Photianos, conſtanter adſeverantes ſeſe Romæ à Nicolao Papa admiſſos in communionem Epiſcopalem, in octava Synodo dixit Marinus, Romanæ Eccleſiæ Diaconus & Legatus. *Quando iſti venerunt Romam, ego miniſtrabam in Eccleſia Romana ſanctæ Dei Genitricis Mariæ, quæ dicitur Præſepis. Illic eos ſuſcepit ſanctiſſimus Papa Nicolaus per ſatisfactionem libelli & iuramenti, & non contulit eis communionem in loco Epiſcoporum. Si verò contradixerint, oſtendant, quòd eos ſuſceperit in communionem ut Epiſcopos.*

L.4.Epiſt. 5.

A.4 f.214

Reſpondeo & fateor degradatos Epiſcopos & Clericos, & ad plenam laicam communionem admiſſos, olim unà cum Laicis extra ſanctuarij cancellos Euchariſtiæ communicaſſe. Dico, *Ad plenam, &c.* Jam enim dixi laicè communicantes Clericos fuiſſe quandoque dumtaxat Conſiſtentes, ſeu communicantes ſolis ſine oblatione orationibus, quibus proindè nec intra nec extra cancellos dabatur Euchariſtia. Dabatur ad Perfectionem admiſſis. At nun quid ille inter Laicos locus fuit tota laicæ communionis humilitas, ſola dedit nomen laicæ communio-

ionis? Absit. Fuit aliqua eius portio, alijs suprà expositis adnumeranda. Laicæ communionis nomen non ab Eucharistia desumptum est, sed à sacramentali Reconciliatione, quæ Clericum gradu motum ut Laicum aut sæcularem admitteret intra communionem Sanctorum. Graviùs deviant, qui laicam communionem putant fuisse sub sola panis specie. Eiusmodi sumptionem semper quidem, vario hìnc indè fine & modo, usitavit Ecclesia, nunquam verò in pænam imposuit. Nullo documento id queat ostendi.

Nec desunt, qui velint Episcopos ad laicam communionem abjectos olim Eucharistiæ communicasse intra Altaris cancellos. Etenim Tharasius, Patriarcha Constantinopolitanus, in exstantibus post septimam Synodum literis ad Adrianum Primum Pontificem, adducit fragmentum è vita sancti Joannis Chrysostomi, eiusque acta in Ephesino Concilio habito contra Episcopos Asiaticos, ab Anthonino Ephesiorum Primate ordinatos per simoniam. *Præcepit Synodus aurum quidem recipere eos ab hæredibus Anthonini, communicare autem intra altare, & esse privatos sacerdotio.* Episcopis, Presbyteris, ac Diaconis ad Laicos abjectis imponi non poterat manus pænitentialis, non ipsorum, sed sacræ ordinationis caussâ, ne tanto Sacramento, inquit adversùs Parmenianum Augustinus, fieret injuria. Eodem jure volunt quidam Episcopis ad Laicos abjectis Eucharistiam datam intra cancellos.

Respondeo hanc fuisse gratiam specialem, quoddamque amissæ dignitatis solatium: Eiusmodi generalis regulæ nullum est fundamentum. Communio plenè laica erat ablatio totius honoris & privilegij clericalis, etiam in Episcopis, ut satis dictum.

Et hìnc etiam patet, quid sit ne Laicorum quidem habere communionem. Est peccatorem sibi ac Deo relinqui, tradi Sathanæ in interitum carnis, à sacramentali Reconciliatione penitùs excludi, ad Ecclesiam & Sanctorum communionem nec ut Clericum nec ut Laicum admitti, privari omni honore & privilegio nominis Christiani. Ità hujus præsentis Concilij tertia synodalis Epistola Gregorium Alexandriæ Pseudo-Episcopum, eiusque Arianos Congerones *exauctoratos omninò ab officio Episcopatûs submovet; decernit non modò Episcopos non esse, sed ne dignos quidem fidelium communione; ab Ecclesia separat, mandatq; haberi alienos & indignos Christiano nomine.* Innocentius primus Theophilum Alexandriæ Episcopum, ob actas in S. Joannem Chrysostomum tragedias, Episcopatu privat, additque *excommunicationem, anathematismum, absolutam à Christianismo alienationem.* In octava Synodo Legati Apostolici pertinaces Photianos *anathematizant,* Epist. 30.

 ma-

maledicum, ab omni sorte Christianorum separant, transmittunt ad Ethnicos & Publicanos. Et Nicolaus primus Pontifex, in literis ad Episcopos Dioceseos Constantinopolitanæ, scribit Gregorium Syracusæ Ex-Episcopum, dum Photium ordinavit, caruisse *non tantùm sacerdotio, sed & Christiano vocabulo*, id est, nec laicam habuisse communionem, fuisse plenissimè separatum ab Ecclesia, quod passim dicimus anathema, de quo Socrates. *Sic nos Christiani sententiam contra alicuius blasphemiæ auctorem pronuntiatam solemus appellare, quando eam perindè notam omnibus facimus, ac si in columella incisa in loco publico collocaretur.* Tertullianus in libro Præscriptionum vocat *Relegationem in perpetuum discidium.*

Act. 6.
Act. 1.
L. 7. c. 33.
C. 30.

CANON II.

HOsius Episcopus dixit: Si quis autem adeò insanus, vel audax inveniatur, ut de iis videatur aliquam afferre excusationem, asserens sibi à populo allatas esse literas; clarum est potuisse paucos aliquos, mercede & pretio corruptos, in Ecclesia seditionem movere, ut eumdem utique postulent habere Episcopum. Omninò ergò has fraudes & artes puniendas esse existimo; ut nemo possit, qui est eiusmodi, ne in fine quidem laicâ communione dignus haberi. An ergò hæc placet sententia, respondete. Responderunt: Placent quæ dicta sunt.

SCOLION.

HÆ sunt Eusebianorum ad invadendas, Patriarchales præsertim, Ecclesias strophæ, quas abominatus ipse eorum satelles Augustus Constantius scripsit ad Ecclesiam Antiochenam, adversùs Eudoxium, Germaniciæ in Eufratesia Provincia Episcopum, dictæ Patriarchalis Sedis invasorem. *Eudoxius à nobis missus ad vos non venit: Nemo quisquam sic putet. Ab eo longè absumus, ut eiusmodi hominibus favere velimus. Quòd si præter cætera istud prætereà comminiscuntur, certè perspicuum est, eos in Deum opt. max. falsò ementitos esse. At æqua res sunt, à quibus suâ sponte abstineant illi, qui dominandi libidine accensi civitates invadere, & velut transfugæ ex una in aliam devolare, omnes denique recessus & latebras, potentiæ & facultatum augendarum studio, rimari non cessant.*

Zozom. l. 4. c. 13.

ressant. Eudoxius se à Principe invitatum mentitus invaserat Ecclesiam Antiochenam. Addit Constantius inter eos fuisse & præstigiatores, qui dæmoniacis artibus sibi cathedras procurarent. Et Theodoretus. *Nullam non legem Eusebiani audacter & liberè perfringebant, dum suam impietatem stabilire molirentur. Atque fundamentum, quo eorum nitebatur blasphemia, erat sanctarum legum violatio. Siquidem multas eiusmodi res in multis locis novabant.* Et hæc ipsa Synodus in literis ad Julium Pontificem de Valente Episcopo Mursiensi. *Valens relictâ Ecclesiâ aliam invadere voluit,* utique Metropolitanam Aquileiensem, *solicitavit, perturbavit, seditionem commovit* in electione per quosdam è depravata Plebe sibi patrocinantes, *atque unus è fratribus nostris Victor, qui fugere non potuit, obrutus & conculcatus die tertiâ defecit.* Tertia synodalis Epistola addit inter crimina, ob quæ Sardicensem Synodum horruerunt Eusebiani, fuisse *transpositiones à minoribus civitatibus ad maiores paræcias.* Hìnc ergò Hosius eiusmodi technarum ambitiosos artifices laicâ communione privat etiam in fine, idque contra tertium decimum Nicænum Canonem. Criminis enormitas flagitabat violentam adeò medicinam. L.2.c.31.

Neque tamen exstinctum malum. Etenim de Eudoxio Socrates. L. 2. c.34. *Antiochenam Ecclesiam contempsit, & Constantinopolim divitiarum caussâ se contulit,* adjutus ab Acacio lusco, Cæsareensium in Palestina Metropolitano Episcopo, qui Dracontium, Pergami Episcopum, caussâ translationis nuper abdicârat, *contraria suis ipsius decretis imprudenter faciens.* C. 33. Adeò vetustus est apud Græcos mos pessimus, de quo ad Basilium Augustum Adrianus secundus Pontifex in literis exstantibus post Synodum octavam. *Neque enim nobis moris est, ut pro libitu proprio paternis sanctionibus abutamur, quemadmodùm quibusdam, qui apud vos summa Ecclesiasticarum rerum gubernacula moderantes, tunc Synodorum statuta, vel etiam Apostolicæ Sedis decreta proferunt, cùm vel alios lædere vel se iuvare cupiunt, & hæc tunc silentio tegunt, quando fortassè contra se vel pro aliis proponuntur.* Quod item Valens Patavinam postmodùm Ecclesiam, sancto viro Marco Episcopo superpositus, invaserit, Gratiano Augusto queritur Synodus Aquileiensis. Malum invasit tandem etiam orthodoxos, adeò ut S. Gregorius Nazianzenus illius in Synodo Constantinopolitana accusatus responderit hujusmodi Canonem non esse in usu. Carm. de vita sua. Responsum Gregorio indignum. Hìnc Damasus Pontifex in Romana Synodo, cujus ad Paulinum Antiochenum Episcopum literas refert Theodoretus, statuit. L. 5. c. 11. *Qui ab Ecclesiis, in quibus vixerant, ad alias se transtulerunt, usque eò sint à nostra communione alieni, quoad ipsas ad urbes redierint, in quibus erant primùm ad aliquem Eccle-*

 siasti-

siastici honoris gradum elati. Quod si quis in alterius locum, qui mutavit Sedem, coaptatus sit, tantisper à dignitate vacet ille, qui civitatem propriam deseruit, dum qui ei successerit, obdormierit in Domino. Admodùm mitigat Canones Sardicenses: Eusebianum lolium vel ità conatus eradicare. Capuana sub Syricio Pontifice Synodus, uti testatur Afrorum
c. 48. Canonum Codex, Episcoporum translationes vetuit, quomodò reordinationem ac rebaptismum. Sanctus Leo magnus in literis ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, Vicarium suum per Græcas Illyrici Provincias, in quas, utpotè orientalibus per Eusebianos
Epist. 84. c. 8. corruptis confines, cæperat irrepere virus, statuit translatum Episcopum *non solùm à cathedra pelli alienâ, sed & carere propriâ, ut nec illis præsideat, quos per avaritiam concupivit, nec illis, quos per superbiam sprevit.* Latina Ecclesia dudùm ignoravit hunc morbum, hostilissimè persecuta: Aliud tandem illi persuaserunt temporum rationes, de quibus suo loco.

CANON III.

HOsius Episcopus dixit: Hoc quoque necessariò est adjiciendum, ut nullus Episcoporum ex sua Provincia in aliam Provinciam, in qua sunt, Episcopi, transeat, nisi utique à suis fratribus vocetur; ne videamur dilectionis fores claudere. Hoc autem etiam similiter providendum est, ut si in aliqua Provincia Episcoporum quispiam adversùs fratrem suum & Coepiscopum negotium habeat, neuter ex alia Provincia Episcopos cognitores evocet. Si quis autem Episcoporum in aliquo negotio condemnandus visus fuerit, & existimet se non malam, sed bonam caussam habere, ut etiam iudicium renovetur; si vestræ Dilectioni videtur, Petri Apostoli memoriam honoremus, ut ab ijs, qui iudicaverint, scribatur Iulio Romanorum Episcopo, & per propinquos Provinciæ Episcopos, si opus sit, iudicium renovetur; & cognitores ipse præbeat. Si autem probare non potest caussam eius esse talem, ut eam rursùs iudicari opus sit, quæ semel sunt iudicata, non infirmentur.

SCOLION.

EVsebianæ factionis præsumptiones compescit Canon, habetque partes varias, desumptas ex sexto Niceno. Primæ partis caussam adducit Julius Pontifex, gravissimè arguens Antiochenam factionis Synodum, quòd Ecclesiam Alexandrinam, alienæ Dioceseos, atque autocephalam, disponere, eique Episcopum eligere & ordinare præsumpsisset, & addens: *Plurimi alij Episcopi ex Thracia, Celesyria, Phenicia, Palestina, huc convenêre, inter reliqua dicta sua conquesti, vim & injuriam Ecclesiis illatam esse, suasq; Ecclesias eadem, qua Alexandrina, passas esse.* Epist.4. Tertia Sardicensis Synodi Epistola accusat præsertim Eusebium Nicomediensem, factionis Principem, Theodorum Heracleensem, Narcissum Neroniadis, Stephanum Antiochenum, Georgium Laodicensem, Acacium Cæsareensem, Menophantum Ephesium, Ursacium Singidunensem, & Valentem Mursiensem Episcopum: *Quòd depositos olim & eiectos ob haeresim Arianam non solùm receperint, sed & ad maiores gradus evexerint, ex Diaconis Presbyteros, ex Presbyteris Episcopos facientes, non alium in usum, quàm ut impietatem dissemin arent, latiùsque diffunderent, & piam fidem corrumperent.* Ex Ecclesijs ad curam suam non pertinentibus eiecerunt utique orthodoxos Episcopos & Clericos, eorumque in cathedras & loca intruserunt hosce damnatos, atque ità, uti assiduè clamat Julius Pontifex, Apostolicos ac Nicenos Canones quasi pedibus calcârunt. Ea de caussa Ursacium & Valentem, *homines Pannonios, ab ultimis illis finibus in Orientem venisse*, scribit ad omnes Ecclesiæ Catholicæ Episcopos Synodus Alexandrina. Illicitis ordinationibus turbasse universam Italiam, Gratiano Augusto queritur Synodus Aquilegiensis. Nam & Româ Liberium, Constantinopoli Paulum Episcopum ejecerunt, intruseruntque Fælicem & Macedonium. Adversùm hasce turbulentias statuit Hosius: *Ut nullus Episcoporum ex sua Provincia in aliam Provinciam transeat.*

Addit, *In qua sunt Episcopi.* Etenim de proximis Apostolorum successoribus Episcopis scribit Eusebius Cæsareensis: *A domicilijs suis peregrè profecti munus obierunt Evangelistarum*, atque ità ubique Christi fidem plantârunt, & Ecclesias fundârunt. Omni persecutionum tempore durasse morem testantur Socrates & Zozomenus. Errat Nicephorus Calixtus primis illis Episcopis non fuisse fixas Sedes. Etiam pacatis Ecclesiæ temporibus sanctum Victricium, Rothomagensem Episcopum, Flandriæ nostræ primum Apostolum, laudat ex sancto Paulino, Nolæ Episcopo, Martyrologium Romanum, quod *Morinorum & Nerviorum gentes indomitas verbi prædicatione ad fidem Christi* L.3.c.31. L.5.c.9. L.7.c.9. Epist.28.

per-

perduxerit, omnesque illas usque ad Oceanum terras implérit Ecclesijs & Monasterijs. Et sanctum Eusebium, Samosatensem Episcopum, quod *tempore Constantij, Imperatoris Ariani, sub habitu militari incognitus Ecclesias Dei visitârit, & in fide Catholica confirmârit.* Ubique or-
L.4.c.12. dinasse orthodoxos Clericos, addit Theodoretus. Alienas etiam Plebes à Donato ad Christum reducere studuerunt magno zelo Africani Episcopi, easque illorum Sedi perpetuò adscripsit Canon Carthaginensis. Hunc ergò propagandæ fidei spiritum Hosius noluit extinguere aut contristare.

Secunda Canonis pars damnat peregrina, primæ præsertim instantiæ, judicia, damnata item à sexto Niceno Canone, eorumque præsumptores Eusebianos. Etenim S. Athanasium, Ægyptiacæ Dioeceseos Patriarcham, auctoritate Principis coëgerunt extra eius fines ad Synodum Tyriam, & in Antiochena damnavêre. Eandem violentiam intulerunt plurimis alijs orthodoxis Episcopis, *Ecclesiastica iudicia*, uti scribit Julius Pontifex, *non secundùm Evangelium, sed vel ad exilium, vel ad mortem instituentes.* Et hanc Canonis partem respicit Innocentius primus in literis ad Victricium Rothomagensem, scribens quasvis caussas seu contentiones, inter Episcopos aut Clerum inferiorem exortas, terminandas ab eiusdem Provinciæ Episcopis synodaliter congregatis, nec quemquam posse ad alienæ Provinciæ judicium convolare, idque *secundùm Synodum Nicenam*, id est, uti Hincmarus Remensis exponit, Sardicensem, quæ Nicenam lucidiùs explanavit. Sophro-
L.4.c.23. nium Pompejopolitanum in Paphlagonia Episcopum, damnavit, teste Zozomeno, Synodus Seleuciensis, quòd *extraneos Iudices ad caussam suam cognoscendam delegisset.*

Tertia Canonis pars continetur hisce verbis: *Ab ijs, qui iudicaverunt, scribatur Iulio Romanorum Episcopo.* Exponit Innocentius primus in jam dicta Epistola, asserens *in omnibus caussis custodiendam Romanæ Ecclesiæ reverentiam*, & addens: *Si autem maiores caussæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus*, utique Sardicensis, *statuit, & beata consuetudo exigit, post iudicium Episcopale referatur.* In omnibus caussis Romanæ Ecclesiæ servandam dicit appellationis, in majoribus autem, de Episcoporum statu definientibus, etiam Relationis reverentiam, idque post judicium Episcopale.

Etiam hæc pars impetit factionem Eusebianam, primam Apostolicæ Sedis conjuratam hostem, adversùs quam Julius Pontifex. *Si, ut dicitis*, Marcellus & Athanasius, *omninò in culpa fuerunt, oportuit secundùm Canonem, & non isto modo iudicium fieri, oportuit scribere omnibus nobis, ut ità ab omnibus, quod iustum esset, decerneretur. Episcopi enim erant,*

rant, & non vulgaris Ecclesiæ, qui ista patiebantur, sed quam ipsi Apostoli uâmet operâ ad fidem instruxerant. Cur igitur, & in primis de Alexandrina ivitate, nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis hanc consuetudinem sse, ut primùm nobis scribatur, ut hinc, quod iustum est, definiri possit? Quapropter si istic huiusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, id huc d nostram Ecclesiam referri oportuit. Nunc autem eos, quos certiores minimè fecerunt, postquàm id egerint, quod libuit, suffragatores suæ damnationis, cui non interfuimus, esse nos volunt.

Asserere videtur nullum Episcopum sine prævia ad Sedem Apostolicam Relatione, eiusque præviâ licentiâ deponi posse à Dioceseos ut Provinciæ Synodis, illam esse perpetuam Ecclesiæ consuetudinem & Apostolicum Canonem, ideòque quæstio est, quomodò non pugnet cum Innocentio primo & hoc nostro Canone? Respondeo non pugnare. Quidquid enim de prævia Relatione dicit, tangit solam Alexandrinam Ecclesiam, Autocephalam, Patriarchalem, Apostolicæ Sedi privativè & sine medio subjectam, cujus proindè Episcopum nullus judicare potest, nisi Romana Sedes, uti suprà ad sextum Nicenum Canonem ex Synodo Ephesina audivimus de Patriarcha Antiocheno. Nihilominùs Metropolitarum præsumptio varia, & in suffraganeos crudelitas, tandem coëgit mutari & extendi regulam. Propter Hincmari, Remensium Metropolitæ, in Rothaldum, Suessionensem Episcopum, tragicam barbariem edixit Nicolaus primus nullum in Occidente etiam Provincialem Episcopum deponi posse sine sua prævia licentia, post longas contentiones evicit tandem, domuitque superbum & Autocephaliæ præsumptorem hominis spiritum, de quo infrà.

Quarta Canonis pars tangit supremum Romanæ Ecclesiæ & sancti Petri Apostoli Privilegium, Romanas ex omni Ecclesia appellationes, impugnatas & ad exufflationem postulatas à factione Eusebiana, primâ radice Schismatis Photiani. A Tyria & Antiochena Encæniorum Synodo, Judice peregrinâ, per calumniosas violentarum insidiarum technas damnatus sanctus Athanasius, volutatusque per calamitates plurimas, appellavit Julium Romanum Pontificem, eiusque exemplum secuti sunt, Paulus Episcopus Constantinopolitanus, Lucius Adrianopolitanus, Marcellus Ancyranus, Asclepas Gazensis, aliique longè plures, similia à factione passi. Factionem judicem, judicij rationes daturam, evocavit Romam Julius, *secutus*, uti scribit Theodoretus, *Ecclesiæ Canonem*, utique Apostolicum atque divinum. Caussæ diffisi, Romam, quòd illic sine milite & Commentariensi judicandum nossent, timuère factiosi, variasque prætexuère excusationes: L. 2. c. 5.

Brevitatem præfixi temporis, bellum Principis in Persas, aliaque id genus solemnia tergiversantium. Quare fatigatus Pontifex processit in caussa, appellantes recepit in communionem, restituit in Sedes, restitutorias literas ubique divulgavit, durissima minatus attentaturis
L. 3. c. 7. deinceps similia in Episcopos Orthodoxos. *Propter Sedis dignitatem,* inquit Zozomenus, *cura omnium ad ipsum spectat.* Et Socrates: *Ecclesia Romana Privilegium habet præ cæteris.*

Addit Zozomenus de Eusebianis. *Quibus illi graviter commoti convenerunt denuò Antiochiæ in unum, & Epistolam verbis elegantibus ornatam ad Iulium scribunt, eamq; plenam ironiæ, & iniuriarum non expertem gravissimarum,* de quibus omnem suam Synodum erubuisse testatur Julius in literis responsorijs. Iniquissimè tulerunt rescissas suas sententias, *tamquam factum iniquum, & à lege Ecclesiastica alienum, quòd inconcussam*
Iulius Epist. 4. *habeat auctoritatem qualibet Synodus, & contumeliosè agatur cum Iudice, cuius iudicium ab alijs examinatur.* Romanam Ecclesiam dixêre alijs Patriarchalibus nullatenùs prælatam, quòd *par, idemq; honor sit in omnibus Episcopatibus* Patriarchalibus, *neque ex magnitudine civitatum* honor eius rei crescat; Petrum & Paulum docuisse Romæ, at missos ex Oriente; antiquum Canonem, qui recipi vetat damnatum alienum, obligare etiam Romanum Episcopum, uti patet ex Pauli Samosatensis damnatione, cui Romana Sedes non se miscuit, ideòque Julium Pontificem esse prævaricatorem Canonum, primamque radicem omnium
L. 3 c 7. harum discordiarum. Pergit Zozomenus. *His de caussis ad hunc modum criminati, & sibi factam iniuriam testati, Iulio pacem & communionem pollicebantur, si modò abdicationem eorum, qui ad ipsum perfugerant, approbaret; sin autem resisteret ipsorum decretis, contraria se facturos prædicebant.* Hæc omnia ex odio Athanasij.

Eusebianis Constantius, Constans Augustus Sedi Apostolicæ favebat, minatus bello impetere fratrem, nisi hisce tragedijs daret finem. Hinc tandem indicta, datura finem, Sardicensis Synodus, & retractatura non tantummodò Julij Pontificis de memoratis Episcopis judicium, sed & legem Evangelicam, Apostolicum Canonem, perpetuamq; Ecclesiæ consuetudinem, in quibus Sedis suæ super omnes Primatum & supremam potestatem ille fundabat. Imitatus est Julius Antecessorem suum Melchiadem, qui, pacis caussâ, suum de Donatistis judicium retractari permisit ab Arelatensi Synodo: Apostolicæ enim Sedis, etiam de factis & personis, judicium non nisi de eius licentia potest etiam à generali Synodo retractari.

Ambæ ergò Partes convenêre Sardicam. Hosius, Cordubensis Episcopus, ac Sedis Apostolicæ Legatus, Julij judicium quousque retra-

tractatum reformetur, præsumi voluit ratum & validum, adeòque Episcopis per ipsum restitutis dari in Synodi consessu plenam Episcopalem communionem, honorem, suffragium, Sedem: Adcò autem id versata est Eusebiana contumacia, ut facto aperto schismate secesserit Philippopolim, vicinam Thraciæ civitatem, initoque istic Conciliabulo aggressa sit facinus huc usque à Sole non visum. *Nos*, inquiunt in Synodali sua Epistola, *omnino communicare noluimus, nisi eos, quos damnavimus, proiecissent, & dignum honorem Concilio Orientis tribuerent*, faciendo istud supremum ac inconcussum, à quo ad Romanum Episcopum non queat appellari. Hæc est prima radix pessimi erroris asserentis Ecclesiæ regimen esse Aristocraticum, ex æquo divisum in tres Patriarchas. Dignum erat ab eisdem impeti Privilegia Petri Apostoli, à quibus impetebatur divinitas filij Dei.

Pergunt in sua Epistola. *Verùm nos iterùm illos atque iterùm rogabamus, ne firma solidaq́;*, datas in Athanasium & alios Episcopos sententias, *concuterent, ne subverterent legem, nec divina iura turbarent, ne cuncta confunderent, atque traditionem Ecclesiæ ne quidem modicâ pace frustrarent, sed nec novam sectam inducerent, aut Orientalibus Episcopis, Conciliisq́; sanctißimis, de Occidente venientes*, Legatos Apostolicos, *aliqua in parte præponerent.* Factas ad Sedem Apostolicam ex alieno Patriarchatu appellationes dicunt esse subversionem legis Evangelicæ, divini juris turbationem, cunctorum confusionem, Ecclesiasticæ traditionis frustrationem, novam Sectam. Addunt. *Quamobrem quoniam à Patrum traditione discedere non poßumus, quia nec talem auctoritatem sumpsit Ecclesia Romana, nec talem potestatem accepit, supradictos ad honorem, dignitatemque Ecclesiæ, nec ipsi suscipimus, & suscipientes dignè damnamus. Sed nec alios, qui aut olim aut posteà meritò damnati sunt, in Ecclesia recipimus, adhærentes legibus Dei, traditionibusque Paternis, atque Ecclesiasticis disciplinis, credentes Prophetæ dicenti: Noli transgredi terminos æternos, quos posuerunt Patres tui. Quare nos nunquam fixa, solidaque concutimus, sed magis ea, quæ sunt à parentibus constituta, servamus.*

Neque hîc stitit facinorosa audacia. Julium, Romanæ Ecclesiæ Pontificem damnant, graduque & communione privant *secundùm antiquißimam legem, ut auctorem communionis Athanasij & Marcelli, cæterorumque sceleratorum*, ut quinti Niceni Canonis, alienum damnatum recipi vetantis, prævaricatorem, ideòque damnatorum communione contagiosâ pollutum, atque ità cum illis prolapsum in eandem damnationem. Damnant *Iulium, ut Principem & ducem malorum, qui primus ianuam communionis sceleratis atque damnatis aperuit, cæterisque*

aditum fecit ad solvenda iura divina, defendebatque Athanasium præsumenter atque audaciter, hominem, cuius nec testes noverat, nec accusatores.

Eum arguunt, quòd *quærat Ecclesiæ Principatum, quasi aliquod tyrannidis regnum,* idque *non propter bonum iustitiæ. Non enim Ecclesiis consulunt, qui leges iuraque Divina, cæterorum decreta solvere perconantur. Propter hoc novitatem moliebantur inducere, quam horret vetus consuetudo Ecclesiæ, ut in Concilio Orientales Episcopi quidquid fortè statuissent, ab Episcopis Occidentalibus refricaretur; similiter quidquid Occidentalium partium Episcopi, ab Orientalibus solveretur. Sed hoc ex illo suo pravissimo sensu tractabant. Verùm omnium Conciliorum, iustè legitimèque actorum, decreta firmanda, Maiorum nostrorum gesta consignant. Nam in urbe Roma sub Novato, & Sabellio, & Valentino hæreticis factum Concilium ab Orientalibus confirmatum est; & iterùm in Oriente sub Paulo Samosateno quod statutum est, ab omnibus est signatum.* Hi sunt magistri, à quibus Wicleffistæ, Lutherani, Calvinistæ didicerunt Romanam Ecclesiam accusare tyrannidis atque invasæ potestatis.

Nec Belgium nostrum evasit eorum injurias. Etenim etiam sanctum Maximinum, Trevirensem Episcopum, primæ Belgicæ Metropolitam, damnârunt, quòd eorum Emissarios, in Galliam destinatos, noluisset recipere; quod Paulo Constantinopolitano Episcopo, per Iulium absoluto & restituto, primus communicasset; quod per Constantem Augustum procurasset Apostolicæ sententiæ executionem, reditumque Pauli in Sedem.

Huius pessimi veneni reliquiæ dudùm manserunt in Oriente. Etenim Constantius Augustus, factionis Eusebianæ satelles, Liberio Pontifici improperavit extensa ultra Patrum terminos jura Episcopatus Romani, idque caussâ Appellationis Athanasij; respondit verò Pontifex: *Nunquam mea statuta, sed Apostolica, ut essent semper firmata & custodita, perfeci, secutus morem, ordinemque Maiorum, nihil addi Episcopatui urbis Romæ, nihil minui passus sum.*

Epist. 1.

Etiam in prima Synodo Constantinopolitana Occidentis & Orientis Episcopos odijs capitalibus dissedisse, idque non ob fidem, sed ob thronos, in carmine de vita sua scribit S. Gregorius Nazianzenus. Quidam juvenes, turbidi, auro venales, in Ecclesia quasi in taberna agentes, utpotè tradux Eusebianus, Episcopi dixêre Orientalem Ecclesiam Occidentali digniorem, ex ratione frivola, quod in Oriente natus esset Christus. Paulinum Antiochenum Episcopum recipere detrectârunt, quod latinos, à quibus ordinatus erat, dicerent extraneos. Eosdem Episcopos respexit sanctus Basilius, in Epistola ad

Epist. 77.

Epis-

Episcopos transmarinos, id est, latinos, dicens nos, id est, nostrum Romanum Episcopum dici à quibusdam non *universalis Ecclesiæ caput*, sed *membrum* dumtaxat *locatum in aliorum ordine*. Etiam Theophili Alexandrini Episcopi in sanctum Ioannem Chrysostomum nequissima factio, Innocentij primi Legatos, Romanam Ioannis appellationem synodaliter retractari postulantes ab Arcadio Augusto, *abegari curârunt tamquam Orientalis Imperij turbatores*. Eisdem armis rebellionem suam defendit Acacius Constantinopolitanus Episcopus; eisdem Photius hodierni schismatis author, de quo aliàs. Zozom. l.8.c.28.

Adversùs hanc ergò Eusebianam hæresim novam atque audaciam dixit Hosius: *Petri Apostoli memoriam honoremus*. Quod verbum mirè torquet Græcos Schismaticos. Audiamus unum è ducibus, Theodorum Balsamonem. *Huius Canonis decreto Summi Sacerdotes antiquæ Romæ in quacumque caussa ab Episcopis provocationem ad ipsos dari iactant, ac eumdem in prima Nicena Synodo conditum fuisse, falsò affirmant. Neque igitur hic Canon à Nicena Synodo editus fuit, neque ad ipsum provocationes ab omnibus Episcopis, sed ab ijs tantummodò, qui eidem subiecti erant, dari oportere decernit. Romanæ autem Ecclesiæ ditioni eo tempore omnes ferè Occidentis Ecclesiæ subijciebantur, Macedoniæ nimirùm, Thessaliæ, Illyrici, Peloponesi, & eius, quæ Epirus dicitur; ut proindè ad illum provocationes ex his locis referri sit consentaneum.* Ait Romam appellari posse à solis Episcopis & Ecclesijs Patriarchico Romani Pontificis iuri subjectis, eodemque pariter in suos Episcopos & Ecclesias jure gaudere omnes Patriarchas. Verùm cæcutit in luce media. Agitur enim de appellatione Athanasij, Pauli, Marcelli, Lucij, & Asclepæ, atque exindè statuitur Regula generalis: At verò Athanasius erat caput Diocesis Egyptiacæ, Paulus ex Thracica & Provincia Europæ, Lucius ex eadem & Provincia Hæmimontis, Marcellus ex Pontica, Asclepas ex Patriarchatu Antiocheno. Agitur de illa appellatione, quam novam sectam divino juri adversam dixère Eusebiani, dicitque etiam hodie in suis sequacibus Theodorus Balsamon: Quæ est omninò appellatio ex Patriarchatu alieno.

Rectè verò Iulius Pontifex hanc suæ Sedis auctoritatem fundavit in jure Divino, Canone Apostolico, perpetuâque Ecclesiæ consuetudine. Scoliasten ago, ideòque solam consuetudinem, impudenter nimiùm negatam ab Eusebianis, ostendo aliquot exemplis. Montanum, Florianum, Blastum, plûresque ipsorum asseclas, fuisse à varijs per Antiochenam, Asiaticam, & Ponticam Dioceses Synodis damnatos, refert Eusebius Cæsarcensis ex antiquo Claudio Apollinario, Episcopo Hierapolitano; appellasse verò ad Zephyrinum Pontificem, po- L.5.c 15. 28.

 stu-

ſtulantes ſibi ac Eccleſijs ſuis reddi ablatam communionis pacem, teſtatur Tertullianus in libro contra Praxeam, durè in illum invectus, quod circumſcripto Pontifici doloſas Pſeudo-Prophetæ technas aperiens, emiſſas communicatorias literas, id eſt, priorum ſynodalium ſententiarum diſſolutionem, feciſſet revocari.
Cap. 1.

Paulum Samoſatenſem, quidquid garriat Euſebiana factio, nequaquam ſine Romani Pontificis auctoritate dejecit Antiochena Synodus. Eius ad Dyoniſium Papam Relationem refert Euſebius, additque de Aureliano Auguſto. *Cùm Paulus ex Epiſcopi domo, eius Eccleſiæ propriâ, exire nollet, Imperator Aurelianus de ea re rogatus ſententiam, ſanctiſsimè, quid eſſet agendum, decrevit. Præcepit enim, ut domus Eccleſiæ illis tribueretur, quibus Chriſtiani Italiæ & urbis Romæ Epiſcopi per literas tribuendam præſcriberent. Sic demùm Paulus cum ſummo dedecore, ſæcularis Imperij ac poteſtatis auctoritate, ab Eccleſia penitùs extruditur. Quo quidem tempore talem & tam benignè erga nos animatum ſe Aurelianus declaravit.* Pauli Patriarchæ cauſſam juſſit retractari à Romano Epiſcopo, utique juxta Canones Chriſtianorum.
L. 7. c. 24.

Antiqua Regula eſt, ad illum, qui Patriarcham aut Primatem in prima inſtantia judicare debet, poſſe eorum ſubditos ab illis provocare. At verò in Synodo Epheſina dixit Juvenalis, Hieroſolymæ Epiſcopus: *Ex Apoſtolico ordine & traditione mos eſt, ut Antiochena Sedes per Romanam dirigatur & iudicetur.* Locum id habet in quavis Patriarchali aut Primatiali autocephala. Hìnc Dyoniſius Alexandrinus, uti in libro de eius ſententia refert ſanctus Athanaſius, in prima inſtantia à Pentapolitanæ Provinciæ Epiſcopis delatus fuit ad Dyoniſium Papam, atque ab illo judicatus: Polycrates Epheſiorum à Victore primo, ab Stephano primo Firmilianus Cappadox, Primas Ponticorum. Hac de re nemo unquam orthodoxus dubitavit. Quare quidam hodiè Catholici, affirmantes Romanas appellationes à Synodo Sardicenſi cæptas, anteàque ſolis Relationibus agnitam Apoſtolicam Sedem ab alijs Patriarchatibus, palàm accedunt Euſebianis.
Act. 4.

Etiam Dioſcorus, Patriarcha Alexandrinus, Euſebianos imitatus, auſus eſt excommunicationem ſcribere in S. Leonem Pontificem, tamquàm in quinti Canonis Niceni prævaricatorem, pollutumque contagioſâ communione Flaviani, Conſtantinopolitani Epiſcopi, aliorumque in latrocinio Epheſino damnatorum, quos appellantes abſolverat, reddideratque communioni & gradui. At verò Calchedonenſis Synodus, in Relatione ad Valentinianum & Marcianum Auguſtos, facinus iſtud pulchrè vocat *latratum in Apoſtolicam Sedem:*
Act. 3. Quod nempè non niſi ab homine rabido poſſit proficiſci. Theodorus,

Eccle-

Ecclesiæ Alexandrinæ Diaconus, dixit *Chartam nefandam*; Paschasius, Lilybeti Episcopus, & Sedis Apostolicæ Legatus, facinus omnibus Dioscori alijs majus; Anatolius, Constantinopolitanus Episcopus, hocce unicum suffecisse ad Dioscori damnationem. Undè Episcoporum nullus ei misceri præsumpsit, nisi pauci Ægyptij, quos *entes & lacrymantes* terroribus & violentijs Dioscorus adegit. Eleganter hæc exponit Adrianus secùndus in literis ad sanctum Ignatium, Patriarcham Constantinopolitanum, lectis in tertia Actione Synodi octavæ. *Vniversalis Calchedone habita Synodus adeò huiusmodi temeritatem detestata est, ut in sententia, quam in Dioscorum protulit, hoc maximè memorare videatur, quod de ipso dicit:* SECVNDIS EXCESSIBVS PRIOREM INIQVITATEM VALDE TRANSCENDIT; PRÆSVMPSIT ENIM ET EXCOMMVNICATIONEM DICTARE ADVERSVS SANCTISSIMVM ET BEATISSIMVM ARCHIEPISCOPVM MAGNÆ ROMÆ LEONEM. *Priorem autem iniquitatem, pravitatem utique dicit hæreticam. Vndè nota, quod Dioscorus secundis excessibus, quos in excommunicatione Romani Papæ dictata patravit, etiam hæresim Eutychianam valdè transcendisse referatur. Hinc & Anatolius ait:* PROPTER FIDEM NON EST DAMNATVS DIOSCORVS, SED QVIA EXCOMMVNICATIONEM FECIT DOMINO ARCHI-EPISCOPO LEONI. Quocircà Facundus Hermianensis Episcopus Anatolij dictum longè aliter exponens non intellexit. Ità adversùs Photium, Ecclesię Constantinopolitanę intrusum, Nicolaum primum Pontificem damnare attentantem, ad Adrianùm secundum scribit in præfatione octavæ Synodi Anastasius Bibliothecarius, *cunctos præsentes, exceptis paucis impietatis fautoribus, clamasse, non esse iustum in summum & primum Pontificem, & præcipuè ab inferiori, quomodolibet sententiam proferri, cùm id nec Canon quisquam admittat, nec aliqua Ecclesiæ consuetudo fieri doceat.* Et octava Synodus Photium *ob id etiam specialitèr condemnavit, quoniam depositionem vel anathema præsumpsit in sanctæ memoriæ Papam Nicolaum nominare.* Et Theodorus, Cariæ Metropolita, sub Photio lapsus, & per Pænitentiæ libellum restitutus, posteà tamen deprehensus, quòd depositioni Nicolai Pontificis subscripsisset, ab universa Synodo pro hac sola caussa denuò dejectus est, ac Apostolicæ Sedis judicio reservatus, ex Adriani secundi in hoc crimen generali decreto. Act. 3.

Quæstio est, an de Romanis appellationibus aliquid decisum sit à Synodo Nicena? Ità enim Romani Pontifices in suis passim literis adfirmant. Et quidem Julius Pontifex hæc scribit ad factionem Eusebianam. *Qui benè sentiunt de ijs, quæ egerunt, & in quibus ipsi iudices fuerunt, non indignanter ferre solent, si quòd ab ipsis iudicatum est, ab alijs excutiatur, quippè qui securi sint, ea, quæ ipsi iusta iudicaverant, iniusta*

nun-

nunquam fieri posse. Quocircà Episcopi in magna Synodo Nicaa congregati, non sine Dei consilio permiserunt prioris Synodi acta in alia Synodo examinari, ut & illi, qui iudices erant, pra oculis habentes secundum de ea re iudicium futurum, cum omni diligentia caussam expenderent, & illi, qui sententiam acceperant, certò agnoscerent, se non per simultatem priorum iudicum, sed iure & merito condemnatos esse. Quod si istiusmodi consuetudo olim fuit, eiusque memeria renovata est, & scripto prodita in magna Synodo, eamque apud vos valere non sinitis, rem profectò indecoram facitis.

At verò obstat argumentum Hincmari, Remorum Metropolitæ, in Epistola ad Hincmarum Nepotem, Episcopum Laudunensem. *Si* Epist. 33. c. 20. *de appellatione, sicut in Sardicensi Concilio constitutum est, in Niceno fuisset anteà statutum, nulla foret necessitas, ut iterùm in hoc Concilio indè constitueretur, sed sicut in alijs Concilijs legitur, scriberetur, videlicet ut ea, qua sunt in Niceno Concilio constituta, ab omnibus conserventur.*

Respondeo frivolum esse Hincmari argumentum. Etenim Nicena Synodus Episcoporum translationes insecuta est speciali Canone, neque tamen ad eum remittit easdem insequens binus Canon Sardicensis. Fateor itàque nullum Nicenum Canonem disertè statuisse de Romanis appellationibus. Canones enim, uti ad Eliam Aquilegiensem C. 17. 18. Episcopum scribit Pelagius secundus, sunt natæ ex malis moribus bonæ leges; Nulla autem hæretica rabies adversùs supremum illud sancti Petri Privilegium eò usque latrârat. Hocce sufficienter expressum & firmatum fuisse hisce verbis sexti Niceni Canonis, *suis Privilegia serventur Ecclesiis*, ibi est dictum.

Verùm enim verò Meletius, Lycopolitanus Episcopus, jam pridem fuerat à sancto Petro, Patriarcha Alexandrino, damnatus, transieratque in rem judicatam sententia; nihilominùs Nicææ coram Legatis Apostolicis retractata fuit, & quæ ob justitiam solvi non poterat, ex materna Romanæ Ecclesiæ pietate accepit gratiosum levamen & moderationem. Etiam Arij, malorum omnium radicis, pluriumque asseclarum eius, ab Alexandro Alexandriæ Patriarcha definitivè damnatorum, caussa retractata est, idque divinâ procuratione factum, & redactum in scriptum, affirmat Julius Pontifex, quò ità ex mente totius Synodi constaret, etiam Patriarcharum sententias ab injuriam passis posse impeti, devolvique, juxta perpetuam Ecclesiæ consuetudinem, ad Sedem Apostolicam per appellationem. Cur verò Romani Pontifices hunc Sardicensem Canonem appellent Nicenum, dicam infrà.

In hoc appellationis communi refugio Stephanus, Tornacensis E- Epist. 163. piscopus, rectè dicit *consistere dignitatem Ecclesia Romana.* Est enim istud

tud Petri Apostoli Privilegium, de quo sanctus Bernardus ad Innoentium secundum Pontificem. *Hoc inter caetera vestri singularis Priatus insignia, specialiùs illustriusque nobilitat vestrum & inclytum reddit postolatum, si eripitis pauperem de manu fortiorum eius. Nulla, meo iudio, in corona vestra pretiosior gemma zelo illo vestro, quo amulari consues oppressos, nec relinquitis virgam peccatorum super sortem iustorum.* Niolaus primus esse dicit illud privilegium, de quo Dominus ad Perum: *Confirma fratres tuos.* Quod ipsum omnis orthodoxa antiquis assiduè clamat. Et hinc quoties inter Romanam & Graecam Ecesiam de unione tractatum est, primus semper à nobis exactus artiulus fuerunt appellationes Romanae. Epist.198.

CANON IV.

GAudentius Episcopus dixit: Si videtur, necesse esse adijci huic sententiae, quam sincerâ dilectione plenam protulisti, ut si quis Episcopus fuerit depositus iudicio Episcoporum, qui sunt in vicinia, & dicat rursus sibi defensionis negotium competere; non priùs in cathedram alius substituatur, quàm Romanus Episcopus causâ cognitâ sententiam tulerit.

SCOLION.

HVnc Canonem alijs verbis adducit S. Ignatius, Patriarcha Constantinopolitanus, in libello appellationis ad Nicolaum primum Pontificem, exstante post Synodum octavam. *Si quis Episcopus fuerit depositus, dicatque se habere defensionem, non priùs suffitiatur in locum eius alius, quam de eo Romanae Ecclesiae Pontifex decernat.* Crediderim esse Canonis sensum, non verba. Etenim à Ioanne Scholastico, Patriarchâ Constantinopolitano collectus, & in quinquaginta titulos digestus Canonum Codex, quo sub Patriarcha Ignatio usa omninò fuit Ecclesia Constantinopolitana, Canonem exprimit eisdem nobiscum verbis.

Eius virtute Innocentius primus damnavit Arsacium, Ecclesiae Constantinopolitanae Episcopum, eiusque defuncti cum omnibus eius communicatoribus nomen Ecclesiasticis Episcoporum tabulis iussit eradi, quod S. Ioanni Chrysostomo, pendente Romanâ appellatione, esset superordinatus. Ad Ecclesiam Constantinopolitanam Epist.29. 30. Epist.22.

adversùs eius Episcopum Anatolium scribit S. Leo magnus. *Quisquis incolumi atque superstite Flaviano Episcopo vestro, Sacerdotium eius fuerit ausus invadere, nunquam in communione nostra habebitur, nec inter Episcopos poterit numerari.* Nempè Anatolium Flaviano ab Ephesini Latrocinij damnatione Sedem Apostolicam appellanti superposuerat Dioscorus Alexandrinus Episcopus, Canonum contemptor. Grassatus ità fuerat in Episcopos plures, quos omnes, superpositis ejectis, restituit, aut per Synodum Calchedonensem restitui jussit idem Pontifex, quos inter fuêre Theodoretus Cyrensis in Provincia Eufratesia, & Ibas Edessenus, Metropolita Provinciæ Osrhôenæ. Eodem modo tractavit superordinatum Lupicini in Africa Episcopi, qui Romam appellaret è Mauritania Cæsareensi. Januarij Malacitani Episcopi superordinatum etiam puniri jussit Gregorius magnus. Hincmaro Remensium Episcopo admodùm offensus fuit Nicolaus primus ex caussis varijs: Una fuit, quod ille Rothaldo Suessionensi Episcopo, ab eius judicio Romam provocanti, alium superordinare præsumpsisset. Romana quippè appellatio non tantùm devoluit caussam, sed & suspendit omnia, priorem judicem omni potestate exuit, demutat in reum & accusatorem, atque adeò dum ille superordinare non metuit, committit latrocinale spolium & attentatum.

L. 11. Epist. 52.

Hinc nata antiqua restituendi spoliati regulâ, de qua sanctus Patriarcha Ignatius ad Nicolaum Pontificem in libello appellationis. *Postulavimus, ut legerentur Epistolæ, quæ Canonicas pro sancto Chrysostomo sanctiones continebant, Ioanni Concilium Iudicum non priùs subeundum, quàm is loco suo thronoque esset restitutus.* Addit Nicolaus Pontifex in literis ad Episcopos Dioceseos Constantinopolitanæ: *Quatenùs Sede propriâ, nec non & omnibus suis antè sumptis, vestitus iam & armatus, cum accusatoribus suis certaminis campum & litigij conflictum possit arripere,* utique Episcopus appellans iniquè spoliatus. *Quod cùm in mundanis negotijs legibus fieri censeatur, multò magis, ut in Ecclesiasticis atque divinis observetur, debet provideri.*

Quare rectè rogat Gaudentius Episcopus, an hæc locum habeant etiam in secunda instantia, factâque secundâ appellatione à judicio per Papam ad primum retractandum delegato? Hosius cum omni Synodo respondet affirmativè. Agunt hi Canones de sola Episcoporum Romana Appellatione, non quòd ea privent Clerum inferiorem, sed quòd istorum solam Eusebiani impugnarent.

CANON

CANON V.

HOsius Episcopus dixit: Placuit, ut si quis Episcopus delatus fuerit, & congregati eiusdem regionis Episcopi eum gradu moverint, & veluti appellans confugerit ad eatissimum Romanæ Ecclesiæ Episcopum, & velit ipsum udire, & iustum esse existimaverit eius rei examinationem enovari, Coepiscopis scribere dignabitur, qui sunt propinqui Provinciæ, ut ipsi diligenter & accuratè singula perscrutentur, & ex veritatis fide de re sententiam ferant. Si quis autem postulet suum negotium rursùs audiri, & ad suam supplicationem Romanorum Episcopum iudicare visum fuerit, t à proprio latere Presbyteros mittat; erit in potestate ipsius uodcumque rectè habere probaverit. Et si decreverit, oporere eos mitti, qui cum Episcopis sint iudicaturi, habentes auctoritatem eius, à quo missi sunt; & hoc ponendum est. Si utem sufficere putaverit ad rei cognitionem, & Episcopi ntentiam, faciet quòd prudentissimo eius consilio rectè habere videbitur. Responderunt Episcopi: Quæ dicta sunt, placuerunt.

SCOLION.

PRima Canonis pars est ad Gaudentij scrupulum responsio, quam proindè & prima & secunda latina editio perperàm differunt in Canonem septimum. Altera pars exponit modum, à tertij Canonis arte posteriori tradi cæptum, quo Romanus Episcopus factas ad se ppellationes suscipiat & exequatur. Postrema, inquam, tertij Canois pars vult appellatæ caussæ retractatorium judicium delegari aut icinæ Provinciæ Synodo, aut datis Cognitoribus, noster verò de ontificis latere legari Romanos Presbyteros, qui aut soli, aut cum terius Provinciæ vicinæ Episcopis caussam cognoscant & finiant. læc nempè est tertia ac postrema instantia, quam providè, ne in innitum appelletur, solis vicinæ Provinciæ Episcopis sine Romanoum Presbyterorum adsistentia Canon non credit.

Gravis est quæstio, an appellatam caussam ac eius personas Pontifex teneatur aliquo modo ex dictis delegare in partibus, neque possit Romam ad suum tribunal evocare: An istud sit statutum hujus Canonis? Affirmavit cum sua Synodo Aurelius Carthaginensis Episcopus, cum Romana Ecclesia contendens de sui inferioris præsertim Cleri ad ipsam appellatione, ità in sexta Carthaginensi Synodo cum Faustino Potentino Episcopo, Apostolicæ Sedis Legato, servare stipulatus, quousque ex alijs Patriarchalibus Ecclesijs & archivis vera Nicenorum Canonum, in quibus pendebat omnis quæstio, exemplaria producerentur, uti ipse scribit ad Pontificem Bonifacium. Dat caussam in literis ad Cælestinum Pontificem. *Quomodò transmarinum*, id est, Romanum *iudicium ratum erit, ad quod testium necessaria personæ, vel propter sexus vel propter senectutis infirmitatem, multis alijs intercurrentibus impedimentis, adduci non poterunt?*

Errorem pertinacissimè resumpsit Hincmarus Remensis Episcopus, offensus Nicolao primo & Adriano secundo Pontificibus, quod eius iniquissimas sententias in Rothaldum Suessionensem Episcopum, Hincmarum Laudunensem, & Remenses Clericos ab Ebbone Episcopo ordinatos, exsufflassent. Videnda Epistola ad Nicolaum Pontificem de vocatione Ecclesiæ Cameracensis, Epistola seu Opusculum adversùs Hincmarum Laudunensem, ac præsertim Epistola scripta ex nomine Caroli Calvi Imperatoris ad Joannem octavum de judicijs & appellationibus Episcoporum & Clericorum. Inferiorem Galliç Clerum Romanæ appellationis refugio penitùs privat, idque ex Canonibus Ecclesiæ Africanæ, ad Galliam non spectantibus, & tunc pridem reprobatis; appellantes autem Episcopos, & ab ipsis ob iniquam damnationem appellatos Metropolitas adserit Romam evocari non posse, sed judicium retractandum in partibus, quomodò voluit Aurelius Carthaginensis. Ex eius unius tunc pridem damnato sensu nostrum Canonem ut magister irrefragabilis interpretatur. Ei adstipulantur Annales Francorum Bertiniani, cautè legendi, utpotè Semi-Pelagianismo & variâ in Sedem Apostolicam injuriâ fætidi, idque in gratiam Hincmari, & Caroli Calvi Regis, quem faciunt novum Constantinum, Thedosium, Marcianum: Legendi unà cum Annalibus Francorum Fuldensibus, eumdem Regem facientibus novum Sennacherib aut Pharaonem.

Epist. 17. Epist 33. c.3. Epist. 47.

Et quoniam Romanæ non tantùm appellationis, sed & evocationis potestas est sole meridiano clarior, vide, quid somniet à Nicolao Pontifice convictus & confusus Hincmarus. Pręmittit hanc professionem. *Dignum & iustum est, ut quemcumque Episcopum Romanus Pontifex*

Epist. 17.

se Romam venire mandaverit, si infirmitas, vel gravior quaecumqe necessitas, vel impossibilitas, sicut sacri praefigunt Canones, eum non detinuerit, ad illum venire studeat, multò magis etiam is, quem pro querela ad se quocumque modo clamantem praesentia suae iudicat exhibendum. Verùm prodit. *Iuxta Sardicense Concilium summus primae & sanctae Sedis Romanae Pontifex pro examinis renovatione ad se reclamantem & confugientem cum proclamatione deiectum provincialem Episcopum non statim singularitate privilegij & auctoritatis suae restituit, sed remittens eum ad Provinciam, ubi caussa patrata est, & in qua, iuxta Carthaginenses Canones, & iura legis Romanae, caussa potest diligenter inquiri, & quòd non sit difficilè testes producere, veritas inveniri, aut finitimis Episcopis dignatur scribere, aut è latere suo mittit, qui habentes eius auctoritatem cum Episcopis iudicent, & diligenter caußam inquisitam definiant, aut dignatur credere Episcopos sufficere, ut negotio terminum poßint imponere.* Ait appellantem Episcopum posse Romam evocari à Pontifice, verùm ut ipsum solummodò audiat, retractandi judicij caussâ remittendum ad propria; quod est versatilis Hincmari more, uti dixit Nicolaus Pontifex, chamaleontem agere, & solemnitèr nugari.

Etenim haec ipsa Sardicensis Synodus, in literis ad Julium Pontificem, Eusebianos graviter arguit, atque à se damnatos dicit, quòd Romam ad reddendas sui in Athanasium & alios appellantes Episcopos judicij rationes venire noluerint: & in literis ad omnes sub cælo Episcopos ait eorum sycophantiam ex eo jam dudùm patuisse, quòd Romam accersiti non stiterint se judicio, *accessissent enim, si sui & actorum suorum fiduciam habuissent.* Hæc, inquam, Synodus præsenti Canone confirmat à Theodoreto laudatum antiquum Ecclesiæ Canonem, quem secutus Julius Pontifex non tantùm Athanasij & aliorum Episcoporum appellationes suscepit, sed & eorum damnatores evocavit, reddituros sui judicij rationem.

Et hâc potestate semper, nemine contradicente, usa fuit Sedes Apostolica. Quod quodvis Episcopos, Clericos, Laicos Patriarchatui suo subjectos evocare possit, nec ipsi Eusebiani dubitârunt: Omnium in occidente Ecclesiarum archiva sunt plena eiusmodi exemplis. Quoad Patriarchatus alios exemplum insigne est Flavianus, Patriarcha Antiochenus, ob schisma istius Ecclesiæ Eustatianum, evocatus Romam, de quo illius Encomiastes Theodoretus. Romani Pontifices *Imperatoris Theodosii animum contra Flavianum incitare obnixè studuerunt. Nam cùm Imperatori nimis acriter instando multùm sæpè exhibuissent molestiæ, accersit eum Constantinopolim, & Romam proficisci iubet. At Flavianus respondet hyemem iam esse: Itàque pollicitus ineunte vere imperata se facturum,* L.5.c.23.

rum, in patriam revertit. Sed cum Episcopi Romani, non Damasus solùm ille admirabilis, verùm etiam post illum Syricius & Anastasius vehementiùs in Imperatorem invecti essent, dixissentq; illum eos, qui tyrannidem contra se exercere molirentur, opprimere, sed hîs, qui per tyrannidem Christi leges evertere studerent, impunitatem concedere, eum accersit denuò Imperator, Romamq; ut contendat, cogere laborat. Proindè Romanæ Evocationis potestas, utpotè ab appellationis jure penitùs indivulsa, est Christi lex, ideòque sanctus Ivo Carnotensis Episcopus, Stephanus Tornacensis, sanctus Bernardus, & plurimi id genus, passim aiunt Romanæ Evocationis mandatum esse sacrosanctum, cui refragari sit quasi peccatum ariolandi.

Hanc potestatem, plurimorum exemplorum nunquam interruptâ serie, in Orientales Ecclesias Romana exercuit usque ad tempora sancti Ignatij, Patriarchæ Constantinopolitani, de quo ad Stephanum sextum Pontificem Stylianus, Neocæsareæ Episcopus, Metropolita Provinciæ Eufratesiæ, insigniter eruditus atque orthodoxus. Gregorius Asbesta, Syracusæ Episcopus, & Eulampius Apameensis, ab Ignatio deiecti in anathema, *Legatos cum literis ad sanctissimum Papam Romanum, beatum Leonem quartum miserunt, illum sibi, ac si læsi essent, ultorem petentes. Papa ergò datis ad Ignatium literis voluit, ut Patriarcha suo nomine Legatum Romam destinâret, per quem de caussa cognosceret. Nec diu moratus Patriarcha Lazarum Monachum, & fidei confessione clarum, qui omnia, quæ ad Gregorium pertinebant, optimè noverat, cum literis misit, qui Papæ caussam diligenter exposuit.* Primus hanc seriem concussit impius Photius, vas plenum omni iniquitate, resuscitator rebellionis Eusebianæ. Quin & ipse S. Ignatium, ut de maximo facinore, calumniatus est, quòd dicto Leonis quarti evocantis per Benedictum tertium iterato mandato quasi alter Dioscorus recalcitrasset.

Canonem ergò nostrum exponit Gregorius quartus Pontifex in literis ad Episcopos Gallicanos de caussa & Romana appellatione Baldrici Cenomanensis Episcopi, quarum partem Gratianus, integras
2. q. 6. c. 11. verò in Concilijs Gallicanis producit Jacobus Sirmondus. *Liceat Baldrico post auditionem Primatum Diœceseos nos appellare, & nostrâ auctoritate aut ante nos aut ante Legatos nostro è latere missos iuxta Patrum decreta suas exercere atque definire actiones, nullusq; ante hac illum iudicet, aut iudicare præsumat.* Et Alexius Aristinus, homo Græcus. *Episcopus, si Comprovincialium iudicium sibi non arriserit, & iniustitiam sibi factam existimet, appellet ad Romanum, cui subiecta est illa Provincia, ad quem*

etiam

iam ipse accedat, qui vel per seipsum sententiam examinabit, vel vinis Episcopis Provinciæ appellationis iudicium committet.

Quocirca hæc Canonis verba, *Per propinquos Provinciæ Episcopos dicium renovetur, Cognitores ipse præbeat, A latere suo Presbyteros mitt*, Romani Episcopi potestatem nequaquam coarctant, sed amiant, dantque illi plenitudinem auctoritatis, ut non tantùm per seetipsum, sed & per vicinæ Provinciæ Synodum, per datos in partis Cognitores, aut missos à latere suo Presbyteros possit appellatam ussam retractare. Hoc evincunt hæc verba: *Erit in potestate ipsius, odcumque rectè habere probaverit; faciet quod prudentissimo eius consilio ctè habere videbitur.* Supra Romanam Ecclesiam nihil audet constiere Synodus, sciens illi omnia concessa à Domino. Rectè sanctus ernardus ad Mediolanenses. *Romana Ecclesia potest à finibus terræ subnes quascumque personas Ecclesiasticas evocare, & ad suam præsentiam gere, non semel aut bis, sed quoties expedire videbit.* Epist. 131.

Et hìnc in Florentina Synodo Græcis postulantibus, *Si quis putet se aliquo Patriarcharum pati iniuriam, & veniat, qui interponat appellanem, ne Patriarchæ ipsi se sistant iudicandos, sed Papa mittat in Provinm quamque inquisitores, & ibi per eos præsentibus negotijs in partibus iniam passi ius suum obtineant,* rectè respondit Eugenius quartus *se velomnia Ecclesiæ suæ Privilegia*, utique auctoritatem evocandi etiam ips, à quorum sententijs provocari contigerit, Patriarchas, & quasvis rsonas alias necessarias causæ retractandæ. Quocirca aliud, licet de ussis levioribus, statuens Basileensis Synodus graviter impegit in Petrum Sess. 25.

Aurelij Carthaginensis Episcopi fundamentum sunt antiqua numenta factionis Eusebianæ, damnantis Julium Pontificem, quòd *hanasium præsumenter atque audaciter defenderet, hominem, cuius nec es noverat, nec accusatores.* Eidem per Maximum Ecclesiæ Salonita- prævaricatorem Episcopum resumpto respondet eleganter Gregos magnus. *Nam quod postulas, ut illuc personam dirigere debeamus, quâ sente de his, quæ dicuntur, possit esse probatio, esset utcumque excusabile, nquam ratio ei, qui accusatur, necessitatem probationis imponeret. At quam non tibi, sed accusantibus hoc onus incumbit, ad nos dilatione ante venire non desinas.* Potest tamen Pontifex, uti subdit Gregos, evocare & accusatorem. Aurelij cogitationes tandem in manis Bonifacij secundi Pontificis ejeravit Reparatus in Cathedra Carginensi successor, Hincmari autem technas damnavit octava Syno-, de quibus suo loco. L. 5. Epist. 25.

CANON

CANON VI.

HOsius Episcopus dixit: Si contigerit in una Provincia, in qua sunt plurimi Episcopi, unum Episcopum conventui non interesse, & ille per quandam negligentiam nolit convenire, & Episcoporum institutioni & electioni assentiri, congregata autem populi multitudo suadeat & instet, ut fiat institutio Episcopi, qui ab eis postulatur; oportet illum priùs, qui non adfuerit, Episcopum admoneri per literas Primatis Provinciæ, nempè Episcopi Metropolitani, quod rogat populus sibi Pastorem dari; & existimo rectè habere hunc quoque exspectari, ut adsit. Si autem literis rogatus non adfuerit, ac ne rescripserit quidem; populi voluntati satisfiat. Oportet autem ex vicina quoque Provincia accersi Episcopos ad Metropolitani Episcopi institutionem. Non licere autem simpliciter Episcopum constituere in aliquo pago vel parva urbe, cui vel unus Presbyter sufficit. Non necesse est enim illic Episcopum constitui, ne Episcopi nomen & auctoritas vilipendatur. Sed Provinciæ (ut priùs dixi) Episcopi debent in ijs urbibus Episcopos constituere, ubi etiam priùs Episcopi fuerunt. Si autem inveniatur urbs aliqua tam populosa, ut ipsa Episcopatu digna iudicetur, accipiat. An hoc omnibus placet? Responderunt omnes, Placet.

ALIA EDITIO.

HOsius dixit: Si contigerit in una Provincia, in qua fuerint plurimi Episcopi, unum fortè remanere Episcopum, ille verò per negligentiam noluerit ordinare Episcopum,

um, & populi convenerint; Episcopi vicinæ Provinciæ debent illum convenire Episcopum, qui in eadem Provincia moratur, & ostendere, quòd populi sibi petant Rectorem, & hoc iustum esse, ut & ipse veniat, & cum eo ordinent Episcopum. Quòd si conventus literis tacuerit & dissimulaverit, nihilque responderit, tunc satisfaciendum esse populis, ut veniant ex vicinis Provinciis, & ordinent Episcopum.

S C O L I O N.

NOster textus non attingit mentem Canonis; prima latina Editio, quâ usam olim Ecclesiam Gallicanam constat apud Flooardum ex Hincmaro Remensi, est recta, ac omninò sequenda. L. 3. c. 20. Quædam Provinciæ, in quibus fuerant Episcopi plurimi, per incurum barbaricum redactæ erant ad duos aut unum Episcopum, quæam item ex prima institutione non nisi duos habebant. Etenim notra, in qua olim Lovanium, secunda Germania non habuit nisi Agrippinam Metropolim & civitatem Tungrensem. Quin de Schytia, quarta Thracicæ Dioceseos Provincia, Zozomenus: *Per Scythiam* L. 7. c. 19. *ùm sint civitates multæ, unum dumtaxat hæ omnes Episcopum habent.* Porrò quartus Nicenus mandat Episcopum ordinari ad minùs à tribus, tertius autem Sardicensis Canon vetat Episcopum, ordinationum faciendarum caussâ, transire in Provinciam aliam, nisi invitatum ɔ eius Provinciæ Collegis. At quid si superstes in tali Provincia Episcopus nolit, etiam à vacantis Sedis populo rogatus, vicinæ Provinciæ Episcopos invitare? Huic eventui providet noster Canon, statuens tunc à populo eos advocari posse, etiam ad ordinandum Metropolitam.

Hoc Canone Hincmarus Remensis apud Ludovicum Germaniæ Regem defendit sese, ostenditque non deviasse, dum ad ordinandum Bertulfum Treverensem Metropolitam, ab eius suffraganeis Advenio Metensi & Arnulfo Tullensi rogatus, misit suos suffraganeos Hincmarum Laudunensem, Odonem Belgivagorum, & Joannem Cameracensem. *Pontifex*, inquit apud Flodoardum, *non minùs, quàm à tribus* L. 3. c. 20. *prævalet regulariter ordinari. Et quia tot in eadem Provincia suffraganei non erant Episcopi, quoniam Ecclesiæ Remensis & Treverensis comprovinciales atque sorores & ex auctoritate & ex antiqua consuetudine habentur, è conditione, ut qui prior earum fuerit Episcopus ordinatus, prior etiam ha-*

habeatur in Synodo, & sibi mutuò consilio & auxilio foveantur atque fulciantur, Treverensis Provinciæ Episcopi à Primate Provinciæ Remorum solatium suæ ordinationis secundùm sacras regulas quæsierunt, sicut sancti Sardicenses Canones dicunt. Treverensis ac Remensis, prima & secunda Provinciæ Belgicæ, sunt ex auctoritate & antiqua consuetudine sorores Comprovinciales, debentque sibi invicem consilium atque auxilium, quod olim fuerint unica Belgarum Provincia, postmodùm sub perpetuum mansuro, cujus & in suo testamento meminit S. Remigius, sororiæ germanitatis pacto divisa in duas.

Eundem Canonem respicit Wenilo, Senonensium Metropolita, Amulum Lugdunensem rogans, quatenùs Augustodunensi Bernum, Ecclesiæ autem Cabilonensi Godelsadum ordinet Episcopos, & addens: *Quòd si per absentiam Theutboldi Episcopi visum fuerit impossibile, quocumque tempore constitueritis, congruum vobis curabimus ex Episcopis nostris facere supplementum.* Nam & Senonensis Provincia est quarta Lugdunensis, ideòque primæ soror Germana. Exstant hæ literæ inter Epistolas S. Lupi, Abbatis Ferrariensis.

Epist. 81. Altera Canonis pars impetit antiquum abusum, de quo Hermias Zozomenus. *Apud quasdam nationes reperias, ubi & in pagis Episcopi*
L. 7. c. 19. *ordinantur, sicut apud Arabes & Cyprios ego comperi, & apud Novatianos & Montanistas eos, qui degunt in Phrygia.* Nempè Montanistæ, à Catholicis de paucitate derisi, noluere semper cum suo Tertulliano dicere: *Ecclesia non est numerus Episcoporum.* Et in collatione Carthagi-
L. de pudicit c. 21. nensi Alipium, nostrum Tagastensem Episcopum, improperantem Donatistis, quòd numeri ostentandi caussâ in villis & fundis ordinassent Episcopos, retudit Petilianus, eorum Episcopus Constantinensis: *Sic etiam tu multos habes dispersos per omnes agros, sanè & crebros sine*
L. 1. c. 165 *populis.* Ejusmodi Episcopos lepidè vocat *imagines Episcoporum.*

Porrò de Eusebianis hæc Athanasius in secunda Apologia. *Mareotes ager est Alexandriæ, quo in loco nunquam Episcopus fuit, immò ne Chorepiscopus quidem, sed universæ eius loci Ecclesiæ Episcopo Alexandrino subiacent, ità tamen ut singuli pagi suos Presbyteros habeant. Sunt autem pagi isti maximi decem numero, aut aliquantò plures. Pagus autem, ubi habitat Ischyras, minimus est, & paucissimorum hominum, adeò ut non ibi, sed in proximo pago Ecclesia constituta sit. Nihilo tamen minùs hominem, qui ne quidem Presbyter erat, huius pagi, præter Maiorum traditionem, Episcopum appellaverunt. Non quidem ignari, ne ipsi quidem, quàm hoc absurdum esset, sed promissis redemptæ calumniæ adacti etiam illud sustinendum puta-*
Epist. 3. *verunt, ne malignè habitus sceleratissimus Ischyras veritatem enunciaret, Eusebianorumque malitiam proderet.* Ischyras, inquit hæc nostra Synodus,

as, *totus ex nequitia & fraude factus*, fuit sancti Athanasij de exusto sa-
o libro, fracto calice, & destructo altari apud Synodum Tyriam
lumniator, ac se Presbyterum mentitus: Hìnc *ei calumnia merces* Ibidem.
ta est, nimirùm ut Episcopus nuncuparetur, cùm nondum Presbyter factus
et. Episcopus pagi & paucorum rusticorum, sine Basilica & Pres-
yteratu. Ei quidem ædificari Ecclesiam jussit Constantius Augu-
us, at sacra jussio sine effectu mansit, atque ità Ischyras, totius Ec-
esiæ ludibrium, non Episcopus, sed, uti dixit Petilianus, *Episcopi*
ago. Factum id dicit Athanasius contra *Maiorum traditionem*, haud
ubiè Apostolicam, in pagis & vicis vetans jacere ac sordere Episcopi
mmum in Ecclesia nomen, mandansque illic ordinari solos Presby-
ros, aut ad summum Chorepiscopos, Episcoporum per aliquot pa-
orum Dioceses vicarios, aut certè visitatores. Ità non adeò pridem,
aiorum traditionem confirmans, statuerat Laodicena Synodus, eiusque C.57.
anonem innovat & confirmat Hosius, offensus ab Eusebianis, qui
ctum iniquitatis vas & imaginarium Episcopum secum ducere Sar-
cam ad Synodum non erubuerunt.

Hosce Canones respicit sanctus Leo magnus in literis ad Episcopos
lauritaniæ Cæsareensis. *Illud sanè, quod ad sacerdotalem pertinet digni-* Epist 87.
tem, inter omnia volumus Canonum statuta servari, ut non in quibuslibet lo- c. 2.
, neque quibuslibet castellis, & ubi antè non fuerunt, Episcopi consecrentur;
m ubi minores sunt plebes, minoresque conventus, Presbyterorum cura suffi-
at: Episcopalia autem gubernacula non nisi maioribus populis, & frequen-
oribus civitatibus oporteat præsidere, ne quod sanctorum Patrum divinitùs
spirata decreta vetuerant, viculis, & possessionibus, vel obscuris & solitarijs
unicipijs tribuatur sacerdotale fastigium, & honor, cui debent excellentio-
committi, ipse sui numerositate vilescat. Hìnc omnes istic eiusmodi
piscopatus jubet exstingui.

Et duodecima Synodus Toletana Episcopatum, in sancti Pimenij
onasterio à Stephano Emeritensi Episcopo ad violentam Wambæ
Legis jussionem erectum, destruit, exufflat, & addit. *Si quis de cætero* C. 8.
ontra hæc Apostolica iussa & Canonum interdicta, in locis illis eligat Epis-
opum fieri, ubi Episcopus nunquam fuit, sit in conspectu omnipotentis Dei
nathema, & insuper tam ordinans, quam ordinatus gradum sui ordinis
erdat, quia non solùm antiquorum Patrum decreta, sed & Apostolica ausus
convellere instituta.

Verba hęc, *ubi nunquam fuit Episcopus*, statuunt novam legem. Patriar-
his, Primatibus, Metropolitis, aut certè eorum Synodis semper licuit
n locis competentibus, præsertim jure civitatis donatis à Principe,
rigere novos Episcopatus. Nam & suam Diocesim, erecta apud Fus-

ſalenſes nova cathedra, diſſecuit & decurtavit ſanctus Auguſtinus. Et dum Valens Auguſtus ex una Cappadocia fecit duas, Cæſareenſis Eccleſiæ decori primatiali providens ſanctus Baſilius erexit varias novas cathedras, plurimumque indè fructum proveniſſe ſcribit S. Gregorius Nazianzenus. Nihilominùs natæ ſunt & lites magnæ: Quis enim neſciat patrata ab Anthymo, Tyanenſi Epiſcopo, novo adverſùs Baſilium Metropolita ſecundæ Cappadociæ? Epiſcopatuum novorum erectio paſſim peperit turbas, quas tandem exſtinxit Gregorius ſeptimus, erectionem hanc Sedi Apoſtolicæ reſervans, in dictatu: *Soli Pontifici licet novas Plebes congregare, divitem Epiſcopatum dividere, pauperes unire.*

At Sedem Apoſtolicam accuſant quidam, quod ſuæ in generalibus Synodis plenipotentiæ conſulens, per regnum Neapolitanum in vicis & parvis locis erexerit tot Epiſcopatus. Reſpondeo accuſari & injuſtè & imperitè. Leonis Iſauri Imperatoris eſt opus iſtud. Eius tempore, uti ex Epiſtolis Gregorij ſecundi patet, Roma erat medius limes Romanorum & Barbarorum; omnis ultra Romam Oriens Auguſtis Conſtantinopolitanis, omnis cis ipſam Occidens parebat Longobardis, Francis, Burgundis, Gothis, alijſque Barbaris. Quod impijs eius contra ſacras imagines juſſionibus ſervire nollet dictus Pontifex, dictus Auguſtus omnes Illyrici, Siciliæ, Calabriæ, Apuliæ, reliquæque uſque Romam Italiæ Provincias Romanæ Sedis Patriarchali poteſtati ſubtraxit violenter, tranſcripſitque in Patriarcham Conſtantinopolitanum. Sicilia ac Italicæ Provinciæ nullum huc uſque habuerant Metropolitam, niſi Papam, cujus ob Apoſtolicę Sedis reverentiam erat vaſtiſſima Provincia. Hinc Iſaurus in Sicilia Syracuſas erexit in Metropolim, poſtmodùm à Nortmannis tranſlatam Panormum Italiæ Provincias implevit Epiſcopis, hominibus ſibi obſtrictis, per quos miſerum populum circumſcriberet in ſuam impietatem. Multiplicavit & Metropolitas, quod illi ſecundùm Canones Calchedonenſes, recipiendę conſecrationis gratiâ, accedere deberent Conſtantinopolim, & varia iſtic profiteri. Nortmanni tandem invaſêre utramque Siciliam, Epiſcopoſq; ſubtraxerunt Conſtantinopolitano, Sedi tamen Apoſtolicæ non reddiderunt, uſque ad Adrianum quartum Pontificem & Guilielmum ſecundum Siciliæ Regem, de quibus in ſupplemento Sigeberti Gemblacenſis Robertus Montenſis. *Guilielmus Rex cum Papa Adriano pacem fecit, cedendo ei conſecrationes Epiſcoporum regni ſui & Ducatus, ſicut antiquitùs eas habuit Romana Eccleſia, undè diſcordia fuerat inter patrem ſuum Rogerium & Innocentium ſecundum, & Eugenium tertium, Romanos Pontifices.* Haſce conſecrationes ad ſe ex Apoſtolico Canone ſpectare, ſcribit

A. 1157.

ibit ad Michaëlem Augustum Nicolaus primus. De hisce Episco-
tibus ad avitum numerum & modum reducendis frequenter actum
etiam nuper in Synodo Tridentina: At aliter visum est Sedi Apo-
licæ, in cujus potestate jam esse audivimus, *quodcumque rectè habere*
baverit.

CANON VII.

HOsius Episcopus dixit: *Importunitas nostra, & multa assiduitas, & iniustæ preces effecerunt, ut nos non ha- amus tantam gratiam & libertatem dicendi, quantam de- bamus habere. Multi enim* Episcopi *non intermittunt ad stra accedere, & maximè Afri, qui, quemadmodùm cogno- mus à dilecto fratre nostro & Coepiscopo Grato, salutaria nsilia non admittunt, sedità contemnunt, ut unus homo in stra plurimas & diversas, & quæ non possunt iuvare* Ec- *sias, preces afferat, & non (ut debet fieri & convenit) uperibus & laicis, vel viduis opem & auxilium ferat, sed culares dignitates & functiones aliquibus acquirat. Hæc gò perversitas detrimentum non sine offendiculo & con- mnatione nobis conciliat. Convenientiùs autem existimavi,* Episcopus *illi suum auxilium præbeat, cui ab aliquo vis fertur; vel si quæ vidua injuriâ afficiatur, vel si quis pupil- s privetur ijs, quæ ad ipsum pertinent. Si quidem hæc no- ina iustam habeant caussam & supplicationem. Si itàque lecti fratres, hoc omnibus videtur, statuite nullum oportere piscopum ad castra accedere, præter eos quos pius Impera- r noster suis literis accersit. Sed quia sæpè contingit, aliquos, i egent misericordiâ, ad* Ecclesiam *confugere, qui propter peccata vel relegatione, vel in insulam deportatione dam- ti, vel quâvis sententiâ addicti sunt; ijs non esse negan-*

dum

dum auxilium, sed sine cunctatione & dubitatione ijs veniam esse petendam. Si itàque hoc quoque placet, omnes unà quoque vestrum suffragium ferte. Responderunt omnes: Decernatur & hoc.

SCOLION.

HOcce intercessionis officium esse nobilem Episcopalis muneris portionem semper existimavit Ecclesia, uti liquet ex Epistola sancti Augustini ad Comitem Macedonium. Sanctum Ambrosium, ut pro Pagano, viro illustri, quod Gratianum Augustum contumeliosè tractàrat, capitis damnato, supplicaret, per ferarum portam unà cum venatoribus ingressum in amphitheatrum, atque illic supplicasse
L.7.c.24. spectanti Principi, scribit Hermias Zozomenus. Et ipse Ambrosius ad
Epist.17. Theodosium Augustum: *Debeo tuis beneficijs, quibus me petente liberasti plurimos de exilijs, de carceribus, de ultimis necis pœnis.* Eiusdem precibus dati fuerant Thessalonicenses, ideòque eorum cædem, prævaricatorio Comitum consilio post peractam, adeò durè ab illo vindicatam adfirmat Presbyter Paulinus. Eodem pro reis zelo arsisse sanctum Au-
C.20. gustinum, varijs exemplis ostendi possit, sanctusque Possidius testatur. Etiam à Firmo, Maurorum Rege barbaro & gentili, ad deprecandam à Theodosio Duce, Augusti patre, veniam legatos Episcopos
L.24 c.25. scribit Ammianus Marcellinus.

Antiqua sancti Nicolai Myrensis Episcopi acta plùs dicunt. *Eodem propè articulo temporis, quo carnifex, vibraturus ictum, securim acceperat, compositis damnatorum cervicibus ad ferrum excipiendum, Nicolaus excla-*
L.2.f.622. *mans sistere carnificem iubet, & divino actus numine de manu eius magnanimus securim excussit in terram, vinctosque solvit.* Quod ipsum posterioribus seculis factum etiam à Balduino Vigornensi Episcopo scribit Rogerus. Hovedensis Quòd publicum latronem, à Comite Engolismensi ob populi contestatoriam contradictionem sibi negatum atque occisum, ad vitam revocârit sanctus Eparchius monachus, Gregorius
L.6 c.8. Episcopus Turonensis. Nam & monachi huic officio se miscuerunt.
L.1.c.13. Eius caussâ sanctum Anthonium frequenter de solitudine egressum,
Epist.37. habes à Zozomeno. Sanctus item Bernardus ac Nortbertus eidem
38.39. pietati studuere.

Sanctissimum officium fœdare cæpit Paulus Samosatensis, de quo apud Eusebium Synodus Antiochena ad Dyonisium Papam. *Ad maxi-*
L.7.c.24. *mam divitiarum affluentiam pervênit,* utique pro reis intercedendo, atque *ità eorum liberalitate, qui litibus implicati tenebantur, quique, quò*

adversariorum calumnijs liberarentur, ad dandum valdè propensi erant, uitèr *abusus.* Sceleratum est istud lucrum, ideòque sanctus Remi- us, Remensis Episcopus, ab Eulogio, viro potenti, cui vitam & rtunas à Clodovei Regis gladio & fisco obtinuerat, oblatam Ec- siæ suæ villam Sparnacensem recipere noluit, *Bonum*, inquit Flo- ardus, *cunctis relinquens exemplum Episcopis, cæterisq́ue Sacerdotibus,* *dum pro his, qui ad Ecclesiæ sinum vel servorum Dei præsidia confugium* iunt, *intercedunt, aut bona qualibet agunt, hæc pro temporali recompen-* ione *non expleant, nec transitoria velint recipere, sed iuxta mandatum* mini, *quæ gratis acceperint, studeant quoque gratis impendere.* Inter- ssiones pretio facere est unum è facinoribus, quæ in Principum unuchis etiam gentiles fuêre detestati. Rectè adversùm insanas lontani Prophetissas Apollonius, antiquus Ecclesiæ Scriptor apud usebium. *An non universa Scriptura videtur vetare Prophetam, ne mu- ra & pecuniam accipiat? Quando ego igitur fortè video Prophetissam au-* m, *argentum, vestes pretiosas cupidè accipientem, quid est, cur illam non* ophetissarum *numero excludam?* Alios nævos officio impegerant hoc mpore partem Eusebiani, partim orthodoxi, eosq́ue corrigit Canon æsens.

L. 1. c. 14.

L. 5. c. 17.

Officium flaccescere cæpit ob tres postmodùm caussas. Primam dicit Paulinus Presbyter in vita sancti Ambrosij. *Ambrosius ingemis-* bat *vehementer, cùm videret radicem omnium malorum avaritiam magis* agisq́ue *crescere in hominibus, & maximè in ijs, qui in potestatibus erant* nstituti, *ità ut interveniendi apud illos gravißimus illi labor esset, qui* nnia *pretio distrahebant.* Alteram apud Flodoardum dat S. Remigius, cens supra memoratum Eulogium fuisse *verecundiæ confusione de-* essum, ideòque fieri voluisse monachum, *quod contra natalium suorum* cus *vita donari per indulgentiam meruißet.* Apud barbaros ignominio- m erat ad Ecclesiæ preces de vindice Principis gladio liberari. Ter- a caussa, quam adducit Hosius, est *importunitas nostra, & aßiduitas,* r *iniustæ preces,* & vanitas, ex qua jam pridem fælicium, quam infæ- cium negotijs malumus misceri.

L. 1. c. 14.

CANON VIII.

HOsius Episcopus dixit: *Hoc quoque vestra solertia dixit, ut quia visum est, ne aliquis Episcopus in con-* emnationem *incidat ad castra veniens, si qui eorum eius-* modi, *quarum superiùs meminimus, habeant preces, per pro-*

prium

prium Diaconum mittant. Ministri enim persona non est invidiosa, & quæ concessa fuerint, citiùs perferri poterunt.

EDITIO ALIA.

HOsius Episcopus dixit: *Hoc quoque Providentia vestra tractare debet, quia decrevistis, ne Episcoporum improbitas nitatur, ut ad Comitatum pergant. Quicumque ergò, quales superiùs memoravimus, preces habuerint, vel acceperint, per Diaconum suum mittant, quia persona ministri invidiosa non est, & quæ impetrârit, celeriùs poterit referre.*

SCOLION.

ETiam ex caussis per Canonem præcedentem probatis nequit ipse Episcopus accedere, sed preces scriptas debet mittere ad Principis Comitatum. Primò, *ne Episcopus in damnationem incidat*, id est, ne suspectus fiat aut judicetur ex non probatis caussis accessisse: Ne infirmis ejusmodi judiciorum aut suspicionum, quibus ipse damnetur, det ansam. Deindè, quia *Diaconi persona non est invidiosa*: Defert enim non tantùm ab Episcopo, sed & à Metropolita suo probatas & signatas preces, ideòque non subjacet periculo jam dictarum suspicionum. Confidentiùs, quoniam alieno nomine, postulat à Principe, eidemque, utpotè dumtaxat ministro, possit Princeps liberiùs negare. Importunitatem displicuisse Principibus, liquet ex Comitis Macedonij Epistola ad S. Augustinum. Tertiò, quòd Diaconus concessa citiùs perferre possit, utpotè non habens morosam pompam Episcopalis evectionis. Hunc Canonem respexit Paulinus Presbyter, dicens de sancto Ambrosio, apud Theodosium pro militibus Eugenij tyranni partes secutis supplicante: *Obsecravit scriptis Imperatorem, misso Diacono.* Erat is fælix Diaconus, posteà Episcopus Bononiensis. Porrò *Comitatus* est vox Romana, de qua & Possidius in vita S. Augustini: *Apud Mediolanum, ubi tunc temporis Imperatoris Valentiniani Iunioris erat Comitatus*, id est, Curia seu Aula. Quocircà Canon præscribit solis intercessionibus apud ipsum Principem, cujus auribus non nisi ex caussis & modo dictis vult, uti & Synodus Antiochena loquitur, *adferri molestiam.* Antiqua Episcopis libertas mansit apud quasvis Imperij Potestates officiales supplicandi per semetipsos.

Ambros. Epist. 16.

CANON

CANON IX.

HOsius Episcopus dixit: *Hoc quoque consequens esse existimo, ut si inquacumque Provincia Episcopi ad fratrem & Coepiscopum suum mittunt preces, is qui est in maiori civitate, hoc est, in Metropoli, ipse ministrum suum & preces mittat, præbens ei commendatitias quoque literas, scribens videlicet per consequentiam etiam ad fratres & Coepiscopos nostros, qui scilicet illo tempore in locis, vel civitatibus agant, in quibus pijssimus Imperator Remp. gubernat. Si quis autem Episcopus habet amicos in Aula Palatij, & velit aliquid, quod sit honestum & iustum impetrare, ne prohibeatur per suum ministrum & rogare, & ijs mandare, ut bonum suum auxilium ei velint præbere. Qui autem Romam accedunt (quemadmodùm superiùs dictum est) dilecto fratri nostro & Coepiscopo Iulio preces, quas habent dandas, præbere debent, ut ipse priùs examinet, si quæ earum non sint imprudentes; & sic suam opem & curam præbens, eos ad castra mittat. Omnes Episcopi dixerunt, Eis placere, & esse convenientissimum hoc consilium.*

EDITIO ALIA.

ET *hoc consequens esse videtur, ut de qualibet Provincia Episcopi ad eum fratrum & Coepiscopum nostrum preces mittant, qui in Metropoli consistit, ut ille & Diaconum eius & supplicationes destinet, tribuens commendatitias Epistolas pari ratione ad fratres & Coepiscopos nostros, qui in illo tempore in his regionibus & urbibus morantur, in quibus fælix & beatus Augustus Rempublicam gubernat.*

SCOLION.

SOla Episcopi auctoritas nequit Diaconum mittere ad Comitatum: Accedere debet & Metropolitæ judicium, qui preces discutiat, probet, signet, commendet, non tantùm Principi, sed & Episcopo, in cujus parochia contigerit esse illum. Quæstio erat, an Diaconus & preces dirigi possent ad solum Principem, nequaquam ad amicos Palatinos, futuros earum adjutores: An datæ ad hosce literæ eisdem, quibus datæ ad Principem, legibus adstringerentur? Responsum est non adstringi. Dicta est à nobis ratio ad Canonem præcedentẽ.

Addit Canon, ut Romam transiens Diaconus preces suas exhibeat & submittat Pontifici, quomodò submiserat Metropolitæ. Afris suis
C. 106. plùs imposuêre Canones Carthaginenses. *Placuit, ut quicumque ad Comitatum ire voluerit, in formata, quæ ad urbis Romæ Ecclesiam mittitur, intimetur, ut indè etiam ad Comitatum formatam accipiat.* Ne videlicet Donatistæ, usurpato Ecclesiæ Africanæ nomine, possent, quomodò frequenter tentârant hactenùs, Principi obrepere, deinceps ad ipsum sine Romani Pontificis formata non admittendi.

CANON X.

HOsius quoque Episcopus dixit: Hoc quoque necessarium existimo, ut cum omni cura & omni diligentia examinetur; ut si quis dives, vel ex foro Scholasticus, Episcopus fieri dignus habeatur, non priùs constituatur, quam Lectoris & Diaconi & Presbyteri ministerium peregerit: ut in unoquoque gradu, si dignus existimatus fuerit, ad Episcopatus fastigium per progressionem possit ascendere. Habebit autem uniuscuiusque Ordinis gradus non minimi scilicet temporis longitudinem, per quod & fides, & morum probitas, & constantia & moderatio possit cognosci: & ipse divino sacerdotio dignus existimatus maximum honorem assequetur. Neque enim convenit, neque scientia & bona conversatio hoc recipit, ut temerè & leviter ad id accedatur, ut Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus promptè ac facilè con-

constituatur. Sic enim meritò Neophytus existimetur, quandoquidem beatissimus Apostolus, qui fuit etiam Doctor gentium, maximè prohibuisse videtur, ne celeres fierent institutiones. Longissimi enim temporis probatio & conversationem, & uniuscuiusque mores non improbabiliter exprimere poterit. Omnes dixerunt ipsis placere, & omninò non oportere ea subvertere.

SCOLION.

HVnc Canonem Nicolaus primus Pontifex, in literis ad Episcopos Dioceseos Constantinopolitanæ laudatis in octava Synodo, esse dicit decimum tertium: Ex quo liquet Romanam Ecclesiam tunc usam primâ editione latinâ. Hæc porrò est secunda Neophytorum species, de qua in eisdem literis idem Pontifex ex Gregorio magno. *Apostolus Neophytum ad Ordines vetat sacros accedere. Sicut autem tunc Neophytus dicebatur, qui initio in sanctæ fidei erat conversatione plantatus, sic modò Neophytus habendus est, qui repentè in religionis habitu plantatus ad ambiendos honores sacros irrepserit.* Vetustum in Ecclesia malum, cæptum ab antiquis hæreticis, quorum Ordinationes Tertullianus in libro Præscriptionum dicit esse leves, inconstantes, temerarias: Etenim *conlocant sæculo*, id est, sæcularibus desiderijs, *obstrictos.* Ab his jure hæreditario traductum ad Eusebianos, de quibus S. Athanasius in Apologia ad Constantium Augustum. *Posteàquam ex veris, senibusque Episcopis alij in exilium deportati essent, alij metu fugati, Ethnici homines, Catechumeni, primarijque Decurionum, & quisquis fama opulentia notus erat, ad spem Episcopatus pro Christiana Religione Arianismum profitebantur. Neque deindè, ut Apostolus præcepit, quæsitum, si quis esset irreprehensibilis, sed iuxta scelera impijssimi Hieroboam, si quis plùs pecuniæ offerret, nomine Episcopi honorabatur. Nec apud illos ullo in discrimine erat, sive Ethnicus, sive non, modò aurum daret.* Hìnc dicit Hosius, *Si quis dives*: Compescit enim Eusebianam simoniam.

Act. 7.

L. 7. Epist. 112.

C. 41.

Difficultatem faciunt hæc verba, *Ex foro Scholasticus*, id est, caussarum Advocatus. Etenim Photius, Ecclesiæ Constantinopolitanæ ex laico mæchus, dixit Canonem non de quovis laico, sed de solo *Forensi & Curiali* loqui, adeòque sui ex bonarum literarum secreto studio adsumpti promotionem ei non adversatam. Respondet verò, & rectè, antiqua admonitio de Photij Pseudo-Synodo: *Sardicensis Con-*

cilij non est hic sensus. Ait forum latissimè pro quavis sæculari vita accipi, agere Canonem de quovis laico, sive ex fori contentionibus, sive è quibusvis studijs adsumpto.

Etenim Syricius Pontifex, in literis ad Himerium Tarraconensem Episcopum, & ad omnes orthodoxos, adeò Canonem intelligit de quovis laico, ut & ad Monachos extendat, in Diaconum, Presbyterum, aut Episcopum non promovendos, nisi custoditis singulorum ordinum præfixis interstitijs. Quis nesciat eius animum à sancto Paulino Nolæ Episcopo graviter aversum? Aversus creditur, quòd ille se à Lampio Barchinonensi Episcopo permisisset subitò Presbyterum è
C. 1. monacho consecrari. Eodem modo Canonem intelligunt Zozymus
Epist 3. c 2 Pontifex in Epistola ad Hesychium Episcopum Salonitanum, Cælestinus in Epistola ad Episcopos Calabriæ & Apuliæ, Leo magnus in
Epist. 84. c. 3. literis ad Anastasium Thessalonicensem, & ad Episcopos Mauritaniæ
Epist. 87. c. 1. Cæsareensis, Gelasius in Epistola ad Episcopos Lucaniæ, Symmachus in literis ad Cæsarium Arelatensem, ad Auxanium eius successo-
Epist. 9. rem Vigilius, variæque Synodi Gallicanæ. Gregorius magnus in literis suis assiduè clamat, ne laica persona ad Episcopatum præsertim adsumatur, Ecclesiarum vacantium visitatoribus, quorum erat id impedire, gravia minatus.

Porrò in Canone nostro Hosius singulariter expressit divites & Scholasticos, quod ad arietandam Ecclesiam Eusebiani adsumerent præsertim ejusmodi. Gravissimum Ecclesiarum suo tempore morbum fuisse queritur S. Gregorius Nazianzenus Sextos, Pyrrhones, contradicendi libidine incitatas linguas, ad nihil vacantes, quàm ad novi aliquid cum Atheniensibus dicendum vel audiendum: Erant è foro adsumpti Episcopi, qualis & apud Donatistas fuit loquax ille Petilianus.

Rectè dixit, *Dives vel Scholasticus.* Adsumpsêre enim Eusebiani etiam homines imperitissimos, illotis manibus ac profanis animis sordidos, Saules inter Prophetas, judiciorum fidem pretio addictam habentes, Sacerdotes mercede dantes responsa, Prophetas non nisi numerato argento vaticinantes, quibus nomine, communione, consessu jungi Na-
Orat. 1. zianzenus erubuit, ideòque abjecto Episcopatu fugit in Pontum, de quibus plura inferiùs ad Synodum Constantinopolitanam. Adeò Canon noster subitò sanare non potuit rabiem præsumptionis Eusebianæ.

Etiam in Gallia grassatum est virus sub prima Francorum Regum serie. Hæc est Neophytorum hæresis, quam sanctus Gregorius mag-
L. 6. c. 46. nus indè ejecit. Etenim de Chilperico Rege, quem sui temporis Neronem atque Herodem vocat, scribit Gregorius Episcopus Turonen-
sis:

sis: *Eius tempore pauci Episcopatum Clerici meruerunt.* Et de Gumtramno, Rege in multis laudabili. *Cùm iureiurando Rex pollicitus fuerat se nunquam ex laicis Episcopum ordinaturum: Sed quid pectora humana non cogat auri sacra fames.* Dalmatius Ruthenensis Episcopus moriens in testamento suo Regem adjuravit terribilibus Sacramentis, ne sibi successor è laico daretur, alij item Episcopi officio non defuêre; At sine fructu, quousque se adjunxit Gregorius. Rectè vocatur hæresis, utique Simoniana: Francorum enim Reges auro vendebant cathedras suis præsertim Palatinis. L.8.c.22.

Altera Canonis pars servari mandat singulorum Ordinum interstitia, eaque esse longi temporis, quo ministrantis fides, probitas, continentia, moderatio plenè cognosci possit, atque ità ille probatus legitimo progressionis modo gradatim adscendere fastigium Episcopale. Interstitiorum tempora non determinat, relinquit Episcoporum arbitrio; determinavit postmodùm Syricius Pontifex in suprà laudatis literis ad Himerium Episcopum Tarraconensem: In Lectoratu & Exorcistatu duos, in Acolytatu & Subdiaconatu quinque, quinque in Diaconatu, decem annos expleri mandat in Presbyteratu, atque tunc primùm posse evehi ad Episcopatum, addens servanda hæc etiam à monachis. Confirmant Cælestinus & Leo magnus Successores in literis ad Episcopos Galliæ & Mauritaniæ Cæsareensis. Gelasius monachos omnibus à Lectoratu ad usque inclusivè Presbyteratum gradibus anno uno, laicos intra annum & medium insigniri permisit, verùm dispensatoriè ob summam in devastata per Barbaros Italia inopiam Clericorum. Eandem ob causam Passivo, Firmano Episcopo, vacantis Aprutinæ Ecclesiæ visitatori, mandat Gregorius magnus, ut Opportunum, probatissimum laicum, monachum faciat & mox Subdiaconum, ac post aliquantum temporis promoveat in Episcopum. Eâdem die dari plures Ordines sacros primus permisit Clemens sextus, uti notat & culpat Henricus monachus Rebdorffiensis. Epist 9. L.10. Epist. 13. A.1342. 1351.

Tertia Canonis pars dat sui statuti duas rationes. Prima est, quòd scientia & bona conversatio non patiantur, ut Episcopus, Presbyter, Diaconus temerè ac subitò fiant. Rectè enim Gregorius Nazianzenus ridet Eusebianæ factionis reliquias, quòd passim Episcopos, Angelis atque Archangelis æqualem paraturam, *unius diecula spacio, velut simulacrum ex argilla, fingerent.* Quem in vita sancti Ignatij Patriarchæ Constantinopolitani imitatus Nicetas Paphlago Photium, Ecclesiæ Constantinopolitanæ ex laico mæchum, vocat *Sanctum extemporalem*, ac ipse in octava Synodo Ignatius *Natum subitò iuxta fabulas gigantem*, id est, rem impossibilem, fabulisque adnumerandam. Orat. 1.

Altera ratio est, quòd laicus ex Apostolico Canone sit reverà Neophytus, licèt non ille, de quo dictum, *Oportet Episcopum esse non Neophytum*, tamen ille, de quo dictum, *Nemini citò manus imposueris*, & *Hi probentur primùm.* Probari enim non possunt, nisi longissimi temporis in singulis gradibus ministerio & conversatione. Et quoniam id non tantùm de Episcopis & Presbyteris, sed & de Diaconis dixit Apostolus, ideò ad eosdem Canonem quoque Hosius extendit. Ex quo postmodùm secunda Synodus Arelatensis, Syricius Pontifex, cunctique eius successores accepére fundamentum secundi Niceni Canonis, qui de solis Episcopis & Presbyteris statuit, etiam ad Diaconos extendendi.

Quantùm Romana Ecclesia promotiones hujusmodi semper sit aversata, liquet ex Anastasio Bibliothecario in vita Sthephani quarti. Etenim Constantini laici per eius fratrem Totoném, Nepesinæ civitatis Ducem, in Papatum intrusionem esse dicit impiæ præsumptionis propositum, in Ecclesia Dei inauditam ac impiam novitatem, novitatis errorem, impiam novi erroris ac temeritatis præscriptionem: Eiusque caussâ Constantinus cum omnibus ab illo ordinatis Episcopis & Clericis synodaliter damnatus est, ab irato ob Apostolicæ Sedis injuriam Romano populo violenter excæcatus, cæcusque, ad instar fatui salis, abjectus in plateam. Antiqua tamen de Photij Pseudo-Synodo admonitio fallitur dicens Romanæ Ecclesiæ nullum, hoc dempto schismatico invasore Constantino, unquam datum è laico Pontificem. Ità enim, Spiritu sancto, qui supra omnes Canones, per columbam designante, electum sanctum Fabianum Eusebius adfirmat. (L.6.c. 22.) Ità & S.Severus promotus ad Ravennę Ecclesiam, cujus electiones dudùm per columbam fuisse divinitùs directas ostendit Hieronymus de Rubeis in eius Annalibus.

CANON XI.

HOsius Episcopus dixit: Hoc quoque definire debemus; ut quando Episcopus ex alia civitate in aliam civitatem, vel ex alia Provincia in aliam Provinciam accesserit, jactationis gratiâ proprijs laudibus magis serviens, quàm religionis sanctificationi, & velit longiori tempore illic agere, illius autem civitatis Episcopus doctrinæ non fuerit peritus; ne illum despiciat, & frequentiùs concionetur, studens dedecore

core afficere & vilipendere personam Episcopi (hic enim prætextus solet turbas excitare) nec eiusmodi calliditate alienam Sedem sibi conciliare & attrahere studeat, non dubitans sibi traditam Ecclesiam relinquere, & in aliam transire. Ad hoc ergò tempus definiendum est. Nam Episcopum non recipi, inhumanum & incivile existimatum est. Recordemini autem, Pàtres nostros in tempore præterito iudicavisse, ut si quis laicus in aliqua urbe agens, tribus diebus dominicis, in tribus hebdomadibus non conveniat, is communione moveatur. Si hoc ergò de laicis statutum est, non oportet, nec convenit, sed neque est utile, Episcopum, si nullam habet graviorem necessitatem, vel negotium difficilius, à sua Ecclesia diutius abesse, & sibi commissum populum deserere. Omnes Episcopi dixerunt, Hanc quoque sententiam esse convenientissimam.

S C O L I O N.

CAnonem intelliges ex facto Severiani Gabalensis Episcopi, & Antiochi Ptolomensis in Phænicia, quos Constantinopolim venisse quæstus caussâ concionaturos, primasque iltic in sanctum Joannem Chrysostomum turbas movisse, referunt Socrates & Zozomenus. L.6.c.21. L.8.c.10. Ruffinus in literis ad Macarium culpat sanctum Epiphanium, quod *se per omnes gentes & linguas evangelizandi necessitatem habere putaret.* Etiam Dorotheum, Marcianopolitanum Episcopum, secundæ Mesiæ Metropolitam, Constantinopoli coram Nestorio Patriarcha concionari solitum, atque ità istic Nestorianæ lepræ largas propagines fecisse, scribit sanctus Cyrillus Alexandrinus Episcopus ad Cælestinum Pontificem & Acacium Episcopum Berrhæensem. Basilius, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus & Archimandrita, in precibus ad Theodosium Augustum, addit repugnare sacris Canonibus, huic utique nostro Sardicensi. Et Persidis atque Armeniæ Clerus apud Proclum Constantinopolitanum Episcopum, in precibus coram quinta Synodo lectis, accusat Theodorum Mopsuestenum Episcopum, quod *vili secundæ Ciliciæ oppido non contentus in Antiochena Eccle-* Act.5. f.556.

sia,

sia, Paracia ad eum non pertinente, ausus sit, *tamquam eruditus sermocinator prædicare.* Eundem istic prava prædicasse, ac ex ipsa eorum revocatione popularem auram venatum & consecutum scribit ad Nestorium Constantinopolitanum Joannes Episcopus Antiochenus. Hujusmodi ergò *declamatores, rabulas, garrulosq; sine ratione* circumforaneos, quorum, uti ad Nepotianum sanctus Hieronymus scribit,
Epist. 2. unicus scopus est, *verba volvere, & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere*, eius volubilem animum à proprio Episcopo distrahere, atque ità illius Cathedram venari, noster Canon compescit.

Attamen quia hospitem Episcopum eijcere, aut non recipere, est incivile atque inhumanum, eius apud alienam Ecclesiam moræ tempus præfigit Hosius ex vigesimo primo, qui de laicis statuens longè potiori jure extendi possit ad Episcopos, Canone Eliberino. Hic est
C. 80. pro Episcoporum residentia palmaris Canon, innovatus postmodùm,
C. 41. licet ex alia caussa, à Synodo Trullana & Francofordiensi, ab Agathensi etiam ad Presbyteros & Diaconos extensus. Neque tamen verbi adjutorium fratri à fratre impendi penitùs vetat, dummodò impendatur, quomodò ab Honorato Massiliensi Episcopo impensum laudat in catalogo Gennadius Presbyter Massiliensis.

CANON XII.

HOsius Episcopus dixit: Quia nihil est prætermittendum, hoc quoque definiatur. Quidam fratres & Coepiscopi in civitatibus, in quibus Episcopi constituuntur, videntur valdè pauca, quæ sibi sint propria, possidere; in alijs autem locis magnas possessiones, ex quibus etiam possunt opem ferre pauperibus: Iis ità concedendum esse judico, ut si in suas possessiones venturi sunt, & fructus suos collecturi, tribus diebus Dominicis, id est, tribus septimanis in suis possessionibus degant; & in Ecclesia, quæ propè est, in qua Presbyter populum congregat, ne congregationis expers esse videatur, conveniat, & officia divina obeat; & ne frequentiùs in civitate, in qua est Episcopus, adsit. Eo enim modo & res

& res eius propter ipsius absentiam nihil detrimenti patientur, & arrogantiæ ac superbiæ crimen effugere videbitur. Omnes Episcopi dixerunt: Placet quoque constitutio.

SCOLION.

ETiam hunc Canonem innovat Synodus Francofordiensis, eiusque vigore Hincmarum Laudunensem Episcopum reprehendit Hincmarus Remensis, quod ad Abbatiam, ex Regio beneficio obtentam in aliena Provincia, frequenter tenderet, *diutiùs contra Sardicenses Canones immorans*, utique ultra tres Dominicas seu septimanas. Epist.33. c. 2.

At cur illis Dominicis jubetur hospes Episcopus in proxima rurali Ecclesia adesse Divinis, cur vicina Cathedralis vetatur, cur hanc adire est superbiæ & arrogantiæ seu crimen seu suspicionem incurrere? Rationem dat prima Synodus Arelatensis: *Vt peregrino Episcopo locus sacrificandi detur*. Hospiti Episcopo plurimus semper delatus fuit honor: Oblatus, immò quasi violenter impositus in publico Ecclesiæ conventu non tantùm sacrificandi, sed & concionandi locus, adeò ut quidam urbaniores Episcopi hospiti suo, tamquam suffraganei Metropolitano, ad sacrificium inservirent. Eius honoris quidam avidi obibant alienas Ecclesias: Hanc vanitatem circumcidit Canon, præsertim in aliena Ecclesia concionandi cupiditatem & ansam, proscriptam à Canone præcedenti.

Confundit item Arnoldum Brixiensem, Chilpericum Francorum Regem, Fredericum secundum Imperatorem, Wicleffistas, aliosque Ecclesiasticarum possessionum ac divitiarum osores, blaterantes olim Ecclesiam vixisse ex solis fidelium quotidianis oblationibus. Etiam quosdam malè opulentos Episcopos & Clericos, qui easdem possessiones esse putant non *munus reddendæ rationi obnoxium, sed vitæ adiumentum, liberumque imperium, omni rationum metu solutum*. Sunt res in opem pauperum impendendæ. Greg. Naz. Orat. I.

CANON XIII.

HOsius Episcopus dixit: Hoc quoque omnibus placeat; ut si Diaconus, vel Presbyter, vel etiam aliquis ex Clericis sit excommunicatus, & ad alium Episcopum, qui eum novit, confugerit, scientem eum à proprio Episcopo esse com-

communione motum; non oportere Episcopo & fratri suo iniuriam facientem, ei communionem præbere. Sin autem hoc facere ausus fuerit, sciat, cùm convenerint Episcopi, se ipsum caußam eße dicturum. Omnes Episcopi dixerunt: Hoc iudicium & pacem usque custodiet, & omnium concordiam tuebitur.

SCOLION.

EST innovatio quinti Niceni Canonis, idque contra Eusebianos, qui Julium Pontificem de suscepto ac restituto Athanasio, tamquam dicti Canonis prævaricatorem criminantes, legitimè damnatis per nostros Episcopos Clericis ubique aperiebant Romuli asylum.

CANON XIV.

HOsius Episcopus dixit: Quod autem me undequaque movet, retinere non debeo. Si inveniatur quis Episcopus ad iram propensus (quod quidem ab eiusmodi homine abesse debet) & adversùs Presbyterum, vel Diaconum citò commotus, eum ex Ecclesia eijcere voluerit; providendum est, ne is repentè condemnetur, & communione privetur. Omnes Episcopi dixerunt: Qui eijcitur, potestatem habeat confugiendi ad Episcopum Metropolis eiusdem Provinciæ: Si autem Metropolitanus abest, ad finitimum concurrendi, & rogandi, ut suum negotium accuratè examinetur. Neque enim non sunt aures prebendæ ijs qui rogant. Ille quoque Episcopus, qui jure vel injuriâ eum expulit, æquo animo ferre debet, ut rei fiat examinatio, & vel eius confirmetur sententia, vel corrigatur. Priusquam autem diligenter & ex fide singula examinata fuerint, qui communionem non habet, non debet ante rei cognitionem sibi communionem arrogare. Si autem

Cle-

Clerici aliqui convenerint, & eius superbiam & arrogantiam, viderint, quia non convenit contumeliam, vel iniustam expostulationem pati, acerbioribus & gravioribus verbis eum debent corrigere; ut ei, qui iubet, quæ decent, inserviant & obediant. Sicut enim debet Episcopus ministris sinceram dilectionem & affectum præbere; eodem modo & subiecti debent Episcopis non fraudulentum ministerium & obsequium exhibere.

SCOLION.

Etiam hic Canon est innovatio quinti Niceni. Postremæ partis sensum meliùs exprimit prima Editio latina. *Hi verò*, utique Episcopi, *qui conveniunt ad audiendum, si viderint Clericorum esse fastidium & superbiam, quia iam non decet, ut Episcopus iniuriam vel contumeliam patiatur, severioribus eos verbis castigent, ut obediant honesta præcipienti Episcopo: Quia sicut ille Clericis syncerum exhibere debet amorem charitatis, ità quoque vicissim ministri infucata debent Episcopo suo exhibere ministeria.*

Porrò quod de finitimo, dum Metropolita abest, Episcopo Canon statuit, ubique non fuit receptum. Quædam Provinciæ eo casu ad suum Proto thronum, aut, ubi non erat ejusmodi, ad Seniorem Comprovincialem, utpotè absentis Metropolitæ vicarium, voluerunt provocari. At hæc omnia jam pridem cessant, ex quo Sedis Metropolitanæ vacantis potestas data est Capitulo, & vicarijs ab ipso electis.

Hoc Canone Hincmarus Remensis Episcopus abusus est ad Clerum Galliæ inferiorem Romanæ appellationis asylo spoliandum, ex Caroli Calvi Imperatoris nomine scribens ad Joannem octavum Pontificem. *Potest fieri, ut illi, qui in vicinis Parochijs sunt huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quique, iuxta sacras regulas, ad manus impositionem & ad Synodos huc convenire solent, ipsi pro reclamatione Presbyterorum suorum ad examinationem conveniant, sicut sacri Canones ac leges præcipiunt, ut ad Primatem uniuscuiusque Provinciæ, qui negotia videntur habere, concurrant, vel ad Synodum, qui se læsos existimant, quò non sit difficilè testes producere, invitentur. Transalpinis autem, & alijs, qui similiter in longinquis regionibus commorantur, Apostolica Sedes & sacrorum Canonum promulgatores, loquente in eis Spiritu sancto, quæ sunt unicuique Provinciæ poßibilia, & auctoritati convenientia, atque paci Ecclesiæ congruentia, tenenda & exequenda discretißimè præfixerunt.*

Epist. 47. c. 13. 21.

Remensium Clericorum, ab Ebbone Archi-Episcopo ordinatorum, & per Nicolaum Pontificem, ad quem damnati appellârant, factam restitutionem jam pridem oderat Hincmarus, eiusmodi præsertim ob caussas non sustinens appellatos Episcopos Romam evocari. Hinc Joannis Pontificis afflictiones varias, & animum in illis non satis firmum nactus, non ampliùs supplicandum duxit Sedi Apostolicæ, sed per Carolum Augustum, quasi per alterum Justinianum, præscribendas Authenticas & Novellas. Quemque Metropolitam edixit esse Primatem suæ Provinciæ, eius synodale judicium esse à Clero inferiori inappellabile, ideòque Romam provocare posse illos solos Clericos, quorum Episcopi spectant ad Romani Pontificis Provincialem Synodum & manus impositionem, id est, quorum Romanus Pontifex est proprius & proximus Metropolita. Ità statui non tantùm à Sardicensibus Canonibus, sed & à Carthaginensibus.

Fateor ità statui à Carthaginensibus. Africanæ enim Ecclesiæ perpetua, per ipsos Apostolos aut quosvis istic primos Prædicatores plantata, consuetudo solis Episcopis Romanam appellationem indulsit, Clerum omnem inferiorem, non sui Provincialis, sed Carthaginensis per omnem Diocesim Africanam Primatis judicio jubens esse contentum. Erat consuetudo adversa Canonibus, attamen tolerabilis, utpotè ab Innocentio tertio postmodùm indulta Siculis: Eam verò in manus Gregorij magni jam pridem Afrorum Episcopi cesserant, ideòque stupenda est Hincmari præsumptio, tentantis resuscitare mortuam, eiusque fætidos cineres per Galliam seminare. In Afras, naturâ fuscas, Gallicanæ aut Germanicæ cutis candorem ambientes fæminas rectè Tertullianus in libro de earum cultu: *Pudet eas nationis,*
C 6. *quod non Germanæ atque Gallæ sint procreatæ.* Ex adverso Hincmarus Gallos, quoad Ecclesiastica judicia, tentabat facere Afros. De quo plura alibi.

CANON XV.

HOsius Episcopus dixit: Hoc quoque omnes definiamus; ut si quis Episcopus ex alia Parochia velit alienum ministrum, sine consensu proprij Episcopi, in aliquo gradu constituere, irrita & infirma eiusmodi constitutio existimetur. Si qui autem hoc sibi ipsis permiserint, à fratribus & Coepiscopis & admoneri, & corrigi debent, Omnes dixerunt: Hoc quoque decretum stet firmum & immobile.

SCOLION

SCOLION.

ESt innovatio sexti decimi Canonis Niceni. A prima Carthaginensi Synodo plûs postulavit atque obtinuit Privatus, Vegeselitanus Episcopus: *Vt nec Laicum sibi usurpare possit Episcopus de Plebe aliena, ut eum ordinet sine conscientia eius Episcopi, de cuius Plebe est.* Respondit enim Gratus, Africæ Primas, & Synodi Præses. *Hac observantia pacem custodit: Nam & memini in sanctissimo Sardicensi Concilio statutum, ut nemo alterius Plebis hominem usurpet. Sed si fortè erit necessarius, petat à Collega suo, & per consensum habeat.* At fallitur, aut certè à simili argumentatur: De solo alieno Clerico statuit manifestè noster Canon. Alienum Laicum non posse in Clerum adsumere dudùm fuit Afrorum privata lex: Nam & Siricij Pontificis de hac re Canon loquitur de solis Afris. Tandem tamen & universa Ecclesia recepit, statuens neminem ordinari, nisi ab Episcopo originis, domicilij, aut beneficij. Etenim Calixtus primus Pontifex, & Julius primus, in spurijs illis, rectis tamen & sui temporis disciplinam exprimentibus literis, quas sub septimi sæculi finem natas credimus, statuunt, ut nullus Episcopus judicet, retineat, excommunicet, ordinet Parochianum alienum. Quod ipsum in Gallicanis Ecclesijs observari jussit Adrianus primus per tradita tum Capitula Engilramno Episcopo Metensi. Eo igitur tempore omninò ubique vigebat hęc disciplina. Collapsam apud nos restituerunt Gregorius septimus, Clemens quartus, Gregorius decimus, ac plenissimè Bonifacius octavus; apud Græcos Michaël Anchialus, Patriarcha Constantinopolitanus.

C. 5.

Epist. 4.

A. 1176.

CANON XVI.

ÆTius Episcopus dixit: Non ignoratis, qualis quantaq́ sit Thessalonicensium Metropolis. Sæpè itàque ad eam ex alijs Provincijs Presbyteri & Diaconi accedunt, & brevis temporis mora non contenti, permanent, & omne tempus illic agentes transfigunt; vel vix tandem post plurimum tempus in suas Ecclesias reverti coguntur. De ijs ergò definiendum est. Hosius Episcopus dixit: Ea decreta, quæ, de Episcopis constituta sunt, serventur etiam in huiusmodi personis.

S C O L I O N.

QVidam existimant Thessalonicam ex tunc fuisse totius Illyricianæ Dioceseos civile & Ecclesiasticum caput, Prætorij Præfecto, & Sedis Apostolicæ vicario sublime. Errant. Dudum quippè pòst in Synodo Aquilegiensi dixit Amenius Sirmiensis Episcopus: *Caput Illyrici non nisi civitas est Syrmiensis*. Et ad Catellianum, primæ Justinianę Episcopum, scribit Justinianus Augustus. *Antiquis temporibus Syrmij Præfectura fuit constituta, ibique fuit omne Illyrici fastigium, tam in civilibus, quàm in Ecclesiasticis caussis. Posteà autem Attilanis temporibus, eisdem locis devastatis, Appennius Præfectus Prætorio de Syrmitana civitate Thessalonicam profugus venerat, tunc ipsam Præfecturam & sacerdotalis honor secutus est, & Thessalonicensis Episcopus non suâ auctoritate, sed sub umbra Præfecturæ meruit aliquam Prærogativam.*

Novel. II.

Miscet vera falsis, ut Ecclesiam Thessalonicensem justè videatur mutilare parte privilegiorum, transcripta in Cathedram primæ Justinianæ. Licet namque Illyriciani Prætorij Præfectura, nequaquam tamen honor Sacerdotalis, id est, totius Dioceseos Primatus Episcopalis, unquam fuit apud Syrmium, ideòque ex ipso per Attilam destructo non migravit Thessalonicam.

Deindè, Primatus hic dudùm Thessalonicæ fuit ante tempora Attilana. Attilæ ac fratris eius Bledæ prima in Illyricum irruptio fuit Cyro solo Consule, de qua Comes Marcellinus in Chronico. *Hunnorum Reges cum numerosis suorum millibus in Illyricum irruerunt: Naiscum, Singidunum, aliasque civitates, oppidaque plurima Illyrici exciderunt.* Et ad annum sequentem: *Bleda & Attila fratres, multarumque gentium Reges, Illyricum Thraciamque depopulati sunt.* Fuit is annus Christi post quadringentesimum quadragesimus secundus, tertius S. Leonis Pontificis, quo tempore Primatum Thessalonicensem constat fuisse antiquum. Ità namque dictus Pontifex ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem. *Sicut Præcessores mei Præcessoribus tuis, ità etiam ego Dilectioni tuæ, priorum secutus exemplum, vices mei moderaminis delegavi, ut curam, quam universis Ecclesiis principaliter ex Divina institutione debemus, imitator nostræ mansuetudinis effectus adiuvares; & longinquis ab Apostolica Sede Provincijs præsentiam quodammodò nostræ visitationis impenderes.*

Epist. 84. c. I.

Quocircà Iustinianus Augustus palàm hallucinatur Primatum hunc esse umbram Præfecturæ Thessàlonicam translatæ. Et apud nos latinos phrasis illa olet pessimè. Est Græcorum regula, statuens Ecclesiasticam civitatis dignitatem civili semper adaptari, ut umbram corpori;

pori; verùm quam latina Ecclesia, ut Apostolicorum Canonum ruinam, semper fuit detestata: Ex illa tandem Græci adeò profecerunt, ut Ecclesiam Constantinopolitanam Romanæ non æquarent tantummodò, sed & præferrent. Suo id loco ostendemus.

Et hic Primatus non fuit ipsius sedis Thessalonicensis ordinarius, sed singulis Episcopis personaliter delegatus: fuerunt vices Apostolicæ, datæ eâ lege, quâ ad Maximianum Syracusæ Episcopum, suum in Sicilia Vicarium, scribit Gregorius magnus: *Quas vices non loco, sed personæ tribuimus*. Delegante Pontifice, aut delegato Episcopo moriente, opus erat delegatione novâ, uti liquet ex adductis verbis S. Leonis. Et hìnc ad Hugonem, primæ Lugdunensis Metropolitam, reliquarum trium Apostolicum Vicarium & Primatem, Vicarij Thessalonicensis potestate, quasi omnium Vicariorum generali regulâ, metientem & suam, rectè scribit S. Ivo Carnotensis Episcopus: *Personale hoc fuisse intelligimus privilegium, non generale Decretum, maximè cùm legationis officium pars sit Apostolicæ solicitudinis, non plenitudo potestatis, quæ etiam pars modò plùs, modò minùs recipit, pro arbitrio committentis*. L.2.Ep.4. Epist.59.

Hujus Vicarij Primatus originem quidam esse existimant legem seu Rescriptum Theodosij Augusti ad Atticum Episcopum Constantinopolitanum, exstans in codice & Theodosiano & Justinianeo: *Omni innovatione cessante, vetustatem & Canones Ecclesiasticos, qui usque nunc tenuerunt, etiam per omnes Illyrici Provincias servari præcipimus. Si quid dubietatis emerserit, id oporteat non absque scientia viri reverendissimi, sacrosanctæ legis Antistitis Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogativa lætatur, conventui Sacerdotali, sanctoq́, Iudicio reservari.* Ad quæ verba D. Cardinalis Cæsar Baronius: *Planè commentitios suggessit Imperatori Atticus, quos dicit Canones Ecclesiasticos, ex quorum præscripto ita se sancire Theodosius profitetur. Nunquam enim antea vel in aliquo definitum apparet esse Concilio, neque rerum usu monstrari potest esse servatum, ut Illyricorum Ecclesiæ subiectæ fuerint Episcopo Constantinopolitano.* A. 421. At Rescripti mentem D. Cardinalis non plenè percepit. Suam illud novitatem in nullo fundat antiquo Canone. Statuit duo. Primò, ut Ecclesiasticæ per Illyricum Provinciæ regantur more & Canone antiquo, citra omnem, seu quoad judicia, seu quoad consecrationes, innovationem. Deindè, ut graviorum caussarum relatio atque appellatio non amplius ad Romanum fiant, sed ad Constantinopolitanum Episcopum, atque in ejus Synodo audiantur & finiantur. Illyricianam diœcesim Pontifici aufert, transcriptam in jus Patriarchicum Regiæ civitatis. Hæc est unica per Rescriptum inducta novitas, nec ullum pro ipsa antiquum Canonem Princeps adducit.

Vo-

Veram itaque Rescripti caussam adducit Zozymus, dicens Occidentalis ac Orientalis Augustorum de Illyrico litem esse antiquam, utpotè motam inter Licinium etiam & Constantinum. Et quidem ipsum tunc Constantino cessit, qui moriens illud, uti & Africam, adnexuit Imperio Occidentali. Hinc ejus filio Constantio Thracia fuit Imperij limes. Divisionem etiam Valentinianus firmavit. At Theodosij senioris testamentum, Arcadio & Honorio filijs Orientale & Occidentale Imperium dividentis, de Illyrico fuit ambiguum, ideòque illi de ipso non parùm disceptârunt. In ejus possessionē se misit Arcadius, at ejus ministris offensus Stilico evocavit Alaricum Gothum, qui armis illud Honorio vindicaret. Hęc est vera origo tot barbaricarum irruptionū, & captæ Romæ à Gothis. Arcadio succedens filius Theodosius paternam prætensionem credidit Ecclesiasticis dispositionibus adjuvandam, de Illyrico tentans quod postmodùm perfecit Imperator Leo Isaurus. Ab antiqua Roma quoad res Ecclesiasticas avulsum populum speravit etiam quoad civiles, facilè avellendum. Rescriptum prodijt Eustatio & Agricola Consulibus, anno Domini quadringentesimo vigesimo primo, tertio Bonifacij primi Pontificis, ideòq; quidam volunt Primatum Thessalonicensem ab eodem Bonifacio erectum. Injuriosissimo enim in Canones & Romanam Ecclesiam Rescripto Pontifex sese opposuit, & quò istam diœcesin adversùs Episcopi Constantinopolitani rapinas defenderet, Thessalonicæ erexit Ecclesiasticæ Præfecturæ speciem, à Zozymo nuper Pontifice repertam, datamque Patroclo Episcopo Arelatensi: Sedis Apostolicæ Vicarium, qui à Romana Ecclesia longinquam diœcesin in ejus pristina obedientia contineret. Et ita hactenùs fuit passim existimatum.

(Margin notes: L. 2. — L. 4. — L. 4. 5.)

At multa obsunt. Etenim Theodoretus, Ecclesiasticæ hierarchiæ peritissimus, de Theodosio seniori agens, dicit Thessalonicam, licèt Macedoniæ subjectam urbem, utpotè secundæ dumtaxàt Macedoniæ metropolim, præesse omnibus gentibus spectantibus ad Prætorium Illyricianum. Laudat ejus Ecclesiasticam Præfecturam, proindèque dicit Bonifacio Pontifice longè vetustiorem. Neque verum est, quod alicubi Dom. Petrus de Marca vult, Theodoretum ad sui temporis statum respexisse. Et Nicolaus primus Pontifex, Patriarchicas Romanæ Ecclesiæ diœceses à Leone Isauro invasas enumerans, ac à Michaële Augusto repetens, disertè adfirmat Illyrici Provincias semper spectasse ad Romanum Patriarchatum, & à S. Damasi usque ad Hormisdæ Pontificis tempora per Vicarium Thessalonicensem fuisse directas. Quod ipsum in literis, Bulgariam repetentibus, ad S. Ignatium Constantinopoleos Patriarcham, scribit Joannes Pon-

(Margin notes: L.5.c.17. — Epist.2. — Epist.78.)

Pontifex octavus. Et S. Leo magnus hasce vices, uti Anastasio Episcopo à sese, ita ejus Prædecessoribus à suis Prædecessoribus dicit fuisse delegatas: At verò à Bonifacij Pontificis tempore nullum Anastasius Præcessorem habuerat, nisi solum Rufum, ideòque ut S. Leo verum scribat, Primatus hic debet esse antiquior.

Nec desunt argumenta, quæ suadeant Bonifacio esse posteriorem. Etenim in Actis Ephesinæ Synodi post literas, quibus Celestinus Pontifex ad dictam Synodum invitârat Joannem Antiochiæ Patriarcham, habetur hæc subnotatio: *Hac eadem Epistola scripta fuit Iuvenali Hierosolymitano, Rufo Thessalonicensi, & Flaviano Philippensi, Episcopis per Orientem, à pari.* Philippensis est omninò Metropolita Illyricianus: Si ergo cum Thessalonicensi sit à pari, nulla huic in illum fuit potestas. Et in Synodi Chalcedonensis Actis refertur Eutyches appellasse à S. Flaviano *ad Concilium Episcopi Romani, Alexandrini, Hierosolymitani, & Thessalonicensis*: Ex quo videtur Thessalonicensis fuisse, non Vicarius, sed ordinarius Primas.

Respondeo hæc omnia, in quibus huc usque sumus miserè hallucinati, lucidè aperiri à Romana Bonifacij secundi Pontificis Synodo de caussa Stephani Larisseni Episcopi, Thessalorum Metropolitæ, adversùs Epiphanium Episcopum Constantinopolitanum. Ecclesiasticæ antiquitatis eruditio Eminentissimo D. Francisco Cardinali Barberino, qui illustrissimi D. Lucæ Holstenij operâ produxit Synodum è vaticana Bibliotheca in usum publicum, summè est obligata. Hac igitur in Synodo habemus duas Epistolas, quibus S. Acholio Thessalonicensi Episcopo, ad primam Synodum Constantinopolitanam cum suis Illyrici Episcopis profecturo, S. Damasus Pontifex dat instructiones varias, mandatque nullas deinceps permitti Episcoporum translationes: Quod nempe ipsorum confirmatio ad illum, ut Sedis Apostolicæ istic Vicarium, spectaret. Et ad ejus successorem Anysium scribit Damasi successor Siricius: *Literas dedimus, ut nulla licentia esset sine consensu tuo Episcopos in Illyrico ordinare.* Ad eundem scribit Siricij post Anastasium successor Innocentius: *Tibi Prædecessores mei Episcopi, Damasus, Siricius, Anastasius, ita detulerunt, ut omnia, quæ in illis partibus gererentur, Sanctitati tuæ traderent cognoscenda.* Eamdem potestatem illi confirmat. Eâdem impartit Anysij successorem Rufum, exprimens quas illi subijcit Provincias: Achaiam, Thessaliam, Epirum veterem, Epirum novam, Cretam, Daciam mediterraneam, Daciam Ripensem, Mæsiam, Prævalim, & Dardaniam. Imitari se dicit suos Antecessores, qui etiam Acholio & Anysio dignitatem istam delegârunt. Eamdem illi delegat Innocentij

Epist. 1. 2.

Epist. 3.

Epist. 4.

Epist. 8. post Zozymũ successor Bonifacius, & adjungit: *Sollicitudinem tuam minorem facere nova, quæ vires habere non possunt, tentamẽta non debent. Non est enim cedendum eorum studijs, quos novitas rerum & indebitæ desiderium dignitatis accendit.* Data est Epistola anno Pontificatus quarto: Palàm agit adversùs Attici Episcopi Constantinopolitani ambitum, & suprà adductum Theodosij Rescriptum. Plures istic sunt similes & aliorum Pontificum literę, omninò videndę. Et ità soluta, immò firmata manent tria priora argumenta, volentia Primatum hunc esse lege Theodosiana priorem. Quare graviter excessit Justinianus Augustus, qui damnatam à Romana Ecclesia legẽ suo codici inseruit, ad resumendas Attici rapinas inflammavit Epiphanium Episcopum Constantinopolitanum, Illyrici Ecclesias implevit turbis & scandalis, & ita Bonifacium secundum Pontificem ad laudatã Romanam Synodum coëgit. Ex ejus hisce nugis tandẽ abortitus fuit Primatus primæ Justinianæ.

Quarti argumenti solutionem haurio ex Tertulliani de Præscriptionibus libro, enumerante variarum gentium metropoles: *Proxima* Cap. 36. *est tibi Achaia, habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses.* Et ex Synodo Chalcedonensi, cui Zozon Philippensis Episcopus sese subscribit Metropolitam primæ Macedoniæ. Philippensium civitas sub prima Romanorum monarchia, uti & ante sub suis Regibus fuerat, erat totius gentis caput, & post factam in septem Provincias divisiõnem mansit primæ Macedoniæ Metropolis, ideòque ejus Episcopus Thessalonicensi, secundæ dumtaxàt Metropolitano, subesse noluit, imitatus Perigenem Corinthi Episcopum, Achaiæ Metropolitam, adversùs quem post Xixtum tertiũ Pontificem scripsit successor S. Leo in literis ad Achaiæ Episcopos, le-

Epist. 25. ctis item in laudata Synodo Bonifacij secundi: *Volumus custodiri quæ Sedis Apostolicæ authoritas crebra constituit, scilicet ut per Illyricum Ecclesiæ constitutæ ad curam fratris & Coëpiscopi nostri Anastasii Thessalonicensis urbis Antistitis pertinerent.* Achaia erat Proconsularis Provincia, ideòq; dignitate ista inflatus, & ab Episcopis Constantinopolitanis animatus Perigenes Vicario Thessalonicensi recalcitrabat, & sine ejus confirmatione *Episcopos suo arbitrio ordinabat.* Porrò Philippẽsis Episcopi litẽ definire tunc nolens Celestinus Pontifex, & ipsum & Thessalonicensem scripsit à Pari. Definisse videtur ante Synodum Ephesinam. Etenim istic Flavianus Rufi Vicarium egit, & suæ subscriptioni addidit: *His quoque sanctissimum Patrem nostrum Rufum subscribere adfirmo. Nam cùm propter ægritudinem huc venire non posset, mihi hæc mandata dedit.* Voces, *Patrem meum*, & *Mandata dedit*, palàm ostendunt Rufum uti Superiorem à Flaviano agnosci.

Ad

Ad quintum respondet Innocentius tertius in literis ad Archi-Episcopum Thessalonicensem. *In definitione quondam fidei orthodoxæ Ioannes Thessalonicensis Antistes primus post Apostolicæ Sedis Legatos, & quatuor Patriarchas, sic legitur subscripsisse: Ioannes misericordiâ Dei Episcopus Thessalonicensis, & vicarius Apostolicæ Sedis Romæ Legatus.* Factum id fuit in Synodo sexta. Apostolicæ vicis caussâ locum in generali Ecclesiæ conventu habebat post Patriarchas & Primates autocephalos: Huic sessioni nititur appellatio Eutychetis. Ex vicario ordinarium Primatum facere primus tentâvit Paulus Episcopus, idcircò dejectus & damnatus à Martino primo. L.3. Epist. 18. Epist.12; 13.

Restant duæ quæstiones. Prima est, an hic vicarius præfuerit toti penitùs Diocesi Illyricianæ? Pro parte affirmativa facit adducta Theodosij Augusti lex, statuens *de omnibus Illyrici Provincijs*: Adversùs illam erectus est primatus, adeòque per omnem penitùs Diocesim. Partem negativam probat adducta auctoritas Nicolai primi, dicentis Apostolicas vices fuisse dumtaxat per novam & veterem Epirum, Macedoniam, Thessaliam, Achaiam, Daciam Ripensem, Daciam mediterraneam, Mæsiam primam, Dardaniam, Prævalitanam, quibus addi debent Creta & Macedonia salutaris, ut sint universim Provinciȩ duodecim. At verò Sextus Rufus addit Dalmatiam, duas Pannonias, duas Noricorum, & Suaviam, dicens totam Diocesim decem & septem Provincijs constitisse: Meliùs Iornandes, decem & octo.

Respondeo hæc, si tempora distinguas, facilè conciliari. Etenim Augustorum de Illyrico litem diremit tandem Theodosius Junior, filiam Eudoxiam, uti Jornandes scribit, Valentiniano tertio dans eâ lege, ut potior Illyrici pars, nempè duodecim per Nicolaum Pontificem enumeratæ Provinciæ, manerent imperio Orientali, Occidentali sex reliquæ. Tunc nata est distinctio Orientalis & Occidentalis Illyrici, & hujus Provinciæ adjectæ Prætorio Italiæ. Pendente ergò Augustorum lite, vicarius Thessalonicensis præerat Diocesi integræ; factâ pace & divisione, ad Orientalem partem contracta est potestas eius, quod occidentalis nullum jam pateretur periculum à rapina Episcopi Constantinopolitani. Quod Dalmatia sub Gregorio magno nullam penitùs à Thessalonicensi dependentiam habuerit, lucidum est ex eiusdem Pontificis actis in caussa Maximi Metropolitæ Salonitani. Nec desunt alia argumenta.

Altera quæstio est, cur Nicolaus Pontifex Primatum hunc durasse dicat ad usque dumtaxat Hormisdam Pontificem? Respondeo caussam esse Justinianum Augustum, circa Hormisdæ tempora mutantem sursùm deorsùm omnia in Illyrico. *Sancimus*, scribit ad Petrum Præ- Novell. 131. c. 3.

fectum sacrorum Prætoriorum, *prima Iustiniana, nostra Patria, Archi-Episcopum habere semper sub sua iurisdictione Episcopos Provinciarum Daciæ mediterraneæ, & Daciæ Ripensis, & Pravalis, & Dardaniæ, & Mysiæ superioris, atque Pannoniæ, & ab eo hos ordinari, ipsum verò à proprio ordinari Concilio, & in subiectis sibi provincijs locum obtinere Sedis Apostolicæ Romæ, secundùm ea, quæ definita sunt à sanctissimo Papa Vigilio.* Dat non tantùm vices Apostolicas, sed & Primatum ordinarium, qualem & Lugdunensi postmodùm Ecclesiæ in quatuor Lugdunenses Provincias dedit Gregorius septimus. In quinta Synodo coactus hæc Vigilius dedit, eiusque successores dudùm tolerârunt dispensatoriè, uti

L. 2. Epist. 45. 46. L. 4. Epist. 10. liquet ex illis, quæ de Metropolita Larisseno, & adversùs Fælicem Sardicensem, Primatui huic recalcitrantem, scribit Gregorius magnus. Porrò prima Justiniana est Acridana civitas, postmodùm Bulgarorum Metropolis, ex Michaëlis Archi-Episcopi in Romanam Ec-

L. 16. c. 37. L. 17. c. 28 clesiam & fidem orthodoxam facinoribus famosior, quàm ex natalibus Iustiniani. Videatur Nicephorus Calixtus. Mansit quidem vicariatus Thessalonicensis, at non parum mutilatus: Et huc respicit Nicolaus primus.

Et hinc tandem liquet, cur civitati Thessalonicensi, licet maximæ & amplissimæ, nullam specialem gratiam indulgendam duxerit Ho-

C. 5. sius: Quod nempè, uti ex Flavio Vopisco in Floriano patet, esset quidem è dignissimis imperij civitatibus, quibus novi Principis promotionem solebat significare Senatus; nullum tamen haberet Primatum Ecclesiasticum, nullas adhuc Apostolicas vices.

CANON XVII.

SVggerente fratre nostro Olympio, hoc quoque placuit; ut si quis Episcopus vim passus, injustè ejectus sit, vel propter scientiam, vel propter Catholicæ Ecclesiæ confessionem, vel propter veritatis defensionem, & fugiens periculum, innocens execrationi subiectus in aliam urbem venerit; ne prohibeatur illic tamdiu agere, donec revertatur, vel à facta sibi injuria possit liberationem invenire. Durum enim est, atque adeò gravissimum, eum, qui injustam ejectionem passus est, à nobis non suscipi. Is enim debet à nobis plurimâ humanitate & benignitate excipi.

SCOLION

SCOLION.

EPiſcopos è Nicena Synodo ad propria redeuntes Conſtantinus Auguſtus ad pacem adhortatus addidit apud Euſebium: *Si quiſquam inter illos ex ſapientia præſtantia multùm laudis adeptus fuiſſet, nullâ in illum flagrarent invidiâ.* Non vanè præſumpſit. Quoſvis enim doctiores Epiſcopos, uti in Epiſtola ad Solitarios demonſtrat S. Athanaſius, fictis calumnijs & auctoritate Conſtantij Principis, ejecerunt è Sedibus Euſebiani. *Abiguntur Paſtores*, ſcribit ad Italiæ & Galliæ Epiſcopos S. Baſilius, *ut greges diſpergantur*; ac intrudantur illi, qui in graviorem blaſphemiam ſunt prolapſi, quoniam Epiſcopatus jam fit præmium impietatis. Hoſce ergò ejectos hoc Canone Olympius Epiſcopus ſolatur. Humanitatem & benignitatem eis exhibendam exponit, agens de Epiſcopis per barbaricam hoſtilitatem ejectis, Gregorius magnus in literis ad Illyrici Epiſcopos. *Coepiſcopos noſtros conſolandos, convicturoſque vobiſcum in Eccleſiaſticis ſuſtentationibus libenter ſuſcipite: Non quidem ut per communionem Epiſcopalis throni dignitas dividatur, ſed ut ab Eccleſia iuxta poſsibilitatem ſufficientiæ debeant alimenta percipere.* A ſanctiſſimo Pontifice reſpici hunc Canonem, rectè docet Hincmarus Remenſis. Eâdem charitate Epiſcopos Ægypti à Timotheo Æluro, Sedis Alexandrinæ pervaſore ejectos, Leo magnus Pontifex, & Anatolius Conſtantinopolitanus Epiſcopus exceperunt: Ioannes octavus ejectos à Saracenis. Turſtino Eboracenſi, per Henricum primum Angliæ Regem impiè relegato, locum inter Dominos Cardinales & pallij ubique uſum dedit Calixtus ſecundus, uti refert Thomas Stubs in libro de geſtis Pontificum Eboracenſium. Hujuſmodi relegatis variam in laicos relegatores poteſtatem dedit Clemens quintus: Antiquam, quâ ſanctus Thomas Cantuarienſis etiam in ipſum Regem fuerat uſus. Ejectis per Barbaros Canon Trullanus propriorum Clericorum permittit ubique ordinationes.

L.3.c.20. Epi.69.70 L.3. Epiſt. 43. Epiſt. 9. c.16.15. Epiſt. 45. c.10. Epiſt.76.

CANON XVIII.

GAudentius Epiſcopus dixit: Scis frater Aëtie, quod tunc, cum Epiſcopus conſtitutus es, pax deinceps viguit; ne aliquæ diſsidij reliquiæ remaneant, viſum eſt, ut qui à Muſæo & Eutychiano conſtituti ſunt, quia nulla eorum culpa inveniebatur, omnes ſuſciperentur.

CANON XIX.

HOsius Episcopus dixit: Meæ mediocritatis hæc est sententia; quia quieti & patientes esse debemus, & perennem in omnes habere misericordiam, eos, qui semel in Clerum Ecclesiasticum ab aliquibus fratribus nostris promoti sunt, si nolint redire ad eas, ad quas nominati sunt, Ecclesias, deinceps non admitti: Eutychianum autem ne Episcopi quidem sibi nomen usurpare; sed neque Musæum ut Episcopum existimari. Si autem laicam communionem petiverint, non oportere eis denegari. Omnes dixerunt, Placet.

SCOLION.

SImilis lis fuit postmodùm inter Stephanum & Bassianum de Episcopatu Ephesino, quos & ambos, quod non nisi mutuis vitijs ordinationem suam defenderent, dejecit Synodus Calchedonensis, annuâ tamen pensione ex Ecclesiæ bonis, & Episcopi nomine donatos. Musæus & Eutychianus, quibus laica dumtaxat communio pro gratia dari permittitur, debent graviùs excessisse. Contendisse videntur de Episcopatu Thessalonicensi: Ætius enim, dejectorum probabiliter successor, Synodo subscribit ut illius Ecclesiæ Episcopus. At Conventiculi Philippopolitani, variè tamen mutila & vitiosa, synodalis Epistola Episcopum Thessalonicensem Synodo præsentem fuisse dicit nomine Ioannem. Quidquid sit, è dejectis Episcopis modò hic, modò ille videtur in Sede prævaluisse, atque ità ordinati ab eis Clerici, persecutionis metu, fugisse successivè ad alias Ecclesias: Synodus, paci studens, omnes admittit in accepto gradu, dummodò redeant ad titulum suæ ordinationis. Hunc Canonem attendit Nicolaus primus Pontifex, restituens Remenses Clericos ab Ebbone, dubio Episcopo, ordinatos.

Act. 10.

CANON XX.

GAudentius Episcopus dixit: Hæc salutariter & congruè definita, & nostræ Sacerdotum dignitati con-

ve-

venienter, & quæ Deo & hominibus placuerunt, potentiam & vires suas obtinere non poterunt, nisi etiam metus editas sententias consecutus fuerit. Ipsi enim scimus, sæpè propter paucorum impudentiam, divinum & in primis venerandum Sacerdotij nomen in damnationem incurrisse. Si quis ergò præter ea, quæ omnibus visa sunt, ausus fuerit, studens fastui magis & arrogantiæ servire, quam Deo placere, aliquid aliud agere; sciat iam se criminis reum, ac defensioni obnoxium constituere, & Episcopatus honorem ac dignitatem amittere. Omnes responderunt: Decet, & placet nobis hæc sententia. Porrò autem hoc quoque illinc erit maximè notum & comprobatum, si unusquisque vestrûm, qui estis in transitu seu canali constituti Episcopi, cùm viderit Episcopum, quærat caußam adventus, & quo pergat; & si eum quidem in castra proficiscentem invenerit, quærat conditiones, quæ superiùs propositæ sunt; & si evocatus veniat, ei abeunti nihil impedimenti fiat: Sin autem ostentationis gratiâ, quemadmodùm vestræ Dilectioni superiùs dictum est, vel propter aliquorum postulata in castra festinat; nec literis eius subscribat, nec cum eo communicet. Omnes dixerunt: Hoc quoque decernatur.

S C O L I O N.

A factione Eusebiana fuisse spretos & conculcatos quosvis Ecclesiæ Canones Iulius Pontifex & sanctus Athanasius assiduè lamentantur. Omnem Canonum observantiam & Ecclesiæ disciplinam ab ipsa pessumdatam, apud Italiæ & Galliæ Episcopos queritur S. Basilius. Præsumptionem hanc fuisse præcipuam factionis fundamentum scribit Theodoretus. Eam hoc Canone Gaudentius Episcopus frænare conatur. Epi.69.70

Canalis erat Regia ad Comitatum via, per cujus metas, uti in vita Constantini scribit Eusebius, erant *equi publici* ad iter celeriter confi-

L. 3. c. 6. ficiendum dispositi, aliaque instrumenta rei vehiculariæ. Hinc infrà dicitur *Canalium Italiæ*. Habebat rectores & officiales varios, quos inter erant Curiosi, Provinciæ Præfecto, quid in canali fieret, crimina præsertim, referentes. Hinc inquisitioni contra S. Athanasium per Synodi Tyriæ legatos Episcopos apud Mareoten faciendæ Constantinus Augustus unà cum Philagrio, Ægypti Præfecto, & Anthonino commeatuum Præfecto Centenario, adesse voluit etiam Palladium, Ducenarium Palatinum, suum *Curiosum*, uti liquet ex literis Cleri Alexandrini & Mareotici ad dictos Legatos atque Præfectos, exstantibus post Synodum Tyriam. Erat itàque munus non ignobile. Quoad Episcopos Comitatum petentes Canon imponit Episcopis in canali habitantibus.

DISSERTATIO
DE SYNODO SARDICENSI.
CAPUT PRIMUM.
Exponitur occasio Synodi Sardicensis.

CAlchedonensis Synodi ad Marcianum Augustum Relatio Sardicensem Synodum convenisse dicit adversùm reliquias Arij. Finitâ enim atq; dimissâ Nicenâ Synodo, Arianę personę atque hęreseos caussam susceperunt duo Eusebij, alter Nicomediensium, alter Cæsareensium in Palestina Episcopus, à S. Hieronymo in libris contra Ruffinum meritò dictus *Signifer Arianæ factionis*. Tentavére tria: Arianæ perfidiæ eversivam vocem, *Consubstantiale*, tamquam novam, sacris literis ignotam, & Sabellianismi suspectam circumscribere, suo tempore proscripturi; zelosioribus & doctioribus Episcopis, quos potentes hostes Nicææ senserant, criminationis de Sabellianismo præsertim, talionem reddere, abijcereque ad laicos; Ecclesiam & Rempublicam implere motibus, eosque transcribere in dictos Episcopos, hâc arte in Principis odium deducendos; invadere, in quibus Ecclesiasticæ potestatis nervus, Sedes Patriarchales ac Regiæ urbis Episcopatum, atque ità sternere viam ad læsum errorem plenè tandem restaurandum. Oderant præsertim Eustatium Antiochenum, *contra Arium*, ut inquit S. Hieronymus, *tubam clarissimam*, & Athanasium Alexandrinum, Alexandri, septimo post Synodum mense defuncti, ex divina revelatione successorem, non tantùm ob res Nicææ actas, sed etiam quod

L. 1. c. 2. (margin, beside "tra Ruffinum meritò dictus")

Epist. 126. (margin, beside "randum. Oderant præsertim")

quod novellus Episcopus ad nullas preces vellet Arium suo cardini reddere.

Vivo Constantino, licet hæresis hoste infensissimo, firmissimoque custode Nicenæ fidei, obtinuere duo: S. Eustatij, tamquam hominis Sabelliani, flagitiosi, facinorosi, turbulenti, ab Antiochena; à Tyria autem Synodo dejectionem S. Athanasij, tamquam pluribus & majoribus maculosi, quæ licèt non crederet Princeps, Episcopum tamen, quidquid S. Anthonius intercederet, ut inquietum aversatus est, ablegavitque in Galliam, ratus absentiam eius fore inter Episcopos fibulam pacis. Fecit circumventus: hujus tamen erroris caussâ, illum in Sanctorum tabulas recipere nunquam voluit Ecclesia Romana. Correxit moriens, testamento, quod adstante & frustrà renitente Eusebio Nicomediensi conditum adserit Theodoretus, Athanasium mandans revocari & restitui, quod filij, non Constantinus tantùm, sed & Cōstantius, amplissimè sunt executi, edicentes grandem hunc exulem, non ut damnatum aut proscriptum, sed ut æmulæ factionis trucidare quærentis manibus subtractum, in Gallia, tamquam honorifico asylo, egisse. Ità ille gloriosus in Sedem & ministerium redijt, Tyriâ sententiâ, in qua nihil Canonis aut synodalis justitiæ custoditum, non rescissâ per aliam Synodum, sed contemptâ. Ità enim tractandas hujusmodi contumelias & convicia potiùs, quàm sententias, dixit in Synodo Ephesina Acacius Episcopus Melitinensis. Quin immò ad sententiam non fuisse processum à Synodo Tyria, quidquid Zozomenus dicat, scribit Julius Pontifex ad Factionem Eusebianam.

L. 1. c. 31.

Act. 4. f. 416.

Eodem fermè tempore moritur S. Alexander Constantinopolitanus Episcopus, succeditque Paulus, orthodoxus, juvenis, animo plenus, Athanasio dignus in passionibus Collega. Quæ omnia iniquissimis oculis adspiciens Eusebius Nicomediensis per ficta & morum & electionis Episcopalis vitia Paulum extrusit; per Constantij, cujus versatilem mentem per Amitam Constantiam ac ejus à sacris domesticis Presbyterum Arianum jam sibi affixerat, potestatem seipsum intrusit; Arianus, quod Arij in fætidis locis nuper à Deo percussi nomen pessimè fæteret apud omnes, dici noluit; horrendiores perfidiæ blasphemias aut temperavit, aut fucavit; Nicenæ Synodi factus est inimicus & defensor, quasi quæ rectum de fide sensisset, lapsa tamen circa vocem *Consubstantiale*; sese caput & ducem ostentavit novæ Sectæ & factionis, ex eius nomine dictæ Eusebianæ; cæpit & tanti Episcopatus & capti Principis potestate, tamquam duobus cornibus indomitus taurus, & Ecclesiam & Rempublicam concutere & ventilare.

Ante omnia ventilare Athanasium, Principi jam invisum ex novis

criminationibus, verùm non probatis. Quare sistendum duxit in ejus reditu ad Sedem & functionem Episcopalem. Etenim quomodò, juxta Apostolum, nemo sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron; ità nemo synodaliter ejectus eundem resumit, nisi per eandem aut majorem Synodum, quæ illa iniqua, contumeliosa & convitiosa vincula solvat, revocatus, uti in literis ad Dioeceseos Constantinopolitanæ Episcopos, lectis & probatis in octava Synodo, docet ex hoc ipso Apostoli loco Nicolaus primus. Coactâ igitur Antiochenâ Encæniorum Synodo, Athanasium denuò damnavit Eusebius, tamquam Apostolici Canonis, & Ecclesiasticæ dignitatis prævaricatorem, qui à Tyria Synodo dejectus refugisset ad laicum Principem Constantinum secundum, ejus sacrâ jussione exufflasset Ecclesiasticum judicium, ac semetipsum in Episcopatum reposuisset. Ejus in Sedem, quod Tyria Synodus non præsumpserat, intrusit
Epist. 4. Gregorium Cappadocem, idque militari manu, de qua Julius Pontifex. *Ecclesia incendium passa est, virgines denudatæ, monachi conculcati, Presbyteri & multi ex plebe indignè habiti & violati, Episcopi in carcerem detrusi, multi item spoliati. Sacra mysteria ab Ethnicis direpta, & in terram abiecta sunt, ut vi cogerent nonnullos ad constitutionem Gregorij approbandam,* eique communicandum.

Eâdem barbarie factio fædavit Ecclesias plurimas, plurimos Episcopos ejecit, præsertim Marcellum Ancyranum, Lucium Adrianopolitanum, & Asclepam Gazensem. De Acacio Lusco, Cæsareensium in Palestina Episcopo Hieronymus in catalogo virorum illustrium. *Acacius in tantùm sub Constantio Imperatore claruit, ut in Liberij locum Romæ Felicem, Arianum,* id est, Arianorum communione pollutum, *Episcopum constitueret.* Attamen hoc post Synodum Sardicensem.

Et quidem S. Eustatius gavisus est solvi ab Episcopali onere, & pro nomine Jesu pati infamem exauctorationis contumeliam, secedens in otium Ecclesiasticum ex Apostoli consilio, *Redimens tempus, quoniam dies mali sunt*; at verò S. Athanasius videns fluctuanti Ecclesiæ necessarium ducem, noluit creditam sibi divinitùs stationem deserere, provocavitque ad Romanam Ecclesiam, Julius autem Pontifex ejus damnatricem factionem ad reddendas judicij rationes Romam evocavit, *secutus Ecclesiæ Canonem.*

Extimuit, nec tamen parere voluit Eusebius, sciens Romæ judicandum sine Constantio Augusto, sine milite, sine Commentariensi: Aulicis technis, & consutis blanditiarum dolis, quorum, utpotè sorex Palatinus, erat longè peritissimus, circumduxit Pontificem, quousque à Pontifice, qui corda intuetur, Jesu Christo ad cæleste tribu-
nal

nal evocatus sensit sibi artes non prodesse. Redijt tum in Episcopatum Paulus, denuòque per Constantium ejectus Romam profugit, unàque cum Marcello, Lucio, Asclepâ, alijsque plurimis adjunxit se Athanasio appellanti.

Eorum dãnatores per octodecim menses exspectavit Julius, vidensq; nihil nisi tergiversationes ac injurias advenire, dictos appellantes gradui & communioni reddidit, voluitque recipi & in Sedes. Quare Antiochiam redijt factio, novam fecit Synodum, in appellantes & eorum communicatores edidit æquivocos & dolosos Canones, quibus visi sunt damnatorum Episcoporum ad laicos Principes recursum sistere, reverà autem subvertere S. Apostoli Petri divina privilegia, appellationes Romanas. Adversùm ea scripserunt literas impudentissimas, de quibus erubuit omnis Synodus Romana.

Videns ergò Julius audaciam proficere in novam hæresin, Augusti brachij auxilium non tantùm Athanasio ac alijs appellantibus Episcopis, sed & ipsi Apostolo Petro expostulavit à Constante Augusto, de quo Theodoretus. *Simul atque ità audivit Constans, literas scripsit ad fratrem Constantium, quibus eum hortabatur, ut hæreditatem pietatis paternæ integram inviolatamque servaret. Quibus literis persuasus Constantius mandatum dedit, ut Episcopi tum Orientis, tum Occidentis, Sardicam, quæ est in Illyria urbs, gentis Daciæ primaria, adventârent.* Et S. Athanasius in literis ad Solitarios. *Interim Constans Imperator & quid Alexandriæ, & per universum orbem contra Catholicos gereretur, rescivit. Missæ igitur sunt literæ à Constante ad fratrem suum Constantium, ibique de amborum sententia placuit, ut Synodus celebraretur, & de rebus actu cognitio fieret, ne ulteriùs iniuriosè habiti iniurijs afficerentur, vel iniuriosi ulteriùs pergerent iniuriam facere.* Instructum & rogatum Constantem dicit à Romana quinquaginta fermè Episcoporum Synodo, quæ appellantium Episcoporum communionem susceperat, Eusebianas adversùm illos criminatrices literas, tamquam calumniosas, aversata. Quocircà primus hujus Synodi auctor & convocator fuit Julius Pontifex, de quo idem Sanctus: *Episcopus Romanus Iulius Synodum iussit fieri, ubicumque vellemus.*

L. 2. c. 5.

CAPVT II.

Synodi locus, schisma, tempus.

SAncti Athanasij translator Petrus Nannius hanc Synodum passim vocat Sardiniensem, alij Sardensem. Pessimè. Aliud quippè est Sardinia, aliud Sardis, in Asiatica Diocesi Lydorum Metropolis, aliud Sardica, Metropolis Daciæ mediterraneæ. Electa hæc est de utriusque

que Augusti consensu tamquam Synodo opportunissima, utpotè limes utriusque imperij, continua Hæmimonto, Thracum Provinciæ, primæ versùs nos ex imperio Orientis.

Ab utroque Augusto invitatus fuit Julius Pontifex, at ille Sylvestrum Antecessorem imitatus, *honestam*, inquit prima synodalis Epistola, *& necessariam dedit absentiæ excusationem*, loco suo mittens Hosium, Cordubensem Episcopum, Archidamum & Philoxenum, Romanæ Ecclesiæ Presbyteros, ejusdemque Diaconum Leonem. Hosij Præsidentiam & tertia synodalis Epistola, & singuli ferè Canones, & Synodi subscriptio demonstrant, nec non Synodi Calchedonensis Relatio ad Marcianum Augustum: *Illis, qui apud Sardicam contra reliquias Arij convenerunt, Hosius ad proferendam sententiam præerat.* Eum Athanasius in literis ad Solitarios appellat *Synodi Patronum.* Hincmarus Re-
Epist. 33. mensis in literis contra Hincmarum Laudunensem Episcopum perpe-
c. 24. ràm adjungit Vincentium Capuanum & Calepodium Episcopum Neapolitanum: Gratianus etiam Januarium Beneventanum. Vincentium Athanasius scribit Synodi jam peractæ fuisse legatum ad Constantium Augustum.

Ad Synodum itàque venerunt & Occidentales & Orientales Epis-
Sess. 7. copi. Orientales fuisse numero septuaginta dixit in Florentina Synodo Andræas Metropolita Rhodiorum: Septuaginta sex, idque ex S. Athanasij & Sabini Macedoniani testimonio, Socrates & Zozomenus. Philippopolitani Conventiculi Epistola synodalis fuisse dicit octoginta: Ei subscribunt soli septuaginta tres, at desunt Ursacius Singidunensis, Maris Calchedonensis, & vacuum Episcopi nomen Ischyras, quos certum est adfuisse Asterius Arabs & Arius Palestinus ab illis ad nos
L. 2. c. 16. descecêre. Quare corrigenda jam dicta Hincmari Epistola, dicens fuisse
L. 3. c. 11. solos sexaginta sex.

Obstare videtur sanctus Athanasius in secunda Apologia, dicens adfuisse Episcopos Ægyptios nonaginta quinque, Cyprios duodecim, quindecim Palestinos. Respondeo per Episcopos Orientales non quosvis hìc ex Oriente, sed intelligi solos factionis Eusebianæ. Addit Athanasius de istis laudatis: *Eorum, qui in Synodo, cæterorumque aliorum,* qui post Synodum in suis Sedibus *subscripserunt, ista sunt nomina.* Ex quibus verbis nonnulli volunt eos omnes Synodo non adfuisse. Res latet in obscuro. Ut ut sit, ipsa Synodus ad Julium Pontificem scribit Eusebianorum dumtaxat quosdam fuisse *mentis sacrilegæ, Arianæ hæ-*
Epist. 1. *resis pestifero veneno tinctos; multos verò rectæ fidei cultores.* Eorum post
Epist. 3. Eusebium jam defunctum Duces fuêre Theodorus Heracleensis in Europa Episcopus Metropolita, Narcissus Neroniadis, Stephanus

An-

Antiochenus, Georgius Laodicensis, Acacius Palestinorum Cæsareensis, Menofantus Ephesinus, Ursacius Singidunensis, & Valens Mursiensis. Habuere secum *Pædagogos & advocatos Musanianum Comitem & Hesychium Castrensem, quorum operâ se, quibus volebant, terribiles ostendebant, & insidias, quibus libitum erat, innectebant,* rati per eos agere omnia in Synodo, *& nos metu conterritos minimè Sardicam occursuros.* S.Athan. Epist. ad Solit.

In itinere, inquit tertia synodalis Epistola, *certis in locis conciliabula in morem Synodi per se habuerunt, & fœdera cum interminationibus conflaverunt. Rem ità actam esse, per Macarium,* alio nomine Arium, *Palestinum,* in Petra Palestinæ, *& Asterium Arabem,* in Petra Arabiæ Episcopum, *qui unà cum eis in itinere fuerunt, & ab eorum infidelitate recesserunt, rescìscere licuit, qui cùm ad sacram Synodum venissent, simul & de vi, quam passi essent, conquesti sunt, & quantâ pravitate in rebus agendis usi essent, indicaverunt. Id quoque ab illis additum, esse illic multos rectæ fidei cultores, quos isti prohibuerunt, ne huc venirent, pericula minasque, si quis ab ipsis recederet, denunciantes, ac propterea curasse, ut omnes in itinere eodem domicilio uterentur, ne vel tantillùm quisquam ab illis seorsim agere posset.*

Episcopos Occidentales Socrates, Zozomenus, atque Hincmarus adfirmant fuisse trecentos, idque ex S. Athanasio. At longè aliter in operibus hodie exstantibus sanctus Athanasius, in speciem sibi ipsi adversus. In Epistola ad Solitarios scribit ex Occidente & Oriente in urbem Sardicam convenisse Episcopos plus minùs ter centum, comprehensis & Eusebianis. Post horum è Synodo fugam solos orthodoxos fuisse ait è Provincijs plusquam triginta quinque, enumeratis in secundæ Apologiæ exordio, Ægypto, Lybiâ, Pentapoli, Palestinâ, Arabiâ, Isauriâ, Cypro, Pamphyliâ, Lyciâ, Galatiâ, Daciâ, Mysiâ, Thraciâ, Dardaniâ, Macedoniâ, Epiro, Thessaliâ, Achaiâ, Cretâ, Dalmatiâ, Scisciâ, Pannoniâ, Norico, Italiâ, Piceno, Thusciâ, Campaniâ, Calabriâ, Apuliâ, Brutijs, Siciliâ, Africâ, Sardiniâ, Hispaniâ, Galliâ, Britanniâ. Sunt numero triginta sex, & quædam non Provinciæ, sed vastissimæ Dioceses. Ex eis plusquam trecentos Episcopos adserit adfuisse Synodo, atque ab omnibus comprobatam suam innocentiam.

At verò sub ejusdem Apologiæ finem ait sibi attestatos Episcopos trecentos quadraginta quatuor. Ex Asia, Phrygia ac Isauria sexaginta ante Synodum, reliquos ducentos octuaginta quatuor in ipsa aut post ipsam. *Sacrum quippè Sardicense Concilium ad eos, qui interesse non poterant, decreta sua misit, qui ipsi quoque suffragijs suis ea approbarunt.* Plures invitatos Episcopos ex varia caussa non advenisse, etiam testatur Socrates.

crates. Quod, inquam, dicti ducenti octoginta quatuor Episcopi non omnes Synodo adfuerint, disertè videtur affirmare Athanasius: *Eorum autem, qui Synodo subscripserunt, cæterorumque aliorum, ista sunt nomina: Hosius ab Hispania, &c.* Quomodò hæc cohæreant, quæstio est non facilis.

Aliud ego respondere nescio, quàm numeros esse vitiatos, uti asserit & D. Cardinalis Baronius. Epistolæ enim ad Solitarios, ubi hodie correctè legimus, *Plùs minùs tercentum*, antiqua editio Basileensis, quam & hodiè vir doctus sustinere molitur, habet, *Plùs minùs centum*. Sub Apologiæ finem de Episcopis trecentis quadraginta quatuor credo non ambigendum, quorum soli centum sexaginta duo fuére Occidentales, seu Dioceseos Romanæ. Nam & Theodoretus universim fuisse dicit solos ducentos & quinquaginta, atque id constare ex testimonio veterum. Zacharias Calchedonensium Metropolita Schismaticus ad octavam Synodum asseruit trecentos fuisse. De quibus nolim latiùs quærere, & non invenire.

Utraque ergò pars profecta est Sardicam: Et quidem Eusebiani Comitum deducentium armato satellitio terribiles, *arbitrati nos metu conterritos minimè occursuros*, unàque reâ criminum conscientiâ pavidi, hærentes, num synodale judicium subituri intrarent civitatem. Hìnc tertia Epistola synodalis. *Venerunt illi quidem in Sardorum civitatem, ut adventu suo existimationem, quasi non peccassent, excitarent, & pro perfunctoria purgationis specie adventum suum ostentarent.* Ingressos mox Athanasius, Marcellus, alijque plurimi Episcopi & Ecclesiarum legati Clerici de horrendis in Deum & homines facinoribus atque flagitijs, iniquissimisque judicijs accusavêre, Hosius Preses evocavit ad rationes coram Synodo agenda sine Comite, milite, Commentariensi. Erat enim Sardica in Occidentali imperio extra potestatem Constantij.

Hæc, inquit ad Solitarios Athanasius, *illi conspicati, etsi alacriter advenerant, tamen cùm animadverterent nostram fiduciam, intra Palatium se recluserunt, quo in loco domicilium habebant. Atque ibi ità inter se consusurrarunt. Ad alia venimus, alia conspicimus: Accessimus cum Comitibus, & sine Comitibus res agitur, prorsùs futurum est, ut condemnemur. Nostis, qualia sint decreta ordinationesque: Athanasio in manu sunt monumenta omnium Mareotæ actorum, quibus ille quidem purgatur, nos autem confundimur. Quid igitur hæsitamus, quid moramur? fingamus aliquam caussificationem, & discedamus, ne, si manserimus, condemnemur. Meliùs est de fuga erubescere, quàm convictos de sycophantia damnari. Si fugerimus, poterimus aliquo modo hæresim propugnare. Quod si fugientes condemnaverint, habemus Cæsarem propugnatorem, qui non permissurus est, ut à populis de Ecclesijs ejiciamur.*

Justus

Justus Athanasius confidebat ut Leo, cùm *fiducia promptus ad caussam dicendam*, jactansque eos à se sycophantiæ convincendos. Eodem animo aderant Episcopi & Clerici plurimi: Quidam vincula & ferrum promentes, quæ ab exilio detulerant; aliorum in vinculis adhuc existentium, aut trucidatorum amici advenerant de civitatibus & Ecclesijs plurimis, unàque testes irrefragabiles & lucida probationum documenta. Arius & Asterius, qui per viam à factione ad nos defecerant, venerabiles Episcopi, *eorum vafriciem, & quantoperè res suas suspectas habebant, iudiciumque metuerent, aperiebant.* Epist. 3. Synod.

Hisce de caussis, licet frequenter citati, timuerunt prodire in Synodum, fugam meditati. Prætexuêre alias duas. Primam suprà ad tertium Canonem audivimus ab eorum synodali Epistola Philippopolitana: Dixêre Patriarchalium Synodorum judicia honoranda, ideòq; Athanasium & alios cum illo damnatos à se Episcopos, quousque eorum caussa retractatur, non inter Episcopos & Judices, sed inter laicos & reos oportere stare; Hosius verò Romanæ Ecclesiæ auctoritatem voluit intactam & salvam.

Altera caussa fuit insigne mendacium, de quo Athanasius ad Solitarios. *Illi, cùm hæc audirent, & magis magisque percellerentur, absurdiore, quàm Antiochiæ, caussificatione usi sunt, & sub eo prætextu, quasi Imperator ipsis triumphalia de Persis per literas scripsisset, fugam adornârunt, & sine pudore hanc cavillationem pro excusatione per Eustatium Presbyterum Sardicensis Ecclesiæ renunciârunt.* Fugerunt Philippopolim, Hæmimonti, quæ est vicina & secunda Thracicæ Dioceseos Provincia, Metropolim, attentaturi desperatum facinus, in Ecclesia huc usque inauditum.

Sulpicius Severus Synodum coactam dicit sub Constantino magno, ad quem locum rectè Carolus Sigonius. *Nihil fingi potest perversiùs. Nam Concilium Sardicense rogatu Constantis & permissu Constantij actum est anno decimo, postquam Constantinus pater è vita discessisset. Moritur Constantinus anno Domini trecentesimo trigesimo septimo, Concilium Sardicæ habetur anno trecentesimo quadragesimo septimo.* Adstipulatur in Chronico Ecclesiastico Onuphrius Panvinus, dicens factam Synodum Ruffino & Eusebio, Constantij Eunucho, Consulibus. Socrates de Consulibus convenit, at putat annum hunc à Constantini morte fuisse undecimum. Nempè computat ab ipso mortis die & Consulatu Fæliciani & Titiani, atque ità concordat. Surianæ editionis ad hanc Synodum Epigraphe, recentior, addita per nescio quem sciolum, errat factam Leontio & Sallustio Consulibus, anno sexto Constantij Principis, Christi Domini trecentesimo quadragesimo L. 2. c. 16.

quar-

quarto. Et certè Consulatus ille fuit Constantio non sextus, sed octavus imperij annus.

Etiam huic Synodo Episcopi subscripsère non secundùm acceptæ ordinationis ætatem, sed divisi in Patriarchatus seu Dioceses. Primùm Legati Apostolici cum Episcopis Italiæ, Illyrici, Hispaniæ, Galliæ, & Africæ, quæ sunt Patriarchica Diocesis Romani Pontificis. Sequitur Diocesis Ægyptiaca, deindè Cyprij & Palestini Episcopi, qui sunt Diocesis Antiochena. Huic subscriptionis ordini attestatur in secunda Apologia sanctus Athanasius, ideòque de illo non licet dubitare. Ex quo liquet Nicenæ Synodi subscriptiones, quæ Romanæ Dioceseos Episcopos à Romanis Legatis sejungunt, esse vitiatas.

At inter hujus Synodi subscriptores cur non sunt S. Athanasius, Paulus Constantinopolitanus, Marcellus Ancyranus, Lucius Adrianopolitanus? Utique propriæ caussæ & absolutioni noluerint subscribere. Et Paulum Constantinopolitanum Sardicæ non adfuisse, scribit Theodoretus. Subscriptorum indiculus, secundæ Canonum editioni latinæ subnexus, eos continet, at potiùs danda fides indiculo Athanasij.

L. 2. c 5.

Cur inter Africanos Episcopos Nessus præponatur Grato Carthaginensi Episcopo, totiusque Dioceseos Primati, fateor me ignorare. Certè condendis Canonibus non Nessus, sed Gratus fuit interlocutus. Plura ad Canones Africanos.

CAPUT III.

Exponitur Synodi de fide Decretum.

L. 2. c. 5.

DE hujus Synodi actis hæc generatim pauca Theodoretus: *Multis morbis vexabatur Ecclesia, ad quos curandos Concilium necessariò requirebatur.* Eos edisserit synodalis Epistola ad Julium Papam. *Tria fuerunt, quæ tractanda erant. Nam & ipsi Religiosissimi Imperatores permiserunt, ut de integro universa discussa disputarentur. Et ante omnia de sancta fide, & de integritate veritatis, quam Eusebiani violaverunt. Secunda de personis, quas dicebant esse dejectas, de iniquo judicio, ut si potuissent probare, justa fieret confirmatio. Tertia quæstio, quæ verè quæstio appellanda est, quod graves & acerbas injurias, intolerabiles etiam & nefarias contumelias Ecclesiis fecissent, cùm raperent Episcopos, Presbyteros, Diaconos & omnes Clericos, in exilium mitterent, ad deserta loca transducerent; fame, siti, nuditate, & omni egestate necarent, alios clausos carcere, squalore & putore conficerent, nonnullos ferreis vinculis, ita ut cervices eis arctissimis circulis strangularentur. Denique ex ipsis quidam vincti in eadem injusta defecerunt*

cerunt pœna, quorum ambigi non potest martyrio gloriosam mortem exstitisse. Adhuc quoque quosdam audent retinere. Eorum in loca suos congerrones intruserant, demutato Episcopatu in præmium facinorosæ atque hæreticæ iniquitatis. Quibus ex verbis vides perpetuum esse Synodi generalis morem, ut primùm de fide statuat, deindè de personis, tertiò morum Canones condat.

Generalis Synodi dogmaticam de fundamentali præsertim fidei capite definitionem retractare, res est summi moliminis. De Nicena Synodo id postulanti Constantio Augusto reposuit Alexander Constantinopolitanus Episcopus *nefas istud non pati Ecclesiæ instituta.* Addidit Synodus Ariminensis esse sanctorum Patrum, à quibus facta definitio, contemptum: Immò & Spiritus sancti in ipsis locuti. Ephesinam Synodum obtestatur Capreolus Carthaginensis Episcopus, ne Nestorianis *secundæ disputationis prætextu vocem iam dudùm ablatam renovari patiatur: Si quis enim ea, quæ iam olim diiudicata sunt, denuò in disputationem vocari sinat, is sanè nihil aliud facere censebitur, quam de fide, quæ hactenùs valuit, ipse dubitare.* Pelagianis novum examen flagitantibus constanter reponit Augustinus solam jam pœnitentiam, nequaquam audientiam superesse. In Ephesino latrocinio rectè, licet non rectâ mente, Dioscorus Episcopus Alexandrinus: *Si quis præter ea, quæ placuerunt Patribus, qui in Nicæa convenerunt, aut inquirit, aut discutit, aut retractat, anathema sit. Si sanctus Spiritus consedit cum Patribus, sicut manifestè consedit, & ordinavit quæ ordinata sunt, qui retractat ea, Spiritus cassat gratiam.* Exclamavitque Synodus: *Omnes hæc dicimus, Anathema sit, qui retractat.* S. Leo magnus nec ipsi Calchedonensi Synodo permisit in Ephesina contra Nestorium acta esse ullam potestatem. Eutychianistis per Orientem adversùs eandem Calchedonensem Synodum barbaricè grassantibus, ejusque retractationem per Leonem Augustum postulantibus respondit hoc esse *ad vetitum scientiæ boni & mali lignum manus extendere, Ecclesiæ universæ auctoritates ad hæreticæ petitionis arbitrium infringere, atque ità nullum corrigendis Ecclesiis modum ponere, sed datâ rebellandi licentiâ dilatare magis, quam sopire certamina.* Et ipse & ex ipso Facundus Hermianensis Episcopus, nec non alij passim Patres assiduè clamant ejusmodi retractationis expostulationem esse pestem detestandam. Adversùs Marcum Ephesinum Episcopum rectè Josephus Episcopus Methonensis: *Hostibus Synodorum œcumenicarum illud unum inditur nomen, ut hæretici appellentur.*

Zozom. l. 2. c. 18.

Socrat. l. 2. c. 29.

Epist. 73. 75. 78.

Hinc oritur dubium, quomodò hæc nostra Synodus laudet Constantium & Constantem Augustos, quod universa, etiam Nicenæ Synodi decreta de fide, permiserint de integro disputari. Etenim Theodosio

dosio

dosio Augusto, per Nestorij fautores circumvento, Ephesinas de fide definitiones, quod factiosè, humano affectu, & Joanne Patriarchâ Antiocheno absente præcipitatas diceret, suspendenti, mandantique retractari, generosissimè Synodus se opposuit, tandemque edito Canone frænavit ejusmodi præsumptiones.

Respondeo esse duas fidei definitę retractationes, de quibus S. Leo Pontifex, retractandæ Calchedonensis fidei caussa ad Orientem per Divalem jussionem invitatus, scribit ad Leonem Augustum. *Præceptioni vestræ in eo adnitar obedire, ut aliquos de fratribus meis dirigam, qui apud vos præsentiæ meæ instar exhibeant, & quæ sit Apostolicæ fidei regula, demonstrent, patefacientes in omnibus & probantes, non esse omninò inter Catholicos computandos, qui definitiones venerabilis Synodi Nicenæ vel sancti Calchedonensis Concilij regulas non sequuntur. Prænoscat igitur Pietas vestra, venerabilis Imperator, hos, quos spondeo dirigendos, non ad confligendum cum hostibus fidei, nec ad certandum contra illos à Sede Apostolica profecturos: Quia de rebus apud Nicæam vel apud Calchedona definitis nullum audemus inire tractatum, tamquam dubia vel infirma sint, quæ tanta per Spiritum sanctum fixit auctoritas. Instructioni autem parvulorum, qui post lactis alimoniam cibo desiderant solidiore sanari, ministerij nostri præsidium non negamus. Et sicut simpliciores non spernimus, ità à rebellibus hæreticis abstinemus. Nimis quippè indignum, nimisq; iniustum est, eos ad libertatem disputationis admitti, quos significat Spiritus sanctus per Prophetam dicens: Filij alieni mentiti sunt mihi.* Omninò mentiti: utpotè *qui ficto diligentiæ nomine, dum veritatem se mentiuntur inquirere, mendacia desiderent seminare.* Arrogantem & perduellem hæreticæ contumaciæ spiritum non iteratis disputationibus, sed binâ dumtaxat correptione tentandum mandat Timotheo ipse Apostolus, egregiè in libro Præscriptionum elucidatus à Tertulliano.

Epist. 78. c. 3.

Epist. 75. c. 2.

Eusebiani Nicenam Synodum, vocem præsertim, *Consubstantiale*, tamquam Sabellianam, aut certè istius lepræ suspectam, piarumque aurium offensivam, in seductæ plebis, ac quorumdam etiam simpliciorum Episcoporum errorem & odium circumscripserant per artes pessimas: finxerunt, teste Zozomeno, divinâ sororis per somnium revelatione permotum Constantinum Augustum de dicta voce hæsitasse, providisseque aliam Synodum, quam morte præventus Constantio filio jusserit exequendam. Et de Valente Mursiensi Episcopo Sulpitius Severus. *Valens, ut reverentiam sui adderet, Angelum sibi fuisse Magnentianæ victoriæ nuntium respondit*, atque ità Constantium Principem sibi in satellitem dementavit. Hisce ergò circumscriptis liberandis Julius Pontifex permisit Nicenę Synodi expositivam retractationem.

L. 3 c. 18.

De

De hac in septima sessione Synodi Florentinæ Andræas Metropolita Rhodiorum: *Synodus Sardicensis sancivit rectam & sanam esse à trecentis decem & octo Patribus Nicenis editam fidem, atque ab omni Christiano suscipiendam.* Et Synodi Calchedonensis ad Principem Martianum Relatio: *Apud Sardicam contra reliquias Arij convenerunt.* Et Theodoretus. *Beati illi Patres non solùm nos ea docuerunt, quæ ad Divinam Trinitatis naturam pertinent, verùm etiam quid de Mysterio Dominicæ Incarnationis sentiendum est, enucleatè docuerunt.* Refert decretum integrum tertiæ synodali Epistolæ adnexum: Addit Hermias Zozomenus. *Eodem tempore aliam quoque fidei formulam ediderunt, pluribus quidem verbis scriptam, quam quæ in Niceno Concilio edita fuisset, sed tamen eandem complectentem sententiam, & verbis non multùm ab illa discrepantem. Ad extremum Hosius & Protogenes, Sardicensis Episcopus, qui principem locum inter Episcopos Occidentis obtinebant, veriti, ne quibusdam viderentur decreta Niceni Concilij innovare, scripsêre ad Iulium Pontificem, & testati sunt se illa quidem rata habere, sed quò faciliùs intelligerentur, ea pluribus verbis explicasse eo consilio, ne Arianis, qui brevitate formulæ fidei in eo Concilio editæ abutebantur, facultas ex verbis daretur imperitos in absurdam aliquam opinionem rapiendi.* Et S. Vigilius Tridentinus Episcopus, Eutychianos, adserentes Nicenæ Synodo nihil addi potuisse à Calchedonensi, confundere conatur auctoritate Sardicensis, quæ septem definitionum capitula addiderit, adversa illis, contra quos fuit congregata.

L. 2 c.8.

L.3.c.11.

L. 5.

Verùm figmenta hæc sunt, de quibus ad Ecclesiam Antiochenam S. Athanasius, præscribens leges, quibus & Eustatianum schisma & Ariana hæresis in communionem & pacem reciperetur. *Tabellas, quas nonnulli iactant, quasi in Sardicensi Synodo de fide conscriptas, ne legi quidem semel aut proferri sinatis. Nihil enim tale Concilium definivit. Quamvis enim certi homines nonnulla, quasi quæ deeßent Niceno Concilio, adscribere vellent, idque acriter contenderent, sancta tamen Synodus, quæ Sardicæ convênit, indignè id tulit, decretoque sancivit, ne quid ulteriùs de fide scriberetur, & sese contentos esse Nicenâ fide declaraverunt, ut cui nihil deesset, & in qua integra & solida pietas contineretur, neque edendam eße aliam profeßionem fidei, ne illa, quæ Nicææ scripta est, suos numeros non habere videretur, neve illis, quibus libido est semper nova statuere, occasio huiusmodi suppeditaretur, ut iterùm atque iterùm de fide definiant. Quapropter si quis hæc aut aliud quidpiam cavillabitur, compescite illos, & ad studium pacis inducite: Nihil enim in istis agnoscere poßimus, nisi solam contentiositatem.* Et infrà addit Eusebius Vercellensis Episcopus, degens tunc Alexandriæ: *Quia fama apud exteros increbuit de tabella Sardicensis Concilij, ne*

ea ultra Nicenam fidem decreta esse putetur, meo suffragio denuncio, quò nihil luxamenti aut noxæ Nicenæ fidei indè oboriatur, neque eam ea de caussa proferendam censeo. A sui auctoribus fuerat sparsa per Ecclesias. Admiror Theodoretum, Ecclesiæ Antiochenæ subditum, & frequentissimum hospitem hæc ignorasse.

Quin immò hæc ejus tabella seu appendix videtur non esse illa, quam quidam Episcopi voluêre adscriptam, sed nescio quæ alia supposita, aut certè vitiata. Etenim Ursacium & Valentem, Episcopos nimiùm Arianos, esse dicit Sabellianos ac Patripassianos, quo dici nihil possit absurdiùs. Et conjuratam Eusebianorum turbam arguit, quod Patris & Filij & Spiritus sancti dicat esse distinctas subsistentias seu hypostases; ipsa verò profitetur unicam, addens: *Quam vocem Hæretici pro substantia usurpant.* Quæ nimiùm aliena sunt à phrasi & sensu Ecclesiæ Occidentalis, cujus Episcopos certum est fuisse majorem Synodi hújus partem. Quod namque latina Ecclesia dudùm in Deo noluerit admittere tres Hypostases, quodque non Eusebiani, sed ipsa, ob non plenam Græci idiomatis notitiam, putârit idem esse Hypostasim & usiam, liquet ex S. Athanasij Synodo Alexandrina, Gregorij Nazianzeni encomio in funere ejusdem Sancti, sanctique Hieronymi literis ad Damasum Papam. Posterior est ista quæstio, suo loco elucidanda. Porrò decretum, *quo sancivit hæc Synodus, ne quid de fide ulteriùs scriberetur, declaravitq; se contentam Nicenâ fide*, nova indies Eusebianorum Symbola compescit. Amissum est injuriâ temporum, ejus nullam mentionem faciunt literæ synodales.

CAPUT IV.

Exponuntur Synodi acta de personis.

ALtera Synodi quæstio & sessio fuit de personis dejectis per Eusebianos, iniquo judicio, ac jure Romanæ appellationis. Ante omnia discussi, damnatiquè, uti in caussa sancti Joannis Chrysostomi
L. 8. c. 26. ad Ecclesiam Constantinopolitanam scribit apud Zozomenum Innocentius primus Pontifex, dolosi Antiocheni Canones, stabilitum atque in Canones suprà expositos redactum Romanæ non tantùm appellationis, sed & evocationis jus, probataque & confirmata omnia, quæ Julius Papa hac in re egerat atque decreverat.

Prima dejecta persona, ex cujus odio omnem Ecclesiam & Romanam Rempublicam Eusebiani concusserant, fuit sanctus Athanasius, de quo Hosius, Synodi Præses, ad Constantium Augustum. *Fui ipse in Sardicensi Concilio, ipseq; ultrò Athanasij inimicos provocavi, cùm ad*

Ec-

Ecclesiam, ubi ego commorabar, advenissent, ut si quid contra eum haberent, ederent, promisique eis securitatem, neve quidquam aliud exspectarent, quàm rectum in omnibus iudicium, idque non semel, sed bis feci. Quod si nollent rem ab universa Synodo disceptari, saltem me iudice uterentur: Promisique etiam nos Athanasium, si in noxa reperiretur, omnibus modis eiecturos esse. Quod si innocens deprehendatur, & vos ostenderit calumniatores, & aquè illum recusaveritis, ego illi persuadebo, ut mecum in Hispanias veniat. Athanasius autem condicionibus obtemperavit, nihil contrà oblocutus; illi verò ad omnia aquè diffidentes recesserunt. Quid enim de Athanasio voluerent in animo, docent verba Constantij Augusti ad Liberium Pontificem in colloquio Mediolanensi. *Praclaram illam victoriam de Magnentio & Sylvano non tanti facerem, quanti Athanasii ab Ecclesiasticarum rerum administratione abdicationem.* Quocircà à Synodo Athanasius est declaratus integer atque innoxius à fracto calice & dejecto altari, alijsque portentosis calumnijs, amplissimèque Firmatus in reddita per Julium Episcopali communione, adeò ut, inquit ipse in secunda Apologia, *Vrsacius quoque & Valens, cùm anteà se pro calumniatoribus gessissent, pœnitere se facti sui protestarentur. Non solùm enim sententiam pro nobis dictam approbaverunt, sed & se caterosque meos adversarios calumniatores esse confeßi sunt, quâ pœnitentiâ etiam scriptis proditâ Eusebium socium calumnia & fingendi criminis coartificem liquidißimè convincunt.* Scriptis prodita eorum pœnitentia est, quem ibidem Athanasius refert, in ipsa postmodùm Romana urbe exhibitus Julio Pontifici pœnitentiæ libellus, de quo Sulpitius Severus. *Ad Athanasii absolutionem etiam illud acceßit, quod Vrsacius & Valens, Principes Arianorum, cùm post Synodum Sardicensem viderentur à communione secreti, coram positi à Iulio Romana urbis Episcopo veniam poposcerunt, quod innoxium condemnassent, meritoque eum sententia Concilij Sardicensis absolutum profeßi sunt.* Fictam hanc pœnitentiam extorsit metus Constantis Augusti, ad quem Illyricum, in quo illi Episcopi pertinebat.

Secundus fuit Paulus Episcopus Constantinopolitanus, de quo cur literæ synodales nullam mentionem faciant, audiamus à Theoreto. *Paulum Episcopum Constantinopolitanum, qui pro sana doctrina se periculis offerebat, Ariani tamquam seditionis auctorem ac ducem accusabant, aliaq; nonnulla ei obiectabant crimina, qua per calumniam pietatis cultoribus inferre solebant. Verùm populus veritus adversariorum insidias, hunc Paulum Sardicam proficisci id temporis non sinit.* Calumniæ fundamentum erat, quod Hermogenem Ducem, dum jussu Constantij Paulum Sede & civitate ejecit, motus populus Constantinopolitanus trucidasset. Aliam calumniam addidit Conventiculum Philippo- L.2 c.5.

 poli-

politanum. *Nudi ab ipso ad forum trahebantur Presbyteri, &, quod cum lacrymis luctuque dicendum, consecratum Domini corpus ad Sacerdotum colla suspensum palàm publicèque profanabat.* Quod namque olim non Episcopi tantùm, sed & fideles laici, immò & Catechumeni, Eucharistiam gestarent ad pectus, liquet ex illis, quæ in fratris sui Satyri catechumeni encomio funebri scribit S. Ambrosius. Porrò populi præfatum metum non fuisse vacuum docuit secutus eventus, de quo S. Athanasius in Epistola ad Solitarios. *Paulus primùm quidem in Pontum relegatus est, posteà à Constantio ferro vinctus in Singra Mesopotaniæ, rursùm indè Emesam, atque ex Emesa Cucusum Cappadociæ circa deserta Tauri abreptus, quo in loco laqueo per Eusebianos strangulatus vitam finijt.* Quod ejus per Julium Pontificem facta restitutio fuerit confirmata Sardicæ, liquet ex facto Constantis Augusti, qui acta synodalia potenter exequens etiam Paulum reponi jussit in Sedem.

Tertius fuit Asclepas Gazensis Episcopus, de quo tertia synodalis Epistola. *Asclepas prolatis etiam monumentis Antiochiæ confectis docuit, cùm ibi simul & accusatores & ipse eius Metropolita Eusebius Cæsareensis adessent, iudicijs Episcoporum, qui huic caussæ præsidebant, se innocentem pronunciatum esse.* Et Hermias Zozomenus: *Asclepas Gazæ Episcopus,*
L. 3. c. 7.
cùm doctrinæ Arianæ adversaretur, in crimen vocatus est ab Arianis, quod altare everterit, & propterea fuerit abdicatus. Et Conventiculum Philippopolitanum: *In civitate Gaza Provinciæ Palestinæ Asclepas altare comminuit, multasque seditiones effecit.* Unà cum Athanasio damnatum
L. 1. c. 29. è Synodo Tyria Socrates testatur.

Quartus fuit Lucius Episcopus Adrianopolitanus, de quo dictum Conventiculum: *Adrianopoli Lucius post reditum suum sacrificium à sanctis & integris* (ità Arianos vocat) *Sacerdotibus confectum, si fas est dicere, canibus projiciendum iubebat.* Etiam S. Athanasij principale crimen ferebatur, quo Ischyræ Presbyteri Meletiani Altare, Calicem, Missalem librum in Mareotæ Ecclesia destruxisset. Ità ad Evaisenos & mona-
Epist. 72. chos suos de Eustatio Sebastensi Episcopo scribit S. Basilius: *Basilidis*
73. *Paphlagonici altaria, cùm Paphlagoniam transiret, subvertit Eustatius, & proprijs mensis Missæ munus perfecit.* Arianos altaria nostra, sacra vasa, & thronos Episcopales profanis cantibus & saltibus profanasse, Eucha-
Orat. 20. ristiamque projectasse in terram, scribit Gregorius Nazianzenus. Ad-
23. 25. dit se Constantinopoli sacrificantem lapidatum, & altare cum sacrifi-
Epist 81. cio eversum. Etiam à Donatistis Eucharistiam nostram canibus projectam; altaria diruta, rasa, lavata, fractos & conflatos Calices Dominici Sanguinis portatores, abjectam per fenestras sacri Chrismatis ampullam, lotos & exorcizatos Ecclesiarum parietes, quin & manus,

quibus

quibus hæc attigerant, expurgatas, refert Optatus Episcopus Mile- L.1.c.7.
vitanus. Quod ipsum de Wandalis Arianis Victor Episcopus Uticensis. De Timotheo Æluro, Ecclesiæ Alexandriæ mœcho, quod Pontificales sedes, in quibus sederat S. Proterius ejusdem civitatis Episcopus, fregisset, exussisset, nec non ab ipso sacrata altaria diluisset aquâ marinâ, in literis ad Anatolium Ecclesiæ Constantinopolitanæ Episcopum, exstantibus post Synodum Calchedonensem, queruntur Epist.13.
Episcopi Dioceseos Ægyptiæ. Eadem Photius in S. Ignatium Patriarcham, & Græci Schismatici patrant in nos latinos. Quin & grassante Pseudo-Anacleti, seu Petri Leonis Schismate adversùs Innocen- L.2.c.6.
tium secundum, scribit Guilielmus Abbas de S. Bernardo. *Priusquam Pitlaviensium propalata fuisset & obfirmata perfidia, obtulerat Abbas sanctus in eorum Ecclesia sacrificium Deo. Post cuius discessum Decanus eiusdem Ecclesia altare, in quo Divina mysteria celebrârat, impiè quidem, sed non impunè confregit.* Post breve enim tempus per immissos à Deo vindice Angelos malos percussus desperantem animam evomuit in infernum. Etiam Donatistas à canibus, quibus Eucharistiam nostram pro- L 2.c. 10.
jecerant, actis in rabiem fuisse laniatos scribit Optatus Milevitanus. 13.

Eodem modo Gaufredus, Carnotensis Episcopus, Innocentij secundi per Aquitaniam Legatus, altaria, quæ Girardus Engolismensis Episcopus, Pseudo-Anacleti Legatus, consecrârat, destruxit, uti ait Chronicon monasterij Mauriniacensis. Altare, in quo Reinoldus, L.3.c 4.
seu Reginaldus, Coloniensis Episcopus, Octaviani adversùs Alexandrum tertium Schismatis fautor, & Frederici primi Augusti ad Henricum secundum Angliæ Regem Legatus, celebrarât in Anglia, à Catholicis eversum fuisse, referunt Matthæus Paris, & Radulfus de A.1165.
Diceto. De Altaribus per ipsum Octavianum & ejus Episcopos consecratis hæc Rogerus Hovedensis: *Altaria, quæ ab ipsis dedicata erant, demolita sunt.* Ex statuto Synodi Lateranensis. Et Christianus Mo- L 2.f.568.
guntinus Episcopus pallium Archi-Episcopale, quod à Guidone Cremensi, Octaviani successore acceperat, proprijs manibus exussit coram omnibus Cardinalibus & Alexandro tertio, atque ab ipso aliud ac- F 569.
cepit.

Ità olim Hæreticorum & Schismaticorum Altaria, sacra vasa, Sacramenta tractabat Ecclesia, & vice versa ipsi nostra, quòd nos leprosos, sese integros præsumerent: Ea tractabat tamquam Baal aut certè excelsorum altaria & sacrificia, quæ destruxerunt pij Reges Israël. Et quidem Ischyras sese Meletij in Mareotæ Ecclesia Presbyterum adseverabat, ideòque ab Eusebianis crimini datum Athanasio, ejusque Presbytero Macario, quod Meletianos à Synodo Nicena admissos ad

Ec-

ſpecialem Romani Patriarchatus Diœceſim & curam ſpectarent, cauſſam Julio Pontifici ſpecialiter retulit Synodus, dicens eſſe adoleſcentes impios & imperitos, & quod Valens relictâ propriâ civitate invadere tentaſſet Cathedram Aquilegienſem, idque per vim & popularem turbam, in qua victor Epiſcopus fuerit obrutus, calcatus, occiſus. *Cauſſam mortis præbuit Valens, qui perturbavit, qui ſolicitavit.* Iuvenes tunc fuiſſe oſtendunt tragediæ eorum, de quibus apud Gratianum Auguſtum queſti ſunt dudùm pòſt Synodus Aquileienſis, S. Ambroſius, & Presbyter Paulinus.

L. 3. de Spir. S. c. 2.

Eodem rigore damnati ſunt Gregorius Alexandrinus, Baſilius Ancyranus, & Quintianus Gazenſis, ordinati ab Euſebianis in locum Athanaſij, Marcelli & Aſclepæ. Declarati ſunt Eccleſiarum invaſores lupi, quibus communicari non poſſit, & quorum literæ non poſſint recipi, nec viciſſim mitti. Addit ſynodalis ad Eccleſiam Alexandrinam Epiſtola Gregorium, quoniam ab Hæreticis ordinatus & intruſus, nunquam fuiſſe Epiſcopum. Et S. Athanaſius in literis ad Solitarios: Patres Sardicenſes *reſciderunt omnes illius in dandis Ordinibus conſtitutiones, interdicentes, ne quiſquam ab illo ordinatus in Eccleſia vel nomen ſui Ordinis obtineret, idque in odium inauditorum ſcelerum eius.* Eum, quod perfidiæ non potenti ſatis zelo patrocinaretur, ipſi poſtmodùm Euſebiani abjecerunt. Et horum intruſorum cauſsâ, ſtatuit quartus Canon noſter, ut Romanæ appellationi deinceps ſervetur effectus ſuſpenſivus, adeòque ut ipsâ pendente in appellantis Epiſcopi ſedem nullus intrudatur. Innovavit Apoſtolicum Canonem: Gregorij enim ordinationem fuiſſe appellatorij judicij præoccupationem & injuriam, novum in Eccleſia modum, ab Eccleſiaſtico Canone & Apoſtolicâ traditione alienum, diſertè ſcribit Iulius Pontifex ad Synodum Antiochenam.

Damnatus à Synodo fuit & Iſchyras, Athanaſij calumniator. Verùm quo fuco Iſchyras mentitus eſt ſeſe Presbyterum? S. Hilarius Pictavienſis Epiſcopus in Synodorum fragmentis credit fuiſſe Diaconum: *Iſchyras*, inquit, *De Diacono adſeritur Epiſcopus ordinatus.* Ità enim, non, *Syrus*, eſt omninò legendum. At certum eſt merè laicum fuiſſe. Ità teſtantur, quibus homo longè notiſſimus, Eccleſię Mareoticę Clerici in literis ad Synodum Tyriam. *Iſchyras nunquam in ſacris Eccleſiæ miniſtris fuit, ſed primùm iactavit ſe Colluthi Presbyterum.* Aiunt fuiſſe mendacium, de quo Hoſius Cordubenſis Epiſcopus, ac Sylveſtri Pontificis Legatus in generali ante Nicenam Alexandrinâ Synodo judicaſſet, mendacē damnans, ut laicum in ordinem redigens, atque ità inanis illius Presbyterij famam exufflans. Alexandrina civitas, quomodò & hodiè etiam Ro-

Fol. 409.

ma-

mana, divisa erat in varias Ecclesias seu titulos, variosq; illis præsidētes ac in illis populum docentes Præsbyteros Cardinales, quos inter erant vasa iniquitatis bellantia, Arius & Collutus. Collutum jam dicti Mareotici Clerici, in literis ad Philagrium Præfectum, Palladium Curiosū, & Antoninum Centenarium, fuisse aiunt non verum, sed imaginarium Episcopum, in dicta Synodo damnatum ab Hosio, jussum se gerere pro Presbytero, omnesque ab illo ordinatos retrusos in priorem Ordinem. Frustrato, uti Theodoretus scribit, Episcopatus ambitu lassus Presbyteralem suam Ecclesiam in Cathedralem vertit, illic se ostentans Episcopi simulacrum, à nullo, nisi à seipso ordinatus, ordinansque varios. In Presbyterij gradu defunctum scribit Synodus Alexandrina. Ab illo & Ischyram ordinatum crediderunt primum Clerici Mareotici, at postmodùm repererunt & istud esse mendacium. Erat ergò ille merus laicus, modò à Colluto, modò à Meletio se promotum mentiens, istique mendacio Eusebiani superposuêre Episcopatum. Et quidem sine Basilica: Habuit enim solam domunculam rusticam in prædio cujusdam Isionis, solosque septem communicantes, uti in Synodo Tyria est ipse confessus. Hæc erat Basilica, in qua Mareotem visitans S. Athanasius fingebatur Altare, Calicem, Missalem librum destruxisse. Hæ, inquam, sunt scænæ, quibus hæresi Arianæ diabolus prælusit, & collusit. Quod verò vanum hoc Episcopi simulacrum duxerint ad hanc Synodum Eusebiani, apud Socratem testatur Sabinus Macedonianus.

L. 1 c. 4.

L. 2. c. 16.

Etiam Photini, Syrmiensis Episcopi, caussam & hæresim discussam & damnatam ab hac Synodo affirmat S. Epiphanius. Et Sulpitius Severus: *De Photino Episcopo Syrmiensi non est rescissa sententia, quia etiam nostrorum iudicio hæreticus probabatur.* At longè aliter & veriùs in fragmentis Synodorum S. Hilarius, Pictaviensis Episcopus, horum omnium testis oculatus, agens de Synodo Syrmiensi. *Ad tollendum ex Episcopatu Fotinum, qui ante biennium iam in Mediolanensi Synodo erat hæreticus damnatus, ex plurimis Provincijs congregantur Sacerdotes.* Non ergò Sardicæ, sed Syrmij fuit in ipsum confirmata, seu non rescissa prior, utique Mediolanensis, sententia, Sulpitiusque Severus acta Syrmiensia transcribit in Sardicensem Synodum, decem annis priorem. Rectè tamen addit: *Marcellum gravabat, quod Photinus auditor eius fuisse in adolescentia videbatur.* A Marcello imbutum fuisse dicit Hilarius, ejusque Diaconum. Ejus blasphemia statim cæpit gravare magistrum: At verò apud Sardicensem Synodum integerrima fuit Marcelli existimatio, adeòque liquet Photinum tunc needùm erupisse. Et Conventiculum Philippopolitanum, quod adversùs Marcellum scrutatum est

omnes latebras, illius nullam facit mentionem. Graviùs labitur liber Pontificalis in vita sancti Sylvestri, nec non brevis Epilogus de Romano ejusdem Pontificis Concilio, dicentes Photinum damnatum in Synodo Nicena.

CAPUT V.

Exponuntur Acta Conventiculi Philippopolitani.

PHilippopolim intra Orientalis Imperij limites abiére Eusébiani, ubi extra Constantis Augusti metum & sub Constantij alis latrare possent, quidquid suggerebat rabies. Ante omnia canonicas sui à Sardicensi Synodo factas damnationes iniquis innocentum vicissim damnationibus exufflare tentârunt. Primò damnavêre Marcellum, tamquàm *omnium hæreticorum pestem execrabiliorem, & impudentem Galatam, declinantem in aliud Evangelium*, cum Paulo Samosatensi, Sabellio, & Montano delirantem, & pervertentem multos. Ejus, quidquid fucare & fallere conaretur, pravum sensum dixére jam discussum sæpiùs, & de ipso sese certos.

Deindè denuò damnârunt sanctum Athanasium, Paulum Constantinopolitanum, Asclepam Gazensem, ac Lucium Adrianopolitam, ob criminationes partim enumeratas, partim videndas in Epistola synodali. Et quia illos appellantes in communionem susceperat Julius Pontifex, reddideratque gradui Episcopali, eum ut Synodi Orientalis & quinti Niceni Canonis prævaricatorem subdiderunt eidem damnationi, ut satis dictum suprà ad Canonem tertium. Addiderunt & Hosium, quem ob ætatis & vitæ eximia merita *Senem Abrahamicum* Athanasius vocat, Synodi Præsidem; Protogenem Sardicensem Episcopum, & Maximinum Treverensem, utpotè Julij ad prævaricandum incentores, traductos & aliorum criminum. Sese dixêre veram Sardicensem Synodum, nostros verò Episcopos *multitudinem sceleratorum*, quorum tamen principale scelus erat eorum cum Sacramentis Altaria evertisse.

Edidêre tandem novum fidei Symbolum, quasi tamen Niceni confirmatorium, in quo contra Marcellum expresêre *Christi regnum esse incessabile, permanens in æterna sæcula.* Omisêre vocem *Consubstantiale*, idque contra Divales Principum literas & jussiones, de quibus sanctus Hilarius Pictaviensis Episcopus in Apologia ad Constantium Augustum: *Damnas quoque & substantiæ nomen, quo te & in Sardicensi Synodo, & in Syrmiensi, pium esse Occidentalibus mentiebaris.* Divales namque literæ scriptæ fuerunt ex communi nomine Constantij & Constantis, quem fuisse constat constantissimum fidei Nicenæ custodem & defen-

fensorem. At Eusebiani post factum Synodi schisma de suo Constantio confisi ità præsumpserunt. Exstat profanum Symbolum ad calcem Epistolæ synodalis.

Ipsum esse perversum & Arianum scribit ad Solitarios sanctus Athanasius, sanctus tamen Hilarius in rectum sensum interpretatur, hoc ipsum beneficium præstans eorumdem Symbolo Antiocheno, Seleuciensi, & Ancyrano. Ambos conciliat sanctus Gregorius Nazianzenus, de Synodo Seleuciensi, etiam sublatæ voci *Consubstantiale* substituente vocem *simile secundùm Scripturas*, dicens in funebri sancti Athanasij encomio. *Piam & veterem doctrinam, ac Trinitatis patronam, labefactatâ voce*, CONSVBSTANTIALIS, *sustulit, per scripti autē dogmatis ambiguitatem impietati fenestram aperuit.* Hæc enim verba, *Simile secundùm Scripturas*, sunt *simplicioribus hominibus illecebra impietatis hamo circumiecta, statua ad omnes pertranseuntes se obvertens, communis utriusq; pedis cothurnus, cribratio ad omnem ventum accommodata.* Antiqua Hæreticorum sapientia est sub orthodoxis vocibus hæreticum sensum, quasi sub ovinis lanis lupum, & sub mellis fuco venenum occultare, atque ex illis, tamquàm ex fidis latebris, simplicioribus nostris dolosissimè insidiari: Sic, inquit sanctus Hieronymus, librare & temperare sententiam, ut neque nobis displiceant, neque suos offendant; ad instar funambuli esse cautos, & quasi supra aristas ambulare. Arte artem invadit sanctus Hilarius, Eusebianis populis ostendens pessimorum magistrorum versutiam & mentem versatilem, seque paratum, non solummodò ad Nicenum, sed & ad varia ipsorum Symbola, dummodò accipiantur, quomodò illi ipsi apud nos exponunt. Epist. 61. c. 2.

Hanc synodalem Epistolam sparsère per omnes Ecclesiæ & Imperij dioceses, inscriptam Gregorio suo Alexandriæ Episcopo, Amphioni Nicomediensi, Donato Carthaginensi, alijsque id genus. Ei subnectitur hæc subnotatio: *Explicit decretum Synodi Orientalium apud Sardicam Episcoporum à parte Arianorum, quod miserunt in Africam.* Amphion est ille, quem Nicena Synodus in Eusebij Nicomediensis dejecti locum promovit, eidemque pœnitenti rursùm cedere coëgit, & qui postmodùm defecit ad Eusebianos, atque ità Eusebio Constantinopolim translato, redijt in sedem Nicomediensem.

Porrò Donatus ille est omninò Donatus magnus, à quo dicti Donatistæ, & de quo sanctus Augustinus ad Comitem Bonifacium, rogantem, inter Arianorum & Donatistarum errorem quid interesset. *Ariani Patris & Filij & Spiritus sancti diversas substantias esse dicunt, Donatistæ autem non hoc dicunt, sed unam Trinitatis substantiam confitentur. Et si aliqui ipsorum minorem Filium esse dixerunt, quàm Pater est, eiusdem* Epist. 50.

 tamen

tamen substantia non negârunt. Plurimi verò in eis dicunt se omninò credere de Patre & Filio & Spiritu sancto, quod Catholica credit Ecclesia. Aliquando autem, sicut audivimus, nonnulli ex ipsis volentes sibi Gothos conciliare, quando eos vident aliquid posse, dicunt hoc se credere, quod & illi credunt: sed Maiorum suorum auctoritate convincuntur, quia nec Donatus ipse sic credidisse asseritur, de cuius parte se esse gloriantur.

Pergit Augustinus in literis ad Eleusium, Glorium, & Felicem, Donatistas Episcopos, de Fortunio eorum Episcopo Tubursicensi. *Protulit quoddam volumen, ubi volebat ostendere Sardicense Concilium ad*
Epist. 163. *Episcopos Afros, qui erant communionis Donati, dedisse literas. Quod cùm legeretur, audivimus Donati nomen inter cæteros Episcopos, quibus illi scripserant. Itàque flagitare cæpimus, ut doceretur, utrùm ipse esset Donatus, de cuius parte isti cognominantur: fieri enim potuisse, ut alicui Donato alterius hæresis Episcopo scripserint, cùm maximè in illis nominibus nec Africæ mentio facta fuerit.* Variè urget Donatum illum non fuisse Carthaginensem, & addit. *Sanè quoniam nescio quando audiveramus Arianos, cùm à Catholica communione discrepassent, Donatistas sibi in Africa sociare tentasse, ad aurem mihi hoc ipsum frater Alipius suggessit. Tunc accepto ipso volumine, eiusdem Concilij statuta considerans, legi Athanasium Episcopum Alexandrinum catholicum, & Iulium Romanæ Ecclesiæ Episcopum, nihilominùs catholicum, illo Concilio Sardicensi fuisse improbatos. Vndè apud nos constitit Arianorum fuisse Concilium, quibus isti Episcopi catholici vehementissimè resistebant. Itàque ad diligentiorem discussionem voluimus ipsum volumen accipere, atque auferre nobiscum: Qui noluit dare, dicens, ibi nos habere illud, quando aliquid in ipso considerare vellemus.*

Et in libris adversùs Cresconium Donatistam, de antiqua, licèt jam amissa, Orientalium communione gloriantem, adducentemque principium Epistolæ Concilij Sardicensis, ubi Donati Carthaginis
L. 3. c. 34. Episcopi nomen erat adscriptum. *Disce, quod nescis: Sardicense Concilium Arianorum fuit, quod notum iam diu est, ut habemus in manibus, contractum maximè contra Athanasium Episcopum Alexandrinum catholicum, qui eorum errorem in ipsa civitate exortum præ cæteris acriter arguebat & refellebat. Non igitur mirum, si illi hæretici Donatum sibi adsciscere tentaverunt, quos per totum orbem catholica damnabat Ecclesia: Quamquam nos sine civitatum nominibus Episcopos, ad quos hæ literæ datæ sunt, habeamus. Aut ergò aliquis Donatus fuit non in Africa Episcopus, cui nomen Carthago à vestris est additum, aut, ut dixi, Africanam hæresim Orientalis hæresis sibi tentavit adiungere. Quod hinc maximè credibile est, quod ad Carthaginis Episcopum, Romano prætermisso, nunquam Orientalis Ecclesia scriberet: ubi saltem vester scribi debuit, quem Romam soletis vestris paucis*

mittere

mittere ex Africa. Sed Deo gratias, quod nec valuit, si tamen capta est, illa conspiratio hæreticorum Orientalium cum Afris hæreticis prævalere. Tu Arianos iam inter hæreticos, & vobis & nobis detestandos, posuisti.

Referre hæc verba omnia volui, quod ex illis varia doceamur. Primò, quòd acta Synodalia, quæ Augustinus à Fortunio Donatistarum Tubursicensi Episcopo audivit, vidit, poposcit, ac postmodùm nescio à quo impetravit, fuerint ea ipsa, quam modò habemus, & cujus fragmenta recitat sanctus Hilarius Pictaviensis, Conventiculi Philippopolitani Epistola synodalis, damnans Julium Pontificem, S. Athanasium, aliosque Episcopos orthodoxos. Non ad Catholicos, sed ad Donatistas missa fuerat, ideòque illam ignorabat Augustinus, & ex eorum archivis tandem accepit. Quod ab Afris ad nos venerit, docet superiùs laudata subnotatio.

Secundò, quòd, quidquid S. Augustinus hæreat, eadem Epistola fuerit omninò scripta ad Donatum Carthaginensem, quodque Eusebiani, quomodò Meletianos traxerant, ità conjurationi suæ conati sint addere & Donatistas, quorum capitalia audierant odia in invisam sibi Ecclesiam Romanam. Inimicissimarum hæreseon & schismatum non communionem, sed confusionem conciliare est adversùs Deum & Christum ejus vafricies diaboli antiqua.

Tertiò, quòd irritus fuerit conatus iste. Conjurare enim, & ab avita Divinæ Trinitatis fide discedere noluit Donatus: Ejus superbia, quam Christo Domino sese æquasse scribit Optatus Milevitanus, ad paucorum Schismaticorum à pari societatem non poterat inclinari. Quorumdam Donatistarum circa Trinitatis Majestatem titubatio nata est ex conversatione cum Arianis Gothis. Quocircà conatum pro effectu malè acceperunt Fortunius & Cresconius, adfirmantes Eusebianis, *qui de Sardicensi Concilio hac scripta miserunt, facinus displicuisse traditorum, & ab eorum communione se retraxisse, & propterea communicasse Donato.* Eorum scopus fuit longè alius. L. 3. c. 34.

Quartò, quòd dicta synodalis Epistola variè olim fuerit descripta. Quædam exemplaria Episcopis, ad quos Missa, adjunxêre, quædam non adjunxêre suarum civitatum nomina, & hæc posteriora credidit meliora S. Augustinus. Dat caussam in eisdem libris contra Cresconium. *Concilium Sardicense non additis civitatum nominibus legi solet, quia nec ipse mos est Ecclesiasticus, quando Episcopis Episcopi scribunt Epistolam.* L. 4. c. 44. *Vndè nescio, quis iste Donatus: Miror, si non in vestris literis Carthaginensis factus est. Quamquam potuerint illi, tam longinquis terris ab Africa separati, requirere, quis Carthaginis esset Episcopus.* Et hoc est omninò verum. Nos hodiè habemus Epistolam istam cum nominibus civitatum.

Quintò,

Quintò, quòd Orientalis Ecclesia ad Carthaginensem, adeòque & alium quemvis Romani Patriarchatus Episcopum, etiam Metropolitam, scribere non consueverit de caussis Ecclesiasticis, nisi per Romanum Episcopum, eorum Patriarcham. Cum alienis subditis, inscio Principe, tractare negotia, res est suspecta. Quâ lege versùs alios Patriarchas numquam ligatus fuit Romanus Antistes, utpotè, quod in libro de pudicitia Tertullianus dicit, Pontifex maximus atque Episcopus Episcoporum. Eam, quod deijcere illum & in ordinem cogere tentârent, omisêre Eusebiani. Donatistam, latitantem Romæ in nescio qua rupe seu monte, ideòque dictum Montensem seu Rupitanum, ignoravêre.

Sextò, quòd dictus Eusebianorum conatus factus fuerit, cùm à communione Catholica discrepassent. Etenim priùs post Sardicensem Synodum inter Orthodoxos & Eusebianos factam esse Christianæ communionis & contesserationis apertam dissociationem, scribit Hermias Zozomenus, de qua largiùs ex occasione.

L.3.c.12.

Restabat executio veræ Sardicensis Synodi, sanctique Athanasij & aliorum in communionem & gradum restitutorum Episcoporum etiam in sedes restitutio: Res difficilis, tandem adimpleta per Constantem Augustum. Etenim fratri Constantio, nisi & ipse in suo imperio adimpleret, bellum & eversionem minatus est, atque ità tandem Synodus & istic recepta. Honorificentissimis literis Athanasium Constantius revocavit. At Constantis mors denuò turbavit omnia: Athanasius novis calumnijs & exilijs vexatus, Paulus Constantinopolitanus strangulatus, de Lucio Adrianopolitano hæc Athanasius ad Solitarios. *Lucij Adrianopoleos Episcopi manus, cervicemq;, plurimâ adversùs ipsos audaciâ utentis, & impietatem redarguentis, iterùm, ut priùs, ferro vinxerunt, vinctumq; in exilium deportârunt, ibiq;, quod ipsos minimè latet, exstinctus est.*

Constantis Augusti metus etiam Ursacium & Valentem adegit, ut, quod suprà dictum, priùs ab ipsa Synodo, deindè Romam profecti à Julio Pontifice peterent veniam & gratiam. Erant enim Occidentales Episcopi, sine Pontificis & Augusti Constantis adsensu in sedibus suis non mansuri. Quin & Maris Calchedonensis, in Bythinia Ponticæ Dioceseos, Episcopus illis se junxit, de quo apud Theodoretum

L.2.c.16. Liberius Pontifex in colloquio cum Constantio Augusto. *Vrsacius, Valens, & Maris in Sardicensi Concilio libellos supplices dederunt, postulâruntq; veniam de eo, quod commentarios unius partis suffragijs per calumniam in Mareote contra Athanasium confecerant. Quos libellos iam habemus in manibus.*

CAPVT

CAPVT VI.

De Sardicensis Synodi, & Canonum eius auctoritate.

SArdicensis Synodus habuit plures æmulos: Non tantùm damnatos ab ipsa Eusebianos, sed & varios ex caussa varia orthodoxos. Primò, sanctum Basilium, & ejusmodi alios, ob restitutum Marcellum Ancyræ Episcopum, quem certum est cum Paulo Samosatensi & Sabellio delirasse, atque adeò Synodum fuisse ab ipso circumventam. Ad S. Gregorium Nazianzenum, suadentem à Sede Apostolica & omni Occidentali Ecclesia adversùm grassantes varias Arianorum & aliorum Erronum sectas auxilia peti, hæc Basilius. *Si Dominus sit nobis propitius, quali adminiculo indigemus; sin autem ira Dei permanserit, quale nobis auxilium ab Occidentalium supercilio & fastu aderit? Qui veritatem neque norunt, neque discere sustinent, verùm falsis opinionibus præpediti illa nunc faciunt, quæ priùs in Marcello patrârunt: Nempè cum iis, qui veritatem ipsis annunciant, contendentes, hæresin autem per seipsos stabilientes. Ego sanè ipse absque communi literarum figura volebam ad eorum Antesignanum scribere: De Ecclesiasticis quidem nihil, nisi per ænigmata, quoniam nec intelligunt nostratium veritatem, neque viam, quâ possint addiscere, amplectuntur.* Loquitur oculo per iram turbato. Epist. 10.

Iræ caussam edicit sanctus Gregorius Nazianzenus, de Vitalis, Antiocheni Apollinaristarum Episcopi, æquivocis & dolosis vocibus scribens ad Cledonium. *Quoniam igitur hæ voces, si rectè intelligantur, cum pietate coniunctæ sunt, si malè, impietatem adnexam habent; quid mirum, si Vitalis quoque verba nos quidem in commodiorem, magisque piam sententiam acceperimus, ità suadente voluntate; alij autem scripti sententiâ exardescant? Quod Damasus quoque ipse, cùm posteà rectiùs edoctus fuisset, simulque eos in pristinis expositionibus perstare audijsset, eos ab Ecclesia proscripsit, fideique libellum cum anathematismo delevit. Tum etiam quod fraudem eam, in quam per simplicitatem inciderat, permolestè ferret.* Per hos, inquam, dies Damasus Pontifex, doloso æquivocæ professionis libello circumscriptus, Vitalem, ut orthodoxum, in communionem receperat: Hinc in iram, frequenti jejunio studentium more, pronior Basilius clamabat à latinis denuò fieri, quæ priùs patrârant in Marcello, ideòque afflictis Orientalibus Ecclesijs nullum adversùs hæreticos auxilium ab illis exspectandum. Epist. 2.

Romana tamen Ecclesia omninò misit auxilium, & Legatos, de quibus jam mitior Basilius ad S. Athanasium. *Quæritur autem & hoc à nonnullis illic, ut & nobis ipsis videtur, necessariò ut Marcelli hæresin illi,* Epist 51.

cùm venerint, tamquam malam & nocivam, & à sana fide alienam exterminent. Quoniam ad hunc usque diem in omnibus, quas scribunt, literis pessimè quidem audientem Arium sursùm ac deorsùm versantes anathematizare atque ex Ecclesiis eliminare non cessant, Marcellum verò, qui ex diametro respondentem Ario impietatem attulit, atque contra eandem Unigeniti, Divinitatisq́ essentiam impiè egit, verbique appellationem malè usurpavit, ne semel quidem accusare videntur. Marcello impositam impietatem & Julius Pontifex, & Sardicensis Synodus, & omnis latina Ecclesia omninò semper non tantùm accusârunt, sed & damnârunt, at Marcellum ab illa credidère immunem: Hæc distinguere debuerat sanctus Basilius.

Et quidem Sardicense de Marcello judicium diu constanter defendit latina Ecclesia. Rationem dat, agens de Syrmiensi Synodo, Sulpitius Severus. *Nacti Ariani istiusmodi occasionem* seu relapsi seu detecti Marcelli, *conspirant penitùs Sardicensis Synodi decreta subvertere. Etenim eis color quidam suppetere videbatur, quod tam iniustè fuisset pro Athanasio iudicatum, quam Marcellus fuerat absolutus, qui nunc etiam Athanasii iudicio hæreticus esse probaretur.* Ex Synodi circa Marcellum errore ejusdem de Athanasio judicium sunt exufflare conati, nescientes, aut veriùs dissimulantes utile ab inutili non vitiari. Sciebat illud Romana Ecclesia, Athanasij tamen amore dudùm esse inconcussum voluit etiam de Marcello judicium, quousque Liberius Pontifex probavit, Macedonianorum professionem & fidem, ab Eustatio Sebastensi, Sylvano Tharsensi, & Theophilo Castabalorum Episcopo allatam, in qua anathema dicebatur etiam Marcellianis Eisdem anathema dixit, & contra eos hæc verba, *Cuius regni non erit finis*, Synodus Constantinopolitana inseruit suo Symbolo, per Damasum Pontificem, ac omnem sub cælo Ecclesiam probato. Marcelli damnationem etiam à Synodo Calchedonensi probatam, jam suprà est ostensum.

Socrat. l.4.c.11.

Hìnc quæritur, an ergò Julius Pontifex & Sardicensis Synodus circa Marcelli personam erràrint? Adfirmavit in octava Synodo Zacharias, Calchedonensium Metropolita Schismaticus: *Marcellum Ancyranum Iulius Romanus suscepit, & Sardicensis Synodus, trecentos Episcopos habens, iustificavit eum, sed usque in præsens ut hæreticus anathemati subiicitur.* Ostendere tentat etiam Nicolaum primum Pontificem circa Photij personam errare potuisse, atque errasse. Respondit verò Metrophanes, orthodoxus Metropolita Smyrnensis. *Quod dixisti, Multos, Romanorum Ecclesiâ iustificante, damnatos arbitramur, & rursùs damnante iustificatos, falsum est, & procul à veritate. Denique Marcellum quidem anathematizantem omnem hæresin, & eam maximè, quam habere dicebatur, iustè*

Act.6.

iuſtè ac regulariter Iulius Papa Romanus, & Sardicenſis Synodus recepit. Noviſſimè autem ad proprium vomitum reverſum, & deprehenſum hæreticum, hi, qui circum Sylvanum erant, anathematizarunt, quibus & Liberius per literas ſuas, qui poſt Iulium fuit, concordat, dicens: MARCELLVM DENVO IMPIE DOGMATIZANTEM. *Hoc autem non eſt reprobatio iudicij Iulij vel Sardicenſis Synodi, ob factam Marcello mentis mutationem.*

Adſtipulatur ſanctus Hilarius, Pictavienſis Epiſcopus, in fragmentis Synodorum, agens de Synodo Syrmienſi. *Fotinus hæreticus deprehenſus nec tum quidem per factionem populi potuit ex Epiſcopatu amoveri. Sed Athanaſius Marcellum, qui poſt recitationem libri, quem ſcriptum ediderat, ſententiâ Synodi Sardicenſis Epiſcopatui erat redditus, ubi quædam alia nova miſcere ſentit, & ambiguis prædicationibus eius, in quam Fotinus erupit, doctrinæ viam quærere, à ſua communione ſeparat: Anteriore tempore, quam Fotinus arguitur, præventam iudicio meditationem corruptæ voluntatis oſtendens, & non ex libri editione condemnans.* Et infrà. *Negatâ ſibi ab Athanaſio communione, ingreſſu ſeſe Eccleſiæ Marcellus abſtinuit.* De Fotino igitur, ejus olim Diacono & diſcipulo, jam palàm errante & ſeducente, agens cum Marcello Athanaſius advertit hominem à libri, per Sardicenſem Synodum abſoluti & probati, dogmatibus, datiſque tunc expoſitionibus recedere, miſcere nova quædam, & ambiguis locutionibus defendere diſcipuli errores: Hinc ejus communionem eſt averſatus.

Hoc ipſum tradit Sulpitius Severus, dicens Marcellum Synodi Sardicenſis tempore fuiſſe innoxium, meritòque abſolutum, & addens. *Interiecto deindè tempore Athanaſius, cùm Marcellum parùm ſanæ fidei eſſe penitùs comperiſſet, à communione ſuſpendit, habuitq; ille hanc verecundiam, ut tanti viri iudicio notatus ſpontè concederet.* Quocircà labitur Carolus Sigonius, dicens *huius rei Sulpitium eſſe ſolum auctorem.*

Obijcit nobis hæc verba ſancti Epiphanij. *Interrogavi ipſe aliquando beatum Papam Athanaſium de hoc Marcello, quomodò de ipſo ſentiret. Ille verò neque ipſum defendit, neque rursùm graviter adversùs ipſum invectus eſt, at ſolum riſu levi edito oſtendit ſtagitium non magnum ipſum eſſe, ſed habebat ipſum, velut qui ſe purgaſſet.* Favet ſanctus Hieronymus in Catalogo. *Feruntur contra Marcellum Aſterij & Apollinarij libri, Sabellianæ eum hæreſis arguentes: ſed & Hilarius in ſeptimo adversùs Arianos libro nominis eius quaſi hæretici meminit. Porrò ille ſe defendit non eſſe dogmatis, cuius accuſatur, ſed communione Iulij & Athanaſii, Romanæ & Alexandrinæ urbis Pontificum, ſe eſſe munitum.*

Reſpondeo hæc elucidari à ſancto Hilario in jam laudatis fragmentis. *Illud autem cunctis cognitum eſſe oportet, nullam umquam adver-*

sùs Marcellum præter eam, quæ Sardicensibus est dissoluta sententijs, deinceps Synodum fuisse contractam, neque Syrmij aliquod in eum expressum fuisse judicium. Damnatus istic fuit unà cum Photino & Athanasio, idque, quod Sulpitius Severus advertit, astuto consilio, ut Imperatores sententiam, de Photino & Marcello veram, crederent de Athanasio non aberrare. Et egregius fidei orthodoxæ defensor, Paulinus Treverensis Episcopus, oblato sibi decreto *ità subscripsisse traditur se in Photini & Marcelli damnationem præbere consensum, de Athanasio non probare.* Tunc enim Athanasius à Marcelli communione omninò se sejunxerat. Attamen sine novo examine & judicio fuit decretũ istud: Philippopolitani conventus in Marcellum sententia fuit dumtaxat confirmata, Romanaque Ecclesia ex omnibus actis Syrmiensibus probavit sola constituta in Fotinum. Hìnc igitur ab Epiphanio rogatus Athanasius noluit in Marcellum respondere duriùs: Hìnc ipse Marcellus, licèt ab Athanasio, Paulino, ac ipso Liberio Pontifice notatus, Julij Pontificis & Sardicensis Synodi decreto semper se defendit, quomodò ab Anastasio Pontifice percussus per Antecessoris Siricij literas sanare, aut sanum ostendere sese conatus est Ruffinus. Inflictum tamen à Liberio vulnus fuit omninò lethale: Exindè omnis Ecclesia pessimè de Marcello sensit, tamquàm qui Synodum Sardicensem & Julium Pontificem æquivocis aut palàm mendacibus professionibus circumscripsisset. Porrò laudata superiùs Liberij verba undè acceperit Metrophanes Smyrnensis Episcopus, ignoro: Perijsse debet ista Liberij Epistola; per Socratem adducta nihil habet ejusmodi. Forsàn fuere in Epistola ad Synodum Thyanensem, laudata à sancto Basilio in literis ad Occidentales, aut in Epistola ad sanctum Athanasium, cujus superstes fragmentum damnat Marcelli, non expresso nomine errorem, rogans cum subscriptione damnari etiam ab Athanasio, quem
Epist 74. utique Liberius norat jam communione à Marcello sejunctum.

In tali enim judicio innocuè falli posse Ecclesiam ostendit eleganter Facundus Episcopus Hermianensis. *Nam si legere dignentur* trium
L.7 c 3. Calchedonensium Capitulorum osores, *invenient etiam Timotheum, Apollinaris discipulum, à beato Athanasio per ignorantiam temporibus beati Damasi Sedi Apostolicæ velut orthodoxum commendatum, atque ab ipso Papa Damaso sine cohibentia hæresis simpliciter esse susceptum. Invenient etiam Pelagium Hæresiarcham, à quo Pelagiani dicuntur, in iudicio Palestinorum Episcoporum, quæ contra Christi gratiam sentiebat, operientem, pravasque sententias suas versutiâ interpretantem, per eandem ignorantiam absolutum. Invenient postremò beatum quoque Zozymum, Apostolicæ Sedis Antistitem, contra S. Innocentij decessoris sui sententiam, qui primus Pelagia-*

gianam hæresim condemnavit, fidem ipsius Pelagij, eiusque complicis Cælestij, quem in Ecclesia Carthaginensi convictum, atque appellantem Apostolicam Sedem, & ipse gestis discusserat, tamquam veram & catholicam laudantem, insuper etiam Africanos culpantem Episcopos, quod ab illis hæretici crederentur, cùm necdùm ipsi Africanis Episcopis dolos eorum multò manifestiùs detegentibus, memoratos Pelagium & Cælestium putaret orthodoxos. Et tamen nec Athanasium, nec Damasum, nec illos Palestinos Episcopos, & Zozymum hæreticos credit Ecclesia, quia de hæreticis benè senserunt, sed potiùs pro merito suæ fidei catholicos iudicat & honorat, quoniam non debet crimini deputari simplicium non intellecta versutia malignorum. Facundum labi credo de Timotheo: Non enim hunc, sed Vitalem, æquè Apollinarij discipulum, fuisse à Damaso circumscripto susceptum, liquet ex Gregorij Nazianzeni ad Cledonium, Hieronymi ad Damasum, Damasi ad Orientales Epistolâ, nec non ex quarto libro ipsius Facundi. Omninò culpandus est sanctus Basilius, hac de caussa Damasum Pontificem & omnem Occidentis Ecclesiam, quomodò Sardicensem Synodum & Julium Pontificem ob Marcellum, arguens de patrato facinore, stabilitâ hæresi, ignoratâ veritate. Non advertit hâc ipsâ fideliâ etiam Athanasium & amicum Nazianzenum insigniter denigrari. Malè Paulinum Antiochenum Episcopum, Marcello adhuc communicantem, arguit, quod ejus dogmatibus fidem habeat: Quis enim nesciat Paulinum, sancti Hieronymi Ordinatorem, fuisse plenè orthodoxum? Culpandus item, in libello de appellationibus Afrorum ad Romanam Ecclesiam, Marcus Anthonius Capellus, Zozimi Pontificis de Cælestio ad Africanam Ecclesiam literas, à Facundo laudatas, damnans suppositionis

Epist. 2.
Epist. 58.

Restat quæstio, an etiam de Marcelli libro errârint, aut errare potuerint Julius Pontifex, & Synodus Sardicensis? Constanter respondet sanctus Hilarius, in laudatis fragmentis, non errasse. *Docetur*, inquit, *etiam recitatione libri Marcellum innocentem deprehendi, falsitatem quoque iudicij Ariani*, Constantinopolitani per Sardicense cassati, *exstantis adhuc libri fides arguit. Nunquid propter libri vitium Marcellus ab Athanasio abstentus est?* An in librorum judicio circumveniri & falli possit Ecclesia, acriter est ventilatum ad tempora quintæ Synodi, ob Ibæ Edesseni Episcopi Epistolam, probatam à Synodo Calchedonensi: Errasse Synodum, ideòque expurgandam dixère quidam trium Capitulorum impugnatores. Ast librorum judicia ad dogmaticas definitiones pertinere, esse infallibilia & immobilia, sine Spiritus S. injuriâ retractari non posse, operosè & nervosè docuerunt Victor Tonno-

Epist. 74.

 nensis

nensis Episcopus, ac præsertim Facundus Hermianensis, suo loco, res enim longa est, discutiendi.

Alter Synodi & Canonum Sardicensium adversarius fuit Aurelius Carthaginensis Episcopus, nec non & omnis Africana Synodus, in qua & S. Augustinus, idque ob litem de Cleri Africani appellationibus ad Sedem Romanam. Ecclesiæ Africanæ Clerus inferior, ex immemoriali regionis consuetudine, Romam appellare non poterat, coactus Primatis Carthaginensis, aut ejus Synodi judicio acquiescere. Erat consuetudo rationabilis, utpotè quam etiam inferiori Siciliæ Clero imposuit Adrianus quartus Pontifex, à Guilielmo Rege coactus, liberrimèque confirmavit Innocentius tertius, nova concordata statuens Reginæ Constantiæ, ejusque filio Frederico secundo. Spretâ hâc consuetudine, Apiarius Siccensis Ecclesiæ in Mauritania Presbyter, ab Urbano Episcopo suo gravatus, Romam provocavit ad Zozymum Pontificem, qui appellationem suscepit, & reclamantibus Africanis Episcopis rationes facti sui dedit ex tertio, quarto, & quarto decimo Canonibus Sardicensibus, scribens esse Nicenos. Inchoavit, non finivit litem. Etenim ad Bonifacium primum Pontificem hæc Afri: *Quamvis plurimos codices legerimus, sed nunquam in Niceno Concilio in latinis codicibus legimus Canones, quemadmodùm inde, ex* urbe Romana, *in* Zozymi Pontificis *cõmonitorio directi sunt.* Et ad Pontificem Cælestinum: *Vt aliqui tamquam à tua Sanctitatis latere mittantur, nullâ invenimus Patrum Synodo constitutum.* Quarto Sardicensi Canone id lucidè statutum est, atque ità etiam lucet Africanis Episcopis hanc Synodum fuisse penitùs ignotam. Nescierunt ipsam à Conventiculo Philippopolitano distinguere, credidère Arianam, ut suprà audivimus à sanctis Alipio & Augustino. Faustinus, Potentinus Episcopus, & Romani Pontificis Legatus, Synodo sextæ Carthaginensi non tantùm *obstitit*, sed & *varias injurias irrogavit, quasi Romanæ Ecclesiæ asserens privilegia*, atque ex illis volens Apiarium recipi in gradum & communionem per Zozymum reddita: At persuadere nequijt missos Canones esse legitimos, longè minùs Nicenos. Lis dura & longa, mollita per Bonifacium secundum Pontificem, tandemque, quod suo dicendum loco, plenè exstincta per Gregorium magnum.

Duæ hìc sunt quæstiones. Prima est, quomodò Africani Episcopi ignorârint Synodum & Canones Sardicenses. Etenim Gratus Carthaginensis Episcopus, cum triginta quinque suæ Dioceseos Collegis, adfuerat Synodo, quosdam Canones poposcerat & impetrârat, omnes publicârat per Africã, ac in usum deduxerat, uti docet quintus Canon primæ Synodi Carthaginensis. Oblivio prætendi nequit ex lapsu temporis.

poris. Etenim Grato successit Restitutus, Restituto Genetlius, Genetlio Aurelius, vir insigniter eruditus. Respondeo & fateor hanc ignorantiam esse veraciter admirandam, tamen fuisse: Radicem ignoro. Etiam Nicenum Canonem, duos in eadem civitate Episcopos vetantem, ordinationis suæ tempore ignoravit Augustinus, atque etiam ejus Ordinator Megalius, Calamensis Episcopus, Numidiæ Primas: Eo namque opposito Augustini ordinationem penitùs impedire potuisset, sine infælici recursu ad poculi amatorij criminationem.

Altera quæstio est, quomodò Zozymus Pontifex Canones Sardicenses dixerit Nicenos. Marcus Ephesiorum Metropolita, in Synodo Florentina de sanctis Patribus per Græcos frequenter vitiatis conventus, dixit nihil id esse miri, cùm ipse latinorum supremus Pontifex Zozymus, & quidem ad Synodum scribens de re gravissima, adulterârit Canones, pro Nicenis supponens Sardicenses. Eum arguit imposturæ. Probat ex libro Canonum: utique ex Codice Canonum Ecclesiæ universæ, in quo nullus est Canon Sardicensis. Respondit verò frater Joannes de monte nigro, Fratrum Prædicatorum in Lombardia Prior Provincialis: *Nullum nobis fide dignum & classicum produxisti testem de Zozymo, quod ità corruperit Canones. Apud latinos nunquam invenietur facta à Zozymo Papa hæc depravatio.* Missos in Africam Canones ait veraciter fuisse Nicenos, utique ex illis octuaginta, quos à Marco Papa Athanasius postulavit, & Marcus Athanasio misit. Addenti, *Sed omittamus hoc, indiget enim disquisitione*, Ephesius acquievit: *Placet omitti, non est enim præsentis temporis hæc quæstio.* Nempè neuter vidit ejus fundum, neuter scivit illas Marci & Athanasij literas esse suppositicias Isidori merces, atque esse solos viginti Canones Nicenos. Seff. 20.

Dico ergò Zozymum Pontificem locutum fuisse ex phrasi consueta totius Ecclesiæ latinæ. Etenim etiam Innocentius primus Victricio Rothomagensi Episcopo, & sanctus Leo magnus Theodosio Augusto scribens, Sardicensem Canonem vocant Nicenum. Phraseos radicem in laudata Synodo adduxit ipse Marcus Ephesius, rogatus, cur Symbolum Constantinopolitanum & à latinis & à Græcis vocetur passim Nicenum, respondensque: *Quod hoc virtute illud contineat*, ac istud non sit, nisi hujus lucidior expressio. Etiam Niceni Canones virtute continent Sardicenses, & Sardicenses non sunt nisi Nicenorum elucidatio, facta ad destruendas novas strophas, atque in S. Petrum Apostolum & ejus Romanam Sedem injurias Eusebianorum. Quidquid Sardicæ expressum est de Romanis appellationibus, est antiquus Ecclesiæ Canon, perpetua consuetudo, Apostolica & Evangelica traditio, redacta à Synodo Nicena in paucas hasce & generales syllabas, *Suis privi-*

privilegia serventur Ecclesiis. Meritò ergò Sardicenses Canones semper diximus Nicenos.

Tertius Sardicensium Canonum hostis fuit impius Photius, Ecclesiæ Constantinopolitanæ invasor, auctorque horrendi schismatis, qui suum, à decimo Canone damnatum, ex laico Episcopatum purgare volens, Sedi Apostolicæ scripsit Sardicenses Canones non esse aut fuisse in usu Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Respondit verò Nicolaus

Epist. 11. primus Pontifex: *Quomodò penes vos non sunt Canones Sardicenses, quando inter quinquaginta titulos, quibus concordia Canonum apud vos texitur, ipsi quoque reperiuntur?* Quinquaginta tituli sunt Joannis Scholastici, Patriarchæ Constantinopolitani, in quinquaginta titulos divisa, & Sardicenses etiam continens, Canonum collectio, quâ Patriarchatus Constantinopolitanus fuit omninò semper usus. Et ipse Photius suo Nomo-Canoni inseruit etiam Canones Sardicenses. Eorumdem vigore, non tantùm S. Patriarcha Ignatius, sed & Photij intrusor, Gregorius Asbesta, Syracusæ Arch-Episcopus, nuper ad Apostolicam Sedem provocârant.

Quartus tandem & pessimus horum Canonum hostis fuit Auxilius, Clericus Francus, in opere de Ordinationibus Formosi Pontificis. Proscindit præsertim secundum, qui Episcopis certo modo translatis negat laicam communionem, id est, sacramentalem Reconciliationem, etiam in fine. Repugnare dicit decimo tertio & quinto decimo Nicenis, in quos nulla fuit Hosio potestas: Esse non Catholicum, sed Catharum seu Novatianensem. Fundare se possit in sancto Leone magno, à quo suprà audivimus Nicenos Canones esse Spiritu Dei conditos & totius mundi reverentiâ consecratos, esse in finem usque mundi mansuras regulas, in quas nihil possit ulla alia Synodus, sive minor sive major. Ex eodem principio Marcus Ephesius in Florentina

Sess 5. Synodo dixit Ephesinum Canonem, vetantem Symboli additamentum, à nulla posteriori Synodo potuisse solvi.

Sess. 7. Rectè verò respondit Cardinalis Julianus. *Non credimus hoc vobis non convenire nobiscum, quasi Patres illi secundæ, tertiæ Synodi, quartæ, quintæ, sextæ, & septimæ, si voluissent addere ad Symbolum vocem illam,* DEIPARA, *minimè potuissent. Alioquin si Calchedonensis Synodus posuisset in Symbolo vocem illam,* DEIPARA, *subiectane esset & illa anathemati? Respondeat Dominus Ephesius, dicat unum verbum, aut affirmet aut neget.* At obmutuit non Ephesius tantùm, sed & ipse Bessarion Metropolita Nicenus, aliud nescientes affirmare, quàm esse dubium problema. Cardinalem Julianum largiùs exposuit Andræas, Rhodiorum Metropolita latinus, dicens Ecclesiam non ex Angelis, sed constare ex

mu-

mutabilibus & futuros rerum successus varios nescientibus hominibus, ideòque opus esse, ut usque ad sæculi consummationem sit eadem illi semper auctoritas, quâ priores Canones possit mutare & auferre per posteriores, prout suaserint temporum rationes. Absit, ut S. Leo magnus huic doctrinæ adversetur: Dumtaxat vult approbatos à Sede Apostolica Canones Nicenos per nullam sine ejusdem Sedis adsensu Synodum posse alterari: *Canon quippè Ecclesiasticus vetat, ne decreta absque sententia Romani Episcopi Ecclesiis sanciantur.* At verò in Sardicensi Synodo Hosius Romanæ Sedis mandatum habuit, ac ejus acta omnia Julius Pontifex rata duxit & firmavit. Et quòd tertius decimus Nicenus Canon nulli unquam pænitenti in fine negari communionem absolutionis permittat, est penitùs falsum. Quis nesciat ab illo non admissum secundam publicam pænitentiam, longèque minùs secundam Reconciliationem? Quod eadem gravissimis quibusdam, licet primis, lapsibus negari possit, liquet ex sancto Athanasio, ad Solitarios scribente Leontium Antiochenum Episcopum, ob nota flagitia & facinora, nec ad laicam communionem oportuisse admissum. Hujus tamen nostri Canonis rigorem non legi usquam usu receptum. Socrat. l. 2. c. 13.

Hisce ergò contradictionibus non obstantibus, plenam ubique dignitatem obtinuit tandem Synodus Sardicensis. Etenim non tantùm Julius Pontifex per occidentales & septemtrionales, sed & sanctus Athanasius per Ægypti Provincias illam solemniter publicavit, de quo Hermias Zozomenus. *Athanasius concessit Alexandriam, conciliumque Episcoporum Ægypti cogendum curavit, quo decreta tum Sardicæ de ipso, tum in Palestina sancita, suffragijs suis quoque confirmarent.* Palestinæ sancita sunt ejusdem Synodi publicatio facta synodaliter per Maximum Episcopum Hierosolymitanum. Hujus publicationis caussa, motas Athanasio novas calamitates per Constantium Augustum, Socrates testatur. Nihilominùs ipsi Eusebiani ex Synodo Ancyrana ad eundem Principem legavêre Basilium Ancyranum Episcopum, Eustatium Sebastensem, Leontium Cyzicenum, & Leontium Presbyterum Thalamepolitanum, supplicantes recipi & servari Synodum Sardicensem. Ejusdem auctoritate usa est prima generalis Synodus Constantinopolitana, ad Damasum Pontificem scribens, esse veterem Ecclesiæ legem, & sanctorum Patrum in Nicena Synodo decisionem, ut singularum Provinciarum Antistites unà cum finitimis, modò ipsis ità visum fuerit, Episcopis ordinent Collegas in suis ipsorum Provincijs. Quod Provincia, sufficientes ad ordinationem celebrandam Episcopos non habens possit ex vicina Provincia evocare subsidium, nequaquam in Nicena Synodo statutum est, sed in sola Sardicensi. L. 4. c. 1. L. 2 c. 22. Zozomen. l. 4. c. 12. 13

Proindè Patres Constantinopolitani ex quarto Niceno & sexto Sardicensi conflant mixtum Canonem, atque ità more latino Sardicensem vocant Nicenum. Universa item Orientalis Ecclesia, apud Calchedonem adunata, licet ejus Canones necdùm inscripsisset suo Codici, in Relatione tamen ad Marcianum Augustum insigni elogio prædicavit & pro authentica agnovit Synodum Sardicensem.

Joannes tandem Scholasticus, favore Justiniani Principis in sancti Eutychij dejecti locum Patriarcha Constantinopolitanus, collegit & toti suo Patriarchatui servandum præscripsit novum Codicem Canonum, digestum in quinquaginta titulos, laudatumque à Nicolao primo Pontifice, atque illi omninò inscripsit Canones Sardicenses. Quæ post ipsius editionem prima conscripsit Canones, Trullana Synodus, confirmavit & ad omnem Orientem extendit, disertè exprimens etiam Canones Sardicenses. Idem facit antiquus incogniti Græci liber synodicus apud Christophorum Justellum. Idem in octava Synodo Zacharias Calchedonensis Metropolita Photianus, ipse Photius in Nomo Canone, & Marcus Ephesius in Synodo Florentina. Idem celeberrimi Canonum Collectores Græci, Arsenius Monachus, Alexius Aristinus, & Symeon Logotheta. Licet dumtaxat ut Occidentis Patriarchalem videantur agnoscere, certum est fuisse æcumenicam, uti liquet ex sancto Athanasio, nostrisque suprà dictis ad Synodum Nicenam. Quia tamen eadem cum Niceha censetur, non auget numerum œcumenicarum.

CANONES

CONCILII CONSTANTINOPOLITANI.

CANON PRIMVS.

NOn spernendam esse fidem Patrum trecentorum decem & octo, qui in Nicæa Bithyniæ convenerunt, sed manere eam ratam oportet, & anathematizari omnem hæresim, specialiter autem Eunomianorum, sive Anomæorum, & Arianorum, sive Eudoxianorum, & Semiarianorum, sive

ve Pneumatomachorum (id est, qui contra Spiritum sanctum pugnant) & Sabellianorum, & Macedonianorum, & Photinianorum, & Apollinaristarum.

SCOLION.

Niceno Symbolo non acquiescentes Eusebiani condidere novem successivè disparata, immò & contraria, adeò ut eorum unus Sophronius, Pompeiopolitanus in Paphlagonia Episcopus exclamârit in Synodo Seleuciensi: *Si nova in dies singulos nostræ ipsorum voluntatis & sententiæ prolatio sit formula fidei, fieri non potest, quin accuratam veritatis susceptionem simus brevi prorsus amissuri.*

Addit Socrates recipi oportuisse Nicenum Symbolum etiam à Sophronio, atque ità futuros in Ecclesia non fuisse tot motus temerarios, inconsultos, seditiosos, turbulentos. Hìnc consilio hæc, in qua Eusebiani plures, Synodus tandem acquiescit ob metum Damasi Pontificis & Theodosij Augusti. L.2.c.32.

Eunomiani, Anomæi, Eudoxiani, Ariani sunt ijdem, orti ab Ætio Ecclesiæ Antiochenæ Diacono, reducente purum putum Arianismum, de quo semper erubuerant Eusebiani. Huic meritò dicti Ariani. Dicti & Eudoxiani ab Eudoxio, primum Germaniciensi in Provincia Eufratesia, dein Antiocheno, ac tandem Constantinopolitano Episcopo: Attamen minùs famoso apud latinos, adeò ut S. Gregorius ad Eulogium Alexandrinum & Anastasium Episcopum Antiochenum scribat ignotum sibi esse Eudoxium, in synodicis ac Enthronisticis Patriarcharum ad Sedem Apostolicam literis non consuetum anathematizari, à nulla Synodo damnatum, atque addit. *Canones quidem Constantinopolitani Concilij Eudoxianos damnant, sed quis fuerit eorum auctor Eudoxius, minimè dicunt. De Eudoxianis Romana Ecclesia nihil hactenùs novit.* Ait Eudoxij non Augustinum, non Philastrium Brixiensem Episcopum, non alium hæreseon enumeratorem, sed solùm meminisse Zozomenum Græcum, mentitum varia, ac ob nimias Theodori, Mopsuestiensis in secunda Cilicia Episcopi, à quinta Synodo nuper damnati, laudes à Romana Ecclesia non receptum. Toti notissimus orbi fuit ob facinora Eudoxius, verùm ex Constantij Augusti metu, uti scribit Theodoretus, linguam frænans, per Eunomij Cyziceni Episcopi dialecticas argutias & linguam versatilem propugnavit pestem, atque ità illa non Eudoxiana dicta est, sed Eunomiana. Anomæa item atque Exoucontia. Caussam dat Zozomenus: *Quod Filium Patri dissimilem & ex nihilo ortum statuat.* L. 6. Epist.31. L.2.c.27. L.4 c.2.

L. 11. c. 6. Porrò de Zozomeno adversùs sanctum Gregorium hæc Melchior Canus in opere de locis. *Zozomeni mendacia non excuso; Græcus namque fuit, & natio hæc fuit semper ad mentiendum promptula. Atqui in novem Ecclesiasticæ historiæ libris nihil tale Zozomenus scribit, quale secundo loco de Theodori laudibus illi objicit Gregorius. Non video, quomodò responderi possit, nisi dicamus aut Gregorium alios libros Zozomeni legisse, qui in manus nostras non venerunt, aut memoriâ lapsum pro Theodoreto Zozomenum scripsisse. Nam Theodoreti verba illa sunt, quæ Gregorius retulit.* Theodoretus nimiis Theodori laudibus clausit historiam suam, Zozomenus de illo nihil habet, nisi quod fuerit Libanij sophistæ auditor. Et in Florentina Synodo Andræas, Rhodiorum Metropolita latinus, adversùm Græcos ejus auctoritate, tamquam veraci & firmâ, fuit usus. Respondet verò in notis ad Romanum Martyrologium D. Cardinalis Baronius. *Non advertit Canus nos non habere integram historiam Zozomeni, & complures eius libros excidisse.* Rectè ostendit excidisse res octodecim annorum, & addit. *Quibus præsertim temporibus, exurgente hæresi Nestorianâ, quæ ab eodem Theodoro ducit originem, de eodem Theodoro prolixior erat absque dubio narratio.*

Die 23. Decemb.

Ego tamen inclinor in partes Melchioris Cani. Etenim Theodorus Mopsuestiensis fuit Nestorij magister, in Ecclesiæ pace defunctus ante ejus prædicationem, adeòque res illius nequaquam Nestorianis miscendæ, sed à Zozomeno fuerant referendæ suis temporibus, ante Agricolæ & Eustatij Consulatum, Christi annum quadringentesimum vigesimum primum, in quo finit hodie Zozomenus. Existimo igitur à sancto Gregorio Zozomenum positum pro Theodoreto. Addo tamen, quod olim Francis, rogantibus, cur Synodus Constantinopolitana Symbolo non addidisset, *Filioque*, respondit Leo tertius Pontifex: *De tantis Patribus non iudicemus.*

Pro, *Macedonianorum*, textus Græcus habet *Marcellianorum*. Et rectè. Macedoniani enim sunt suprà expressi Pneumatomachi, nomen habentes à Macedonio Constantinopolitano Episcopo, de Deo Filio cum Ecclesia Catholica, de Spiritusancto cum Ario sentientes, ideòque Semi-Ariani. Pergit sanctus Gregorius in jam dicta Epistola: *Romana Ecclesia reliquas hæreses, quæ illis memoratæ sunt, ab alijs iam Patribus damnatas reprobat.* Ex quo non vanè colligitur etiam Damasus Pontifex Marcelli Ancyrani damnationem admisisse.

CANON

CANON II.

EPiscopi, qui extra Diœcesim sunt, ad Ecclesias, quæ extra terminos eorum sunt, non accedant, neq; confundant & permisceant Ecclesias: sed secundùm regulas constitutas, Alexandriæ quidem Episcopus ea, quæ sunt in Ægypto tantùm gubernet; Orientis autem Episcopi, solius Orientis curam gerant, servatis honoribus primatus Ecclesiæ Antiochenæ, qui in regulis Nicænæ Synodi continentur. Sed & Asianæ Diocesis Episcopi ea, quæ sunt in Asia, & quæ ad Asianam tantummodò Diocesim pertinent, gubernent: Ponti autem Episcopi, Ponticæ tantùm Diocesis habeant curam: Thraciæ verò, ipsius tantummodò Thraciæ.

Non invitati Episcopi ultra Diocesim accedere non debent super ordinandis aliquibus, vel quibuscumque disponendis Ecclesiasticis caussis, servatâ regulâ, quæ suprà scripta est de unaquaque Diocesi Manifestum namque est, quod per singulas quasque Provincias Synodus provincialis administrare & gubernare omnia debeat, secundùm ea, quæ sunt in Nicæa definita.

Ecclesias autem Dei, quæ sunt in barbaricis gentibus constitutæ, regere atque administrare oportet secundùm consuetudinem, quæ à Patribus obtinuiße dignoscitur.

SCOLION.

AD hunc Canonem ità Socrates. *Dispartitis Provincijs, Patriarchas constituunt, deciduntq;, ut nullus Episcopus, relictâ suâ Diocesi, ad Ecclesias exteras demigraret: Nam anteà propter persecutionum tempestates illud facere cuique liberum erat. Nectario igitur ampla illa civitas Constantinopolis, & tota Thracia sorte obvênit. Ponticæ autem Dioceseos Patriarchatus Helladio, Cæsarea Cappadociæ post Basilium Episcopo, Gregorio Nyssæ,* L. 5. c. 8.

hæc

hæc est urbs etiam Cappadociæ, fratri Basilij, & Otreio Melitinæ, quæ est in Armenia, contigit. Patriarchatum item Asiaticum Amphilochius Iconij Episcopus, & Optimus Antiochiæ Pisidiæ, sortitò capiunt. Ægypti Diœcesis Timotheo Alexandriæ Episcopo tribuitur. Ecclesiarum denique versùs Orientem Diœcesim ijdem Episcopi, qui anteà, Pelagius scilicet Episcopus Laodicææ, & Diodorus Tharsi obtinent: Honoris prærogativa Ecclesiæ Antiochenæ servata, quam Meletio tum præsenti tribuerunt.

Fœdè hallucinatur, ac miscet vera falsis. Primò, falsum est, quod Canon dispartitis Provincijs instituat Patriarchas. Etenim de tribus legitimis Patriarchis, Romano, Alexandrino, & Antiocheno, eorumque juribus agens sextus Canon Nicenus dicit: *Servetur antiqua consuetudo.* Utique Apostolica: Dictos namque Patriarchatus esse sancti Petri Apostoli opus scribit Gregorius magnus ad Eulogium Patriar-
L. 6. Epist.37. cham Alexandrinum.

Secundò falsum est, quod Episcoporum ad alienas Ecclesias demigratio, seu alienarum Ecclesiarum quoad judicia, Ordinationes, aut quamvis administrationem invasio sit interdicta ad excludendum vetustum morem, toleratum olim caussa gentilium persecutionum. Gentilium persecutiones jam dudùm exstinctæ erant, & ex earum necessitate toleratum morem jam pridem excluserat Nicena Synodus per quartum & sextum Canonem, confirmatum atque innovatum à tertio Sardicensi. Rectiùs Hermias Zozomenus dicit hìc aliud non fieri, quàm innovari ex caussis statim dicendis Canones Nicenos.

Tertiò, falsum est, quod Ponticæ Diœceseos Primatus detur Episcopis Cæsareensi, Nysseno, ac Melitinensi. Nyssenus enim non est, nisi Provincialis Episcopus: Et quomodò idem Primatus ex æquo in tres dividatur? Falsum, quod Asiatica Diœcesis ad Ephesium privativè spectans Iconiensi & Antiocheno in Pisidia, aut quod Antiochenus Patriarchatus detur Laodicensi aut Tharsensi. Quomodò illis detur salvâ dignitate Ecclesiæ Antiochenæ? Invicem sese hæc perimunt. Non item Thracica Diœcesis datur Constantinopolitano. Nimiùm deviant hæc omnia.

Erroris caussa est, quod in unum confundantur duo longè disparatissima, præsens nempè Canon, & Theodosij Augusti lex ad Auxonium Asiæ Proconsulem de restituendis Basilicis, exstans integra in Codice Theodosiano, eleganti que compendio relata à Facundo Her-
L.4.c.2. mianensi Episcopo, & Hermia Zozomeno. *Legem Imperator addidit,*
L.7.c.9. *ut rata haberetur fides Concilij Niceni, utque Ecclesiæ illis committerentur, qui in subsistentijs trium personarum unam & eandem confiterentur Divinitatem. Hos porrò esse, qui congruerent in fide cum Nectario Constantinopoli,*

in Ægypto cum Timotheo Alexandriæ Episcopo, in Orientalibus Ecclesiis cum Diodoro Tharsensi & Pelagio Laodicensi in Syria Episcopo, apud Asianos cum Amphilochio Iconiensis Ecclesiæ Præsule, in civitatibus verò Ponti à Bythinia usque ad Armeniam cum Helladio Cæsareensis in Cappadocia Ecclesiæ Episcopo, & Otreio Melitinæ Episcopo, in Thraciæ autem, Scythiæq; urbibus cum Terentio Tomorum & Martyrio Marcianopolis Episcopo. Hos enim & Imperator quoque visos, & coram allocutus approbavit, de quibus & integra constabat fama, quod suis Ecclesiis religiose praeessent.

Legem exponit jam dictus Facundus. *Religiosus Princeps hoc certum esse iudicium statuit, ut si quis iam laudatis Episcopis non communicaret, hæreticus haberetur*, & tamquam convictus hæreticus, quoad omnes pœnas, ab Ecclesiarum & Provinciarum Rectoribus tractaretur. Singulis Orientalis Ecclesiæ Diocesibus confirmat suas orthodoxæ communionis radices. Laicâ potestate dare Princeps non poterat, à Synodo datas solummodò confirmat, uti liquet ex literis S. Gregorij Episcopi Nysseni ad Flavianum Antiochenum.

Prima, ac per omnem Ecclesiam universalissima communionis radix, seu, ut S. Hieronymus loquitur, *tutissimus communionis portus*, est Sedes Apostolica seu Romanus Episcopus, de quo Regula antiqua: *Qui Romanæ Ecclesiæ non communicat, catholicus non habeatur.* Donatistas non esse catholicos convincit Optatus Milevitanus Episcopus, quod Romæ non communicarent Sanctorum memorijs: *Solet enim*, ut in octava Synodo dixêre Amplissimi Magistratus, *Romana Ecclesia ab omnibus advenis professionem fidei exigere, ac tum demum ad S. Petri ædem*, in qua etiam hodie ejus memoriæ à fidelibus communicatur solenni submissionis signo, *admittere.* Undè & per miras artes hæretici omnes Romani Episcopi communionem sunt sibi conati suffurari. Epist. 16. c. 2.

Radix generalis habet sibi longè plurimas subordinatas: Omnem præsertim Patriarcham, Primatem, Metropolitam, Episcopum per suam Diocesim, Provinciam, Parochiam. Per eos, ut legitimum medium, quisque eorum subditus debet Romano Episcopo, & omni sub cælo Ecclesiæ sociari, sibique in Sanctorum communione congruum locum sortiri. Ità Damasus Pontifex communionis radicem Diocesi Antiochenæ dans Paulinum Episcopum, omnes istic orthodoxos vult ipsi, id est, sibi per ipsum adunari. Et in Romana per octavam generalem probatâ Synodo Adrianus secundus graviter arguit Photium, quod adhuc laicus à sancti Ignatij Patriarchæ Constantinopolitani communione sese separârit, *ac per hoc ab universali Ecclesia, quæ ipsi beatissimo Patriarchæ communicabat, se reddiderit penitus exortem, atque inter schismaticos procul dubio constituerit.* Act. 7.

Verùm

Verùm enim verò in particularibus Ecclesijs quandoque est schisma, cujus singulæ partes Romanæ Ecclesiæ communionem jactant, adeòque clamare tunc cogitur homo veraciter Christianus, quod in
Epist. 58. 57. Antiochenæ Ecclesiæ schismate Eustatiano sanctus Hieronymus ad Damasum Papam. *Hinc præsidijs fulta mundi Ariana rabies fremit, hinc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat. Ego interim clamito, Si quis Cathedræ Petri iungitur, meus est. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere se dicunt. Possem credere, si unus hoc assereret: Nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Idcircò obtestor Beatitudinem tuam, ut mihi literis tuis, apud quem in Syria debeam communicare, significes.* Vitalis erat Apollinaristicæ, Meletius Campensis, Paulinus Eustarianæ partis Episcopus, singuli de Romana fide & communione gloriantes: Nuper enim ab Athanasio & Gregorio Nazianzeno circumscriptis commendatus Vitalis obrepserat in Damasi communionem. Quoniam in invicem pugnabant, rectè dicit Hieronymus aut duos mentiri aut omnes. Hinc in ipsa Antiochena Diocesi positus nulli communicabat Antiocheno Episcopo, sed Episcopis Ægyptijs, *quasi parva navicula de-*
Epist. 57. *litescens sub navibus onerarijs*. Homo enim germanè orthodoxus, dum non potest per proprium, semper velit per alienum Episcopum, aut etiam per probatos monachos uniri Sedi Apostolicæ, unico canali, per quem Dominus Jesus Spiritum suum sanctum in nos traducit. Quia autem proprio Episcopo non communicare est res periculis obnoxia, inquirit sedulò Hieronymus, cui è dictis tribus adfigere possit suam animam, idque à Romano Episcopo, cujus est de subordinatis communionis radicibus judicare.

Harum dubietas hujus Synodi temporibus erat non tantummodò in Antiochena, sed in omni fermè Ecclesia Orientali. Grassabantur istic Eunomiani, Eusebiani, Macedoniani, Photiniani, Apollinaristæ, ipsique orthodoxi in seipsos frustatim discissi. Lucium Alexandrinum Episcopum & Eudoxium Constantinopolitanum Valens Augustus radices scripserat, Damasum Pontificem & Petrum Alexandrinum Episcopum Theodosius, solum Damasum Gratianus, ei non communicantem Episcopum mandans proscribi tamquam hæreticum, & excludi de Basilicis orthodoxo tradendis. Verùm, ut rectè sanctus
Epist. 57. Hieronymus, tantis spacijs divisi fideles nequeunt ab uno Romano Episcopo Sanctum Domini petere, ideòque imperfectum supplevit hæc nostra Synodus, singulis regionibus dans suas radices, earum in fide orthodoxa præstantiores Episcopos, Theodosio Augusto notos & probatos,

Patriarchatui Alexandrino Timotheum Alexandrinum, Antio-

cheno

cheno Pelagium Laodicensem & Diodorum Tharsensem, Dioecesi Asiaticæ Amphilochium Iconiensem & Optimum Antiochenum Pisidiæ, Ponticæ Helladium Cæsareensem, Gregorium Nyssenum, & Otreium Melitinensem, Thraciæ Terentium Tomitanum & Martyrium Marcianopolitanum, civitati Constantinopolitanæ Nectarium ejus Episcopum. Exindè harum Ecclesiarum laicis, Clericis, Episcopis non sufficit soli suo Episcopo, Metropolitæ, aut etiam Primati communicare, nisi communicarent & alicui ex jam dictis. Et quidem Ephesino & Heracleensi Primatibus, nec non Patriarchæ Antiocheno fuit ablata radicis dignitas: fuit suspensio à nobili parte Patriarchicæ & Primatialis Majestatis. Rectè addit Socrates: *Honoris prærogativa Ecclesiæ Antiochenæ servata.* Hæc namque suspensio solos reos aut suspectos Episcopos punijt, sedium privilegia non castravit.

Hocce decretum respicit Synodus Aquileiensis in literis ad Gratianum, Valentinianum, & Theodosium Augustos. *In Orientalibus partibus cognovimus quidem, summo gaudio atque lætitiâ, ejectis Arianis, qui Ecclesias violenter invaserant, sacra Dei templa per solos catholicos Sacerdotes frequentari; sed tamen inter ipsos catholicos audivimus crebras dissensiones, impacatamq; discordiam.* Queritur Timotheum Alexandrinum, & Paulinum Antiochenum, antiquos suæ communionis socios, gravari, vexari, & quæri, *quibus sit impartienda communio, quibus obseranda.* Romana, omnis Occidentalis, atque Ægyptiaca Paulino Antiocheno, & quidem ut communionis radici, reliqua Orientalis Ecclesia semper communicârat Meletio, aut ejus successori Flaviano, atque ità hæc ex solis Orientalibus Episcopis adunata Synodus, nolens offendere Romanam sedem, radicis dignitatem cavit dare Flaviano, nec tamen voluit dare Paulino. Etiam Timotheo Alexandrino data debita dignitas passa est nescio quos obices. Hæc improbat Aquileiensis Synodus, rogatque per Principes emendari. Ob has, aliasque caussas solùm hujus Synodi Symbolum admisit Ecclesia Romana. Et hæc quidem de lege Theodosiana.

Porrò prima Canonis pars, Nicenam Synodum imitata, supra Romanam Ecclesiam, cui à Domino concessa omnia, nihil audet constituere, tangit solos Patriarcham Alexandrinum, & Antiochenum, tresque Primates Autocephalos, jubens contentos esse suis Dioeceseos & potestatis limitibus juxta sextum Canonem Nicenum. Per hosce namque dies S. Basilius, Ponticæ Dioeceseos Primas, S. Gregorium Nazianzenum, uti in hujus vita scribit Gregorius Presbyter, Constantinopolitanis, ad Thraciæ Dioeceseos Europam Provinciam spectantibus, Episcopum, aut certè Doctorem dederat; Petrus autem

 Alexan-

Alexandrinus Patriarcha, S. Athanasij successor, ei confirmârat *eiusdem Ecclesiæ Præfecturam*. Et mutatâ postmodùm mente, Maximum Cynicum per suos Episcopos curavit superordinari. Hanc præsertim usurpationem, temerariam, scandalosam, seditiosam, Canon compescit.

Deindè, trium Dioceseon, Asiaticæ, Ponticæ, & Thracicæ, Primates confirmat in suo antiquo Exarchatu & Autocephaliâ. Errant, qui illos Romani Pontificis juri Patriarchico olim paruisse existimant, primùmque hoc Canone exemptos, ut eis invadendis pararetur via Episcopo Constantinopolitano. Aliud demonstrat silentium Romanæ Ecclesiæ de hac in se injuria: Certè non minùs pro hisce Diocesibus, quam postmodùm pro Illyrico & Bulgaria, pugnasset. Quis nesciat labores, quibus eas, à Synodo Calchedonensi in Episcopum Constantinopolitanum transcribi cæptas, sibi ipsis restituere conatus est S. Leo magnus? Quod sanctus Basilius per omnem Ponticam Diocesim exercuerit Primatiale jus, & quidem Autocephalum, lucidissimè dicunt plures ejus Epistolæ: Idem ante Nicenam Synodum fecisse ejus Antecessores, docent in Bibliotheca sanctorum Patrûm S. Nicon, & S. Firmilianus in literis ad S. Cyprianum. Eodem jure Asiaticam Diocesim à Polycrate Ephesiorum Episcopo administratam quis non videat? Erat successor S. Joannis Apostoli, de quo S. Hieronymus in catalogo virorum illustrium: *Totas Asiæ fundavit, rexitque Ecclesias*. Quod & de Thracica Diocesi, ejusque Primate Heracleensi Episcopo possit facilè ostendi, dictumque aliquid est suprà ad sextum Canonem Nicenum.

Altera Canonis pars idem statuit, quod prima pars tertij Sardicensis. Horrendè grassabatur alienarum præsertim Ordinationum invasio. Etenim ut Eusebij Vercellensis Episcopi, Luciferi Calaritani & Eusebij Samosatensis pios labores taceam, Apollinarius, Laodicensis Hæ-
L.4. c.2. resiarcha, uti scribit Facundus Hermianensis Episcopus ex S. Petro Alexandrino, in Patriarchalem Antiochenam Cathedram intruserat suum discipulum Vitalem, ei soli ab omnibus communicari mandans, Paulinum autem verum istic Episcopum anathematizari. Ab eadem factione intrusos Episcopos in varias Cappadocum Ecclesias, testatur Gregorius Presbyter in vita sancti Gregorij Nazianzeni. Etiam Macedonius atque Eudoxius, Constantinopolitani Pseudo-Episcopi, ità fuerant in jura aliena grassati. Etiam Synodus Seleuciensis, ejecto Eudoxio, Antiochenis dederat Anianum Episcopum, quomodò olim Antiochena Alexandrinis Gregorium, de quo Julij Pontificis querelas quis ignorat? Digerere nequibant Orientales, quod Meletio

Antiocheno, licet per Acacianos promoto, jam tamen fidem orthodoxam profitenti, ejusque ob caussam plurima passo, Lucifer Calaritanus, idque sine auctoritate Sedis Apostolicæ, Paulinum superordinasset. Hæc ergò omnia, ne fiant deinceps, Canon compescit.

Ejus tertia pars Ecclesijs barbaricis, quoad judicia & Ordinationes, confirmat vetustas suas consuetudines. Ecclesiæ verò Barbaricæ sunt Ecclesiæ constitutæ in Barbarico, id est, extra Romani imperij fines in solo Barbarorum. Romanus enim orbis, Romania; quidquid extra illum, barbaricum seu barbaria ôlim dicebatur. Hìnc in literis ad Solitarios scribit S. Athanasius *Romam esse Metropolim*, adeòque & Romanum Episcopum Metropolitam *Romaniæ*, id est, Episcopum Episcoporum, & omnium in Romano imperio existentium Patriarcharum Patriarcham. Etiam in Barbarico fuisse Ecclesias antiquissimas, testantur in libro contra Judæos Tertullianus, in dialogo cum Tryphone Justinus Martyr, & S. Joannis Apostoli Epistola ad Parthos. Deerat istic Romanæ Reipublicæ forma, ad quam Ecclesiæ Hierarchia conquadraretur, verèque in historiæ suæ proëmio scribit Guilielmus Neubrigensis. *Barbaræ Nationes, etiam olim ad fidem conversæ, contentæ Episcopis de Pallij Prærogativa non curabant. Denique Hibernenses, Norici, Dani, Gothi, cùm olim Christiani fuisse, & Episcopos habuisse noscantur, nostris temporibus Archi-Episcopos habere cæperunt.* Archi-Episcopos, at sine Pallij insignibus, habuisse Hibernenses, adfirmat sanctus Bernardus in vita S. Malachiæ, Episcopi Dunensis. Quidquid sit, Barbaricæ Ecclesiæ habuêre Hierarchiam à Romanis diversam, & hanc Synodus sancit manu-teneri.

C 7.
F. 88.

CANON III.

Constantinopolitanæ civitatis Episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum Episcopum, propterea quod sit nova Roma.

SCOLION.

Byzantium, Europæ, quæ Dioceseos Thracicæ est sexta & novissima Provincia, sub Heraclea Metropoli civitatem, à Constantino magno mutatum in Constantinopolim, Sextus Rufus vocat *secundas Romani imperij arces*. Addit Hermias Zozomenus: *Quam urbem Constantinus æquales partes cum urbe Roma in regendo, administrandoque imperio obtinere voluit.* Et Socrates: *Lege sancivit, ut secunda Roma* C. 4. L. 2. c. 2.

vocaretur. Ad instar Romæ divisa fuit in quatuordecim regiones, aureum milliarium pro umbilico habuit, capitolium, pontem sublicium, obeliscum, theatra, circum maximum, horrea, amphitheatra, pistrina, thermas, columnas concavas, duas basilicas, porticus, omnia veteris Romæ insignia, nec non & urbis Præfectum ornatum Romanâ in civiles & criminales caussas potestate. Hinc ejus etiam Episcopus statim cœpit cristas erigere. Etenim non tantùm Eusebius Nicomediensis Episcopus eximiam Bithyniæ Metropolim, atque Eudoxius Germaniciensis Antiochénum Patriarchatum Cathedræ huic posthabuit, sed & Alexander, Alexandrinus Patriarcha, Arij Presbyteri sui novas prædicationes & varias insolentias, non Primati Heracleensi, sed Alexandro Constantinopolitano Episcopo singulariter retulit, tamquam cæteris per Orientem Episcopis eminentiori. Hinc ergò tandem hæc Synodus dedit illi secundum dignitatis in Ecclesia locum, Alexandrino in tertium, Antiocheno in quartum detruso, contra Apostolicam institutionem, & sextum Canonem Nicenum. Rectè de Græcis Græcus Anastasius Bibliothecarius in præfatione Synodi octavæ. *Familiaris est illis ista præsumptio, & singularis quodammodò ambitionis indicium: Siquidem in secunda Synodo, contra statuta magna Nicenæ Synodi & Sanctorum decreta Præsulum Romanorum, Alexandrina privilegia Sedis Constantinopolitano contulère Pontifici.* Et hæc sunt prima & adhuc rudia lineamenta Patriarchatus Constantinopolitani.

Act. 16. Hic est Canon, de quo ad Synodum Calchedonensem dixit Lucentius, Esculanus Episcopus, & Sedis Apostolicæ Legatus: *In Synodicis Canonibus non habetur.* Et sanctus Leo Pontifex in literis ad A-

Epist. 53. c. 5. natolium Episcopum Constantinopolitanum. *Persuasioni tuæ in nullo penitùs suffragatur quorumdam Episcoporum ante sexaginta, ut iactas, annos facta subscriptio, numquamque à Prædecessoribus tuis ad Apostolicæ Sedis transmissa notitiam, cui ab initio sui caduca, dudumq́ue collapsa, sera nunc & inutilia subijcere fomenta voluisti.* Et in literis ad Pulcheriam Augu-

Epist. 55. stam. *Superbum nimis est & immoderatum, ut venerabilium Patrum Nicenorum decreta solvantur, quorumdam Episcoporum proferre consensum, cui tot annorum series negavit effectum. Nam sexagesimus ferè annus huius iactantiæ esse iactatur.* Ex quibus liquet hunc Canonem à Damaso Pontifice non tantummodò non fuisse confirmatum, sed & nunquam ipsi relatum. Nativum Græcis esse vitium, ut suis superioribus, laico præsertim Principi & Regiæ civitati, ultra modum adulentur, testatur jam laudatus Anastasius in præfatione ad septimam Synodum: Ex eo fonte prodijt Canon, ideòque de illo ipsi auctores apud

Se-

Sedem Apostolicam erubuerunt. Multis sæculis illum damnavit eadem Sedes, admisit tandem ex caussis suo loco dicendis Innocentius tertius in Synodo Lateranensi, & in Florentina Eugenius quartus confirmavit.

Canonis caussa fuit jam dicta Byzantij in Constantinopolim mutatio, seu quod Constantinopolis sit *nova Roma*, secunda civitas Imperij Romani. Supremam namque Christianitatis Episcopalem Cathedram Dominus Christus figi jussit Romæ, prima Romanæ monarchiæ Metropoli; secundam sanctus Petrus Apostolus Alexandriæ, tertiam Antiochiæ posuit, in secunda & tertia Romanorum civitate: Romanarum Provinciarum Metropoles, civitates, castra, fines, esse jussit & Metropoles, civitates, castra, fines Provinciarum Ecclesiasticarum. Quam regulam secuta hæc Synodus Episcopo Constantinopolitano dedit secundum in Ecclesia locum. Eam, quod ab humana pravitate in fomentum adsumeretur, Ecclesia postmodùm reprobavit.

Socrates Episcopo Constantinopolitano datum adserit non tantummodò secundum locum, sed & totius Thracicæ Dioceseos Primatum. Quod expansis ulnis amplectuntur recentiores Græci schismatici. Errant manifestè. Etenim secundus Canon disertè mandat etiam Thracicam Diocesim quoad omnia more vetusto administrari juxta sextum Nicenum Canonem, utique à Primate Heracleensi. Cujusque Primatus eminens portio est suæ Diocesi esse radicem communionis, quâ quempiam sine noxa aut caussa privari non permittit justitia Christiana: At verò Nectarium Constantinopolitanum Episcopum, in synodalibus ad Damasum Pontificem literis ornatum tot encomijs, hæc nostra Synodus radicem dat soli civitati Constantinopolitanæ, ideòque clarum est illum non donatum Præfecturâ Dioceseos Thracicæ.

Quin immò clarum existimo factum illum solo honore & nomine Metropolitam, quos Florentina Synodus non primarios aut medios, F.316. sed postremos vocat, quibus nulla est Provincia, nulli suffraganei, licetque à vero Provinciæ Metropolita passim exemptis, manet semper quispiam character avitæ subjectionis. Radicis dignitas & Episcopalis potestas sunt ejusdem extensionis, adeòque quomodò illa, ità & hæc Nectario restricta fuit ad solam civitatem Constantinopolitanam. Quod etiam tempore sancti Leonis magni, post invasas Synodi Calchedonensis auctoritate tres autocephalas Dioceses, nullos habuerit comprovinciales suffraganeos, non obscurè colligi datur ex Anatolij Constantinopolitani & Joannis Heracleensis Episcopi literis ad Epist. 26. Leonem Augustum, exstantibus post jam dictam Synodum. Anato- 27.

 lius

lius solus, Joannes cum tota Europæ Synodo scribit, tamquam verus atque integer Metropolita. Et Synodo Florentinæ Anthonius Heracleensis Episcopus subscribit ut totius Thraciæ & Macedoniæ Primas, exutus tamen autocephalia. Et Synodo ad Quercum, à qua damnatus S. Joannes Chrysostomus Constantinopolitanus Episcopus, præsedisse Paulum Heracleensem scribit Photius in Bibliotheca:
L. 59. Nempè licet ille ab hujus Metropolitica, non tamen à Primatiali auctoritate erat exemptus. Et in avitæ subjectionis characterem etiamnum hodie Constantinopolitanus, non aliorum Patriarcharum more ab aliquo comprovinciali suffraganeo, sed consecratur à Primate Heracleensi.

Quæ omnia Græci hodie schismatici, licet de suo Constantinopolitano Patriarchatu portentosa somnient, palàm confitentur. Etenim Petrus Antiochenus scribit ad Archi-Episcopum Gradensem. *Quinque in universo orbe à Divina gratia dispositum est esse Patriarchas: Romanum, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, Hierosolymitanum. Sed neque ex his omnes propriè Patriarchæ nominantur, sed impropriè. Namque Præsul Romanus Papa dicitur, Constantinopolitanus Archi-Episcopus, Alexandrinus Papa, Hierosolymitanus Archi-Episcopus, solus verò Antiochenus propriè id sortitus est Patriarcha audire, diciq; Et hoc Tua Charitas, si diligenter perquisierit, inveniet per omnes Scripturas confirmari.* Idem tradunt Nilus Doxopatrius & Theodorus Balsamon. Quid verò Archi-Episcopi? Audiamus ab eodem Theodoro. *A sanctis Patribus sancitum est, ut eæ Dioceses, quæ multas habent urbes sub Episcoporum gubernatione constitutas, à Metropolitanis administrentur, quos etiam ipsi Canones appellant primos; quæ verò sub se non habent urbes aliquas Episcoporum regimini subditas, Archi-Episcopos habeant Pontifices: ut inferiores hæ quidem sint Metropolibus, at Episcopatibus superiores.* Archi Episcopus itàque est Metropolitano inferior, nullos habet sub se Episcopos, est Episcopus à suo Metropolita exemptus, tertij Ordinis Metropolita solo nomine & honore, qualem, demptâ exemptione, Hierosolymitanum fecit septimus Canon Nicenus. Et hinc Synodo octavæ post Metropolitas Archi-Episcopi subscribunt. Scio hæc schismaticorum principia esse nova & variè devia: Evincunt tamen, quod præsens Canon Constantinopolitano nihil dederit, nisi exemptionem & locum.

CANON

CANON IV.

DE Maximo Cynico Philosopho, propter indisciplinationis eius doctrinam, quæ Constantinopoli orta est, statutum est, ut neque Maximus fuisse aut esse etiam putetur Episcopus, neque si qui ab eo sunt ordinati, qualemcumque gradum Clericatus obtineant, omnibus scilicet, quæ circa eum, vel ab eo gesta sunt, in irritum revocatis.

SCOLION.

MAximus, Philosophus Cynicus, genere Alexandrinus, Constantinopoli per S. Gregorij Nazianzeni ministerium in Christum credidit, baptizatusque, inquit in dicti Sancti vita Gregorius Presbyter, *fictâ pietatis specie ità Episcopum cepit, ut eâdem cum illo domo, eâdemq; mensâ uteretur, atque ipsi quidvis esse censeretur*, tandem & in Presbyterum promotus. Et quoniam à Lucio, homine Ariano, Pseudo-Episcopo Alexandrino, in orthodoxos barbari instar grassante quædam passus fuerat, orthodoxo ejusdem civitatis Episcopo Petro, sancti Athanasij successori, etiam gratus fuit. Addit laudatus Presbyter alienum fuisse ab Antisthenis dogmate. Exponit Jacobus Billius in scolijs. *Cynici, teste Laërtio, Antisthenem sectæ suæ Principem habuerunt. Hi cùm pecunias & ventris voluptates adspernarentur, atque ex instituto parcè admodùm viverent, nihil tale Maximus ille agebat.* Ex Dei ventris amore in Judam versus magistro insidiari cæpit, & per furtivos nummos licitare ejus Episcopatum. Petrum Alexandrinum, à quo tamen in sede Constantinopolitana firmatus Nazianzenus, seduxit in mentem aliam, atque ità per auro corruptos, qui Ægyptium frumentum advexerant, ejus Episcopos clandestinè in domo Scenici Choraulæ Episcopus ordinatus, omnem Orientem implevit scandalis & contentionibus.

Etenim à civibus Constantinopolitanis ejectus, & à Theodosio Augusto, per quem firmari sibi Episcopatum postulârat, ignominiosè repulsus, *Alexandriam navi petyt, cùmque eisdem technis quosdam Petri familiares auro pellexisset, ipsum quoque pari improbitate aggreditur.* Gregor. Presbit. *Aut enim mihi, inquit, Principis civitatis Episcopatum aßere, aut à tuo non abstinebo. Et quidem in perspicuum malum audax hominis facinus desiisset, nisi*

nisi Alexandriæ Præfectus, seditionis & cædium metu, Maximum urbe exturbasset.

Tandem ad Apollinarij hæresim delapsus meruit hunc Canonem, quo stabilita & confirmata antiquissima, haud dubiè ab Apostolis aut proximis eorum successoribus tradita, forma judicandi de Episcopis & Clericis per violentiam, simoniam, aut aliam quamvis pravitatem intrusis. Eandem quippè sententiam, uti suprà dixit S. Athanasius, in Gregorium Alexandrinæ Ecclesiæ intrusum, & ab ipso ordinatos Clericos tulit Synodus Sardicensis, in ejusdem Ecclesiæ sanguinarium pervasorem Timotheum Ælurum sanctus Leo Pontifex, totiusque Orientis Episcopi, à Leone Augusto consulti, in ejus successorem Petrum Mogum Simplicius & Fælix tertius Pontifices, nulla Zenonis Augusti prece mobiles, malentesque pati miserabile totius Orientis schisma Acacianum, quam istius Episcopatum aut Clericales ordinationes. Et jure meritò. Episcopi enim intrusi sunt adulteri, raptores, latrones, uti de Photio Constantinopolitano, in quem voluerunt servari hunc Canonem, dixêre Nicolaus primus Pontifex, Adrianus secundus, & Synodus octava.

Quærit Anastasius Bibliothecarius, cur Acacij Constantinopolitani, & Ebbonis Remensis Episcopi dejecti potiùs, quàm Photij Clericos in suo gradu susceperit Romana Ecclesia, respondetq; illos Episcopatu legitimè accepto dumtaxat humanitùs excidisse, hunc autem, nostro Maximo per omnia similem, fuisse intrusum & invasorem, adeòq; Episcopi nomine nunquam dignum. Quam regulam etiam hodie passim servat Apostolica Sedes.

CANON V.

DE libello Occidentalium, etiam eos suscipimus, qui Antiochiæ unam Patris & Filij & Spiritus sancti Deitatem confitentur.

SCOLION.

PRo voce, *Libello*, alia editio retinet vocem Græcam, *Tomus*, de cujus germana significatione est quæstio, dicitque apud Photium in Bibliotheca Efremius Patriarcha Antiochenus. *Sed adhuc vide*
L.229. *hæreseos impudentiam. Reprehendit enim Leonem Pontificem, qui Epistolam suam* TOMVM *vocaverat, nescientes rudes, quomodò sanctus Cyrillus & Strenuus Athanasius, aliorumq; Patrum cætus, pios labores* TOMOS *vocent.* Agit adversùm Eutychianistas, qui dogmaticam sancti Leonis magni Epistolam, priùs ad Flavianum Constantinopolitanum

Epis-

Episcopum, deindè ad Synodum Calchedonensem pro instructione missam, omni calumniarum genere & modo arietantes, etiam dixére non rectè vocari tomum. Ejus enim apud omnem in Oriente orthodoxum famosissimus titulus erat: *Tomus S. Papæ Leonis.*

Dicta igitur vox duas præsertim habet significationes. Prima significat grande volumen, atque ità Origenes, uti ad Pammachium & Oceanum, & in libris contra Ruffinum scribit sanctus Hieronymus, edidit Scholia, homilias, & tomos. *Disputationes maiores*, inquit Marianus Victorius, *seu commentarios, tomos vocavit.* Et Ruffinus in secundo libro invectivarum in sanctum Hieronymum: *Tertium, quod scripsit Origenes, ipse tomos, nos volumina possumus nuncupare, in quo opere tota ingenij vela spirantibus ventis dedit, & recedens à terra in medium pelagus confugit.* Hìnc tomos ejus scolijs opponit, in quibus rem *summatim breviterq́, perstringit.* Ità sexta Synodus, Gloriosissimi Judices, & Georgius Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus atque Carthophylax, agunt de *tomo quinti Concilij Actionem septimam continente*, id est, *Carthaceo volumine.* Et nos etiam hodie de quovis scriptore dicimus, quòd ediderit tot & tales tomos.

Epist 65. L 1.c.1.

Act. 14.

Alia significatio importat authenticis & sacrosanctis verbis circumscriptam fidei aut cujusvis professionis formulam seu decretum. Ità Liber Pontificalis laudatã S. Leonis Epistolã dicit esse *tomum, id est, fidem Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ.* Et S. Agatho Pontifex, in literis ad Constantinum quartum Augustum, ejusq́; filios Heraclium & Tyberium, probatis & lectis in dicta sexta Synodo, adducit testimonium *ex tomo Theodosii hæretici Alexandrini scripto ad Theodoram Augustam, & tomo dogmatico Pyrrhi Episcopi Constantinopolitani*, confirmatorio Ectheseos Heraclij & Constantis Augusti. In Synodo Florentina, post stabilitam inter nos & Græcos concordiam, utriusq; gentis delecti Episcopi scripserunt *tomum & definitionem unionis sanctissimarum Ecclesiarum.* In octava Synodo Theophylactus, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus & Referendarius, produxit & solemniter exussit *omnes tomos chirographorum à Photio exactos.* Et apud Franciscum du Chesne Acta de reformatione monasterij Dyonisiani libellum accusationis vocant tomum. Etenim & hæc suam formulam habent immobilibus verbis circumscriptam. Et Josephus, Methonensis Episcopus, Marcum Ephesiorum Primatem arguit, quòd sua in Synodum Florentinam calumniosa scripta ad instar tomi voluerit recipi & honorari. Eodem telo Eutychianistæ invadebant sanctum Leonem Pontificem, ejusque dogmaticam Epistolam, dictatam veraciter à Spiritu sancto. At sine fundamento. Nec enim ipse, sed plena Calchedonensis Synodus, omnis

Act. 4.

Sess. 25.

Orientalis Ecclesia, rursùmque sexta Synodus eam ità glorificavit, dicens rectæ fidei titulum, columnam, firmamentum.

Quocircà & in præsenti Canone *tomus Occidentalium* est quoddam fidei decretum, seu quæpiam professionis formula, missa ab Ecclesia Occidentali. Andreas, Rhodiorum Metropolita latinus, in Florentinæ Synodi septimâ sessione esse putat fidem Synodi Sardicensis. *Patres*, inquit, *secundæ Synodi susceperunt Synodum à Constantino Sardicæ celebratam, quæ vocatur etiam Occidentalis.* Verùm neque sub Constantino facta est Sardicensis Synodus, nec missa à Damaso Pontifice ad Constantinopolitanam, aut Ecclesiam Antiochenam, cujus lites non in isto pendebant cardine.

Christophorus Justellus, in Notis ad Codicem Canonum Ecclesiæ universæ, esse credit libellum, de quo hæc ipsa Synodus ad Damasum Pontificem & Episcopos Occidentales. *Pleniorem delectationem animis poteritis percipere, si libellum in Concilio Antiochiæ convocato de fidei decisione editum, & eum etiam, qui superiori anno à Constantinopolitano Concilio generali compositus est, legere placuerit.* Prior libellus est decretum
L.5 c.3. Synodi Antiochenæ, memoratæ à Theodoreto, in qua adversùm Eunomianos, Arianos, Macedonianos, Sabellianos, Photinianos, Apollinaristas stabilita Nicena fides, initaque inter Paulinum & Meletium Episcopos pacta pacificatoria de Cathedra Antiochena; posterior est ipsum Symbolum Constantinopolitanum. Verùm uterque fuit ad Occidentales, neuter Occidentalium, seu ab Occidentalibus.

C.10. Quocircà memoratus à Canone libellus est ille, de quo idem Theodoretus. *Damasus, vir omni genere laudis florentissimus, simul ut hanc sectam exortam accepit, non Apollinarem solum, verùm etiam Timotheum eius discipulum abdicavit, quam rem Episcopis etiam Orientales Ecclesias*
Epist 2. *gubernantibus significavit.* Et Ruffinus in literis ad Macarium. *Damasus Episcopus, cùm de recipiendis Apollinarianis deliberatio haberetur, editionem Ecclesiasticæ fidei, cui subscribere deberent, conscribendam mandavit.* Et antiqua Damasi Pontificis vita, per Constantinum Cajetanum è Romanis Canonicorum sancti Petri Archivis exscripta, & publicata per Martium Milesium. *In diebus illis Damasus, convocatis Episcopis de diversis mundi partibus, celebravit Concilium, in quo condemnavit Macedonium, Eunomium, Apollinarem: Quam sententiam confirmari præcepit in sancta secunda Synodo, quæ præcepto & auctoritate eius apud Constantinopolim celebrata fuit.* Duas ad Paulinum, non, ut dolosè ex caussis notis Theodoretus scribit, Thessalonicensem, sed Antiochenum Episcopum, Damasus scripsit literas, quarum prior, dolosè item suppressa ab eodem scriptore, Paulino Episcopatum confirmat, &

per

per omnem Diocesim Orientalem ponit radicem communionis; altera Arianis, Eunomianis, Apollinaristis, alijsque Erronibus tum grassantibus, figit formam professionis, quâ in Ecclesiam recipiantur. Ambas aut Damasus aut Paulinus misit ad Synodum, executionem rogans, isteque est Occidentalium libellus. Verùm enim verò Paulinum, quoniam ab Occidentalibus ordinatum, semper aversati sunt Orientales, ideòq; illi neque Antiochenum Episcopatum confirmare, nec radicis dignitatem tribuere dignati, neque tamen abijcere, aut ejus corrivali Meletio, aut successori hujus Flaviano palàm adhærere ausi, omnes generaliter Antiochenos, sive Paulini, sive Flaviani sequaces, qui Nicenam de consubstantiali Trinitate fidem profiterentur, admiserunt in communionem, sedis contentione suspensâ. Idque ob libellum Occidentalium, id est, ob reverentiam Ecclesiæ Romanæ.

At fuit fucata reverentia. Licèt enim nullam in hoc Canone, in synodalibus tamen sequentis anni literis ad Damasum Pontificem, sanctum Ambrosium Mediolanensem, Acholium Thessalonicensem, aliosque Occidentalium Primates Episcopos scriptis, Flavianum in defuncti Meletij locum, contra memoratorum pactorum juratam fidem, ordinatum mirificè commendant, confirmant in Episcopatu, atque adeò Paulinum abijciunt, aut certè contemnunt. Hinc pro illo indignati Ambrosius, Acholius, reliquaque Aquileiensis Synodus, Gratiano, Valentiniano, & Theodosio Augustis queruntur: *Vetustæ communionis socijs sua prærogativa servetur, quorum nobis hæc non superflua cura est.* Absit igitur, ut Damasus Pontifex hunc Canonem confirmârit. Longa fuit ista Antiochena lis, quam sub Siricio Pontifice moderari cæpit Synodus Capuana, plenè tandem exstinxit Innocentius primus.

CANON VI.

QVoniam multi Ecclesiasticum Ordinem confundere & subvertere volentes, inimicè & sycophanticè adversùs orthodoxos Episcopos, qui Ecclesias administrant, accusationes quasdam confingunt, nihil aliud quàm Sacerdotum bonam existimationem contaminare, & in pace degentium populorum tumultus concitare conantes: ea de caussa placuit sanctæ Synodo Episcoporum, qui Constantinopoli convenerunt, nec sine discussione admittere accusatores; nec omni-

bus eorum, qui Ecclesias administrant, accusationes permittere, nec omnes excludere: sed si quis propriam quidem querelam, id est, privatam, intendat Episcopo, ut detrimento aliquo, vel injuriâ aliquâ ab ipso affectus, in ejusmodi accusationibus nec accusatoris personam, nec religionem examinari. Oportet enim Episcopi conscientiam esse omnibus modis liberam, & eum, qui sibi iniuriam factam esse dicit, cuiuscumque sit religionis, ius suum consequi. Si autem sit crimen ecclesiasticum, quod Episcopo intenditur, tunc examinari personas accusatorum: ut primum quidem hæreticis non liceat orthodoxos Episcopos pro rebus Ecclesiasticis accusare. Hæreticos autem dicimus, & qui olim ab Ecclesia abdicati sunt, & qui sunt posteà à nobis anathematizati. Ad hæc autem & eos, qui se sanam quidem fidem confiteri præ se ferunt, avulsi autem sunt & abscissi, & adversùs canonicos nostros Episcopos congregationem faciunt. Prætereà autem & si aliqui eorum ab Ecclesia ob aliquas caussas priùs condemnati, & eiecti vel excommunicati fuerint, sive ex Clero, sive ex laicorum ordine, nec eis licere Episcopum accusare, priusquam proprium crimen absterserint. Similiter autem & eos, qui priùs rei facti, accusatiq; sunt, non priùs ad Episcopi vel aliorum Clericorum accusationem admitti, quàm se obiectorum sibi criminum insontes ostenderint. Sed si nonnulli nec hæretici, nec excommunicati fuerint, nec priùs damnati, vel aliquorum criminum accusati, dicant autem se habere aliquas adversùs Episcopum criminationes, eos jubet sancta Synodus primùm quidem apud Provinciæ Episcopos accusationem persequi, & apud eos probare crimina Episcopi,

qui

qui aliquarum rerum accusatur. Quod si evenerit, ut provinciales Episcopi crimina, quæ Episcopo intentata sunt, corrigere non poßint, tunc ipsos accedere ad maiorem Synodum Diocesis illius Episcoporum, pro hac caussa convocatorum; & accusationem non priùs intendere, quàm æquale periculum sibi statuant, si quidem in rebus examinandis accusatum Episcopum calumniari convicti fuerint. Si quis autem ijs, quæ, ut priùs declaratum est, decreta fuerunt, contemptis, ausus fuerit vel Imperatoris aures molestia afficere, vel sæcularium Principum iudicia, vel universalem Synodum perturbare, neglectis Diocesis Episcopis; eum nullo modo eße ad accusationem admittendum, ut qui Canonibus injuriam fecerit, & Ecclesiasticum ordinem everterit.

S C O L I O N.

EXponenda primitùs est significatio duarum vocum, *Canonicos Episcopos*, &, *Diocesis*. Quidam enim pro priore ponendam existimant, *Episcopos communicantes*. At sine necessitate. Nam & in literis ad Victorem & Columbum, Africæ Episcopos, Gregorius magnus eâ voce utitur, exponit verò octava Synodus in literis Encyclicis, dicens Ignatium Patriarcham fuisse Ecclesiæ Constantinopolitanæ *legitimum & canonicum Pontificem*. Gallicanæ Synodi & Regum Francorum Capitularia latinè vocant *Episcopos Regulares*, id est, promotos atque viventes secundùm leges, Canones, seu regulas, qui proindè non possunt non esse communicantes, atque ità canonicus & communicans Episcopus sunt plenè aut ferè idem. L.3. Epist.35. Act.10.

Vox, *Diocesis*, hodie nobis significat parochiam seu territorium Episcopi, olim habuit significationes varias. Primò, accepta fuit pro una parochia rusticana. Ità quarta Synodus Carthaginensis rusticorum Parochos vocat *Presbyteros, qui per dioceses regunt Ecclesias*. Eodem modo loquuntur Synodus tertia & secunda. Secundò significat, more nostro, unius Episcopi territorium. Ità accipit Gregorius magnus in literis ad Joannem Velitrensem Episcopum, ad Cyprianum Siculi patrimonij Rectorem, & ad Joannem Metropolitam C.36. L.2. Epist.11. L.6. Epist.38.

L. 7. Ravennæ. Tertiò, pro integra provincia. Ità Himerio Tarraconensium Metropolitæ mandat Siricius Pontifex, ut suas decretales literas omnibus in sua Diocesi, quam certum est fuisse unicam Provinciam, constitutis Episcopis promulget. Quartò denique accipitur pro plena natione, seu plurium provinciarum in unam administrationem, seu præfecturam unitarum congerie, quæ significatio creditur esse institutum Constantini Augusti, Romanæ Reipublicæ regimen quoad varia mutantis & meliori formâ donantis. Ità dicimus diocesim Orientis, Asiaticam, Ponticam, Thracicam, Ægyptiacam, & ad Sylvestrum Pontificem scribit prima Synodus Arelatensis, quod in suo patriarchatu habeat majores dioceses, utpotè Italicam, Africanam, Hispanicam, Gallicam, Illyricianam. Eodem sensu præsens Canon dicit *Maiorem synodum dioecesis illius Episcoporum.* Eaque significatio fuit olim famosior & principalis.

Epist. 44.

Epist. 1. c. 16.

Quis nesciat Eusebianorum, Meletianorum, Macedonianorum, Eunomianorum, Apollinaristarum in hujus temporis orthodoxos Episcopos calumnias, Synodos, iniquissimas dejectiones? Iniquitas humani generis destructrix, de qua etiam gentiles, uti in Commodi Augusti vita scribit Ælius Lampridius, exclamavêre ad Pertinacem Augustum: *Delatores ad Leonem.* Eandem, fixo accusationibus modo, damnat prima Canonis hujus pars, distinguens inter caussas civiles & criminales, prioresque etiam in orthodoxum Episcopum à quovis, posteriores non nisi à persona integra permittens intentari. Quod ipsum Gallicanæ, Africanæ, Ephesina, & Calchedonensis Synodus etiam aut statuerunt, aut probarunt. Ejus caussam dat Adrianus primus Pontifex in Capitulis traditis Engilramno Metensi Episcopo, quod sit indignum, ut quis accuset illum, qui est, quod ipse esse non potest.

C. 18.

Canon ergò accusandi licentiâ privat cunctos & è populo & è Clero hæreticos, ab Ecclesia de quovis crimine damnatos, dejectos, excommunicatos, accusatos, vulgò notatos, nec non & illos, qui sanam fidem profitentes sese separant à canonicorum Episcoporum communione, & adversùm illos faciunt congregationes proprias, quas sanctus Basilius in literis Canonicis ad sanctum Amphilochium, Iconiensem Episcopum, vocat *Parasynagogas & illegitimos conventus.* Tangit illos germanè orthodoxos, quos sanctus Ambrosius & Synodus Aquilejensis *vetustæ communionis socios*, sanctus autem Athanasius & Synodus Alexandrina, in literis ad Ecclesiam Antiochensem, appellat *eos, qui fuerunt in veteris Ecclesiæ communione*, & adversùm quos statuunt secundus & tertius Canones Antiocheni. Ecclesiæ Antiochenæ

C. 1.

Eu-

Eustatiana pars, id est, orthodoxi, S. Eustatio per Eusebianos iniquissimè dejecto, adhærentes, quomodò Placido, Stephano, Leontio, Euzoio, alijsque Episcopis palàm Arianis, ità Meletio, licet jam orthodoxo, olim tamen Ariano, & per Arianos ordinato, nunquam communicare voluerunt, ideòque erexerunt sibi altare separatum, propriumque tandem Episcopum, Paulinum. Qualis inter orthodoxos divisio etiam in alijs Ecclesijs grassabatur. Eos ergò tamquam canonicis Episcopis rebelles Canon abijcit quasi ad schismaticos, privatque jure accusandi, ut ità in throno stabiliat suum Meletium aut Flavianum Et hæc est una ex caussis, ob quas de hoc Canone ad Michaëlem Augustum scribit Nicolaus primus: *Constantinopolitana Synodi sextum Capitulum, quod tamen non apud nos inventum, apud vos haberi perhibetur*. Hunc, inquam, Canonem semper refutavit Ecclesia Romana. Epist 9.

Eadem Canonis pars mandat, ut accusaturus *aquale sibi periculum statuat, si quidem in rebus examinandis accusatum Episcopum calumniari convictus fuerit*. Sese inscribere & obligare debet ad talionem. Non tantùm non secretò, sed nec ab absente per procuratorem aut scripturam potest accusari. Inscribendi sui modum in Synodo Calchedonensi exponit Theodorus, Ecclesiæ Alexandrinæ Diaconus, Episcopum suum Dioscorum accusans. *Et ipse ego hanc accusationem propriâ subscripsi manu: Theodorus, Diaconus sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ magnæ Alexandrinæ civitatis suprascriptus, sancto & universali Concilio hos libellos obtuli. Et post hoc idem Theodorus dixit: Paratus sum, adveniente Reverendissimo Episcopo Dioscoro in hoc sanctum vestrum Concilium, meis adesse accusationibus*. Eodem modo in Synodo Tyria fecit Ischyras in sanctum Athanasium, de quo adversùs accusationem excipiente Socrates: *Ostendi postulat Athanasius, ut Ischyras accusator Presbyteri gradum & dignitatem, nam ità in accusatione scriptum erat, obtinuisset*. Gradus seu titulos suos etiam inscribere debebat accusator, omneque hìc mendacium faciebat criminosum, atque ità accusationem exufflabat. Addidit Athanasius *iniquum esse, ut Macarius Presbyter in vinculis teneretur constrictus, eius autem accusator liber versaretur*. Quocircà non tantùm ad talionem inscribi debebat accusator, sed & poni in ipso accusati statu. Et licet præsens Canon de solo præsertim Episcopo accusando definiat, liquet tamen olim etiam de Presbyteri & cujusvis Clerici aut laici ità accusatore servatum, idque ex Romanis legibus, quibus, ubi deficerent Canones, Ecclesia in suis judicijs fuit passim usa. Hinc adversùs Syagrium, Veronensem Episcopum, admittentem sacræ Virginis accusatores, *delationis nexu sese obligare non ausos*, exclamat sanctus Ambrosius: *Ubi hac cognitionis* Act 3. L. 2. c. 21. Epist. 46.

nis solemnitas, ubi talis iudicandi formula? Si leges publicas interrogemus, accusatorem exigunt.

Infamis tamen aut læsa persona, licet accusare nequeat, gravare potest, cogereque ad purgationem. Etenim de adulteræ complice aut
pist. 249. lenone scribit sanctus Ivo Carnotensis Episcopus ad Girbertum, Archi-Diaconum Parisiensem. *De se confessis non est credendum super crimen alienum, si tamen aliàs honesti sunt, & ex eorum accusatione fama crebrescit, & fœdus rumor infirmorum conscientias percutit, cogenda est mulier, ut sese expurget, etiam examine ferri candentis.* Nefandum crimen per violatos etiam pueros accusari & probari statuit Gregorius
L. 8. Epist. 25. 26. magnus in literis ad Anthemium Campaniæ Subdiaconum, & Fortunatum Episcopum Neapolitanum. Legenda, quæ sanctus Ivo scribit ad Hugonem Primatem Lugdunensem de caussâ fœdissimi juvenis Joannis, electi in Episcopum Aurelianensem. Addit in literis ad Eudonem Normandiæ Dapiferum. *Secundùm consuetudinem Roma-*
Epist. 27. *na Ecclesia aliter agitur contra simoniacam & Neophytorum hæresim, quam adversùs cætera crimina. Nam cùm in aliis accusationibus accusatorum & testium innocentia quæratur, ad insimulationem talium etiam infames personæ admittuntur.* Ad ejusmodi pestes profligandas de naturalis juris plano & simplici oportet procedi, omisso omni Canonum & legum additamento. Summa pietas est hìc esse crudelem. Westphalos ad secretas delationes & probationes etiam capitaliter, idque magno gen-
C. 29. tis fructu, damnari jussos à Carolo magno scribit Æneas Sylvius in libro de statu Europæ sub Frederico tertio Augusto, qui, teste Gun-
L. 1. c. 7. thero in opere de gestis Frederici primi, primus sustulit formam illam judicandi.

Altera Canonis pars denuò damnat Episcoporum synodaliter damnatorum recursus ad laicos Principes, suâ jussione suspensuros sententiam, aut alteri Episcopali judicio retractandam delegaturos: Hujusmodi namque recursus jam pridem damnârat Antiochena Synodus Encæniorum. Has, inquam, Ecclesiasticarum caussarum per Principem factas delegationes, & quasvis generatim sacras jussiones, dummodò Canonibus conformes, quandoque toleravit Ecclesia, semper tamen est detestata. Adversùs Flavianum, Antiochiæ Episcopum, nolentem parere decretis Synodi Capuanæ, *remeantemque ad precum auxilia & imperialium Rescriptorum suffragia*, exclamat sanctus Ambro-
Epist 9. sius in literis ad Theophilum Alexandriæ Episcopum: *Iterùm ad huius sæculi iudicia recurrendum, iterùm ad Rescripta?* S. Hieronymo quasi facinus improperat Ruffinus, quod Paulum Episcopum à laudato
L. 3 c. 5. Theophilo dejectum instigarit per imperiale Rescriptum repetere

Sacer-

Sacerdotium, nec aliud reponere ſcivit Hieronymus, rubore perfuſus, quam non inſultandum alienis miſerijs, nec aliena vulnera propalanda, faſſus *nefas Pontificum ſententias convelli* à laico Principe. Eſt nefas à Paulo Samoſatenſi & Donatiſtis primitùs tentatum, impugnatum graviſſimè à Gregorio magno, exſtinctum à Gregorio ſecundo ob impias violentias Leonis Iſauri.

Tertia Canonis pars ſtatuit ordinem judicialium de Epiſcopo inſtantiarum: Primam coram Provinciæ, ſecundam coram Dioceſeos, tertiam denique mandans & permittens priùs fieri coram generali totius Eccleſiæ Synodo. Et hæc eſt altera cauſſa, ex qua Canonem ſemper refutavit Romana Eccleſia, non tantùm generali Synodo, ſed & ſibi ipſi auferri nolens primas aut ſecundas inſtantias, divino jure debitas, præſertim in cauſſis fidei. Etenim ſanctus Epiphanius Joannem Hieroſolymæ Epiſcopum, in concione Origenizantem, non Metropolitæ Cæſareenſi, aut Patriarchæ Antiocheno, ſed ſtatim detulit Siricio Pontifici, uti ſcribit ad Pammachium ſanctus Hieronymus. Epiſt. 61. c. 4. 16. Addit Origenem in ipſa civitate Alexandrina delatum de pravo dogmate ad Fabianum Papam. Epiſt. 65. Etiam S. Epiphanium de ordinato contra Canones Pauliniano, fratre ſancti Hieronymi, Romæ accuſavit dictus Epiſcopus Joannes: Epiſt. 62. Et de lue Neſtoriana S. Flavianum Epiſcopum ſuum Eutyches, Archimandrita & Hæreſiarcha Conſtantinopolitanus. Longè plurima ſunt iſtiuſmodi exempla. Hinc Innocentius primus Victricio Rothomagenſi Epiſcopo ſcribit omnem Clerici aut Epiſcopi cauſſam in prima inſtantia tractandam à Provinciæ Synodo, ſalvâ tamen dignitate Eccleſiæ Romanæ, cui eſt jus & præventionis & avocationis. Quocircà præſens Canon olet Euſebianam rebellionem, in quam impegit & Synodus Baſileenſis.

CANON VII.

EOs, qui rectæ fidei adjciuntur, & parti eorum, qui ex hæreticis ſervantur, recipimus ſecundùm ſubiectam hic conſequentiam & conſuetudinem. Arianos quidem, & Macedonianos, & Sabbhatianos, & Novatianos, qui dicunt ſeipſos Catharos, & Ariſteros (hoc eſt, mundos vel ſiniſtros) & Teſſaradecatitas, ſive Tetraditas, & Apollinariſtas recipimus, dantes quidem libellos, & omnem hæreſim ana-

nis solemnitas, ubi talis iudicandi formula? Si leges publicas interrogemus, accusatorem exigunt.

Infamis tamen aut læsa persona, licet accusare nequeat, gravare potest, cogereque ad purgationem. Etenim de adulteræ complice aut
Epist. 249. lenone scribit sanctus Ivo Carnotensis Episcopus ad Girbertum, Archi-Diaconum Parisiensem. *De se confessis non est credendum super crimen alienum, si tamen aliàs honesti sunt, & ex eorum accusatione fama crebrescit, & fædus rumor infirmorum conscientias percutit, cogenda est mulier, ut sese expurget, etiam examine ferri candentis.* Nefandum crimen per violatos etiam pueros accusari & probari statuit Gregorius
L. 8. Epist. 25. 26. magnus in literis ad Anthemium Campaniæ Subdiaconum, & Fortunatum Episcopum Neapolitanum. Legenda, quæ sanctus Ivo scribit ad Hugonem Primatem Lugdunensem de caussa fœdissimi juvenis Joannis, electi in Episcopum Aurelianensem. Addit in literis ad Eudonem Normandiæ Dapiferum. *Secundùm consuetudinem Romanæ*
Epist. 27. *Ecclesiæ aliter agitur contra simoniacam & Neophytorum hæresim, quam adversùs cætera crimina. Nam cùm in aliis accusationibus accusatorum & testium innocentia quæratur, ad insimulationem talium etiam infames personæ admittuntur.* Ad ejusmodi pestes profligandas de naturalis juris plano & simplici oportet procedi, omisso omni Canonum & legum additamento. Summa pietas est hìc esse crudelem. Westphalos ad secretas delationes & probationes etiam capitaliter, idque magno gen-
C. 29. tis fructu, damnari jussos à Carolo magno scribit Æneas Sylvius in libro de statu Europæ sub Frederico tertio Augusto, qui, teste Gun-
L. 1. c. 7. thero in opere de gestis Frederici primi, primus sustulit formam illam judicandi.

Altera Canonis pars denuò damnat Episcoporum synodaliter damnatorum recursus ad laicos Principes, suâ jussione suspensuros sententiam, aut alteri Episcopali judicio retractandam delegaturos: Hujusmodi namque recursus jam pridem damnârat Antiochena Synodus Encæniorum. Has, inquam, Ecclesiasticarum caussarum per Principem factas delegationes, & quasvis generatim sacras jussiones, dummodò Canonibus conformes, quandoque toleravit Ecclesia, semper tamen est detestata. Adversùs Flavianum, Antiochiæ Episcopum, nolentem parere decretis Synodi Capuanæ, *remeantemque ad precum auxilia & imperialium Rescriptorum suffragia*, exclamat sanctus Ambro-
Epist 9. sius in literis ad Theophilum Alexandriæ Episcopum: *Iterùm ad huius sæculi iudicia recurrendum, iterùm ad Rescripta?* S. Hieronymo quasi facinus improperat Ruffinus, quod Paulum Episcopum à laudato
L. 3 c. 5. Theophilo dejectum instigarit per imperiale Rescriptum repetere

Sacer-

cerdotium, nec aliud reponere ſcivit Hieronymus, rubore perfuſus,
am non inſultandum alienis miſerijs, nec aliena vulnera propalan-
ſaſſus *nefas Pontificum ſententias convelli* à laico Principe. Eſt nefas
aulo Samoſatenſi & Donatiſtis primitùs tentatum, impugnatum
viſſimè à Gregorio magno, exſtinctum à Gregorio ſecundo ob
pias violentias Leonis Iſauri.

Tertia Canonis pars ſtatuit ordinem judicialium de Epiſcopo in-
ntiarum: Primam coram Provinciæ, ſecundam coram Dioceſeos,
tiam denique mandans & permittens priùs fieri coram generali
ius Eccleſiæ Synodo. Et hæc eſt altera cauſſa, ex qua Canonem
nper refutavit Romana Eccleſia, non tantùm generali Synodo, ſed
ſibi ipſi auferri nolens primas aut ſecundas inſtantias, divino jure
itas, præſertim in cauſſis fidei. Etenim ſanctus Epiphanius Joan-
n Hieroſolymæ Epiſcopum, in concione Origenizantem, non Me-
politæ Cæſareenſi, aut Patriarchæ Antiocheno, ſed ſtatim detulit
icio Pontifici, uti ſcribit ad Pammachium ſanctus Hieronymus. Epiſt. 61.
dit Origenem in ipſa civitate Alexandrina delatum de pravo c. 4. 16.
gmate ad Fabianum Papam. Etiam S. Epiphanium de ordinato Epiſt. 65.
tra Canones Pauliniano, fratre ſancti Hieronymi, Romæ accuſa- Epiſt. 62.
dictus Epiſcopus Joannes: Et de lue Neſtoriana S. Flavianum E-
copum ſuum Eutyches, Archimandrita & Hæreſiarcha Conſtan-
opolitanus. Longè plurima ſunt iſtiuſmodi exempla. Hinc Inno-
tius primus Victricio Rothomagenſi Epiſcopo ſcribit omnem
erici aut Epiſcopi cauſſam in prima inſtantia tractandam à Provin-
Synodo, ſalvâ tamen dignitate Eccleſiæ Romanæ, cui eſt jus &
eventionis & avocationis. Quocircà præſens Canon olet Euſebia-
n rebellionem, in quam impegit & Synodus Baſileenſis.

CANON VII.

*Os, qui rectæ fidei adjciuntur, & parti eorum, qui ex
hæreticis ſervantur, recipimus ſecundùm ſubiectam
conſequentiam & conſuetudinem. Arianos quidem, &
acedonianos, & Sabbhatianos, & Novatianos, qui dicunt
pſos Catharos, & Ariſteros (hoc eſt, mundos vel ſiniſtros)
Teſſaradecatitas, ſive Tetraditas, & Apollinariſtas re-
imus, dantes quidem libellos, & omnem hæreſim ana-*

thematizantes, quæ non sentit, ut sancta Dei catholica, & Apostolica Ecclesia; & signatos, sive unctos primùm sancto Chrismate & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures. Et eos signantes dicimus, SIGNACULUM DONI SPIRITUS S. *Atqui Eunomianos, qui in unam demersionem baptizantur, & Montanistas, qui hic dicuntur Phryges, & Sabellianos, qui eundem esse Patrem, & Filium opinantur, utrumque simul confundentes, & alia gravia, & indigna faciunt; & alias omnes hæreses; quoniam hic multi sunt hæretici, & maximè qui ex Galatarum regione veniunt; quicumque ex his rectè fidei adscribi volunt, ut Græcos admittimus: & primo quidem die ipsos Christianos facimus; secundo Catechumenos; deindè tertiò exorcizamus, sive adiuramus ipsos, ter simul in faciem eorum, & aures insufflando. Et sic eos catechizamus, sive initiamus, & curamus, ut longo tempore versentur in Ecclesia, & audiant Scripturas; & tunc eos baptizamus.*

S C O L I O N.

PRimus apud Afros hæreticorum & schismaticorum Baptisma exufflare & iterare cæpit Agrippinus Carthaginensis Episcopus, cujus Presbyterum, quod idem doceat, fuisse Tertullianum quidam opinantur. Errorem strenuè defendit ejus successor S. Cyprianus, damnavit verò Stephanus Pontifex, ex palmari hoc Christianæ veritatis principio, *Nihil innovetur*, eorum utique, quæ semper observavit Ecclesia, atque adeò ab Apostolis accepit. Quod eversurus sanctus Firmilianus, Cæsareensis in Cappadocia Episcopus, Ponticæ Dioceseos Primas, ex Iconiensi Synodo ad S. Cyprianum scribit à Stephano infamari Petrum & Paulum Apostolos, quasi hoc ipsi tradiderint; neminem tam esse stultum, qui id credat; esse traditionem humanam & erroneam, rectè ab Afris cognitâ veritate expunctam, & addit. *Cæterùm nos*, non tantùm Pontici, sed &, quos in factionem suam traxerat, Asiatici & Cilices, *veritati & consuetudinem iungimus, & consuetu-*

dini

dini Romanorum consuetudinem, sed veritatis opponimus, ab initio hoc tenentes, quod à Christo & ab Apostolis traditum est. Nec invenimus hoc apud nos aliquando cœpisse, cùm semper istic observatum sit, ut non nisi unam Dei Ecclesiam nossemus, & sanctum Baptisma non nisi sanctæ Ecclesiæ computaremus. Communione ejectus erat à Stephano Pontifice, ideòque turbato mentis oculo cæcutit & errat varia. Cautè legi debet tota ejus Epistola. Etenim primum in omni Ecclesia post hæreticos aut schismaticos rebaptizare ausum fuisse Agrippinum, testatur Vincentius Lerinensis. Et Nicena Synodus omninò admisit Baptisma Novatianensium.

. Ejus tamen decreto non omnes utique orthodoxi statim paruêre. Etenim suo adhuc tempore fuisse de istorum baptismo varias dissensiones scribit ad sanctum Basilium sanctus Amphilochius, Iconiensis Episcopus, Lycaoniæ in Diocesi Asiatica Metropolitanus, adjungens de suis Asiaticis, quod ità exprimit Basilius: *Sed quoniam nonnullis Asiaticis omninò visum est, propter multorum œconomiam & dispensationem eorum baptisma suscipi, suscipiatur.* Novatianensium itàque Baptisma, & Nicenum de ipso Canonem quidam Asiatici receperunt, verùm non ut dogmatis regulam, sed ùt morum mutabilem disciplinam, in qua quemque Episcopum *sequi oporteat morem suæ Ecclesiæ & regionis.* De quibus quia non plenè constabat Amphilochius, consuluit Basilium. Epist. 1. c. 1

Basilius, licet veraciter sanctus, & Magni cognomen meritò sortitus, homo tamen Cappadox, Romanis & omnibus Occidentalibus ex caussis suprà insinuatis non plenè æquus, ac Firmiliano suo nimiùm adfixus, respondit varia. Primò, & meritò arguit sanctum Dyonisium, Alexandriæ Episcopum, quod, licet *Canonicus*, id est, Ecclesiasticorum Canonum peritissimus, admiserit Baptisma datum à Pepuzenis seu Montanistis. *Quamnam enim habet rationem, verùm eorum Baptisma iudicari, qui in Patrem, & Filium, & Montanum, Priscillamq; baptizant? Non enim baptizati sunt, qui non in nobis tradita baptizati sunt. Quare etiamsi hoc magnum Dyonisium latuit, nobis tamen non est servanda erroris imitatio.* Montanistæ enim Spiritum sanctum delirabant in suo Montano incarnatum, ideòque & in hujus nomine sceleratè baptizabant. C. 1.

Deindè distinguit hæreticos, schismaticos, ac fideles in parasynagogis seu illegitimis conventibus à canonicorum suorum Episcoporum communione spontaneè separatos; hæreticos esse dicens, *quibus de ipsa in Deum fide est dissensio*, & addens: *Visum est ergò ab initio hæreticos*, eorumque Baptisma, *omninò reÿcere*, utique ex Apostolica & perpetua Ponticæ Dioceseos consuetudine, uti dixit Firmilianus.

Hìnc pergit ad ſchiſmaticos, quos ità definit. *Schiſmata ſunt ij, qui propter aliquas Eccleſiaſticas cauſſas & medicabiles quæſtiones inter ſe diſſident*. Et infrà. *Schiſma eſt de pænitentia diſſentire ab ijs, qui ſunt in Eccleſia*. Hìnc ejuſmodi eſſe dicit Novatianenſes, Encratitas, Hydroparaſtatas, Saccophoros, Apotactitas, & addit: *Viſum eſt ab initio eos, qui ſe absciderunt, qui ſchiſmatici dicuntur, ut qui ſint adhuc Eccleſiæ, admittere*. Pergit. *Verùm enim verò antiquis viſum eſt, Cypriano dico & noſtro Firmiliano, eos omnes uno calculo ſubijcere: Quoniam ſeparationis quidem principium per ſchiſma, qui autem ſe ab Eccleſia abiunxerunt, non habent ampliùs in ſe gratiam Spiritus; laici effecti nec baptizandi, nec ordinandi habent poteſtatem*. Schiſmaticorum Baptiſma priùs à Cypriano & Firmiliano exuſflari cæpiſſe exiſtimat, ideòque eſſe rem diſciplinæ adiaphorę, in qua quiſque poſſit & debeat ſequi morem ſuę regionis. Errat in ipſo lumine: Certum quippè eſt etiam hanc exuſflationem eſſe auſum & temeritatem Agrippini. Et quis admittat Novatianenſes, alioſque Errones, de Divina ſubſtantia non errantes, non eſſe hæreticos? At non vacat diſcutere ſingula.

Quæſtio ſpecialis erat de Encratitarum Baptiſmo, pro quo & contra quem faciebant viciſſim duæ rationes. Contra ipſum faciebat primò, quod de ipſo Deo errarent, cum Marcionitis fabulantes duo principia, ideòque eſſent non ſchiſmatici, ſed omninò hæretici. Deindè, licet in Sanctam Trinitatem baptizarent, tamen *ut ſe redderent non ſuſcipiendos ab Eccleſia, adgreſſi eſſent proprio deinceps Baptiſmo præoccupare: undè ſuam quoque conſuetudinem deleverant*. Pro ipſo autem faciebat primò nuperum neſcio quod decretum ſynodale, vigore cujus *Zoin & Saturninum, qui erant ex illorum ordine, in Epiſcoporum Cathedram ſuſceperat* ipſe Baſilius. Deindè, Romanæ Eccleſiæ interdictum atque auctoritas, quam cum ſuo Firmiliano nunquam ille præſumpſit damnare.

C. 47. Hìnc ergò reſpondet. *Encratitæ, & Saccophori, & Apotactitæ ſubijciuntur eidem rationi, cui & Novatiani, quia de illis editus eſt Canon, etſi diverſus. Quæ autem ſunt adversùs eos, ſilentio prætermiſſa ſunt. Nos autem unâ ratione eos rebaptizamus. Si autem prohibita eſt apud vos hæc rebaptizatio, ſicut & à Romanis, alicuius œconomiæ gratiâ, noſtra tamen oratio vires obtineat, quandoquidem eſt veluti Marcioniſtarum germen eorum hæreſis, nuptias abhorrentium, & vinum averſantium, & Dei creaturam inquinatam eſſe dicentium, eos in Eccleſiam non admittimus, niſi in noſtrum Baptiſmum baptizati fuerint. Ne dicant enim*, IN PATREM ET FILIUM & SPIRITUM SANCTUM BAPTIZATI SUMUS, *qui quidem Deum eſſe malorum effectorem exiſtimant, inſtar Marcionis & aliarum hæreſum*.

Quam-

Quamobrem si hoc placuerit, oportet plures convenire Episcopos, & sic Canonem exponere, ut & is, qui fecit, sit extra periculum, & qui respondet, in responsione de his fide dignus habeatur. Alium pro Encratitis, alium pro Novatianensibus dicit editum Canonem: Pro his enim Nicenus est editus, longè eminentioris auctoritatis. Addit istorum per subreptionem tacitâ veritate extortum, ideòq; synodaliter retractandum, & ex nunc ab observantia suspensum: Encratitæ enim se in Divinam Trinitatem baptizare mentiti sunt, utpotè surculus & pars duplicem Divinitatem fabulantis Marcionis, cujus fædum & profanum lavacrum Ecclesia semper damnavit.

Hæc omnia, ob Romanæ Cathedræ reverentiam & metum, definire non ausus, quasi disputans in Ecclesiam projecit Basilius, fecitque vacillare multos. Synodo huic Constantinopolitanæ, paucis antè annis ad Dominum translatus, non interfuit, quare hasce quæstiones ad ipsam retulit sanctus Amphilochius, ab Ecclesia sciri volens, nùm Romanum iterandi Baptismatis interdictum spectaret ad dogma, an ad solam disciplinam. Grassabatur & nova audacia Arianorum rebaptizantium, novumque Eunomij baptisma. Quare omnes contentionum fluctus in dudum jactata miserabiliter Orientali Ecclesiâ componere volens Synodus statuit accuratè de singulis, definiens quinam hæretici per novum baptisma, quinam per solum Chrisma essent in Ecclesiam admittendi.

Et quidem Chrismatis usum & consecrationem, tamquam Judaicam superstitionem, sceleratè in nobis damnant Albigenses, Wicleffistæ, Lutherani, Calvinistæ. Est res antiquissima, omninò Apostolica atque Evangelica traditio, de qua Tertullianus in libro de Scorpiaco. *Nobis* adversùs scorpiorum morsus non magia, aut medicina, sed C. 1.
fides præsidium est, si non & ipsa percutitur diffidentiâ signandi statim, & adiurandi, & ungendi bestiæ calcem. Hoc denique modo etiam Ethnicis sæpè subvenimus, donati à Deo eâ potestate, quam Apostolus dedicavit, cùm morsum viperæ sprevit. Adducit exemplum insigne in libro ad Scapulam, Africæ Proconsulem. *Ipse etiam Severus.* Romanorum Imperator gen- C. 4.
tilis, *Pater Anthonini* Caracallæ, *Christianorum fuit memor. Nam & Proculum Christianum, qui Torpacion cognominatur, Evodiæ Procuratorem, qui eum per oleum,* ab Episcopis benedictum, *aliquando curaverat, requisivit, & in palatio suo habuit usque ad mortem eius, quem & Anthoninus optimè noverat, lacte Christiano educatus.* Et in libro de Baptismo. *Exindè* C. 7.
egressi de lavacro perungimur benedictâ unctione de pristina disciplina, quâ ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant. Eadem habet in libro de Resurrectione, in libro Præscriptionum, & in libris contra Marcionem.

Nec ipse solus, sed & sanctus Cyprianus, & omnis corona sanctorum Patrum. Est ritus *de pristina* Judæorum *disciplina* mutuatus; ac per ipsum Jesum Christum, nec non & ejus Apostolos donatus nova benedictione, novisque significationibus, atque ità Christianis factus non quæpiam tantùm cæremonia, sed & proprium Sacramentum.

Attamen hæreticos per Chrisma recipiendi ritus non est adeò vetustus. Etenim ejus sanctus Cyprianus, Firmilianus, Dyonisius Alexandrinus, Dyonisius Corinthiorum Episcopus, & vetusti alij, qui de recipiendis hæreticis scripsêre, non meminerunt. Prima ejus authentica memoria est in septimo Canone Laodiceno, mandante Novatianenses & Quartodecimanos *ungi sancto chrismate, & sic sancto Mysterio communicare.* Meminit & sanctus Basilius in literis canonicis ad sanctum Amphilochium, dicens de Encratitis.
Q. 14. *Omni ratione statuatur, ut qui ex illorum Baptismo accedunt, ungantur à fidelibus, & sic ad mysteria accedant.* Et antiquus Auctor quæstionum Justino Martyri adscriptarum,
Q. 86. dicens omnes generaliter hæreticos recipi *per sancti unguenti inunctionem ac perfusionem.* Justinus ille esse non potest, qui Origenem laudat longè juniorem. Trullana Synodus Canonem hunc & ritum non solummodò innovat & confirmat, sed & imponere vult Ecclesiæ Romanæ, omnique latinæ.

Etenim Romana, Italica, Africana, & aliæ plures latinæ Ecclesiæ in recipiendis hæreticis nunquam usitavêre unctionem. Adversùs sanctum Cyprianum, hæreticos per novum Baptisma recipientem, statuit sanctus Stephanus Pontifex: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illis imponatur in pœnitentiam.* Quem ritum semper usque ad Agrippini Episcopatum in Africa viguisse, fatetur frequenter sanctus Cyprianus. De sancto Eusebio Papa liber Pontificalis: *Hæreticos invenit in urbe Roma, quos solâ manuum impositione reconciliavit.* Quod
C. 8. ipsum statuunt prima Synodus Arelatensis, Siricius Pontifex in literis ad Himerium Episcopum Tarraconensem, & Innocentius in literis ad Victricium Rothomagensem. Eodem modo Arianos recipi incul-
C. 9. cat assiduè in dialogo contra Luciferianos sanctus Hieronymus, atque ità quosvis semper hæreticos receptos à Sylvestro, Marco, Julio, & alijs veteribus Episcopis Romanis. Et antiquum fidei adversùs Arianos Breviarium, vulgatum à Jacobo Sirmondo: *Arianos non rebapti-*
F. 131. *zamus, sed per manus impositionem reconciliamus.* Susceptos similiter à
Epist. 2. Damaso Pontifice Apollinaristas, insinuat Ruffinus in literis ad Macarium. Et Gennadius Massiliensis in catalogo laudat Ursinum monachum, quod hæreticos quosvis docuerit non rebaptizandos, sed *post sanctæ Trinitatis & Christi simplicem confessionem sufficere ad salutem manus*

nus impositionem catholici Sacerdotis. De hoc Ecclesiarum differenti ritu scribit Gregorius magnus ad Quirinum, & reliquos, non in Hibernia, sed in Hiberia, catholicos Episcopos. *Ab antiqua Patrum traditione didicimus, ut qui apud haresim in Trinitatis nomine baptizantur, cùm ad S. Ecclesiam redeunt, aut unctione Chrismatis, aut impositione manus, aut solâ professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ revocentur. Vndè Arianos per impositionem manus Occidens, per unctionem verò sancti Chrismatis Oriens reformat.* L. 9. Ep. 61

Obstare tamen videtur Siricius Pontifex, Himerio Tarraconensium Metropolitæ vetans rebaptizari Arianos, mandans cum Novatiensibus, alijsque hæreticis *recipi per solam invocationem septiformis Spiritus Episcopalis manus impositione,* & addens: *Quod etiam totus Oriens, Occidensq; custodit.* Respondeo Pontificem ad rebaptismum præsertim respicere. Servari vult antiquum morem, quo olim nec Oriens, nec Occidens Arianos rebaptizavit, recepitque solâ impositione manus: At Occidens manum nudam, Oriens imponebat manum unctam, cujus diversitatis, quod ad propositam quæstionem non faceret, noluit Papa meminisse.

Dixi plures solummodò latinas Ecclesias hâc unctione non fuisse usas. Etenim Galliarum atque Hispaniarum Ecclesiæ redeuntes hæreticos omninò unxerunt. Etenim de Lanthildi, sorore Regis Clodovei, ab Ario ad Christum conversa, scribit sanctus Gregorius Episcopus Turonensis: *Confessa æqualem Patri Filium & Spiritum sanctum, chrismata est.* Et de Brunichildi Regina, uxore Sigeberti Regis Francorum, filia autem Athanagildi Regis Gothorum in Hispania: *Credidit & chrismata est.* Eodem modo Gondobaldum Burgundionum, à S. Avito Episcopo Viennensi, & Richaredum Gothorum in Hispania Regem Arianum scribit chrismatum à S. Leandro Hispalensi. Quod ipsum de omnibus hæreticis statuunt Synodi Gallicanæ, prima Arausicana, secunda Arelatensis, atque Epaonensis. Primæ Arelatensis octavus Canon ignorat hunc ritum: Quod nempè totius Romanæ Dioceseos illic adessent Episcopi, quorum plures illo non utebantur. Quandò in Gallia cæperit, ignorare me fateor. L. 2. c. 31. L. 4. c. 27. C. 1. C. 17. 26. C. 16.

Caussam, ex qua Hispanicæ Ecclesiæ Arianos unxerint, adducit antiquum supplementum Gregorij Turonensis. *Eo anno Richaredus, Rex Gothorum, divino amplectens Religionem Christianam amore, priùs secretiùs baptizatur: Post hæc omnes Gothos, qui tum Arianam sectam tenebant, Toletum adunari præcepit, & ad legem Christianam baptizari fecit.* Quod ipsum apud Franciscum du Chesne adfirmant alij antiqui Francorum Scriptores. C. 8.

Verùm

Verùm quomodò Arianos, quos in Hispania rebaptizari rigidissimè ex Romana Regula vetuerat Himerio Tarraconensi Episcopo Siricius Pontifex, sanctus Leander rebaptizavit? Quomodò id toleravit Gregorius magnus, qui illos non rebaptizandos disertè scribit in laudata Epistola ad Episcopos Hiberiæ? Rationem dat supra laudatum

F.132. fidei Breviarium. *Nos reverentiam habemus dominicis verbis, & Arianos sic certum est baptizare. Nam si sic baptizarent, quomodò credunt, in nomine Patris maioris, & in nomine Filij minoris, & in nomine Spiritus sancti multò minoris, tunc demùm non iterabimus, sed dabimus Baptismum, quia non secundùm regulam, quam Dominus tradidit, baptizabunt.* Contextum hunc Jacobus Sirmondus non nihil aliter legit, sed certum est, ex rationibus, hoc modo legendum. Porrò Hispani Gothi dominicam Baptismi regulam omninò mutârant. Eos Domino cecinisse, non *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*, sed *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto*, atque adeò in eadem verba baptizasse, scribit in chronico suo testis fidissimus, Joannes Biclarensis. At verò baptisma hoc fuisse semper non tantùm ab Ecclesia, sed & à Deo per miraculum loquente, damnatum atque exufflatum, scribit in Collectaneis Theodorus Lector. Hâc ipsâ de caussâ Reginam Brunichildim, dum in

L.3.c.4.5. Gallias venit, rebaptizatam adfirmat monachus Aimoinus: Quod nempè Gothorum more in Hispanijs fuisset tincta. Hìnc ergò Gothos ad Ecclesiam venientes, utpotè omnis Christiani Sacramenti vacuos, etiam unxit S. Leander.

Hæc tamen omnia intelligi debent de hæreticis in hæresi natis & baptizatis, nequaquam de lapsis in illam post susceptum in Ecclesia Baptismum. Antiquam Ecclesiæ Regulam Cresconio Donatistæ

L.2.c.16. eleganter exponit sanctus Augustinus. *Cùm veniunt ad nos vestri, accipiunt quod non habebant, & salubriter habere incipiunt, quod tantò perniciosiùs, quantò indigniùs habebant. Accipiunt enim primitùs ipsam Ecclesiam, & in ea charitatem, pacem, unitatem, per fontem eius proprium atque invisibilem Spiritum sanctum. Faciliori autem veniâ, quod nondum habuerunt, accipiunt, quam si habuissent, & deseruissent. Et hoc discernitur apud nos, ut aliter recipiantur, qui catholicam reliquerunt; aliter, qui ad illam primitùs veniunt. Illos enim ampliùs gravat crimen desertionis; hos autem non à se diruptum, sed cognitum & retentum vinculum relevat unitatis.*

Elucidat hæc Innocentius primus Pontifex in literis ad Rufum

Epist.22. c.4.5. Episcopum Thessalonicensem. *Nostra lex est Ecclesiæ, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manus impositionem, laicam tantùm tribuere communionem; at verò hos, qui à Catholica ad hæresim tran-*

transierunt, non aliter oportet, nisi per pænitentiam suscipi. Et in literis ad Victricium Rothomagensem. *Venientes à Novatianis vel Montensibus per manus tantùm impositionem suscipiantur: Quia quamvis ab hæreticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati. Præter eos, si qui fortè à nobis ad illos transeuntes rebaptizati sunt. Hi si resipiscentes, & ruinam suam cogitantes, redire voluerint, sub longa pænitentiæ satisfactione admittendi sunt.* Ex hæresi ad Ecclesiam post spontaneum ex ipsa lapsum redeuntes coguntur ad plenam publicam pænitentiam, ad singulas ejus quatuor stationes; ex illa, in qua nati, ad hanc venientes excusantur à Fletu & Audientia, coguntur ad solam manus pænitentialis impositionem, id est, ad solam Substrationem. Quod ipsum statuit sexagesimus Canon Synodi Agathensis, dicens de lapsis in hæresim: *Lapsis grandem redeundi difficultatem sanxit antiquitas.* Eos compellit ad omnes quatuor pænitentiæ stationes, & addit: *Quod si ardua vel dura fortè putaverint, statuta præteritorum Canonum*, utique longè duriora, implere debebunt. Antiquissima est etiam in alios reos hæc distinctio & regula. Nam quosdam ad plenam, quosdam ad non plenam pænitentiam cogendos scribit in literis ad Pomponium Episcopum sanctus Cyprianus.

Quocircà hæc manus impositio fuit omninò pænitentialis, gravissimèque exorbitat in opere de pænitentia Joannes Morinus, existimans fuisse manum sacramentalis Confirmationis. Erat enim manus illa, de qua adversùs S. Cyprianum statuerat sanctus Stephanus Pontifex: *Si quis à quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pænitentiam.* Erat manus illa, quâ Innocentius primus jam dixit dari communionem laicam, ac esse plenæ pænitentiæ imaginem & partem. De qua Augustinus in libris de Baptismo contra Donatistas: *Manus autem impositio si non adhiberetur ab hæresi venienti, tamquam extra omnem culpam esse videretur.* Et alibi in eodem opere. *Manus autem impositio non sicut Baptismus repeti non potest. Quid enim est aliud, nisi oratio super hominem?* Utique oratio Substrati pænitentis expurgativa, frequenterque iterata, quod longè remotum est à manu confirmationis. Erat manus sicca sine chrismate.

L.6.c.7.

L.6.c.23.

L.3.c.16.

Joannes Morinus objicit decretum Vigilij Pontificis ad Æthereum Episcopum de lapsis in hæresim ad Ecclesiam redeuntibus. *Quorum reconciliatio non per illam manus impositionem, quæ per invocationem sancti Spiritus fit, operatur; sed per illam, quâ Pænitentiæ fructus perficitur.* Ponit discrimen inter hæreticos natos & lapsos, hos dicens per manus impositionem in pænitentiam, istos recipiendos per manus impositionem in sanctum Spiritum. Quod ipsum S. Cyprianus frequen-

C.I.

quenter, ſanctus Leo magnus in varijs Epiſtolis, & ſanctus Hieronymus in dialogo contra Luciferianos lucidè tradunt. Et hinc Stephani Pontificis laudatum decretum, *Manus illi imponatur in Pœnitentiam*, depravatum credit idem Morinus, legendumque, *Manus imponatur in S. Spiritum.*

Fateor manum hæreticis natis imponi ſolitam paſſim ab Eccleſiæ Patribus dici manum in Spiritum ſanctum Nunquid ideò non pænitentialis? Abſit. Arcanum aperit ſanctus Auguſtinus in libris de
L.3.c.16. Baptiſmo contra Donatiſtas. *Spiritus autem ſanctus quod in ſola catholica per manus impoſitionem dari dicitur, nimirùm hoc intelligi Maiores noſtri voluerunt, quod Apoſtolus ait,* QVONIAM CHARITAS DEI DIFFVSA EST IN CORDIBVS NOSTRIS PER SPIRITVM SANCTVM, QVI DATVS EST NOBIS. *Ipſa eſt enim charitas, quam non habent, qui ab Eccleſia Catholica communione præciſi ſunt. Ac per hoc rectè intelligitur dici non accipi, nisi in Catholica Spiritus ſanctus.*
L.6.c.23. Et in alio ejuſdem operis loco. *Propter charitatis autem copulationem, quod eſt maximum donum Spiritus ſancti, manus hæreticis correctis imponitur.* Hoc eſt, manum iſtam, licet pænitentialem, Majores noſtri paſſim vocavêre manum in Spiritum ſanctum, ut ità omnes ad Eccleſiam venientes hæretici in ipſo ingreſſu profiterentur nullibi, niſi in Catholica eſſe Spiritum ſanctum, & ideò ſe ad illam venire, ut ab ipſa hunc accipiant, quem alibi nec per ipſum baptiſma, aut aliud quodvis Sacramentum acceperant aut potuerant accipere. Quocircà lapſis & natis hæreticis imponebatur manus alia & alia, id eſt, alijs purgativis precibus & ritibus veſtita, utraque tamen pænitentialis. Nec aliud dicit Vigilij decretum. Porrò Stephani decretum, in ſancti Cypriani literis fidiſſimè cuſtoditum, depravationis arguere eſt in probatiſſimos Eccleſiæ theſauros, ſub correctionis fuco, inſolenter nimiùm graſſari. Eandem ergò manum antiqui Patres quandoque in pænitentiam dicunt, quandoque in Spiritum ſanctum: Quod nempè pænitentialis eſſet, ſed quâ in ſimplex & viduum, acceptum in hæreſi aut ſchiſmate, Baptiſmum introducebatur Spiritus ſanctus.

Ex eiſdem principijs Græcarum & Gallicarum Eccleſiarum unctio nequaquam fuit confirmationis Sacramentum. Etenim prima Synodus Arauſicana, ſecunda Arelatenſis, ac Epaonenſis hæreticum, in fine vitæ poſtulantem admitti in Eccleſiam, permittunt, ſi deſit Epiſcopus, ungi à Presbytero: At verò Gallicana Eccleſia Confirmationis Sacramentum omninò nunquam permiſit per Presbyteros dari. Et unctionem hanc non tantùm permiſit; ſed & probavit Romana Eccleſia, uti liquet ex laudatis literis Gregorij magni ad Epiſcopos Hi-

Hiberiæ: Quis verò ferat probatum ab illa, ut datum per quosvis hæreticos Confirmationis Sacramentum exuffletur? Nimiùm portentosa sunt hæc dogmata. Et Græci igitur, & Galli, immò & Hispani, manum, quam natis & validè baptizatis hæreticis imponebant, ornabant sacro chrismate, ut expressiùs demonstrarent per illam dari Spiritum sanctum, quem isti ad sua separata altaria nec acceperant, nec potuerant accepisse. Chrisma enim est proprius typus Spiritus S.

Præterea & Græci, & Galli, & Hispani ungebant solos hæreticos natos; lapsos, Romano more, cogebant ad plenam pænitentiam. Ungebant item solos laicos, ac inferiores usque ad Subdiaconum Clericos, quibus etiam solis Romanorum ritum sequentes Ecclesiæ manum imponebant. Rationem dixi suprà ad undecimum Canonem Nicenum, suoque loco dicam largiùs. Nam & uncta & sicca manus erat Pænitentialis, ideòque neutra admovenda capiti Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, ob reverentiam sublimis in Ecclesiastica ordinatione suscepti Sacramenti. Et hinc octavus Nicenus Canon, recipiendis Novatianensium Clericis figens modum, nec unctæ nec siccæ manus meminit: Quod præsertim de Episcopis statueret, & clericis majoribus.

Obijci possit brevis & vetus Epilogus Synodi Romanæ sub sancto Sylvestro Pontifice. *Constituit* in dicta Synodo Sylvester Pontifex, *ut Presbyterum Arianum resipiscentem nemo susciperet, nisi Episcopus eiusdem loci eum reconciliaret, & sacrosancto chrismate per Episcopalis manus impositionem sancti Spiritus gratiâ, quæ ab hæreticis dari non potest, confirmaret.* Ex quibus verbis liquent tria dictis nostris adversa. Primò, quod etiam Romana Ecclesia Arianos redeuntes unxerit. Secundò, quod unxerit etiam Presbyteros. Tertiò, quod ista unctio fuerit ipsum Sacramentum Confirmationis.

Respondeo Epilogum hunc esse hominis obscuri & impuri. Longè aliter loquitur liber Pontificalis in vita sancti Sylvestri. *Constituit, ut Presbyter Arianum resipiscentem non susciperet, nisi Episcopus loci designaret eum. Constituit & chrisma ab Episcopo confici.* Hæc Epilogus & vitiat & miscet, atque ità enormiter evagatur.

Porrò hæc quosvis hæreticos ungendi disciplina viguit usque ad Ephesinam Synodum, & hæresim Nestorianam. Et lapsos enim & natos Nestorianos sine manu ad solam professionem recepit omnis Ecclesia, eandemque gratiam fecit Messalianis, Eutychianistis, Monothelitis, Iconoclastis, alijsque cunctis sequentibus. Apollinaristas, omnibus his seniores, eodem modo recepit Damasus Pontifex, atque ità initiavit hanc viam misericordiæ. Quin immò etiam Novatianenses

Quartodecimanos ad ſolam profeſſionem recepit Neſtorius, Conſtantinopolitanus Epiſcopus, neque id Epheſina Synodus in ipſo improbavit. Etiam Joannes Hieroſolymitanus Epiſcopus, & Atticus Conſtantinopolitanus fuêre nati in hæreſi Macedoniana: Et quia in Catholica poſtmodùm evecti ſunt ad Epiſcopatum, certum eſt ſine chriſmate & impoſitâ manu in Eccleſiam receptos. Hæc enim manus, quod ex Optato Milevitano liquet, faciebat indiſpenſabiliter irregularem. Iſtis crediderim factam ſingularem gratiam.

Porrò Canon dicit chriſmandam frontem, os, oculos, nares, aures. Hic enim fuit omnium Græcorum mos, de quo & ſanctus Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus in tertia catecheſi meminit, addens & pectus. Et Severus Alexandrinus in libro de Baptiſmo. *Educit Baptizator Baptizatum è medio aquarum, & dat eum ſuſceptori ſuo, & ungit omnia membra eius, & manus, & pedes, & nares. Tum demum induitur ſuis veſtimentis.* Fontem enim baptizandus intrabat naturaliter nudus. Nos latini baptizatis cæremonialiter ſolum verticem, ſacramentaliter ſolam ſemper frontem chriſmate unximus; baptizandis ex ſimplici oleo etiam ſcapulas & pectus: Quomodò Hiſpani & Galli converſos hæreticos unxerint, huc uſque ignoro.

Haſce voces, *Signaculum Spiritus ſancti*, quidam apud Græcos fuiſſe putant verbum ſeu formam Chriſtianæ confirmationis. Crediderim falli, Etenim à Decentio Eugubino Epiſcopo hocce latinorum verbum rogatus Innocentius primus reſpondit: *Verba dicere non poſſum, ne magis prodere videar, quam ad interrogata reſpondere.* Et infrà. *Reliqua, quæ ſcribi fas non erat, cùm adfueris, interrogati poterimus edicere.* Quæ ſecreti diſciplina à Græcis ſemper religioſiſſimè fuit cuſtodita, etiam à Primatibus hujus Synodi Epiſcopis in ſcriptis à ſeſe libris. Subſtantiale, ſuo tempore apud Græcos uſitatum, Confirmationis verbum ediſſerit Severus Alexandrinus: *Tribus vicibus ait Epiſcopus, Chriſmate ſancto obſignatur talis N. in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.* Videtur eſſe antiquiſſimum: Etenim antiquiſſimi Græcorum Patres hoc Sacramentum paſſim vocant *Sigillum*, ac ejus impreſſionem, *obſignationem.* Ungebant tribus vicibus; non membra ſingula, ſed ſolam frontem: Ex quo colligas ejus ſolius unctionem fuiſſe Sacramentum. Et quia iſtius Canon præſens non meminit, liquet hanc hæreticorum reconciliatoriam unctionem fuiſſe meram cæremoniam. Hinc illos etiam à Gallis & Hiſpanis credo non in fronte fuiſſe unctos.

Epiſt. 1. c. 3

Audiamus nunc Synodi mentem de reſponſis ſancti Baſilij ad ſancti Amphilochij quæſtiones. Probat, inquam, Synodus, & in Canonem

nem redigit Romanum de Baptismo dogma & consuetudinem, statuens Arianos, Macedonianos, Sabbathianos, Novatianenses, Tessaradecatitas, & Apollinaristas non posse rebaptizari, quod nempè in trium Divinarum personarum nomine juxta Evangelicam Regulam essent baptizati. Definit id non ad disciplinam solummodò, sed omninò ad dogma pertinere. Hìnc & Symbolo inseruit: *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum.* Id est, Baptisma, legitima Divini nominis invocatione sanctificatum, ubicumque sive intra sive extra Ecclesiam detur aut accipiatur, confiteor esse unum, nec salvâ Evangelicâ lege posse exufflari aut iterari.

Hìnc pergit Canon ad humana baptismata, reperta per varios hæreticos tum grassantes, ac rebaptizandos dicit primùm Eunomianos, idque ideò, quod *baptizent in unam demersionem.* Trinam enim mersionem, ab Apostolis institutam, primus Eunomius ausus est mutare in unicam, de qua re etiam in Hispaniarum Ecclesijs durissimæ olim fuerunt contentiones. Hispania, quomodò Ecclesiæ sub cælo omnes, usa semper fuit mersione trinâ usque ad ingressum Gothorum Arianorum, eo Apostolico ritu abutentium ad erroneè & impiè profitendam triplicem Divinitatis naturam. Hìnc Catholici Hispani, ad demonstrandam in ipso fidei Sacramento rectam suam fidem de unicâ Divinitate, unicam mersionem adsumpserunt. Mansit divisio usque ad Richaredum Regem, quem per sancti Hermenegildi fratris & Martyris merita illuminavit Deus, admisit verò in Ecclesiam sanctus Leander, Metropolita Hispalensis. Voluit hic à Gothis tunc deseri mersionem trinam, tamquam Arianismi adhuc suspectam, scandalosam, & piorum oculorum offensivam; noluerunt illi, dicentes non esse Arij aut Arianorum commentum, sed Apostolicum Canonem, à Romana etiam Ecclesia semper observatum & retentum. Consultus Gregorius magnus Pontifex respondit: *De trina mersione baptismatis nihil responderi veriùs potest, quam quod ipsi sensistis: Quia in una fide nihil officit S. Ecclesiæ diversa consuetudo.* Eleganter ostendit utrumque mersionis ritum esse legitimum, sacræque significationis mysterio aptum, trinam mersionem mandat proscribi ex Hispania & Gothorum jam conversorum usu, dans causam: *Ne dum, quod faciebant, faciunt, nostrum se morem vicisse glorientur.* Verùm Gothi non paruerunt, ipsosque inter atque Hispanos crevit dissensio, adeò ut quarta Toletana Synodus lamentetur in hæc verba. *De Baptismi Sacramento, propter quod in Hispanijs quidam Sacerdotes trinam, quidam simplam mersionem faciunt, à nonnullis schisma esse conspicitur, & unitas fidei scindi videtur. Nam dum partes diversa in baptizandis quasi contrario modo agunt, alij alios non bap-*

L. 1. Epist. 41.

C. 5.

baptizatos esse contendunt. Gothi Hispanos dixére non baptizatos. Neque mireris hoc. Etenim & Marcus, Ephesiorum Metropolita, eadem de caussa dixit nos latinos non esse validè baptizatos. Quin immò Gregorius Proto-Syncellus, orthodoxæ veritatis & Synodi Florentinæ defensor eximius, illi respondit in hæc verba. *Esse porrò necessariam trinam mersionem, patet. Nam & à Sanctis hoc traditum est, nempè ad significandam triduanam Domini sepulturam. Ità sanè traditum est: Et Ritualia latinorum ità observandum docent.* Ad quæ verba Scholiastes
F.721. marginalis: *Loquitur de necessitate quadam consuetudinis, non autem abso-*
721. *luta.* At nescio, an plenè ad mentem hominis Græci. Ut ut sit, post longas Hispanorum & Gothorum contentiones denuò ab utraque parte recursum est ad Sedem Apostolicam, tandemque receptum Gregorij magni laudatum decretum, his verbis. *Quapropter quia de utroque Sacramento, quod fit in sancto Baptismo, à tanto viro reddita est ratio, quod utrumque rectum, utrumque irreprehensibile in sancta Dei Ecclesia habeatur; propter vitandum autem schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus Baptismi mersionem, ne videantur apud nos, qui tertiò mergunt, hæreticorum approbare adsertionem, dum sequuntur & morem.* Ità quievêre omnes motus, & trina mersio intra Hispanias mansit apud solos Gothos in Ariana perfidia pertinaces.

Et hinc præsens Canon rectè damnat Eunomium, quod trinam mersionem in unicam mutârit: Nec enim ejusmodi Erronis fuit mu-
L.6.c.26. tare ritum Apostolicum. Hermias Zozomenus & quidam alij illum excusant, & Eutychio & Theophronio, ejus Presbyteris & discipulis, attentatum adscribunt; at credendum potiùs huic Canoni & Synodo, cui adstipulatur & Theodoretus. Hæc tamen audacia non fuit caussa, ob quam Canon Eunomij baptisma exufflat. Veram caussam
L.6. c.26. edicit dictus Zozomenus: *Quod non in Trinitatem, sed in Christi mortem assereret baptizandum.* Clariùs exponit Theodoretus in quarto libro hæreticarum fabularum. *Eunomius subvertit sancti Baptismi ritum, à Domino & Apostolis traditum, & contrariam legem apertè tulit, dicens non oportere ter immergere eum, qui baptizatur, nec Trinitatem invocare, sed semel baptizare in mortem Domini.* Quod nempè Dominus, justus pro injustis, non nisi semel sit mortuus. Ejus mersionem fædam, flagitiosam, à castis auribus relegandam describit idem Theodoretus. Baptisma hoc exufflat etiam, qui huic Synodo adfuit, sanctus Gregorius Nazianzenus, & Canon quinquagesimus inter eos, qui vulgò dicuntur Apostolorum.

Exufflat Canon noster etiam baptisma Montanistarum, in Phrygia præsertim grassantium. Caussam suprà audivimus à sancto Basi-
lio.

lio. Eosdem rebaptizari mandat octavus Canon Laodicensis, dicitque Gregorius Nazianzenus in tertia oratione de pace: *Phrygum ne nunc quidem sopitus furor, non multùm à prisca initiandi ratione recedentium.* Et Gregorius magnus ad Episcopos Hiberos. *Hi verò haeretici, qui in Trinitatis nomine minimè baptizantur, sicut sunt Cataphrygae, qui Spiritum sanctum perverso sensu esse quemdam pravum hominem Montanum credunt, cùm ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur, quia Baptismum non fuit, quod in errore positi in sancta Trinitatis nomine minimè susceperunt.* Hac de caussa sanctus Hieronymus eos non adjungit illis, quos in dialogo contra Luciferianos testatur à Romana Ecclesia non rebaptizari. L.9. Epist. 61. C.8.9.

Canon tandem exufflat & Baptisma Sabellianorum, quod Patrem & Filium in unum confundant, adeòque non baptizent in nomine trium Personarum. Neque obest sanctus Hieronymus, in laudato dialogo adseverans etiam Praxeam, Sabellij magistrum, qui, teste Tertulliano, Patrem crucifixit, à Romana Ecclesia non rebaptizari. Etenim Sabelliani fuére similes Photinianis seu Bonosianis, quos in sanctae Trinitatis nomine non baptizare, ideòque à nobis rebaptizari scribit in laudata Epistola Gregorius magnus, utrumque verò de illis negat secunda Synodus Arelatensis. Error nempè sibi ipsi non cohaerebat, diversisque temporibus & locis habuit alios & alios errores & ritus. Eadem de caussa dixi Arianos fuisse & non fuisse rebaptizatos. At quaestio est, quomodò sanctus Hieronymus in dicto Dialogo adfirmet Romae non consuetos rebaptizari Ebionitas, Manichaeos, Marcionitas, aliosque duplicis Divinitatis fabulones, quos faedum & ridiculum baptisma habuisse tradunt sanctus Ireneus, & sanctus Epiphanius? Respondeo Hieronymum loqui eo ipso sensu, quo sanctus Augustinus in libris de Baptismo contra Donatistas. *Si Evangelicis verbis,* IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITVS SANCTI, *Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis eius fides sub eisdem verbis aliud opinantis, quam catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata. Nam sub eisdem verbis non solùm Marcion aut Valentinus, aut Arius, aut Eunomius, sed ipsi carnales parvuli Ecclesiae tot diversitates opinionum fortasse, quot homines numerarent.* Nec Hieronymus, nec Augustinus voluerunt disquirere baptisma singulorum. C.1. L.3.c.15.

Haec Canonis verba, *Maximè qui ex Galatharum regione veniunt,* illustrat sanctus Hieronymus, Synodo huic coaevus, in praefatione ad librum secundum Commentariorum super Epistolam sancti Pauli Apostoli ad Galathas. *Scit mecum, qui vidit Ancyram, Metropolim Galathia*

thiæ civitatem, quot nunc usque schismatibus dilacerata sit, quot dogmatum varietatibus constuprata. Omitto Cataphrygas, Ophitas, Borboritas, & Manicheos: Nota enim hæc iam humanæ calamitatis vocabula sunt. Quis unquam Passalorincitas, & Ascodrobos, & Artotyritas, & cætera magis portenta, quam nomina, in aliqua parte Romani orbis audivit? Antiquæ stultitiæ usque hodie manent vestigia. Stultitiæ nativæ, ex qua Galathas Apostolus dixit stultos & insensatos. Eadem respexit sanctus Gregorius Nazianzenus in tertia oratione de pace: *Galatarum amentia, impijs nominibus affluentium.* Quæ omnia impia monstrorum nomina Canon meritò mandat rebaptizari.

SYMBOLVM
Concilij Constantinopolitani.

CRedimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium conditorem. Et in unum Dominum Iesum Christum, filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero; natum, non factum, homousion Patri, hoc est, eiusdem cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo, & quæ in terra. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis: & incarnatus est ex Spiritu sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus, ac sepultus. Et tertiâ die resurrexit secundùm Scripturas. Ascendit in cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris. Indè venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos; cuius regni non erit finis. Credimus in Spiritum sanctum, Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum: qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.

ſiam. Confitemur unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Exſpectamus reſurrectionem mortuorum; & vitam futuri ſæculi. Amen.

S C H O L I O N.

CRedimus. Exponit apud ſanctum Auguſtinum in ſermonum popularium appendice Auctor incognitus. *Vide, quod Dominus noſter non nos iubet diſcutere divina iudicia, ſed credere; nec rationem requirere, ſed fidem ſimpliciter & immobiliter exhibere.* Neque enim, quod voluere hæretici varij, ratio & intellectus fidem, ſed rationem & intellectum fides præcedere debet, obtenebratum vitiatæ mentis oculum mundans, facienſque nos, de quibus in Evangelio Dominus: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Et Propheta Iſaias: *Niſi credideritis, non intelligetis.* Ità ex ſeptuaginta, quos cum Hebraica veritate ſolidè conciliat, paſſim S. Auguſtinus. Ser.59.c.2

IN DEVM. Exponit idem Auctor. *Non dicit*, CREDO DEVM, *vel* CREDO DEO: *Quamvis & hæc ſaluti neceſſaria ſint. Aliud eſt enim credere illi, aliud credere illum, aliud credere in illum. Credere illi eſt credere vera eſſe, quæ loquitur; credere illum, credere, quia ipſe eſt Deus; credere in illum, diligere illum.* Et ipſe Auguſtinus in ſermone de verbis Domini. *Multùm intereſt, utrum quiſque credat ipſum eſſe Chriſtum, & utrum credat in Chriſtum. Nam ipſum eſſe Chriſtum & dæmones crediderunt. Ille enim credit in Chriſtum, qui & ſperat in Chriſtum, & diligit Chriſtum. Nam ſi fidem habet ſine ſpe & ſine dilectione, Chriſtum eſſe credit, non in Chriſtum credit. Qui ergò in Chriſtum credit, credendo in Chriſtum venit in eum Chriſtus, & quodammodò unitur in eum, & membrum in eius corpore efficitur: Quod fieri non poteſt, niſi ſpes accedat & charitas.* Nimiùm ergò errant, qui ſolo gehennarum metu credunt juſtificari hominem, & è mundi corpore transferri in corpus Chriſti. Quiſquis affectu ſaltem ſuper omnia necdùm diligit Deum, in ipſum necdùm credit, ipſum Symboli caput ſolo verbo & linguâ tenet, ſolis labijs honorat Deum, corde in alia diſtracto. *Credit Chriſtum, ſed odit Chriſtum; Habet confeſſionem fidei in timore pœnæ, non in amore coronæ*, ad inſtar dæmoniorum: *Nam & illa puniri timebant. Qui autem non credunt Chriſtum, adhuc nec dæmones imitantur.* Et quoniam amor noſter ſoli Deo adfigi poteſt, in ſolum Deum credi poteſt, juxta verbum Domini, quo ſe æqualem Patri Deum definijt: *Creditis in Deum, & in me credite.* Et verbum Apoſtoli: *Credenti in eum, qui iuſtificat impium.* Ser.61.c.2 Auctor incog.ſer.59 c.2.

In unum Deum. Evertit non tantùm Arianos, ſed & Marcionitas,

Encratitas, Manichæos, aliosque duplicis Divinitatis fabulones, adversùs quorum filios Priscillianistas, hâc Synodo posteriores, dixit, Symbolum exponens, prima Synodus Toletana. *Si quis dixerit vel crediderit alium Deum esse priscæ legis, alium Evangeliorum, anathema sit.*

Omnipotentem. Damnat gentile dogma Origenis, errantis finitam esse Dei potentiam, nec laudis prætextu circumscriptionem ejus tollendam: Deum tanta fecisse, quanta sub manu comprehendere & continere poterat; tantam materiam, quantam poterat administrare & ornare: Infinita enim complecti est impossibile. De quo videndum Rescriptum Justiniani Augusti ad Mennam Patriarcham Constantinopolitanum.

Damnat & Hermogenem, aliosque increatæ, ex qua operetur Deus, materiæ blaterones. Quod namque increatum, & non Deus est, Deo alienum est; & qui ex alieno operari, & ab ipso in opere suo debet adjuvari, neutiquam est omnipotens, uti variè in libro contra
C.8.9.15. dictum Erronem demonstrat Tertullianus. *Non est omnipotens, si non & hoc potens, ex nihilo omnia perficere.*

Factorem cæli & terræ. Hasce voces Niceno Symbolo superaddidit ex Apostolico hæc Synodus, haud dubiè contra suprà memoratas
C.6. Galatiæ pestes, præsertim Borboritas, id est, cænosos ob nimiam nefandorum mysteriorum turpitudinem, quos Gnosticos, & duplicis Divinitatis fabulones fuisse, adeòque & de Deo Creatore errasse, testatur in libro de hæresibus sanctus Augustinus.

Visibilium omnium. Non perfectorum tantùm, sed & minutissimorum usque ad muscam & culicem, de quibus rectè Tertullianus in li-
C.10. bro de anima: *Deum recogites tantum artificem in modicis, quantum & in maximis.* De istis vocibus in sexta sessione Synodi Florentinæ dixit ad Marcum Ephesium Andræas Rhodiorum Archi-Episcopus latinus. *In Symbolo primæ non dicebatur, visibilium omnium & invisibilium; & tamen secundæ Synodi Patres addiderunt.* Ex quo fonte hauserit, nescio: Certè nullum Symboli Niceni sine istis vocibus codicem licuit huc usque videre.

Et invisibilium. Denuò impetit duplicis Divinitatis fabulones, nugantes Angelos & animos nostros esse increatos, utpotè partes, effluxiones aut irradiationes substantiæ Divinæ, adversùm quos laudata Synodus Toletana: *Si quis dixerit animam humanam esse Dei portionem vel Dei substantiam, anathema sit.*

Et in unum Dominum Iesum Christum. Exponit Asclepas Trallensis Episcopus in literis ad Petrum Fullonem Episcopum Antiochenum, duos

duos Dei filios dogmatizantem. *Hac impietas in tempore Pauli Samosateni renovata invaluit, & sanctæ memoriæ Patres in Constantinopoli congregati, licet ipsum non invenerint, tamen dogma ipsius condemnárunt, hoc est, non sapere duos filios: Ideò unum filium in ipsorum diffinitione confessi sunt.* Verius est, quod excutiant Apollinarij hoc tempore grassantis, & distinctas perfectasque Domini nostri Jesu Christi naturas mutilantis & confundentis, in nos calumnias, de quibus Gregorius Nazianzenus in literis ad Cledonium Presbyterum: *Nos accusant, quasi duas naturas distinctas* (meliùs, *Divisas*, vertisset Jacobus Billius) *aut inter se pugnantes invehamus, atque excellentem & admirabilem unionem dividamus: Atque hâc illecebrâ vulgus pertrahunt.* Latiùs in ejus vita edisserit Gregorius Presbyter. Hìnc *amoliendæ calumniæ caussâ*, prædicari ubique jussit idem Gregorins: *Si quis duos filios, alterum ex Deo & Patre, alterum ex matre, non autem unum atque eundem induxerit, is ab ea filiorum adoptione excidat, quæ rectè credentibus promissa est.* Et Damasus Pontifex Paulino Antiocheno Episcopo mandat, ut etiam ab ipsis Apollinaristis ad Ecclesiam venientibus aut redeuntibus curet eundem articulum anathematizari. Hisce vestigijs insistit nostrum Symbolum. Epist. 2. Epist. 1. Epist. 1.

Ex Patre natum ante omnia secula. Hæc non sunt in Symbolo Niceno. Per nostram Synodum addita rectè in Florentina Synodo advertit laudatus Episcopus Rhodiorum: utique contra Marcellum Ancyranum, ejusque discipulum Fotinum, Syrmiensem Episcopum, delirantes Divinum Verbum non æternum & substantiale, sed nescio quid temporale & prolatitium esse, quod primam originem acceperit in Virginis utero & homine Christo. Sess. 7.

Deum de Deo. Etiam hæc addita Rhodius adfirmat. At certum est labi. Nullus Niceni Symboli authenticus codex illis caret. Illum corrigit D. Cardinalis Julianus, dicens ad Græcos. *Nos differentiam quamdam habemus inter libros nostros & vestros: Nam Constantinopolitano Symbolo, quod posteà Ephesi & Calchedone recitatum est, non habetur vox illa,* DEVM DE DEO. *Opus igitur hoc est videre in codicibus authenticis.* Et in alia Sessione. *Domine Præsul Ephesie, has voces*, DEVM DE DEO, *non habetis, at nos habemus:* utique in Symbolo Constantinopolitano. Etiamnum hodie generalia Concilia, per Paulum quintum Pontificem typis vaticanis vulgata, in Ephesinis & Calchedonensibus actis referunt Symbolum Constantinopolitanum sine istis vocibus. Hasce, *Deum verum de Deo vero*, quod illas includant, Græci crediderunt sufficere; nos latini Nicenæ Synodi verbis Spiritu sancto Sess. 7. Sess. 12.

conditis, & totius mundi reverentiâ consecratis, judicavimus nihil posse superflui inesse.

Deum verum de Deo vero. Etiam hæc verba Rhodius vult in Symbolo Niceno non fuisse: Sibi ipsi adversus, ubi dicit de S. Agathone Papa, scribente ad Synodum sextam. *Agatho Pontifex addit Niceno Symbolo, & quædam demit. Dicit enim de Filio*, FILIVM EIVS UNIGENITVM; *non dicit*, ET IN UNVM DOMINVM JESVM CHRISTVM FILIVM EIVS UNIGENITVM. *Deindè dicit*, ANTE OMNIA SAECVLA EX IPSO NATVM, *Tollit illa*, DEVM VERVM DE DEO VERO, LVMEN DE LVMINE, GENITVM NON FACTVM. *Interserit*, TAM QVAE IN CAELO, QVAM QVAE IN TERRA: *Quod nec in nostro nec in vestro Symbolo habetur.* Voces hæ, *Deum verum de Deo vero*, ut per S. Agathonem potuerint subtrahi, debent Niceno Symbolo infuisse. Neutrum ille recitat Symbolum, sed ex utroque quædam definitioni suæ consona desumit.

Qui descendit de cælis. De hisce verbis denuò ad Marcum Ephesiorum Episcopum dixit in Florentina Synodo D. Carnalis Julianus Cæsarinus. *Nos differentiam quandam habemus inter libros nostros & vestros: Nam in Constantinopolitano Symbolo, quod posteà Ephesi & Calchedone recitatum est, non habetur vox illa*, DE CAELIS. Et codex ab illo prolatus carebat illis vocibus, habebatque annotationem marginalem: *Vides, ut Græci dicant*, DE CAELIS. Isidoro tamen Ruthenorum Metropolitæ roganti, *An non & vos*, utique in publico Ecclesiæ cantu, *dicitis*, DE CAELIS, respondit: Maximè. Eadem differentia est in ipso Niceno Symbolo. Etenim Nicenæ Synodi acta residua, exemplaria ex Alexandrinis & Constantinopolitanis archivis missa ad Aurelium Episcopum Carthaginensem, Symbolum in sexta Ephesinæ Synodi actione lectum, nec non & à Socrate relatum, habent simpliciter, *Descendit*; at verò lectum in Synodo Calchedonensi, & quod suis ad Jovinianum & Leonem Augustos literis inseruerunt sanctus Athanasius & S. Leo magnus, habent, *Descendit de cælis.* Aliud nescio, quam quod ad laudatum Cardinalem dixit laudatus Isidorus: *Vndè sit orta hæc differentia, nescimus.*

Sess. 7.

Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine. Hasce voces Niceno Symbolo ex Apostolico addidit hoc nostrum. Rationem dat Diogenes Cyzicenus Episcopus, adversùs Eutychetem, de Niceno ubique buccinantem, de Constantinopolitano autem Symbolo altissimè silentem, dicens ad Synodum Calchedonensem. *Dolosè præposuit Synodum sanctorum Patrum, quæ in Nicæa facta est. Accepit namque additamenta à sanctis Patribus nostris propter perversum intellectum Apollinaris*,

Act. 1.

ris, Valentini, & Macedonij, & qui eis similes sunt. Et additum est in Symbolo sanctorum Patrum: QVI DESCENDIT, ET INCARNATVS EST DE SPIRITV S. EX MARIA VIRGINE. *Hoc namque prætermisit Eutyches, tamquam Apollinarista. Nam etiam Apollinaris suscepit sanctam Synodum, quæ in Nicæa facta, secundùm propriam perversitatem intelligens verba; effugit* DE SPIRITV SANCTO ET MARIA VIRGINE, *ut ne omninò unionem carnis confiteretur. Etenim sancti Patres, qui in Nicæa convenerunt,* QVOD INCARNATVS EST *dixerunt; Sancti autem Patres, qui post ipsos fuerunt, explanaverunt, dicentes:* DE SPIRITV SANCTO EX MARIA VIRGINE Synodalis ad Martianum Augustum Relatio ait voces illas additas contra illos, quibus diabolus persuasit negare carnalem Dei nativitatem ex Virgine, *Dei-Genitricis* vocabulum ab ejus generatione subripere, profanis sermonibus prædicare Divinitatem convertibilem atque passibilem, negare animæ nostræ medicinam, atque eam sine intelligentia in Salvatore adserere: Qui palàm sunt Apollinaristæ. Et Marcus Ephesiorum Metropolita in Synodo Florentina. *Secunda Synodus explanavit Symbolum prioris, de Incarnatione Dei verbi propter hæresim Apollinarij addens voci illi,* INCARNATVS, *illud,* DE SPIRITV SANCTO EX MARIA VIRGINE: *Hoc enim non habetur in Symbolo primæ.* Sess. 5.

Apollinaris quippè resorbuit atque revomuit sordes Valentini, de quibus sanctus Augustinus in libro de hæresibus. *Confingit Valentinus Christum à Patre missum, spiritale vel cæleste corpus secum attulisse, nihilque adsumpsisse de Virgine Maria, sed per illam, tamquam per rivum aut per fistulam, sine ulla carne de ipsa adsumpta transisse.* Apollinarij sensum exponit Gregorius Nazianzenus in literis ad Nectarium Episcopum Constantinopolitanum. *Affirmat Apollinaris nequaquam adventitiam esse carnem illam ob naturæ nostræ transformationem ab unigenito filio secundùm dispensationem adsumptam, verùm carnalem illam naturam in filio jam indè à principio fuisse.* Domini carnem esse dixit cælestem, antesæcularem, Divinæ ejus essentiæ naturaliter insitam, aut de ipsa factam, probans ex Apostolo dicente Adamum primum hominem de terra terrenum, Christum verò secundum fuisse de cælo cælestem. Probavit & ex Symbolo Niceno, definiente Christum Patri consubstantialem, utique non tantummodò secundùm Deitatem, sed & secundùm carnem. Quam blasphemiam exhorrens sanctus Athanasius exclamat in literis ad Epictetum Episcopum Corinthi: *Quis infernus ista evomuit?* Et Gregorius Nazianzenus in literis ad Cledonium Presbyterum. *Si quis carnem è cælo descendisse, ac non hinc & è nobis esse dixerit, anathema sit. Si quis sanctam Mariam Deiparam non credit, extra Divinitatem est. Si quis Christum per Virginem, tamquam per canalem de-* Epist. 2.

currisse & defluxisse, ac non in ea divino modo, quia absque viri opera, humano, quia procreationis lege, formatum esse dixerit, in simili impietate versatur. Hæc *novi erroris corrigendi studio* jussit ubique prædicari. Porrò illud, *Secundus homo de cælo cælestis*, & ejusmodi testimonia alia, *propter cælestem unionem dici existimandum est.*

Hasce voces, *Natum ex Maria Virgine secundùm Scripturas*, tamquam omni fideli notissimam tesseram assiduè in laudata Epistola inculcat sanctus Athanasius. Etiam Tertullianus in libro de Carne Christi dicens adversùs Valentinum. *Qualis est tortuositas vestra, ut ipsam EX-syllabam, præpositionis officio adscriptam, auferre quæratis, & alia magis uti? Per Virginem dicitis natum, non ex Virgine.* Variè ostendit dicere semper Scripturas *Ex Virgine*, & Valentinianæ locutionis speciem in ipsis non reperiri. Quidam Apostolicum Symbolum existimant fuisse verbum brevissimum, ex errorum nascentium caussa auctum successivè à viris Apostolicis, adeòque hasce voces adjectas adversùs Valentinum. Quidquid de priori sit, de posteriori errant. Etenim Apostolicum Symbolum strictissimo compendio referens in libro de velandis Virginibus Tertullianus disertè dicit: *Natum ex Virgine Maria.* Eòque omninò respexit sanctus Athanasius. Adversùs Valentinum per Apostolos locutus est spiritus ille, qui & per Prophetas. Etiam adversùs Ebionem, qui Dominum natum blasphemat de concubitu Josephi. Quomodò hæc Niceni, *Ex Patre natum*, verum, plenum, Patri consubstantialem Deum Filium; ità hæc nostri & Apostolici Symboli verba, *Ex Maria Virgine*, important, uti in ipso fidei decreto ait Synodus Calchedonensis, verum, plenum, consubstantialem filium hominem ex matre.

Tertul. l. de carne Christi. c.15.

Hinc additum, *De Spiritu sancto.* Nam Valentinus carnem nostram Domino abstulit, *quod oporteret similem nostri carnem similiter nasci, non de Spiritu, nec de Deo, sed de viri voluntate.* Virginis conceptum & partum impossibilem, ex viro & fæmina ortum credidit contagio obnoxium, adeòque indignum Deo. Hoc ipsum de Apollinario sanctus

L.1.c.7.

Hieronymus in libris contra Pelagianos, & Damasus Pontifex scribit in literis ad Paulinum Episcopum Antiochenum. *Sicut confitentes*

Epist. 1.

Dominum humanum corpus suscepisse, non statim ei & humanas vitiorum adiungimus passiones; ità & dicentes eum suscepisse & hominis animam & sensum, non statim dicimus & cogitationum eum humanarum subiacuisse peccato. Humanam carnem sine solemni nostræ originis contagio, humanam mentem sine solemni spiritus bello non posse suscipi cæcutivit argutus Apollinarius, atque ità excidit ipso capite Symboli, quo credere se profitebatur in Deum Patrem omnipotentem. Adversùs

eum

eum hæc Synodus verbis, *Ex Virgine Maria*, adjunxit verba, *De Spiritu sancto.* Spiritus namque sanctus à maculante libidinis ardore obumbratam Virginem fæcundavit *absque viri opera*, prolisque corpus & animam Divini verbi personæ infixit: Quod tamen ejus pater non sit, ostendit in Enchyridio sanctus Augustinus. Nazianz. Epist. 1. ad Cledon.

Et homo factus est. Esse incarnatum, & inhumanatum seu factum hominem, nequaquam sunt eadem. Quî differant, dixi ad Nicenum Symbolum ex Synodi Calchedonensis Relatione ad Marcianum Augustum. Hæc Synodus magis urget voces, *Et homo factus est*, adversùs Apollinarij voces, teste sancto Athanasio in literis synodalibus Alexandrinis ad Ecclesiam Antiochenam, *scandalosas & peregrinas.* Eas in literis ad Cledonium adducit Gregorius Nazianzenus: *Adorandum esse non hominem Deiferum, sed Deum carniferum.* Nihil dementiùs aut stultiùs fingi posse ait Gregorius, novi tamen Dogmatistæ de illis adeò gloriabantur, ut tamquam *insigne & admirandum orthodoxiæ elogium* inscriberent domorum suarum vestibulis. Eos sanctus Hieronymus passim vocat *dimidiatæ œconomiæ* adsertores. Deo namque Verbo aut veram carnem, aut animam, aut mentem detraxêre, divisi in tres factiones, de quibus sanctus Augustinus in libro de dono perseverantiæ. *Non ità dicimus Christum hominem, ut aliquid minùs habeat, quod ad humanam certum est pertinere naturam; sive animam, sive in ipsa anima mentem rationalem, sive carnem non de fœmina sumptam, sed factam de Verbo in carnem converso atque mutato: Quæ omnia tria falsa & vana hæreticorum Apollinaristarum tres partes varias diversasq; fecerunt.* Et hæc omnia, quod Joannes Apostolus dicat, *Et verbum caro factum est.* Caro ex Verbo facta, & quidem sine anima aut mente, quod in illa ipsum Verbum suppleret animæ aut mentis officia, utpotè conflatum cum ipsa in unam naturam, quomodò in nobis anima & corpus. Adversùm hasce nugas dicit Symbolum, *Et homo factus est*: Homo integer & plenus. Epist. 2. C. 24.

Sub Pontio Pilato. Rectè auctor incognitus apud Augustinum in sermonibus de tempore. *Iste Pilatus Iudex erat in illo tempore ab Imperatore positus in Iudea, sub quo Dominus passus: Cuius mentio ad significationem temporis, non ad illius personæ pertinet dignitatem.* Et sanctus Petrus Chrysologus. *Nomen iudicis dicimus, ut passionis tempus & rei gestæ veritas sic patescat.* Et Ruffinus in expositione ad Episcopum Laurentium. *Cautissimè, qui Symbolum tradiderunt, etiam tempus, quo hæc sub Pontio Pilato gesta sunt, designarunt: Ne ex aliqua parte velut vaga & incerta gestorum traditio vacillaret.* Erravêre igitur in collatione Ser. 131. Ser. 58.

Car-

Carthaginensi Donatistæ, dicentes, quod Apostoli suis Synodis nunquam diem aut Consulem apposuissent.

Resurrexit tertiâ die secundùm Scripturas. D. Cardinalis Julianus Cæsarinus in Synodo Florentina protulit varios codices antiquissimos, quorum quidam habebant, quidam non habebant voces, *Secundùm Scripturas.* Non à Synodo hac, sed à nescio quibus Græcis dixit postmodùm adpositas, & concludit. *Domine Præsul Ephesie, si & nos duas quasdam voculas apponimus, quæ non erant in Symbolo, non debetis reprehendere nos.* Esse tamen adpositas ab ipsa Synodo insinuat non obscurè sanctus Gregorius Nazianzenus in tractatu de fide Nicena. Quidquid sit, vox sancta est, desumpta ex Apostoli ad Corinthios Epistola. Et suprà à sancto Athanasio audivimus etiam hanc esse vocem symbolicam: *Natum ex Virgine secundum Scripturas.*

Sess. 12.

Et sepultus est. Apostolicum, quod hodie habemus, Symbolum addit, *Descendit ad inferos*, de quo Ruffinus in expositione ad Episcopum Laurentium. *Sciendum sane est, quod in Ecclesia Romana Symbolo non habetur additum,* DESCENDIT AD INFERNA: *sed neque in Orientis Ecclesiis habetur hic sermo, vis tamen verbi eadem videtur esse in eo, quod* SEPULTUS *dicitur.* Ruffini igitur tempore Aquileiensis habebat, Romana Ecclesia non habebat, modò autem habet, *Descendit ad inferos.* Ex quo confirmatur eorum opinio, qui etiam Apostolicum Symbolum successivè ex caussis existimant auctum.

Iudicare vivos & mortuos. Facundus Hermianensis Episcopus, in publicata nuper per Lucam Dacherium fidei catholicæ Epistola, hunc articulum ait non contra aliquam hæresim ab aliqua Synodo, sed tamquam fundamentalem ab ipsis Apostolis Symbolo insertum: Ab eo fidelium, Episcoporum præsertim, in Ecclesiæ pacifica communione defunctorum damnatorium judicium reservari supremo judici Jesu Christo, adeòque trium Capitulorum impugnatores, Theodorum Mopsuestenum Episcopum in catholica pace defunctum post mortem damnare ausos, esse ejus superbissimos prævaricatores, utpotè qui supremum Jesu Christi privilegium in se transcribant, ac esse velint Altissimo non tantùm similes, sed & superiores. At gravissimè errare Facundum, ad quintam Synodum ostendemus.

Cuius regni non erit finis. Sunt Gabrielis Archangeli ad Deiparam verba, adjecta contra Marcellum Ancyranum, delirantem Christi regnum, dum Patri fuerit traditum, fore exstinguendum, illumque redigendum in justorum ordinem.

Credimus in Spiritum sanctum. Rectè sanctus Athanasius in literis synodalibus ad omnem suam Diœcesim. *Nycena Synodus non alienavit*

Spi-

Spiritum sanctum à Patre & Filio, sed eum unà glorificavit cum Patre & Filio: utique dicendo, *Credimus & in Spiritum sanctum.* Et Synodi Calchedonensis ad Principem Marcianum Relatio. *Iterùm ait Symbolum Nicenum,* CREDO ET IN SPIRITVM SANCTVM, *sufficientem intelligentiam, quod Spiritus sanctus Deus sit, piis mentibus tradens. Si enim similiter ut in Patrem & in Filium, ità etiam in Spiritum sanctum credere iussit, manifestum est, quod quippè ut in Deum spem habere nos præcipit, unam naturam insinuans in Trinitate credentibus.* In quem enim credimus, esse debet verus & plenus Deus.

Dominum. Dicitur contra Macedonianos, de quibus Gregorius Nazianzenus in oratione in Dominicam Pentecostes. *Qui Spiritum sanctum in creaturarum ordinem deiiciunt, contumeliosi sunt & scelerati servi, atque adeò sceleratorum sceleratissimi. Sceleratorum enim servorum est imperium adspernari, & adversùs dominationem insurgere, atque id, quod liberum est, in eandem secum servitutis classem redigere.* Et Basilius, Seleuciæ Episcopus, Metropolita Isaurorum, in literis synodalibus ad Leonem Augustum, exstantibus post Synodum Calchedonensem, laudat hujus Synodi *piissimam legem, quam de sancti Spiritus substantia, eiusq; Dominatione posuit, religans blasphemam Macedonii linguam, & unam naturam esse eandem Patri & Filio & Spiritui sancto publicè confitens.* Addit Tresius, Melitinæ Episcopus, Armeniæ secundæ Metropolita, quod adversùs Macedonium hæc Synodus stabilierit trium personarum eandem substantiam, virtutem, Divinitatem, dignitatem, auctoritatem, *Dominationem imminutam.* Et Synodi Calchedonensis Relatio ad Principem Marcianum. *Quia fides Nicena simplicem de Spiritu sancto doctrinam protulit, nullo adhuc certamen afferente de eo, illi, qui de Arii stirpe progeniti sunt, apud semetipsos hanc pestilentiam retinentes, veris refutationibus convicti de Filio, in Spiritum sanctum suam blasphemiam transtulerunt, arbitrantes calumniam suam non posse detegi, cùm temerariè eum inter creatura vilia deputarent. Vndè qui defensionem veritati posteà detulerunt, eorum penitùs expulere contagia, Dominum illum declarantes.* Quod ipsum in sermone ad Principem acclamatorio dicit Synodus sexta.

Epist 35.

Epist. 49.

Et vivificantem. Hoc enim est in illis, quibus veram Divinitatem Scriptura exprimere solet, nominibus nequaquam infimum, de quo Doctor Nazianzenus. *Quid adeò magnum & divinum est, quod non possit Spiritus sanctus? Quod tam Divinum nomen, quo non appelletur? Eam vim habet, ut nobis vitam afferat, immò qui ipsamet vita est, qui per baptisma & resurrectionem denuò creat:* Quod est solius virtutis Divinæ.

Orat. de Spir. S.

Ex Patre procedentem. Ex hisce verbis Græci sumpsêre occasionem

errandi de processione Spiritus sancti; in eis hodiernum schisma fundant, arguentes nos tamquam hujus Symboli, & Ephesini de illo Canonis prævaricatores, ausos addere vocem, *Ex Filioq;* Franci, de eodem additamento cum Leone tertio Pontifice contendentes, per Legatos Bernarium Wormatiensem Episcopum, Jesse Ambianensem, & Adalardum Abbatem postulavére de Patribus Constantinopolitanis hocce Symbolum condentibus: *Nunquid non benè fecissent, si quatuor tantùm addendo syllabas tam pernecessarium fidei Sacramentum cunctis deinceps sæculis perspicuum redderetur?* Respondit verò Pontifex. *Sicut ego non audeo dicere non benè fecisse, si fecissent, quia procul dubio sicut cætera, quæ omiserunt, scientes utique, & non tam humanâ, quàm divinâ illuminati sapientiâ fecerunt; ità quoque non audeo dicere illud eos nobis minùs intellexisse, perpendisse cur dimiserint. Tu & tui videte, quid sentiatis de vobis: Nam & ego me illis, non dico, non præferam, sed etiam illud absit mihi, ut coæquare præsumam.* Omissionis caussam non obscurè insinuat laudata Calchedonensis Synodi Relatio ad Principem, dicens hæc verba, *Ex Patre procedentem*, inserta contra Macedonium ad profitendam plenam sancti Spiritus cum Patre & Filio consubstantialitatem: Eam enim important, quomodò verba, *Ex Patre natum.* Nicena Synodus de hac, quod nemo litigaret, nec apicem expressit, ità & hæc de illius needùm impugnatá processione: solam stabilivit Divinitatem.

Cum Patre & Filio adorandum. Etiam additur contra Macedonianos; quorum apud Doctorem Nazianzenum hæ erant impiissimæ voces. *Quis Spiritum adoravit? Quis vel veterum vel recentium? Quis enim oravit? Quo Scripturæ loco eum adorandum aut orandum esse, proditum est? undè hoc habuisti?* Respondet verò Gregorius: *Nos huius rei pleniorem caussam posteà reddemus, cùm de non scriptis dogmatibus disseremus.* Et Pergamius, Antiochiæ in Pisidià Episcopus Metropolitanus, in
Epist. 41. literis ad Leonem Augustum. *Sanctissimi centum quinquaginta Patres infirmitati languoris Macedonij obtulerunt medicinam, docentes Divinitatem unitatis inseparabiliter adorandam.* Et de sancto Amphilochio, uno horum Patrum, Jconiensi Episcopo, sanctus Hieronymus in catalogo virorum illustrium. *Amphilochius mihi nuper librum legit de Spiritu sancto, quod Deus est, & quod adorandus*: utique adversùm Macedonianos in defensionem hujus Symboli, secuti laudatum à Josepho Methonensi Episcopo locum sancti Athanasij in dialogo Orthodoxi cum Macedoniano. *Si ostendatur eandem habere naturam, Deitatemq;, quam Pater & Filius, Spiritum, qui ex ipso Patre per Filium effusus est, demonstratum quoque erit, ipsum esse adorandum, & latria cultu prosequendum.*

Et

Et conglorificandum. Desumptum est ex eodem Athanasio in libro adversùs Meletij & Eusebij simulationem. *Atqui impossibile esset in Trinitatis gloria Spiritum conglorificari, nisi esset ex Deo per Filium. modo processionis, non factus vi creationis. Non enim factura cum factore, neque servus cum Domino conglorificari debet.* Eò item respicit Gregorius Nazianzenus suprà respondens: *Nos huius rei pleniorem caussam reddemus, cùm de non scriptis dogmatibus disseremus.* Ex non scriptis dogmatibus unum est hymnus glorificationis, *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*, nequaquam à Nicena Synodo, sed ab ipsis Apostolis institutus. Ex illo, inquam, Athanasius & Gregorius, nec non sanctus Basilius, ac tandem hæc omnis Synodus consubstantialem sancti Spiritus Divinitatem definivit. Ità & sanctus Augustinus Pelagianos, Scripturis canonicis pro originis peccato adduci passim solitis contumaci astutiâ recalcitrantes, ex Apostolica traditione, quâ exorcizantur & exufflantur etiam infantes, convictos obmutire fecit: Adeò verbum traditum est scripto quandoque potentius. Ex adducto sancti Athanasij loco rectè Josephus, Methonensis Episcopus, in libro contra Marci Ephesij in Synodum Florentinam calumnias, ostendit Spiritum sanctum etiam ex Filio procedere. Epist. 105.

Qui locutus est per Prophetas. Etiam adponitur contra Macedonianos, apud Gregorium Nazianzenum blaterantes *Spiritus sancti Divinitatem nullo Scripturæ loco consignatam, esse Deum peregrinum, novum, introductitium, priscis hominibus ignotum.* Synodus definit adeò antiquum, ut per Prophetas locutus sit, adeòque Deus, cujus solius est sui Consistorij secreta nosse & enunciare. Videndus primus liber Didymi de Spiritu sancto. Addit Ruffinus. *Is ergò Spiritus sanctus est, qui in veteri testamento Legem & Prophetas, in novo Apostolos & Evangelia inspiravit.* Contra duplicis Divinitatis Fabulones Synodus nos etiam profiteri jubet unicum esse utriusque testamenti Deum auctorem. Orat. de Spir. S.

Et unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Cur post unius Dei, Patris, Filij Dei-Hominis, & Spiritus sancti confessionem addatur & Ecclesia, edicit sanctus Augustinus in Enchyridio. *Rectus confessionis ordo poscebat, ut Trinitati subiungeretur Ecclesia, tamquam habitatori domus sua, & Deo templum suum, & conditori civitas sua. Quæ tota hic accipienda est*: Et militans & triumphans, ex hominibus & sanctis Angelis una. Credimus porrò Ecclesiá, non in Ecclesiam: *Quia Ecclesia non est Deus, sed Dei domus.* Rectè Ruffinus ad Episcopum Laurentium: *Hâc præpositionis syllabâ creator à creaturis secernitur, & Divina separantur ab humanis.* Eadem de caussa non dicimus nos credere *in remissionem peccatorum aut in resurrectionem mortuorum.* Addit sanctus Augu- C. 56. Ser. 131. Enchyrid. c. 56.

stinus. *Spiritus sanctus, si creatura, non creator esset, profectò creatura rationalis esset. Ipse enim eßet summa creatura, & ideò in regula fidei non poneretur ante Ecclesiam, quia & ipse ad Ecclesiam pertineret in illa parte, quæ in cælis est.*

Vnam. Edisserit Synodus principales veræ Ecclesiæ notas, quarum prima est unitas, de qua sanctus Cyprianus in literis ad Florentium

Epist.69. Pupianum. *Ecclesia est Plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens. Vnde scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo, & si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non eße.* Porrò *sicut universa*

L.13.c.12. *terra*, inquit in libris de Dei civitate sanctus Augustinus, *ex multis terris, ità universa Ecclesia ex multis constat Ecclesiis*, earumque Episcopatus ex multis Episcopis, qui omnes in unum Romanum, quasi radij in solem, uniuntur. Non ergò solius in cælo invisibilis Jesu Christi, sed & visibilis in terra supremi Episcopi, nec non & dogmatis unitas facit unam Ecclesiam: Attamen variam varijs variarum gentium linguis, moribus, ritibus, tamquam, uti rectè S. Fulbertus Carnotensis Episcopus, *Reginam circumamictam varietatibus.*

Sanctam. Dicitur adversùm Novatianenses & Macedonianos, cunctis graviter lapsis, tamquam cæteros contagio maculantibus, claudentes sua conventicula, adeòque sibi solis arrogantes veram Christianitatis sanctitatem, exstinctam jam pridem in catholica orbis Ecclesia ex scabiosa malè reconciliatorum communione. Verùm Ecclesia militans nequaquam clausus paradisus est, sed apertus ager, cujus tamen electa frumenta à superseminatis per inimicum hominem zizanijs nec suffocantur, nec fædantur. In primæva Apostolorum Ecclesia Judas sibi soli, non alijs Domini corpus sumpsit indignè. Neque in solam militantem, sed & in triumphantem credimus Ecclesiam, unum nobiscum corpus purissimum à reatus macula & vitij ruga.

Catholicam. Pro hoc sibi titulo semper pugnasse quosvis hæreticos adfirmat frequenter sanctus Augustinus. At casso eventu. Neque enim, quod finxerunt Donatistæ, à totius Evangelicæ legis custodia, sed à

Aug de temp. ser.131. plena per omnem hujus sæculi locum & tempus diffusione Ecclesia dicitur Catholica. *Diversorum hæreticorum Ecclesiæ ideò catholicæ non dicuntur, quia per loca atque suas quasque Provincias continentur; hæc verò à solis ortu usque ad occasum unius fidei splendore diffunditur.*

Apostolicam. Aliud est Sedes, aliud Ecclesia Apostolica. Distinguit

C.36. eas in libro Præscriptionum Tertullianus, dicens apud quasdam Ecclesias adhuc præsideri ipsas Apostolorum cathedras, apud quasdam eorum authenticas literas recitari. Quocircà latè loquendo Apostolica sedes est quævis Episcopalis Cathedra, quæ quempiam Apostolum

ha-

habuit primum Cardinalem sessorem, aut certè imposito discipulo auctorem. *Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: Sicut Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum à Ioanne conlocatum refert, sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum.* Hinc & Cyrillus, & Ioannes, Cathedræ Hierosolymitanæ, per sanctum Iacobum Apostolum insessæ, Episcopi se Apostolicæ Sedis Antistites asseruerunt: Quod licet Synodus Seleuciensis ac sanctus Hieronymus damnârint, tandem tamen evicisse videtur Episcopus Iuvenalis. Eadem de caussa in sexta Synodo Constantinus Augustus, & Constantinus Diaconus & Carthophylax Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ejus sedem vocant Apostolicam: Quod nempè Græci tandem fingere cœperint primum ejus Episcopum fuisse Apostolum Andræam. C.32. Epist.61.

Huncce titulum quidam adeò ambivêre, ut extenderint & ad illas Ecclesias, in quibus quis Apostolus fuit sepultus. Ità Cyprij, reperto apud se sancti Barnabæ corpore, Patriarchicum Ecclesiæ Antiochenæ jugum excussêre, dicentes & suam Metropoliticam sedem jam esse Apostolicam. Quod item Turpinus Remensis Episcopus de Compostellana ob sancti Iacobi, & de veneta ob S. Marci, licet eò dumtaxat translati, reverentiam adfirmat S. Petrus Damiani. C. 19. Ser. 16.

Quin immò omnem Episcopalem Cathedram quidam vocant sedem Apostolicam. Ità S. Gregorius Turonensis Episcopus appellavit Cathedram Burdigalensem, nec non & alias dumtaxat Provinciales. Eodem modo loquuntur secunda Synodus Valentina, & quarta Parisiensis. Et Valentinus, Adrumetini Monasterij Præfectus, sancto Augustino, Provinciali dumtaxat Episcopo, attribuit Apostolatum. Et Ephesinæ Synodo subscribens Eutychius, Theodosiopolitanus Episcopus, addit sibi hunc titulum: *Eutychius sanctæ Dei Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Theodosiopolis Episcopus.* Quod nempè quisque Episcopus sit successor Apostolorum. C. 1. C. 1. Epist. 254

Verùm propriè & strictè nulla est Sedes Apostolica, nisi quam aut per se, aut per proprium ex Baptismo & manus impositione filium & vicarium, tamquam Cardinalis Episcopus, insedit & fundavit ipse Apostolus Petrus. Quod ejus solius Cardinalis insessio faciat Sedem Apostolicam, disertè ad Eulogium Alexandriæ Patriarcham scribit Gregorius magnus, adeòque & tres dumtaxat esse Sedes Apostolicas, Romanam, Alexandrinam, Antiochenam. Quod ipsum in prima sua Synodo adfirmat Gelasius primus. Hinc Joannem, Hierosolymæ Episcopum, sese pro Apostolicæ Sedis Antistite ostentantem, graviter tamquam Ecclesiasticæ Hierarchiæ perturbatorem arguit sanctus Hieronymus, opposito septimo Niceno Canone, juxta quem Ælien- L. 6. Epist. 37. Epist. 62.

ſis Epiſcopus non eſt, niſi ſuffraganeus Metropolitæ Cæſareenſis. Eadem de cauſſa ejus anteceſſorem Cyrillum jam audivimus damnatum à Synodo Seleucienſi. Et ad Anatolium, Conſtantinopolitanum Epiſcopum, Synodi Calchedonenſis auctoritate tres autocephalas Diœceſes invadentem, ſcribit ſanctus Leo magnus, quod, quidquid egerit,
Epiſt.54. nequeat ſedem ſuam facere Apoſtolicam. Et Bulgaris, quinam Epiſcopi ſint veraciter Patriarchæ, ſciſcitantibus reſpondit Nicolaus primus eos eſſe ſolos tres memoratos, quod ſoli habeant Sedem Apoſto-
C.92. licam: Eâ carere Conſtantinopolitanum & Hieroſolymitanum, ideòque licet dicantur, tamen reverà non eſſe Patriarchas. Et quia Alexandrinam ſedem dumtaxat per Marcum diſcipulum ſanctus Petrus inſedit, in Relatione ad Damaſum Pontificem rectè hæc præſens Synodus Cathedram Antiochenam vocat *vetuſtiſſimam ac verè Apoſtoli-*
Epiſt.18. *cam.* Eſt enim, uti ad Alexandrum ejus Patriarcham ſcribit Innocen-
c.1. tius primus, *Prima primi Apoſtoli Sedes, quæ urbis Romæ Sedi non cederet, niſi quod illa in tranſitu meruit, iſta ſuſceptum apud ſe, conſummatumque gauderet.* Quo reſpicit & ſanctus Auguſtinus ſcribens ad quoſdam
Epiſt.162. Epiſcopos Donatiſtas: *In Romana Eccleſia ſemper Cathedræ Apoſtolicæ viguit Principatus.*

Porrò Apoſtolica Eccleſia aliud non eſt, quàm Eccleſia Apoſtolici dogmatis & communionis, Tertullianus in libro Præſcriptionum di-
C.20.21. vidit in duas claſſes: In Eccleſias Apoſtolicas *fidei matrices & origina-*
32.36. *les,* & in Eccleſias Apoſtolicas *de conſanguinitate doctrinæ*, utpotè *ſoboles Eccleſiarum Apoſtolicarum.* Originales & matrices dicit eſſe illas, *apud quas ipſæ adhuc Cathedræ Apoſtolorum præſidentur, aut ipſæ authenticæ eorum literæ recitantur, quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prædicando tam vivâ voce, quàm per Epiſtolas poſteà.* Ejuſmodi ſunt Corinthiorum, Galatharum, Philippenſium, Epheſiorum, Theſſalonicenſium Eccleſiæ, & præſertim Hieroſolymitana, quam in Relatione ad Damaſum Pontificem hæc præſens Synodus rectè dicit eſſe *omnium aliarum matrem.* De Sion enim exivit lex, & verbum Domini de Hieruſalem, ad quam, multifariè multiſque modis olim loquens Deus in Prophetis, noviſſimè diebus iſtis non tantùm in Apoſtolis, ſed & in unigenito Filio eſt locutus. Alias originales & matrices docuerunt Apoſtoli, quæ acceperant à Chriſto; hanc ipſe Chriſtus, quæ acceperat à Deo.

C.36. Rectè tamen Tertullianus de Eccleſia Romana. *Iſta quam felix Eccleſia? Cui totam doctrinam Apoſtoli,* Petrus, Paulus, & Ioannes, *cum ſanguine ſuo profuderunt.* Licèt non tempore & propagine, longè tamen eminentiori gradu, Divina nempè ſupremi Primatus poteſtate, eſt om-

omnium Ecclesiarum prima, mater, caput. *Ad hanc Ecclesiam*, inquit L.3.c.3.
Apostolicis temporibus vicinus sanctus Irenæus Episcopus Lugdunensis, *propter potentiorem principalitatem necesse est convenire omnem Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.* Adeò Romanus Primatus, quod Lutherus & Calvinus garriunt, non est hesternus.

Ecclesiæ ex sola *doctrina consanguinitate* Apostolicæ sunt illæ, quæ sunt vera ac germana per legitimum *Apostolici seminis traducem* soboles matricum & originalium, de quibus idem Tertullianus. *Per Iu-* C.20.
daam contestatâ fide in Iesum Christum, & Ecclesiis institutis, in orbem profecti Apostoli eandem doctrinam eiusdem fidei nationibus promulgârunt, & proindè Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, à quibus traducem fidei, & semina doctrinæ, cætera exindè Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidiè mutuantur, ut Ecclesiæ fiant. Ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles Ecclesiarum Apostolicarum. Omne genus ad originem suam recenseatur, necesse est. Itaque tot & tantæ Ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ & Apostolicæ, dum unà omnes probant unitatem: Dum est illis communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis. Quæ iura non alia ratio regit, quàm eiusdem Sacramenti una traditio. Et infrà. *Illæ Ecclesiæ, quæ licet nullum* C.32.
ex Apostolis vel Apostolicis auctorem suum proferant, ut multò posteriores, quæ denique quotidie instituuntur, tamen in eadem fide conspirantes non minùs Apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ. Hoc sensu nostrum Symbolum universam Ecclesiam esse dicit, non solummodò unam, sanctam, & catholicam, sed & Apostolicam; utique vel primâ origine, vel legitimo traduce.

Hinc hæreticorum & schismaticorum conventicula nullo modo sunt Ecclesiæ Apostolicæ: Neque ut matres, neque ut soboles. Alienum quippe suum dogma neque ab ipsis Apostolis, neque ab eorum in docendi munere per legitimũ traducem filijs & successoribus acceperunt. Primus cujusque hæreseos aut schismatis fundator semper est, quod de Victore, primo Donatistarum Romano Episcopo, scribit
Optatus Milevitanus: *Filius sine patre, Tyro sine Principe, discipulus sine* L.2.
magistro, adeòque filius impius, ramus fractus, palmes abscissus, rivus à fonte concisus. Sanctus Irenæus vocat *abscissum à principali successio-* L.4.c.43.
ne Apostolorum, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundùm placitum Patris acceperunt.

Quæstio est, cur omnes hasce veræ Ecclesiæ notas Synodus Symbolo indiderit? Rationem dat Hermias Zozomenus. *Theodosius Impe-* L.7.c.12.

rator

vator vigentium tunc sectarum Antesignanos convocavit, ut aut discerent aut docerent eorum veritatem, de quibus inter se contendebant. Sperabat enim se omnes effecturum esse concordes, si communem ipsis de controversiis doctrina disputationem proposuisset. Scio hanc Synodum posteriorem nostro Symbolo: Ejus tamen tempore per omnem Orientem grassabantur Novatianenses, Ariani, Eunomiani, Macedoniani, Photiniani, Apollinaristæ, blaterantes esse multos vocatos, paucos electos, perijsse Ecclesiam de orbe terrarum, & in solis suis paucis esse Christum. Et quidem Novatianenses & Macedoniani singulari & modestiâ & veste singularem sanctimoniam mentiti non paucos in errorem circumscripserunt. Hinc ergò edicit Synodus nullam apud ipsos esse veræ Ecclesiæ notam, ideòque illis esse Ecclesias, quomodò sunt favi apud vespas: Et principales Ecclesiæ notas, ut à fidelium memoria nunquam abirent, Symbolo infixit.

Confiteor unum Baptisma in remißionem peccatorum. Apostolicum Symbolum simpliciter habet *Remißionem peccatorum.* Caussam dat
C.64. sanctus Augustinus in Enchyridio. *Post commemorationem sanctæ Ecclesiæ in ordine confessionis ponitur remissio peccatorum: Per hanc enim stat Ecclesia, quæ est in terris,* utpotè sancta hocce potiùs quotidiano dono, quàm perfectione virtutum. Hocce Symbolum addidit *unum Baptisma,* contra sancti Basilij suprà adductas cogitationes.

DISSERTATIO

DE SYNODO CONSTANTINO-POLITANA.

CAPUT PRIMUM.

Synodi occasio, Episcopi, locus, tempus.

Constantio, Juliano, & Valenti Augustis, qui Arianis & quibusvis hæreticis permisêre omnia, juxta præcedentes prophetias, Meletio Episcopo Antiocheno factas, Ecclesiam tandem suam miseratâ Divina Clementia dedit successorem Theodosium, Hispanum, avitè pium, utpotè filium christianissimi Ducis Theodosij, impijssimè per Valentem trucidati. Per omnem Orientem grassabantur Ariani, Eusebiani, Eunomiani, Macedoniani, Fotiniani, Apollinaristæ, Novatianenses, enumeratáque superiùs Galatharum monstra: Et ipsi Catholici in partes lacerati. Quis enim nescit schisma

Eu-

Eustatianum Ecclesiæ Antiochenæ? Etiam Constantinopolitanam sciderat Petrus Alexandrinus Episcopus, Gregorio Nazianzeno, à se priùs probato & confirmato, superintrudens, & quidem auro mediante, Maximum Cynicum, hominem variè impurum.

Divino negotio vigilanter se dedit Theodosius, cogitationum ferias nescijt, nec dignatus terrena curare, nisi cælestibus paruisset. Demophilum Arianum Episcopum ejecit Constantinopoli, Episcopatum confirmavit Gregorio Nazianzeno, adversùm hæreses sanxit varia, tandemque indixit totius Orientis generalem Synodum in Regia civitate ex tribus præsertim caussis, relatis ab Hermia Zozomeno: ut Nicena fides confirmaretur, decideretur quæstio de Episcopatu Constantinopolitano, & Macedoniani Ecclesiæ unirentur. Gregorius Nazianzenus, in carmine de vita sua, meminit solius secundæ caussæ, dicens de Synodo: *Coit repentè, firmet ut thronum mihi.* Quibus verbis duas alias quidam putant excludi. At Gregorius Presbyter, & hæc ipsa Synodus in Relatione ad Principem disertè ait sese ob omnes tres convenisse. L.7.c.7.

Convenêre Episcopi & orthodoxi & Macedoniani. Hi ex solò ferè Hellesponto, intra quem præsertim sparsi & conclusi, triginta sex, duce Eleusio Metropolitâ Cyziceno; istos fuisse centum sexaginta sex scribit apud Photium in Bibliotheca Efremius Antiochenus Episcopus, verùm rectè Photius, ut rem certam, adserit fuisse solos centum & quinquaginta. Gregorius Nazianzenus, in carmine de vita sua, & in ejus vita Gregorius Presbyter, fuisse dicunt *ex omni Romanorum imperio, præterquam ex Ægypto & occiduis partibus.* Ex Occidente tamen adfuit, haud dubiè cum suffraganeis, sanctus Acholius Thessalonicensis Episcopus, Theodosij Augusti baptizator, & ex Ægypto postmodùm supervenit cum suis & varijs Macedonibus Timotheus Patriarcha Alexandrinus. Adfuere Episcopi clarissimi: Meletius Antiochenus, Gregorius Nazianzenus, Helladius Cæsareensis in Cappadocia, Otrejus Melitinensis, Diodorus Tharsensis, Amphilochius Iconiensis, Eulogius Edessenus, Acacius Berrheensis, Gregorius Nyssenus, ejus frater Petrus Sebastensis, & Cyrillus Hierosolymitanus, conversus ad nos à Macedonianis. Adfuisse creditur & sanctus Hieronymus, utpotè auditor Gregorij Nazianzeni. L 228.

Adfuere & alij, de quibus dictus Gregorius. *Dimiserunt me ab urbe non admodùm repugnantem: Quippè turpissimum erat illorum me fidei cauponum in numero esse, quorum alij nepotes erant eorum, qui tributorum scribæ fuerant, & aliud nihil animo volvebant, quam falsas & subdolas rationum depravationes; alij ab aratris venerant adusti à sole; alij à ligone &*

bidente totum diem non quiescente; alij remos, exercitusq; reliquerant, redolentes adhuc sentinam, vel corpus fœdatum cicatricibus habentes, populi gubernatores & duces militum, qui ne minimùm quidem concessuri viderentur: Nonnulli etiam opificiorum, quæ citra ignem operas suas perficere nequeunt, gnari, ne fuliginem quidem carnis integrè abluerant, flagriones, ac pistrinis digni. In carmine de vita sua eos vocat turbam graculorum, catervam juvenum similem tabernæ, vespas concito impetu in frontem insilientes, consortio Episcopali indignos, anseres & grues temerè in invicem pugnantes, mutuaque vitia inimico animo proferentes in publicum. Ejusmodi fæces thronis Episcopalibus intruserat factio Eusebiana.

Quæstio est, an à solo Theodosio Augusto, an etiam à Damaso Pontifice fuerit convocata Synodus. Convocatam etiam à Damaso affirmat antiqua, per Martium Milesium publicata, vita ejusdem Pontificis: *Sancta secunda Synodus eius præcepto & auctoritate apud Constantinopolim celebrata est, cui præfuerunt Timotheus Alexandrinus, Meletius Antiochenus, Cyrillus Hierosolymitanus, & Divinus Gregorius Constantinopolitanus.* Quod ipsum in sermone ad Principem acclamatorio affirmat Synodus sexta. Et Nilus, Rhodiorum Metropolita, in
Act. 18. synoptica enarratione Synodorum generalium: *Praerant Synodo Damasus Romæ, Nectarius Constantinopolis, Timotheus Alexandriæ, Cyrillus Hierosolymitanus, Meletius Antiochenus, Gregorius Nyssæ, & Amphilochius Iconij Episcopi.*

Respondeo tamen à solo Theodosio congregatam, utpotè singularem solius Orientis, ad ejus solius motus Confirmatâ Nicenâ fide componendos. Nulla enim legatio, nulla Epistola Apostolica adfuit, sine quibus fieri nequit totius Ecclesiæ Synodus generalis. Quomodò à Nilo dicatur præsedisse Damasus, exponit in literis de septem generalibus Synodis ad Michaëlem Bulgariæ Principem Photius, aiens præsedisse Timotheum, Meletium, Cyrillum, Nectarium, atque addens: *Quibus haud multò post & Damasus Episcopus Romæ eadem confirmans atque sentiens accessit*, id est, jam factam sine suo jussu Synodum habuit ratam, & confirmavit.

Dicti item quatuor Episcopi nequeunt auctoritate Apostolicâ præsedisse. Etenim Timotheus Alexandrinus non nisi post conditos Canones & Symbolum advênit, non nisi post ejus adventum Nectarius est creatus Episcopus, Cyrillus erat ex Macedoniano Neophytus, & de Meletio ait adducta vita Damasi Pontificis: *Antiochiæ erant tres Hæresiarchæ, Meletius, Vitalis, atque Paulinus.* Quæ paucæ voces tot errores habent, quot syllabas, ideòque authorem suum esse nullius fi-

dei produnt. Ut ut sit, Meletij Episcopatum nunquam probavit Romana Ecclesia, ideòque præsidendi vices nequit illi Damasus dedisse. Ob sedium ergò suarum prærogativam, & singularis doctrinæ aut potestatis meritum præsedisse dicuntur, quomodò in literis ad Zenonem Augustum Felix tertius Pontifex scribit Nicenæ Synodo præsedisse S. Eustatium Episcopum Antiochenum: Et quomodò Iuvenalis Hierosolymitanus, Thalassius Cæsareensis, & Basilius Seleuciensis in Ephesino latrocinio dicuntur fuisse Synodi Primates. Epist 5.

Difficultatem habent verba Synodi Calchedonensis in Relatione ad Marcianum Augustum: *His, qui in his partibus Apollinarij detexerunt pestilentiam, Nectarius cum Gregorio tenuit Principatum.* Et sextæ Synodi sermo acclamatorius ad Principem: *Gregorius & Nectarius conventum congregabant.* Qui simul non fuêre Episcopi, quomodò possunt simul Synodo præsedisse, aut illam congregasse? Respondeo tempora distinguenda, duasque aut tres intra breve tempus Synodos Constantinopolitanas, quorumdam errore confusas in unam, quarum primæ Gregorius, secundæ & tertiæ præsedit Nectarius. Apud Chrystophorum Iustellum incogniti auctoris libellus synodicus œcumenicam Constantinopolitanam à Nectarij Episcopi Synodo, dictarum trium postrema, rectè distinguit. C. 75. 77.

Synodi locus fuit Oratorium sanctorum Martyrum Pantalemonis & Marini, postmodùm *Concordia* dictum, de quo sanctus Joannes Damascenus in opere de sacris imaginibus. *Erant in Oratorio reliquiæ Pantalemonis & Marini Martyrum, quod quidem Oratorium* CONCORDIA *nominatur, quoniam illic centum quinquaginta Episcopi, Theodosio magno Imperatore regnante, in eandem sententiam convenêre.* Quod ipsum in carmine de vita sua testatur Gregorius Nazianzenus. Inivêre non tantùm fidei, sed & fraternæ communionis concordiam, etiam inter orthodoxos scissam ex discordijs Eusebianis. Porrò Synodi tempus fuit Consulatus Eucherij & Syagrij, Christi trecentesimus octuagesimus primus, Damasi Pontificis quintus decimus, Theodosij Augusti annus tertius. L. 3.

CAPVT II.

Acta Synodi circa fidem.

QVid circa fidem Synodus egerit, exponit in suis literis ad Damasum Pontificem. Ait à se stabilitam fidem Nicenam, & circa sanctissimam Trinitatem contra Sabellium, Arium, & Eunomium, & circa Dominicam Incarnationem contra Apollinarium, &

 addit.

addit. *De quibus pleniorem delectationem animi poteritis percipere, si libellum in Concilio Antiochiæ convocato de fidei decisione editum, & eum etiam, qui superiori anno à Constantinopolitano Concilio generali compositus est, legere placuerit, in quibus tum fidem nostram uberiùs exposuimus, tùm hæresibus nuper excogitatis anathema scripto proditum denunciavimus.* Et in Relatione ad Theodosium Augustum. *Primùm mutuam inter nos concordiam renovavimus, deindè verò breves etiam pronunciavimus definitiones, quibus & Patrum, qui Nicææ congregati fuerunt, fidem confirmavimus, & quæ adversùs eam obortæ sunt, perversas hæreses ac pravas opiniones extrema cum execratione & detestatione reprobavimus.* Fecerunt hæc partim in primo Canone, partim in fidei Symbolo: Et hic est fidei libellus à generali Concilio editus anno superiori. Ex quo liquet in primo congressu editum Symbolum, quod à Gregorio Nysseno Nicephorus Calixtus, à Gregorio autem Nazianzeno fuisse compositum asserit in Florentina Synodo, tanquam ex opinione
Sess 23. communi, Marcus Metropolita Ephesinus. Quis sit Synodi Antiochenæ libellus, dixi suprà.

Prima itàque damnata hæresis est Spiritus sancti impugnatrix Macedoniana. Confirmatum est Liberij Pontificis, Synodo nuper Thyanensi transmissum, de illa judicium, ac definita, uti scribit Fa-
L. 5 c. 5. cundus Hermianensis Episcopus, Spiritus sancti cũ Patre & Filio consubstantialitas, atque ità cessavit sancti Basilij dispensatio, ob quam insimulatus fuit timiditatis, dissimulationis, prævaricationis, impietatis, tamquam qui de Patre & Filio rectissimum sentiret & doce-
Greg. Naz. Epist. 26. ret, Spiritum verò sanctum convelleret & deijceret, aut certè rectam de illo doctrinam obscurè subindicaret, ac velut obumbraret, nec veritatem liberè profiteretur, oratoriè magis quàm piè auditorum aures obruens, dicendique facultate subdolum animi consilium obtegens. De sancti Spiritus consubstantiali Divinitate adeò Basilius rectum sensit, ut ipsum Synodus Calchedonensis in Relatione ad Martianum Augustum vocet *magnum illum gratiæ ministrum, qui Spiritus sancti doctrinam diligentiùs tradidit.* Hìnc Macedoniani sub Valente Augusto per Cappadociam potenter grassati quæsivêre omnem ansam illius eijciendi de Primatiali Cathedra, demutanda in sceleris sui propugnaculum & arcem, ex qua simplices animas caperent & popularentur. Nudam & apertam de Spiritus sancti consubstantialitate vocem ex Basilij ore venabantur. Quas ille insidias eludens,
Orat de S. Basil. *alijs quidem vocibus è Scriptura petitis, testimonijsq́; minimè dubijs eandem vim habentibus adversarios comprimebat, sed tamen propriam & apertam vocem interim usurpare differebat, tùm ab ipso Spiritu, tùm à synceris eius*

pro-

propugnatoribus gratiam petens, ac rogans, ne hoc suo consilio offenderentur, nec committerent, ut dum unam voculam mordicùs retinere conarentur, omnia perderent. Salutem nostram non in vocibus, sed in rebus consistere, ideòque has, non istas præsertim curandas, & *Reipublica non posse maiorem pestem & perniciem adferri, quam si ab hæreticis occuparetur Ecclesia.*

Egit eo fermè modo cum Macedonianis, quo suprà sanctum Hilarium Pictaviensem Episcopum, dum Philippopolitanum, Antiochenum, & Ancyranũ Symbolũ admisit & in sanum sensum traduxit, egisse dixi cum Eusebianis. Eorum ambiguas & æquivocas de Spiritu S. voces tractavit & usitavit eâdem arte, abstinens solâ voculâ, *Consubstantiale*, quàm fermè solam, quomodò de filio Eusebiani, ità isti de Spiritu sancto aversabantur. Quam agendi rationem, tamquam è divinis eloquijs haustam dispensationem, & in ejus funebri encomio, & in quodam solemni eruditorum graviter obtrectantium convivio, ácriter defendit sanctus Gregorius Nazianzenus ex auctoritate Regij Prophetæ, laudantis virum justum, qui *disponit*, seu dispensat *sermones in iudicio*, asserensque ex Basilij Episcopatu tunc pependisse omnem Cappadociæ Ecclesiam, atque adeò ejus conservationem fuisse vocum ità librandarum justam caussam. Quare & librabat solus ipse, Clericis suis, *quos ob nominis obscuritatem nemo accusaturus, patriâq; eiecturus esset, loquendi committebat libertatem.* Etiam Gregorius Nyssenus, Theodorus Antiochenus, & Sophronius pro ipso edidêre apologias, à Photio in Bibliotheca relatas.

Alij tamen ejus consilium, tamquam vanum, frigidum, ludificatorium, ignaviæque & dilecto Episcopatui retinendo potiùs, quàm orthodoxæ doctrinæ consulens, sunt insectati, adseverantes *Longè esse præstantiùs nostros per veritatis prædicationem tueri, quam huiusmodi cautione & dispensatione inutiles reddere, nec interim alienos elucrari.* Ab his permotus ipse Apologus Nazianzenus scribit ad Basilium. *Tu verò, vir Divine & sacrosancte, facito, ut nos doceas, quousque in disputatione de Spiritus sancti Divinitate progredi, quasque voces usurpare, & quibusque cautione, certâque dispensatione uti debeamus, ut ea adversùs eos, qui contradicunt, in promptu habeamus.* Quin immò in funebri sancti Athanasiij encomio ad istorum sententiam & argumenta accedit penitùs, laudans Athanasium, quod primus & fermè solus cæperit apertis vocibus consubstantialem Spiritus sancti Divinitatem prædicare, atque addens. *Huius auctoritate permoti tùm Occidentales, tùm quidquid in Oriente vitale est, partim animo tenùs pietatem colunt, ulteriùs autem tam non proferunt, velut mortuum quemdam fœtum in materno utero* Epist. 26.

exstinctum; partim eam fomitis cuiusdam instar leniter accendunt, hactenus scilicet, ut tempori atque ardentioribus orthodoxis aut piæ plebi utcumque satisfaciant; partim denique omni verborum libertate veritatem prædicant: A qua parte utinam ego stem, non iam timiditati meæ, ignaviaque consulens, eique aliorum timiditatem & mentis imbecillitatem prætexens. Satis, superque dispensavimus, non modò nobis alienos non adiungentes, sed nostros etiam perdentes, quod sanè malorum dispensatorum est. Patentissimè taxat S. Basilium, S. quippè Athanasius, in literis ad Ægypti, Syriæ, Phœniciæ, & Arabiæ Episcopos, dispensationem illam graviter culparat. Easdem ob rationes præsens Synodus Spiritus sancti Consubstantialitatem, apertè deinceps ab omnibus profitendam, Symbolo infixit, omni dispensatione rejectâ. Jam enim per Theodosium Augustum exstinctus erat hæreticorum dominatus, redditaq; de Deo rectè loquendi plena libertas. Licèt porrò vocem ipsam, *Consubstantiale*, Synodus Symbolo non infixerit, infixit tamen varijs alijs comprehensam ejus virtutem.

Quin immò Nilus Rhodiorum Episcopus in libro de generalibus Synodis dicit editum hoc anathema. *Nos accepimus & credimus omnibus modis sanctum Spiritum esse verum Deum, consubstantialem Deo tùm Patri tùm Filio, quoniam Dominus Iesus sic dixit, ut baptizemur & credamus in nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quod non dixisset, si creatura esset. Ei igitur, qui non ità sentit, anathema.* Quod Synodus sancti Spiritus consubstantialitatem definierit, certum atq; indubitatum est; at istius decreti fides est penes solũ Nilũ: Ei nullus antiquus attestatur.

Etiam hæc Symboli verba, *Qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur*, impetunt sancti Basilij dispensationem. Antiquus, ab Apostolis ac ipso Christo Domino traditus, glorificationis hymnus est *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto.* Primus mutavit puri puti Arianismi restaurator Ætius, Ecclesiæ Antiochenæ Diaconus, psallendum jubens, *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto.* Sunt voces æquivocæ, innoxiæ tamen, quibus & sanctus Leo Pontifex usus est, Ser. 1. c. 3. in sermone de Domini Nativitate dicens ad populum: *Agamus gratias Deo Patri per Filium in Spiritu sancto.* Eis Arianum virus, tamquam ovinis lanis lupum, subintrusit Ætius, per eas Ariani ab orthodoxis cæperunt distingui, psallentes in sese mutuo, atque ità omnis earum Psaltes aut usurpator haberi cæpit ut convictus & professus Arianus. Hìnc illis popularem sermonem concludens dispensator S. Basilius Arianis quidem & Macedonianis placuit, at orthodoxis displicuit gravissimè, tamquam pravi dogmatis ex pravis vocibus suspectus, & Episcopatum, cujus à Macedonianis retinendi caussâ dispensabat, ex cis-

dispensatione propemodùm amisit ab ipsis orthodoxis. Pro vocum suarum innocentia edidit insignem Apologiam, librum eruditissimum de Spiritu sancto ad sanctum Amphilochium Episcopum Iconiensem, cunctis tamen non satisfecit. Apostolus enim nos unanimes esse mandat non tantùm in eodem sensu, sed & in eadem sententia, verbaque nostra esse non solùm vera, sed & irreprehensibilia: Orthodoxus Doctor non dumtaxat recta credere, sed & recta loqui debet, alienus à vocibus, licet in sensu à se intento veris, suspectis tamen, scandalosis, ac piarum aurium offensivis. Quocircà præsens Synodus avitam glorificandi formulam retinendam jussit, cassata omni dispensatione: Proscripsit Ætianam de qua quid Deus miraculo ostenderit, & Ecclesia latina senserit, dixi suprà ex Theodoro Lectore, & Joanne Biclarensi. Quomodò ea sanctus Leo sit usus, dicam loco magis opportuno.

Facundus Hermianensis Episcopus, in catholicæ fidei Epistola, adfirmat ipsum hæresis auctorem Macedonium fuisse à Synodo accersitum, auditum, convictum, atque ità damnatum. At certum est falli. Macedonius quippè ante Eudoxij Germaniciensis ex Antiocheno ad Constantinopolitanum thronum translationem fuisse defunctum scribit Hermias Zozomenus. Et hinc non ipse, sed ab ipso ordinatus Eleusius Cyzicenus Episcopus, tamquam sectæ caput, Synodo adfuit, cum Synodus, ut nuperæ apud Liberium Pontificem per Legatos factæ de Spiritu sancto Professioni, ejusdemque Pontificis ad Synodum Thyanensem literis adsentiretur, multùm ursit, & contumaciter cum suis resistentem damnavit. Eos quidam non Macedonianos, sed appellant Marathonianos, à Marathonio Nicomediensi Episcopo, à quo hæresis inventa & Macedonio persuasa, aut plurimùm propagata. L. 4. c. 25.

Secunda damnata hæresis est Eunomiana, puri puti Arianismi restauratrix, orthodoxi Baptismi verbum ac elementum alterare ausa, novumque in Domini mortem instituere. Damnata est ex sancti præsertim Basilij & sancti Gregorij Nysseni libris, quos ipse Gregorio Nazianzeno & sancto Hieronymo primùm lectos Synodo judicandos detulerat, Synodusque probavit. Eunomium seduxerunt lingua volubilis & Aristotelis elenchi: *Horum subsidio*, inquit de Ætio illius magistro Socrates, *captiosas ratiocinationes, quas ipse dissolvere non poterat, imprudens contexuit*. Hæreticorum Patriarchæ, semper Philosophi. Hieron. in Catalog. L. 2. c. 28.

Tertia damnata hæresis est Apollinariorum, patris Presbyteri, & filij Laodicensis in Syria Episcopi. Dum Julianus Augustus humaniorum literarum scholas Christianis clausit, pater editâ Christianâ

Gram-

Grammatica, & plerisque antiquæ Scripturæ libris in versum, filius Evangelio & Apostolo in dialogum redactis, evasêre clarissimi, & fideli juventuti plurimùm profuêre. Nicenam fidem constantissimè defendentes, Georgio Laodicensi Episcopo, homini Eusebiano, damnato per Sardicensem Synodum, noluerunt communicare, & ab eodem talionem reddente fuerunt, tamquam qui sacrilegis Bacchi sacris adfuissent, extra Ecclesiam abjecti. Hinc Athanasio, Basilio, Gregorio Nazianzeno, & cæteris istius ævi Primatibus Episcopis charissimi, adeò ut eorum discipulus, in Ecclesiæ Antiochenæ Cathedram Episcopalem intrusus, Vitalis, ad eorum testimonium & preces, fuerit tamquam orthodoxus à Damaso Papa receptus in communionem. Nimiam cum filio familiaritatem scriptis etiam apologijs purgare
Epist. 82. fuit coactus sanctus Basilius.

Audio, inquit in Epistola ad Patrophilum Ægensis Ecclesiæ Episcopum, *ipsum omnium eorum, qui libros scribunt, verbosissimum.* Et
Epist. 74. in Epistola ad Episcopos Occidentales. *Alter ex iliis, de quibus vos admonemus, est Apollinarius, haud parùm & ipse Ecclesias contristans. Facilitati namque scribendi, quâ per occasionem ad quosvis irrepit, coniunctam habens sufficientem linguæ facultatem, orbem libris suis replevit, contempto Ecclesiaste, qui cavendum esse dicit, ne multi fiant libri. In multitudine autem certum est, quod multa delinquantur. Nam quomodò potest in multiloquio vitari peccatum? Sunt verò, quæ scribit, etiam ad Theologiam pertinentia, non ex Scripturæ probationibus, sed ex humanis argumentis adstructionem habentia.* Fuisse de *librorum copia gloriatum* scribit in prima ad Cledonium Epistola etiam Gregorius Nazianzenus. Auctor incognitus, in laudata superiùs Damasi Pontificis vita, ait fuisse *virum sanè inter cæteros instructum, sed contentionis vitio nimis agitatum, & adversùs omne, quod quisque dixerit, obvium ire delectatum, ideòque ex contentione lapsum.* Acacius Berrhæensis Episcopus, in literis ad sanctum Cyrillum
L. 1, c. 23. Alexandrinum, inter Synodi Ephesinæ acta exstantibus, fuisse scribit insignem, sed inutilem disputatorem, qui ingenio nimiùm fisus instantem signorum scientiam, ejusque dolosas technas, ædificanti rerum sapientiæ miscuit, atque ità simplicem Christi fidem fædavit & amisit. Quod ipsum in Ario Constantinus magnus, in Paulino Presbytero Edesseno, Beati Ephreem Diaconi discipulo, Gennadius Massiliensis, in Nestorio sanctus Cyrillus, in Eutychete Petrus Chrysologus, in Monothelitis Constantinus quartus, in Petro Abaelardo notat S. Bernardus. Ibi ceciderunt omnes, qui operantur iniquitatem.

Cadendi origo fuit vindictæ cupiditas, ac impatientia injuriæ à Georgio Episcopo, quem se indoctiorem existimabat Apollinarius, illatæ,

illatæ, de qua rectè Hermias Zozomenus. *Ea est humana natura, ut cùm despecta sit, obstinatione insolescat, & tùm contentionis, tùm novandarum rerum studio flagrare incipiat; at cùm æquales partes fert, soleat se moderatè gerere, & intra eosdem rationis quasi cancellos manere.* Hìnc magna ingenia non irritanda injurijs, sed & in multis dispensatoriè toleranda, prudentia Christiana semper judicavit. Et hæc omnia dicta sunt de Apollinario filio, principali fonte erroris. L.6. c.25.

Errores ejus fuêre varij. Primus est suprà expositus, atque in tres invicem adversantes sectas divisus, de partu Virginis, & Sacramento Dominicæ Incarnationis.

Secundùm adducit sanctus Gregorius Nazianzenus in prima Epistola ad Cledonium. *Scire necesse est, Apollinarium, quamvis Divinitatis nomen Spiritui sancto tribuerit, vim tamen DIVINITATIS minimè retinuisse. Etenim ex magno, maiori, & maximo, hoc est, ex Spiritu sancto, & Filio, & Patre, tamquam ex splendore, & radio, & sole, Trinitatem constituere, quod quidem disertis verbis in illius libris scriptum est, Divinitatis scala est, non in cælum subvehens, sed è cælo deijciens.* Adsumptæ enim in Deum humanitatis truncator vix potuit non sentire cum Ario. Nam & Arius homini Christo subtraxit animam, ejus in carne officia adscribens Deo Verbo: Ex qua pessima radice postmodùm prodiere Eutychianistæ, Synusiastæ, Monophysitæ, Acephali, Theopaschitæ, omnisque pestifer grex confundentium Domini naturas.

Tertius error est Millenariorum, de quo sanctus Basilius in literis ad Episcopos Occidentales. *Scripsit Apollinarius & quædam de resurrectione fabulosè, immò iudaicè composita, in quibus dicit nos iterùm ad cultum à lege præscriptum reversuros, ità ut iterum & circumcidamur, & Sabbathum observemus, & à cibis in lege vetitis abstineamus; sacrificiaq́; Deo offeramus, & in templo Hierosolymis adoremus, atque prorsùs ex Christianis Iudæi reddamur, quibus quidnam potest magis alienum ab Evangelico dogmate dici?* Epist.74.

Quartum adducit Hermias Zozomenus. *Huius sectæ fautores ritibus ab institutis Ecclesiæ catholicæ alienis utuntur, & præter sacros hymnos ab Ecclesiâ institutos cantiunculas quasdam numeris adstrictas, quas Apollinarius excogitavit, cantant. Nam Apollinarius iste præter aliam doctrinam poëticæ & numerorum omnis generis peritus fuit, quarum rerum illecebris multos ad animum sibi attendendum induxit. Quin etiam viri, dum potabant, aut opera faciebant, mulieres autem, dum texebant telas, eius cantilenas cecinerunt. Nam carmina studio relaxando, festis & alijs cuiusque temporis opportunitatibus accommodata composuit, eaque omnia ad Dei laudes prædicandas instituta.* Hausit id à primo sui erroris fonte, Va- L.6.c.25.

C. 17. lentino, de quo Tertullianus in libro de carne Christi. *Etiam cum Psalmis Valentini, quos magnâ impudentiâ quasi idonei alicuius*
C. 20. *auctoris interserit, congressionem dirigamus.* Et in alio capite. *Nobis quoque in hanc speciem Psalmi patrocinabuntur, non quidem apostata, & haeretici, & Platonici Valentini, sed sanctissimi & receptissimi Propheta David.* Eis Apollinarius admiscuit virus suum: Quâ arte etiam Nepos Chyliastarum dux, Paulus Samosatensis, Harmonius Bardesanis filius, Arius, & Martinus Lutherus multos seduxére.

Quintus tandem error fuerunt variæ, omnibus hæreticis solemnes, in Ecclesiam ac doctiores illius Episcopos calumniæ. Licet namque Apollinarius cum Ario sentiret, se tamen de Georgio Laodicensi Episcopo vindicatum volens, Arianos hostilissimè insecutus est, non tantùm Divini filij, sed & Spiritus sancti consubstantialitatem apertissimè prædicans, duièque damnans dispensationem sancti Basilij. Etiam duos filios à nobis dogmatizari mentitus est, atque ità plurimos simplices à nobis avulsit. Per eius Constantinopoli discipulos motum populum, & ab illo tamquam Christi Domini divisorem hæreticum lapidatum S. Gregorium Nazianzenum, scribit in hujus vita Gregorius Presbyter. Etiam in Paulinum Antiochenum Episco-
L. 4. c. 1. pum, Diodorum Tharsensem, sanctum Basilium, sanctumque Epi-
L. 8. c. 5. phanium fuisse variè debacchatum scribunt apud Facundum Hermianensem Episcopi orthodoxi exulantes Dio-Cæsaræ. Et de ejus discipulo Timotheo ad eosdem sanctos Confessores Petrus Alexandrinus Episcopus. *Consiliatoribus vobis in his, qua occurrunt, utor. Quid oportet me facere sic semper perturbatum, Timotheo diffamante se Episcopum esse, ut per hoc confidentiùs iniuriet, & paternas leges infringat? Voluit enim me anathematizare & Basilium Casarea, & Paulinum, & Epiphanium, & Diodorum Episcopos, & soli Vitali communicare.* Eâdem audaciâ primò seipsum, deindè à Flaviano Presbytero extrusus dictum Victalem, Meletij Episcopi desertorem Presbyterum, intrusit in Antiochenam cathedram, & ex sancti Basilij odio omnem Cappadociam, tamquam novus gentium Apostolus, Pseudo-Episcopis implevit, scribitque de illo ad Episcopos Occidentales S. Basilius. *Apollinarius de incarnatione tantam movit fratribus perturbationem, ut pauci eorum, quibus colloquij non nihil cum illo intercessit, priscum pietatis characterem conservent, multi verò novationi attendentes ad quæstiones & contentiosas inutilium verborum hæreses aversi sint.* Tantùm valet perversæ mentis lingua diserta.

Error de incarnatione est ejus palmaris, quem præsertim damnat Synodus in suo Symbolo, ac de illo scribit ad Damasum Papam.

Nos

Nos doctrinam Dominicæ Incarnationis integram & perfectam tenemus, & neque dispensationem carnis Christi, vel animæ, vel mentis expertem, vel imperfectam esse asserimus, sed agnoscimus Verbum Dei ante sæcula omninò perfectum esse, & perfectum hominem in novissimis diebus pro nostra salute factum esse. Damnant tres Apollinaristici erroris classes, suprà ex Augustino adductas, unàque admixtum errorem Arianum, damnata jam pridem à sanctis Athanasio, Basilio, Gregorio Nazianzeno, Eusebio Vercellensi, varijsque Synodis Occidentis & Orientis. Damnant item Marcellum & Photinum, de quibus sanctus Cyrillus Alexandrinus in libro de fide ad Theodosium Augustum. *Dei Verbum anhypostaton, hoc est, evanidum & fluxum, cuiusmodi illud est, quod tunc solum est & intelligitur, dum ore profertur, dicere audent*, adeòque ante sæcula non fuisse omninò perfectum. C. 6. 13.

Palmarem damnationis caussam edicit sanctus Athanasius in literis synodalibus ad Ecclesiam Antiochenam. *Possibile non erat, ut Domino propter nos homini facto corpus sine mente existeret: Non enim corpori dumtaxat, sed & animæ quoque nostræ per ipsum verbum salus est conciliata.* In duobus hominibus, uno vitiatore, altero omnium Salvatore, fides Christiana fermè omnis consistit. Quomodò in Adamo peccante, seipsum contaminante & occidente, omnes peccavimus, sumusque contaminati & mortui; ità in Christo Jesu per Deum Patrem justificato, à mortuis suscitato, in cælos exaltato, & ad ejus dexteram collocato, omnes sumus justificati, resuscitati, cælos adscendimus, & ad Dei dexteram cœpimus sedere: Non solùm tamquam in imitationis exemplo, sed tamquam in vera maleficij ac beneficij radice sui simile traducente. Quomodò in Adamo non cuncti possibiles, sed soli, ipsi tamquam naturæ fonti per Deum implantati, ac ex ipso nasciturі homines peccavére, ità in Christo sunt reparati soli illi, de quibus ipse apud Evangelistam Joannem, *Quos dedit mihi Pater, non perdidi ex eis quemquam.* Et quidem illi Pater quosdam ad solum Baptismi characterem, quosdam ad solam fidem, quosdam ad solam temporalem justitiam, quosdam dedit ad beatam sine fine vitam. Quomodò aliud est in Adamo peccasse, aliud ex ipso peccatum contrahere; ità aliud est in Christo fuisse justificatum aut glorificatum, aliud ex ipso justitiam aut gloriam accipere. Quomodò ille sola sibi à semetipso inflicta vitia, ità hic sola traducit dona sibi à Patre infixa, uti solet radix naturalis. *Originem*, inquit sanctus Leo, *quam sumpsit Christus ex utero Virginis, posuit in fonte baptismatis. Dedit aquæ, quod dedit matri. Virtus enim Altissimi, & obumbratio Spiritus sancti, quæ fecit, ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit, ut regeneret unda credentem.* Et hinc nostræ repa-

randæ justitiæ radix esse debuit Deus & homo. Purus homo traducere, purus Deus illam traducendam nequibat in se habere. Adversùs Eutychianistas rectè ad Zenonem Augustum scribit Simplicius Pontifex; *Ne Christianus quidem valet nuncupari, quisquis in Christo redemptionis suæ caussas evidenter non agnoscit.* Quisquis in ipso non agnoscit corpus, animam, mentem, eorumque omnium quasvis facultates & operationes, *integrum*, uti ad Paulinum Antiochenum Episcopum scribit Damasus Pontifex, *Adam, totum veterem nostrum sine peccato hominem*, ex quo, tamquam radice, fonte, capite, sanantis novitatis dona, in nos, tamquam ramos, rivos, membra, assumens Deus per aquam suo Spiritu fæcundatam transfundit. Quod è natura nostra Deus verbum in suam personam non adsumpsit, in semetipso non sanavit, adeòque ejus sanitatem nequit ex semetipso in nos via propaginis derivare. Hìnc ergò Apollinaris Deo Verbo negans humanam carnem, animam, aut mentem, hujus aut illius sanitatem evertit, nos partim sub peccato, partim sub gratia ponit, atque ità exufflat omnem fructum Sacramenti Dominicæ Incarnationis. Hæc est antiqua, firmissimè imprimenda, Apostoli Theologia, quâ omnes latini & Græci Ecclesiæ Patres cunctas Christum dividentes, confundentes aut mutilantes hæreses quovis tempore expugnârunt.

Epist. 4.

Apud sanctum Bernardum exstat Innocentij secundi ad Senonensis & Rhemensis Provinciæ Episcopos Epistola dicens in Nicena Arium, in Constantinopolitana Manicheum, in Ephesina Nestorium, in Calchedonensi Synodo damnatum denuò Nestorium & Eutychetem. Pro Manicheo legendum credo Macedonium: Hac enim in Synodo nihil actum de Manicheo.

Epist. 191.

Addit incogniti auctoris apud Christophorum Justellum libellus synodicus. *Hæc sancta Synodus Eusebium & Theognium Bythinios, Patrophilum & Ætium Palestinos, Paulinum & Gregorium Phænices, Theodorum & Georgium Cilices, Narcissum, Athanasium, Menofantum Ephesi, Theodorum Perinthi, Marcellum Ancyræ, & Apollinarium, & Maximum item deposuit, electionem eius planè irritam decernens.* Miscet vera falsis: Plerique enim illi Ariani Episcopi, non hìc, sed Nicææ aut Sardicæ fuêre damnati. De hujus Synodi fructu legenda est sancti Ambrosij ad Dominum Jesum Christum Apostrophe in Præfatione librorum de Spiritu sancto.

CAPUT

CAPVT III.

Acta Synodi de variis personis.

POst stabilitam fidem agitari ante omnia cœpit quæstio de Episcopatu Constantinopolitano inter sanctum Gregorium Nazianzenum & Maximum Cynicum, de quo in sexta Actione Synodi octavæ dixit Elias Presbyter, ac Theodosij Patriarchæ Hierosolymitani Legatus & Syncellus. *In secunda sancta & universali Synodo Maximus quidam Cynicus, & omnis eius manus impositio repulsa est, qui autem promovit eum ad Præsulatum, deiectus non est à sorte sua, Timotheus videlicet Alexandrinorum Provinciæ Episcopus. Non solùm autem ipse minimè est repulsus, sed nec quisquam Episcoporum Timothei, qui pariter inventi, & in Maximi ordinationem & provectionem cooperati sunt, damnatus est, quin potiùs honores & præmia meruerunt: Quoniam Timotheus primus factus est prædicta Synodi Præsidens, utpotè Alexandriæ Patriarcha, & unà cum Episcopis, qui secum erant, provexit Nectarium Constantinopoleos Patriarcham.*

Ità Synodo suadet damnandum solum Photium, non ejus electores aut consecratores, utpotè qui Principis laici violentiâ compulsi deliquerint, adeòque Timotheo spontaneè prævaricato sint longè justiores. Nec penitùs errat Timotheum fuisse Synodi Præsidem: Nempè à cessione Gregorij usque ad Nectarij intronizationem. Eo tempore medio, quod Romanus etiam per Legatos abesset, & sedes Constantinopolitana vacaret, erat primus Synodi Episcopus, ideòque jure suo Præses. Errat tamen Elias, & cum ipso Theodoretus, Maximum promotum à Timotheo: Sanctus namque Gregorius in carmine de vita sua disertè scribit designatum à Petro, Timothei Præcessore, & ab ejus Episcopis frumenta consueta ad Regiam urbem deducentibus ordinatum. Hi omninò, Petrus præsertim, merebantur damnationem, abjectionemque ad laicos: At de mortuo in Ecclesiæ pace, & jam judicato à Deo, noluit Synodus judicare.

Ab omnibus itàque synodaliter damnata est ordinatio Maximi, ac Episcopatus Gregorio confirmatus, agente præsertim Meletio Patriarchâ Antiocheno, apud Theodosium Augustum, ob prædictum imperium, summæ auctoritatis, tantæque sanctitatis, ut ejus à Valente Augusto ob fidem catholicam relegati effigiem suis annulis, poculis, lectis, portis, parietibus, nomen verò cunctis passim nascentibus imponerent Antiocheni, ità sese, uti in illius Panegyri scribit sanctus Joannes Chrysostomus, de ejus absentia consolantes. Ei ad-

versùs Paulinum semper adhæserant Gregorius & Basilius, ideòque vicem ille reddens, à Basilio inchoatum Gregorij Episcopatum constanter in Synodo defendit.

At ejus mors turbavit omnia, quam solemnissimis exequijs & pomposa ad Ecclesiam Antiochenam translatione Augustus Theodosius, orationibus encomiasticis honorârunt sanctus Amphilochius Iconiensis Episcopus, & sanctus Gregorius Nyssenus, inchoans: *Auxit nobis numerum Apostolorum novus Apostolus, coaptatus in ordinem Apostolorum.* Hìnc agi cæptum de eligendo successore. Nazianzenus nullum eligendum censuit, sed plenum Episcopatum confirmandum Paulino, Ecclesiæ istius dissidia tandem exstinguenda, faciendumque satis toties jam repetitis mandatis Ecclesiæ Romanæ. At suprà memorati fædi illi, ab Eusebianis promoti, Episcopi constantissimè voluerunt Paulinum à latinis ordinatum abijci, tamquam opprobrium Ecclesiæ Orientalis, apud quam natus Christus Dominus, ideòque Romana, de Petro & Paulo Apostolis glorianti, quoad nihil inferioris. Resumpsêre jam pridem damnatas nugas Conventiculi Philippopolitani, atque ità gravissimè offensus Gregorius, non tantùm Synodo, sed & domo Episcopali excessit, ostendens se ejusmodi in sancti Petri Privilegia injurijs neutiquam communicare, nec talia blaterantibus velle esse collegam.

Perstitêre illi, feceruntque, quod scribunt ad Damasum Pontificem. *Ecclesia vetustissima, & verè Apostolica Antiochia reverendissimum & Deo dilectissimum Flavianum Episcopi illius Provinciæ & Diœceseos Orientalis in unum convenientes, tota illa Ecclesia, uti Canon postulat, suffragante, & velut uno ore virum illum honorificè collaudante, Episcopum ordinârunt: Quæ quidem ordinatio communi concilij consensu approbata est.* Ità non erubuerunt palàm imponere. Etenim Ægyptios, Arabes, & Cyprios Romanæ Ecclesiæ & Paulino constanter fuisse fidos, testantur Socrates & Zozomenus. Errat Socrates Episcopatum Antiochenum à Synodo confirmatum Meletio. Quousque adfuit & præfuit Gregorius, Romanos offendere Synodus nolens reliquit indecisam quæstionem, uti liquet ex Canone quinto, pacta inter Paulinum & Meletium inita aut concepta volens custodita.

L.5.c.8.

Cum suis interim Ægyptijs ac quibusdam Macedoniæ Episcopis advenit Timotheus Patriarcha Alexandrinus, & Flaviani promotionem & Gregorij confirmationem acriter impugnans, offensusque Gregorio ob tertium Canonem, quo Ecclesiæ Alexandrinæ Privilegium transcriptum fuerat in Constantinopolitanam. In Flaviano non tantummodò Paulinum, aut suam Alexandrinam ac omnem

Ægyp-

Ægyptiam, ſed & ipſam Romanam ac omnem Occidentalem Eccleſiam, quæ Paulino ſemper communicârant, dixit injuriâ affectas; Gregorio autem, licet Maximi Cynici dejectionem probaret, ab antecesſore tamen & fratre ſuo Petro diſcordare nolens, objecit Nicenum & Sardicenſem de Epiſcoporum tranſlatione Canonem, aliudque non repoſuit Gregorius, quam illum non eſſe in uſu Eccleſiæ Orientalis. Reſponſum ſanè Gregorio non plenè dignum. Adversùs Flavianum Gregorius, Arabes, Cyprij, & Macedones, adversùs Gregorium omnes Euſebianam lepram olentes Epiſcopi adhæſerunt Timotheo, atque ità omnes variè diviſi cœperunt more parum Epiſcopali ac ſynodali turpiter mente & ore digladiari. Hinc ſui cauſsâ ſcindi Eccleſiam nolens optimus Gregorius, non dumtaxat Conſtantinopolitanum, ſed &, in quem regredi poterat, Nazianzenum Epiſcopatum ſponte ceſſit, abijtque in Cappadociam, ad litigantium Synodos deinceps non reverſurus. Quo alij tranquillè viverent, tamquam novus Jonas ſeipſum non in mare, ſed in contemplativæ ſolitudinis tutiſſimum portum retraxit, in pagi Arianzeni paterno rure vitam monachi acturus, ut in catalogo ſcribit S. Hieronymus.

Hinc novi motus de Regiæ civitatis Epiſcopatu, appetito à multis. Accepit tandem Nectarius, nobilis Tharſenſis, Theodoſio Auguſto ab Epiſcopo ſuo Diodoro commendatus, de quo ad Damaſum Pontificem literæ ſynodales. *Eccleſia Conſtantinopolitana, recens, ut ità dicam, ædificata, quamque ex hæreticorum blaſphemia, tamquam ex ore leonis, per miſericordiam Dei nuper eripuimus, reverendiſſimum, Deoq́; dilectiſſimum Nectarium in Concilio generali, communi omnium conſenſu, præſente Theodoſio Imperatore religioſiſſimo, totius denique Cleri, totiuſq́; civitatis ſuffragijs, Epiſcopum conſtituimus.* Solus Gregorius Nazianzenus Eccleſiam Conſtantinopolitanam eripuerat ex Arianorum faucibus, & quaſi novam plantârat, cui certè hanc cum Epiſcopatu laudem non oportuit ſubreptam.

Huc reſpicit ſanctus Ambroſius, de ſeipſo ex Neophyto in Epiſcopum electo ſcribens ad Eccleſiam Vercellenſem: *Ordinationem meam Epiſcopi Occidentales iudicio, Orientales etiam exemplo probârunt.* Nam & Nectarius fuit è catechumeno electus, ideòque illi à laudato Diodoro datus Cyriacus, Adanorum Epiſcopus, eum in Epiſcopali officio eruditurus. Eadem via ſuam è laico promotionem juſtificare conatus eſt Photius, reſpondit verò Nicolaus primus Pontifex Ambroſium, non inſtinctu hominum, ſed divinâ vocatione per miraculorum prodigia electum, Nectarium verò ob magnam neceſſitatem, *eò quod in ſancta Conſtantinopolitana Eccleſia nullus Clericorum reperiri poterat,* qui

Epiſt. 25.

Epiſt. 6.

qui peßimæ hæreseos nimbosâ caligine non fores impeditus. In literis ad
Epist. 5. Michaëlem Augustum, factum id ait à secunda Synodo fulta per Sedis Apostolicæ auctoritatem, id est, subsecutam dispensatoriam confirmationem.

De qua quidquid sit, Romanæ ac toti Occidentali Ecclesiæ displicuit gravissimè Flaviani promotio, utpotè facta ad Paulini injuriam, & novas miserias Antiochenæ Ecclesiæ, totiusque Orientis.
L.7.c.11. Nam & hanc ipsam Synodum graviter fuisse scissam scribit Zozomenus, adeò ut exulceratis animis, nullâque ad Romanam Ecclesiam factâ relatione, ab invicem Episcopi discesserint. Hoc ipso anno facta Synodus Aquileensis Gratiano, Valentiniano, ac Theodosio Augustis gratulatur de confirmata per hanc Synodum Nicenâ fide, ejectisq; per leges imperiales hęreticis de Basilicis;graviter verò dolet crebras inter ipsos catholicos Episcopos dissensiones & impacatas discordias, nec non Timotheo Alexandrino Episcopo, ac Paulino Antiocheno, antiquis amicis & communionis socijs, inlatam injuriam: Paulino promoti Flaviani, Timotheo injuriam tertij Canonis, contra sextum Nicenum & Apostolicum humiliantis Ecclesiam Alexandrinam. Duriora haud dubiè scripsit Damasus Pontifex,atque ità factum
L.7.c.11. est, quod refert Zozomenus. *Vt de hisce rebus cognosceretur, scripsère tùm Damasus Pontifex, tùm Gratianus Imperator, in Occidentem convocantes Episcopos Orientales.* Omnem Synodum, factorum rationes reddituram, nec non & ipsum cum Flaviano Paulinum, uti disertè testatur Flaviani Encomiastes Theodoretus, Romam ad suam Synodum Damasus evocavit, idque in annum proximè sequentem.

L.257. Addit tandem apud Photium in Bibliotheca Auctor incognitus caussam sancti Pauli, Episcopi Constantinopolitani, ab Eusebianorum calumnijs absoluti per Synodum Sardicensem, & per eosdem Eusebianos apud Cappadocię Cucusum strangulati,fuisse denuò probatam, ejusque corpus gloriosè translatum Constantinopolim, adeò ut omnis Synodus obviam illi processerit usque Calchedonem: Idque cum pomposo lumine & cantu, quibus Sanctorum reliquias Ecclesia semper honoravit. Conditum in Ecclesia Pacis, per Macedonium Hæresiarcham ac ejus persecutorem exstructa, quæ indè sancti Pauli
L.7.c.10. dici cæperit, ac sancti Pauli Apostoli ab errante plebe existimetur, scribit Hermias Zozomenus.

CAPVT

CAPVT IV.

De Canonibus & auctoritate huius Synodi.

Prima quæstio est, an Synodus hæc ediderit septem Canones? Ratio dubitandi est Dionisij Exigui ac Symeonis Logothetæ auctoritas, quorum prior solos tres, posterior solos sex codici suo inscripsit. Et apud gratianum ex Cardinali Anselmo legimus de hujus Synodi Episcopis: *Condemnatâ Macedonij hæresi, statuerunt Canones tres, quorum maximè auctor fuit Nectarius Episcopus Constantinopolitanus.* Dist.16. c.10. Quod ipsum in Annalibus habet Hermannus contractus. Et ipsa Synodus, Damaso Pontifici referens acta sua distinctè omnia, refert solum primum Canonem de confirmata Nicena fide, & secundum de A.381. administrationibus seu hierarchicis Privilegijs Ecclesiarum. Respondeo tamen esse septem. Etenim ipsa Synodus Theodosio Augusto refert se non tantùm de fide statuisse, sed & varios edidisse Canones ad rectè ordinandum Ecclesiæ statum & disciplinam. Singulos nostros septem habent Photius in Nomo-Canone, Arsenius monachus in synopsi Canonum, Alexius Aristinus, ac præsertim Codex Canonum Ecclesiæ universæ, lectus & probatus in Synodo Calchedonensi. Et Nicolaus primus Pontifex, in literis ad Michaëlem Augustum, adducit Canonem sextum.

Symeon Logotheta, nescio qua de caussa, septimum, Dyonisius Exiguus tres posteriores omittit, sciens à Romana, in qua degebat Ecclesia improbari. Eumque & Cardinalis Anselmus, & Hermannus contractus sequuntur. Eadem de caussa Synodus solos duos Damaso Pontifici retulit: Increpata enim retulit irato, ideòque prudentissimè tacuit ea omnia, ex quibus norat acriùs irritandum. Et quatuor priores à se adductos Dyonisius Exiguus contrahit ad tres, quomodò Alexius Aristinus ex septem facit octo, septimo diviso in duos. Porrò Canonum horum præcipuum auctorem fuisse Nectarium, est error manifestus. Certum est conditos sub Gregorio Nazianzeno ante Timothei Alexandrini adventum & Nectarij Episcopalem provectionem.

Secunda quæstio est, an tertius Canon de Sedis Constantinopolitanæ secundo in Ecclesia loco sit reverà editus ab hac Synodo? Quidam omninò negant, quidam fatentur editum, at in secundo sequentis anni conventu à paucis Episcopis, adversùs Romanam evocationem auxilia quærentibus, atque ità hoc adulante Canone ementibus Nectarij Episcopi & per ipsum Theodosij Augusti favorem. Etenim

primus Synodi conventus, dicto Principi acta sua referens, nullam
Epist. 55. ejus Canonis facit memoriam. Et Anatolius Constantinopolitanus Episcopus ad Leonem Pontificem statim à Synodo Calchedonensi, id est, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo primo, scripsit Canonem hunc editum ab annis sexaginta; & anno sequenti, Herculano Consule, ad Pulcheriam Augustam ipse sanctus Leo esse annos ferè sexaginta, adeòq, editus esse non potest à Synodi primo conventu, à quo usque ad Marciani Augusti, & Clodij Adelphij, sub quibus facta Calchedonensis Synodus, sunt septuaginta, ad Herculani verò & Asparati, sub quibus scripsit sanctus Leo, consulatum sunt anni septuaginta & unus. Et Codex Canonum Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ex quo in Synodo Calchedonensi fuit recitatus tertius Canon, sic habet: *Hæc constituerunt Episcopi, qui in Constantinopoli in Dei gratia convenerunt ex diversis Provincijs, secundùm evocationem Dei amantissimi Principis Theodosii, sub Nectario Episcopo Constantinopolitano.* At verò Nectarius non præsedit, nisi secundo conventui.

Respondeo tamen Canonem omninò editum à plena hac Synodo. Etenim jam suprà à Calchedonensi & sexta Synodo audivimus Concilio huic priùs Gregorium Nazianzenum, deindè Nectarium præsedisse, quod de seipso disertè scribit in carmine de vita sua ipse etiam Gregorius: Præsedisse autem non potuit, nisi hujus Canonis vigore tamquam secundus Ecclesiæ Episcopus, adeòque Romano etiam per Legatos absente primus. Et Aquileiensis, hoc ipso anno ante secundum conventum facta, Synodus non queritur tantùm Paulino Antiocheno Episcopo, sed & Timotheo Alexandrino factam injuriam: utique per hunc Canonem, conditum ipso absente. Eundem omninò attendit in oratione de Episcopis, hujus Synodi increpatoria, Gregorius Nazianzenus. *Valete, insolentes estote, Patriarchatus per sortes inter vos distribuite, magnus hic vobis mundus cedat, de locis alijs in alia migrate, hos deijcite, illos attollite. Nimirùm hæc iucunda sunt vobis: Pergite.* Vetusti omnes Canonum collectores & codices, etiam Dionisius Exiguus & codex Ecclesiæ universæ, eum agnoscunt ut verum Synodi fætum: Agnoverunt & in Synodo Calchedonensi Legati Sedis Apostolicæ, ac post illam ipse sanctus Leo Pontifex, utpotè eum arguens non de suppositione, sed de solo defectu Romanæ relationis & confirmationis. Antiqua omnium horum septem Canonum Epigraphe, quam relationi ad Principem creditur ipsa Synodus adposuisse, sic habet: *Hæc decreverunt & statuerunt Episcopi, qui Gratiâ Dei ex diversis Provincijs Constantinopoli convenerunt, vocati à Theodosio gloriosissimo Imperatore.* Secundus sequentis anni conventus, in relatio-

tione ad Damasum Pontificem, disertè fatetur se non esse generalem Synodum, rectèque scribit Facundus Hermianensis: *Novos constituere Canones non licet, nisi multis & in unum congregatis primi Ordinis Sacerdotibus.* Quod paucorum ille Episcoporum conventus Damasum Pontificem, quem offensum norat & omni studio placare sategit, hujus Canonis attentato magis irritare præsumpserit, nequaquam est simile vero. L.12.c.3.

Nec obsunt argumenta in contrarium. Ad primum dico Canonem in synodali ad Theodosium Relatione fuisse omninò expressum hisce verbis: *Certos Canones statuimus, quæ omnia huic nostro scripto subiecimus.* Quin immò nec secundus conventus apud Damasum Pontificem de illo plenè tacuit. Etenim Nectarium Constantinopolitanum Episcopum etiam Flaviano Antiocheno præponit, utique ex præscripto hujus Canonis.

Ad secundum nescio aliud, quam numeros esse vitiatos, & pro *sexaginta* legendum *septuaginta.* Haud credo me loqui sine fundamento. Etenim non de solo hoc ipso, sed de cunctis septem hujus Synodi Canonibus dixit in sexta decima Actione Calchedonensis Synodi Lucentius Esculanus Episcopus, ac sancti Leonis Papæ Legatus, adversùm Episcopatus Constantinopolitani exaltatores: *In synodicis Canonibus non habentur, quæ dicunt ante octuaginta propè annos constituta fuisse.* Quem numerum etiam existimo vitiatum. Nam ab Euchério & Evagrio, sub quibus nostra Constantinopolitana, usque ad Martianum Augustum Consulem, sub quo facta Synodus Calchedonensis, sunt præcisè anni septuaginta, qui verè dici nequeant ferè octuaginta.

Ad tertium responderi posset adductam Epigraphen non esse authenticam: Est enim illa ipsa, quam actis ad Principem relatis ab ipsa Synodo jam dixi appositam, & cui quis Episcopatus Constantinopolitani ac ipsius Nectarij palpo Græcus adjunxerit voces, *Sub Nectario Episcopo Constantinopolitano.* Fateor tamen & Nectarium præsedisse, nempè postGregorij abdicationem spontaneam statim à sua inthronizatione: Nihilominùs non sub ipso conditus est Canon, sed sub Gregorio, quem ejus vigore præsedisse jam item dixi. Verùm semper Græci, agentes de hac Synodo, maluerunt Nectarium, quam Gregorium laudare, undè & ille, qui Synodi subscriptiones aut finxit aut variè vitiavit, Nectarium ut Præsidem, Gregorium adscribit ut Episcopum dumtaxat Nazianzenum: Et Meletium ut Episcopum Antiochenum, quo vivo constat non Nectarium, sed Gregorium fuisse Præsidem & Episcopum Constantinopolitanum.

Tertia quæstio est, an hujus Synodi Symbolum, sit per Sedem Apostolicam confirmatum? Pro parte negativa facit decretum Synodi Sardicensis, relatum à sancto Athanasio in literis synodalibus ad Ecclesiam Antiochenam, & sanciens nihil ulteriùs de fide scribi, cunctos deinceps esse contentos fide Nicenâ, utpotè plenè integra, neque edendum aliud Symbolum, *ne illis, quibus libido est semper nova statuere, occasio suppeditaretur, ut iterùm atque iterùm de fide definiant.* At verò hoc Symbolum Niceno plura addidit, adeòque à Romana Ecclesia, Sardicensium Canonum tenacissima, non potest fuisse confirmatum.

Act. 1. Hìnc adversùs ejus additamenta in Synodo Calchedonensi clamârunt Episcopi Ægyptij. *Nemo suscipit adiectionem, nemo diminutionem: Quæ in Nicæa constituta sunt, teneant. Catholicus Imperator hoc jussit.* Et iterùm. *Adiectionem nullus suscipit: Teneant, quæ Patrum sunt; teneant, quæ in Nicæa constituta sunt; teneant, quæ de Spiritu sancto sunt. Catholicus Imperator hoc jussit.* Ex solo, quomodò per Divales ad Synodum literas Augustus Marcianus jusserat, Niceno Symbolo volunt definiri de Eutychetis quæstionibus, nequaquam ex Constantinopolitano, utpotè quod addiderit, quod Sardicense decretum spreverit, adeòque nullius sit auctoritatis. Hi ipsi Episcopi in literis post Synodum Cal-
Epist. 24. chedonensem exstantibus scribunt ad Leonem Augustum. *Suggerimus nos trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum, qui in Nicena civitate collecti, & per sanctum Spiritum sunt locuti, Symbolum atque fidem tenere & custodire, & neque augmentum aliquod, nec imminutionem recipere. Ea namque, quæ à sancto Spiritu dicta atque conscripta sunt, fas non est aliquo modo retractari, nec augmentum aliquod, nec imminutionem eis inferre.* Et infrà. *Quia vestra Pietas imperavit, quemadmodùm de Synodis sapiamus, nostram sententiam facimus manifestam, quoniam communicat Ecclesia Synodis in Epheso celebratis, Synodum verò centum quinquaginta nescimus.* Hi sunt Episcopi, de quibus in Florentinæ Synodi adversùs
F. 751. Marci Ephesij calumnias apologia scribit Josephus Episcopus Methonensis: *De Synodo centum quinquaginta Patrum Ægyptij quidem, ne si facta quidem fuerit, scire voluerunt.*

Addit idem Josephus Symboli additamentum, *Filioque*, factum post hanc Synodum à Damaso Pontifice, probatque historicâ auctoritate
F. 677. Georgij Aristini: Ergò præsens Symbolum à Damaso non confirmatum fuit, sed correctum.

Præterea liber Pontificalis ait de Hilaro Papa: *Confirmavit tres Synodos, Nicenam, Ephesinam, & Calchedonensem.* Etiam ejus successor
Epist. 5. Simplicius in literis ad Acacium Episcopum Constantinopolitanum,

Felix

Felix tertius ad Zenonem Augustum, ac ejus secunda Synodus in literis ad Bythiniæ & civitatis Constantinopolitanæ clerum, prædicant solas, ut à Sede Romana probatas, Nicenam, Ephesinam, & Calchedonensem. Epist. 2.

Accedit Gregorius magnus in literis ad Eulogium Alexandrinum & Anastasium Patriarcham Antiochenum. *Romana Ecclesia Canones illius Synodi non accipit, in hoc autem eandem Synodum accipit, quod est per eam contra Macedonium definitum: Reliquas verò hæreses, quæ illic memoratæ sunt, ab alijs iam Patribus damnatas reprobat.* At verò ejus Synodi Symbolum non tantummodò contra Macedonium, sed & contra Apollinarium varia definit: Pro hac igitur parte acceptum tunc non fuit ab Ecclesia Romana. L. 6. Ep 31.

Respondeo tamen ipsum totum fuisse à Damaso Pontifice & omni semper etiam latinâ Ecclesiâ approbatum. Etenim in Synodo Calchedonensi Sedis Apostolicæ Legati tomum sancti Leonis Papæ definivêre orthodoxum, atque adversùm Eutychianistas ab omnibus recipiendum, quod esset conformis Symbolo Niceno & Constantinopolitano, nec non & literis sancti Cyrilli Alexandrini Episcopi, factisque per ipsum decretis Ephesinis. Eamque definitionem plena Synodus confirmavit. Addit in fidei decreto, per S. Leonem quoad omnia confirmato. *Inenarrabilem Patrum renovavimus fidem, Symbolum trecentorum decem & octo omnibus prædicantes. Et eos, qui hanc veluti tesseram pietatis acceperunt, ut proprios Patres etiam adscribimus, eos nimirùm, qui posteà in magna Constantinopoli congregati sunt centum & quinquaginta, & eandem fidem ipsi quoque confirmârunt.* Et infrà. *Decernimus servari & ea, quæ apud Constantinopolim à sanctißimis centum quinquaginta Patribus decreta sunt ad expellendas quidem hæreses, quæ eo tempore germinaverant, & ad confirmationem eiusdem catholicæ & Apostolicæ nostræ fidei.* Et Pergamius, Antiochiæ Episcopus ac Pisidiæ Metropolita, in literis synodalibus ad Leonem Augustum, exstantibus post Synodum Calchedonensem, laudat & profitetur, non tantummodò Nicenos, sed & *Sanctißimos centum quinquaginta Patres, qui infirmitati languoris Macedonij, sancti Spiritus Divinitatem negantis, salutaris auxilij medicinam obtulerunt, apertè firmitatem rectæ fidei docentes, & Divinitatem unitatis inseparabiliter adorandam.* Voces, *Apertè docentes*, tangunt supra expositam dispensationem sancti Basilij. Fælix tertius in literis ad Petrum Fullonem Episcopum Antiochenum, & Zenonem Augustum, excogitatum à dicto Petro Trisagij additamentum damnat, quod repugnet Synodis Nicenæ & Constantinopolitanæ: Nempè secundo Symboli Constantinopolitani articulo, uti scribit An- Act. 4. Act. 5. Epist. 41. Epist. 35.

theon Episcopus Arsenoites. Gelasius Pontifex, in Romana Synodo authenticas Scripturas enumerans, post canonicas adducit & Synodum hanc, tamquam Regulam Ecclesiæ Romanæ. Pœnitentiæ libellus, quem Græcis ex Acaciano schismate redituris præscripsit Hormisda Pontifex, inter cætera profitebatur quatuor Synodos, Nicenam, Constantinopolitanam, Ephesinam, & Calchedonensem, earumque acta, *de confirmatione fidei.* Easdem eodem modo in quinta Synodo per Romanam Ecclesiam probata professi sunt Episcopi omnes: *Suscipio sanctas quatuor Synodos, & quæ ab ipsis de una eademq; fide definita sunt.* Justinianum Augustum, quod quatuor prima Concilia, tamquam plenè quoad fidem authentica, jusserit sacris Ecclesiæ tabulis inseri, & ad sacrosancta nostra mysteria recitari, plurimùm laudavit Romana Ecclesia, assiduaque sancti Gregorij magni vox est, *Quatuor prima Concilia veneramur, tamquam quatuor Dei Evangelia:* Eorum verò secundum est hocce nostrum. Eam non primus ipse protulit, sed à cunctis suis post Damasum antecessoribus accepit, confirmavit in Synodo Lateranensi Martinus primus, in sermone ad Principem acclamatorio sexta Synodus, ac semper Ecclesia universa. Nam & Romani Pontificis antiqua professio, ex Romanæ Ecclesiæ Diurno relata
Dist. 16. c. 8. per Gratianum, spondet *octo generalia Concilia usque ad unum apicem immutilata servare, & pari honore & veneratione digna habere, & quæ prædicaverunt & statuerunt, modis omnibus sequi & prædicare, quæq; condemnaverunt, ore & corde condemnare.*

Ad primum pro adversa parte argumentum fateor à Synodo Sardicensi vetitum Niceni Symboli additamentum, attamen non quodvis, sed quale continebant tabellæ per quosdam istic Episcopos propositæ, & à Synodo reprobatæ, de quibus, reprobatas tamen ignorans, Hermias Zozomenus. *Ediderunt* Patres Sardicenses *aliam fidei*
L. 3. c. 11. *formulam, pluribus quidem verbis scriptam, quam quæ in Concilio Niceno edita fuisset, sed tamen eandem complectentem sententiam, & verbis non multùm ab illa discrepantem.* Istæ, inquam, tabellæ erant non idem auctius, sed aliud prolixius ac penitùs novum fidei Symbolum: Et hocce solum additamenti genus proscripsit Sardicensis Synodus, volens Niceni Symboli voces, utpotè divinitùs inspiratas, esse sacrosanctas, à nulla Synodo quasi insufficientes deseri, atque Eusebianorum, nova quotidie Symbola abortientium, temeritatem nullo à nobis firmari exemplo. *Nicena Synodus*, inquit in Heronis encomio Gregorius Nazianzenus, *certis finibus & verbis Divinitatis doctrinam circumscripsit.* Post plurimos humanæ diligentiæ labores apta tandem ad nodosissimos Arianæ perfidiæ & versutiæ dolos circumscribendos
vo-

vocabula Synodo inspiravit Deus, ideòque jure merito ea à nemine deseri sanxit Synodus Sardicensis. At verò hæc nostra illis plenè retentis quædam dumtaxat nova infixit adversùm novos Macedonij & Apollinarij errores, quod omninò licuisse asseruit in Synodo Calchedonensi Diogenes Episcopus Cyzicenus. Quod ipsum in suprà adducto fidei decreto laudata Synodus confirmat. Novarum vocum adversùs novos errores additamenta primus interdixit Canon Ephesinus, uti in Florentina Synodo & latini & Græci fuerunt ore uno professi. Act. 1.

Ad secundum respondeo Episcopos illos & in Synodo Calchedonensi clamantes, & post illam scribentes ad Leonem Augustum, fuisse nequissimos ac turbulentissimos Eutychianistas, quorum aut proprijs calcibus, aut certè consilijs barbaricè perijt sanctus Flavianus Constantinopolitanus Episcopus, ac in ipso etiam gentilibus sacrosancto baptisterio sanctus Proterius Alexandrinus, post mortem exustus in cineres, sparsusque in ventos. Profitentur enim sese communicare Synodis in Epheso factis: id est, non soli vero Ephesino Concilio, sed & Ephesino latrocinio, in quo laudatus Flavianus, novus Abel, Episcopus ab Episcopo, tamquam à fratre frater, fuit trucidatus. Adversùm illos in Synodo Calchedonensi clamaverunt Orientales Episcopi orthodoxi: *Hæc Eutyches dixit.* Eutyches enim in sua Ephesino latrocinio exhibita fide solam Nicenam & Ephesinam Synodum professus fuerat, Constantinopolitanâ penitùs omissâ. Hìnc in ipsum ad Synodum Calchedonensem dixit suprà laudatus Episcopus Cyzicenus. *Dolosè præposuit Synodum sanctorum Patrum, quæ in Nicæa facta est. Accepit namque additamenta à sanctis Patribus propter perversum intellectum Apollinarij, & Valentini, & Macedonij, & qui eis similes sunt. Et additum est in Symbolo sanctorum Patrum:* QVI DESCENDIT, ET INCARNATVS EST DE SPIRITV SANCTO EX MARIA VIRGINE. *Hoc namque prætermisit Eutyches, sicut Apollinaristæ. Nam etiam Apollinaris suscipit sanctam Synodum, quæ in Nicæa facta est, secundùm propriam perversitatem intelligens.* Rectè ad Leonem Augustum in laudatis synodalibus literis scribit Seleucus, Episcopus Amasenus & Metropolita Helenoponti: *Novimus, quia omnes hæretici sanctas Synodos, eorum malas sectas destruentes, accusant.* Hàc ergo de caussa Eutychianistæ non solam Calchedonensem, sed & hanc nostram Synodum semper fuerunt detestati, accusantes de additamento, proclamantesque ad solius Nicenæ Symbolum, quod solam præsertim Filij Divinitatem, non ejus incarnati Sacramentum certis finibus & verbis circumscripserat, adeòque istorum expositionibus dolosis faciliùs pa- Act. 1. Epist. 53.

patebat. Hìncadversùm eos scribit ad Leonem Augustum Evoptius
Epist.47. Cyzici Episcopus, ac Metropolita Hellesponti. *Dixerunt sanctam quidem Synodum in Nicæa factam se suscipere, & secundùm eorum expositionem credere; centum quinquaginta verò Reverendissimorum Episcoporum Concilium penitùs ignorare. Vndè huiusmodi sensus ostendit, quod contrarij cultores sint sanctorum Episcoporum, qui in toto orbe consistunt. Nam si Concilium contra hæreses respuunt, quale est & sub Nectario sanctæ memoriæ in maxima civitate Regia ex diversis Provincijs congregatum, palàm est, quoniam illas hæreses prohibere nolint, sed eas potiùs amplectantur, quas sanctissimi Patres hæc piè constituentes anathemati subdiderunt.* Dici ergò
Epist.25. possit de hoc nostro Symbolo, quod de sancto Augustino sanctus Hieronymus: *Catholici te conditorem antiquæ rursùm fidei venerantur, &, quod signum maioris gloriæ est, hæretici detestantur.*

Ad tertium respondeo falli & Georgium Aristinum & Josephum Methonensem. Ejusmodi correctionis nemo antiquus meminit. Pro ejus, inquam, additamenti antiquitate admodùm laboravit in Florentina Synodo D. Cardinalis Julianus, ejus tamen primam originem adscribere nescijt, nisi Synodo septimæ, cujus protulit vetùstissimum codicem habentem in Symbolo per ipsam probato: *Qui ex Patre Filioq; procedit.* Etiam Francorum Episcopi, dum Caroli magni tempore vocem *Filioq;* addidere, ignorârunt factum istud Damasi: Ignonoravit & Ecclesia Romana. Ejus sanè Damaso nulla fuit necessitas, nulla occasio: Primus namque de Spiritus sancti ex Patre & Filio processione disputator & Erro fuit dudùm posterior Nestorius, aut ejus
Sess.7. fautor Theodoretus, uti in Florentina Synodo rectè dixit Andræas Metropolita Rhodiorum. Errorem continent & hæc verba Methonensis: *Dogma hoc non est novum, cùm usque à secunda Synodo sit, & cantetur in Romana Ecclesia.* Quo enim illic tempore Symbolum Constantinopolitanum, & quidem sine additamento, cantari cæperit, dixi suprà in notis ad Symbolum Nicenum.

Ad quartum respondeo à libro Pontificali & adductis Romanis Pontificibus quidem non exprimi, attamen non prætermitti hanc nostram Synodum, utpotè intellectam sub Nicena. Quis nesciat aliud esse Nicenum Symbolum, aliud Constantinopolitanum? Utrumque tamen pro eodem habet Ecclesia, & qui Constantinopolitano ad mysteria utimur, uti nos dicimus Niceno. Caussam dat in Synodo Florentina Marcus Ephesius. *Statutum fuit ab* Ephesinæ Synodi *Patribus, nulli deinceps patere licentiam immutandi quovis modo Symbolum Nicenum, quod idem est dicere, ac Constantinopolitanum: virtute enim continetur in illo, amboque pro uno sunt habita, ut posteà planum fiet.* Nervosè ostendit

dit etiam à Synodo Calchedonensi & omni Ecclesiâ utrumque Symbolum pro uno habitum, & Constantinopolitanum passim appellari Nicenum. Quæ ejus dicta latini fuerunt libentissimè amplexi. Etiam Martianus Augustus in Divalibus ad Synodum Calchedonensem literis per Nicenum intellexit Constantinopolitanum, atque hìnc ab Eutychianistis Ægypti Episcopis arrepta occasio reclamandi ad solum Nicenum. Nec Ephesina, sed hæc ipsa nostra Constantinopolitana Synodus hoc locutionis genus induxit, de suo Symbolo dicens in primo Canone: *Non spernendam esse fidem Patrum trecentorum decem & octo, qui in Nicæa convenerunt, sed manere eam ratam oportet.* Porrò ex cunctis hujus Synodi actis unicum Symbolum probavit Romana Ecclesia: Hìnc ergò omnem Synodum sub Nicena quandoque comprehendunt, & quasi pro eadem habent Pontifices Romani. Quod ipsam tamen non plenè tacuerint, ostendi superiùs, de quo rursùm infrà.

A quinto argumento existimem quæri nodum in scirpo. Quod namque Gregorio omne Symbolum nostrum fuerit authenticum, non est ambigendum. Loquitur ex sancti Gelasij Prædecessoris sui Romanâ Synodo, quæ & ipsa affirmat damnatum solum Macedonium, videlicet ut reum principaliter à Synodo petitum. Eodem modo loquuntur alij plures, ipsaque sexta Synodus in sermone ad Principem adclamatorio: Nec ideò Apollinarium, aut adversùs illum factas Symboli additiones excludunt.

Quarta quæstio est, an hi Canones fuerint etiam per Romanam Ecclesiam comprobati? Pro parte adfirmativa facit Dyonisius Exiguus, Græcus quidem homo, Romanus tamen Canonum collector, codici suo inserens totos quatuor priores: Haud dubiè inseruit solos à Romana, cujus panem edebat, Ecclesia admissos. Et Anastasius, Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, in præfatione Synodi octavæ ad Adrianum secundum Pontificem scribit, quomodò in humano corpore sunt quinque sensus ità in Ecclesia esse quinque Patriarchas, secundoque loco ponit Constantinopolitanum, utique vigore tertij nostri Canonis, quem novimus haberi ut maximè Romanis exosum. Quod ipsum ad octavam Synodum, & præsentes Apostolicos Legatos dixit non solummodò magnificentissimus Patricius Bahanes, sed & Metrophanes Smyrnensium Metropolita, Sedis Apostolicæ defensor insignis. Et sanctus Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus semper istic habuit locum secundum. Quin immò in Calchedonensi Synodo Orientalibus Episcopis, adversùs Dioscorum Patriarcham Alexandrinum ac ejus Ephesinum latrocinium clamantibus, *Flavia-*

nus Constantinopolitanus Episcopus *in proprio loco quare non sedit, Constantinopolitanum Episcopum quare quintum posuerunt?* Respondit Paschasinus, Lilybetanus Episcopus, ac Sedis Apostolicæ Legatus:
Act. 1. *Ecce nos, Deo volente, Dominum Anatolium,* Flaviani successorem, *primum habemus, hi quintum posuerunt beatum Flavianum.* Dioscorum ac ejus in latrocinio socios arguit de tertij nostri Canonis prævaricatione. Quin immò de eodem ad eandem Synodum dixit Eusebius,
Act. 16. Dorylei in Phrygia Episcopus: *Hanc regulam sanctissimo Papa Leoni in urbe Roma prælegi ego,* præsentibus *Clericis Constantinopolitanis, eamque suscepit.* Et Calchedonensium Canonum, quos uno dempto esse
L. 5. c. 3. 4. ab eodem sancto Pontifice confirmatos adfirmat Facundus Hermianensis, primus est: *Regulas sanctorum Patrum, per singula nunc usque Concilia constitutas, proprium robur obtinere decernimus.* Confirmat codicem Ecclesiæ universæ, in quo sunt singuli nostri septem Canones Con-
C. 1. stantinopolitani. Quod ipsum repetit septima Synodus, cujus Canones probari à Romana Ecclesia, scribit ad Hugonem Ecclesię Lugdu-
Epist 68. nensis Primatem sanctus Ivo Episcopus Carnotensis. Et Justinianus Augustus, in novellis constitutionibus per Sedem Apostolicam ap-
Novel. 131. c. 1. probatis, scribit: *Sanctarum quatuor Synodorum dogmata sicut sanctas Scripturas accipimus, & regulas sicut Leges observamus.* Eis non Canonis tantùm, sed & legis tribuit vicem atque auctoritatem. Et superiùs laudata Romani Pontificis professio non solùm octo generalium Synodorum fidem, sed & Canones, actaque omnia observare spondet: undè & suos illi Canones addidit Synodus Basileensis.

Respondeo tamen Canones nostros à Damaso Pontifice, ejusque ad usque Innocentium tertium successoribus, nunquam fuisse probatos. Eos enim generaliter omnes Lucentius Esculanus Episcopus, ac Sedis Apostolicæ Legatus, in Synodo Calchedonensi adversùm
Act. 16. Episcopatus Constantinopolitani exaltatores dixit esse *Canones non conscriptos.* Et statim infrà. *Trecentorum decem & octo constitutionibus postpositis, centum quinquaginta, qui in synodicis Canonibus non habentur, mentionem tantùm fecisse noscuntur, quæ dicunt ante octoginta propè annos constituta fuisse.* Pro *octoginta* jam suprà dixi legendum *septuaginta.* Quid de eisdem, præsertim tertio, sanctus Leo magnus censuerit, dixi aliquoties: Anatolium Constantinopolitanum Episcopum culpavit graviter, non dumtaxat quod illum tertium resuscitare & ampliare, sed etiam quod secundum in Synodo Calchedonensi locum rapere præsumpsisset. Aliud esse dixit jura Sedium, aliud delicta Præsulum, adeòque ob Dioscori Alexandrini Patriarchæ in Synodo lapsum non fuisse sancti Marci sedem humiliandam. Neque dubium,

quin culparit & Paschasinum Legatum. Sanctum Eusebium Dorylenensem, magni meriti Episcopum, quis ausit de mendacio habere suspectum? Omninò tamen certum est falli: Aut ipse Pontificem, aut ipsum Pontifex non plenè intellexit.

De eisdem universim Canonibus scribit ad Eulogium Alexandrinum, & Anastasium Patriarcham Antiochenum sanctus Gregorius magnus. *Canones Constantinopolitani Concilij Eudoxianos damnant, sed quis fuerit eorum auctor Eudoxius, minimè dicunt. Romana autem Ecclesia eosdem Canones vel gesta Synodi illius hactenùs non habet, nec accipit; in hoc autem eandem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum. Reliquas verò hæreses, quæ illic memoratæ sunt, ab alijs iam Patribus damnatas reprobat.* Quod ipsum de sexto speciatim Canone suprà audivimus ex literis Nicolai primi Pontificis ad Michaëlem Augustum. Græcis in Acaciano schismate fætentibus, assiduèque proclamantibus ad Canones, respondit sanctus Pontifex Gelasius. *Viderint, si alios habent Canones, quibus suas ineptias exequantur. Cæterùm isti, qui sacri, qui Ecclesiastici, qui legitimi celebrantur, Sedem Apostolicam ad iudicium vocare non possunt.* Acacianorum ineptiæ erant Constantinopolitanum Episcopum, *qui per Canones nullum inter Sedes locum acceperat*, utpotè merus Paræcialis Episcopus in Provincia Europæ sub Metropolita Heracleensi, in secundum thronum sublimare, à Romani Episcopi judicio ad Synodum provocare, exufflare sancti Petri monarchiam, & omnes Patriarchas invicem æquales facere: Adeòque ad illas exequendas conditi Canones erant partim Eusebianorum apud Philippopolim editi, partim hi Constantinopolitani. Strenuè idẽ Pontifex commendat, non solummodò Nicenos Canones, sed & Sardicenses. Adversùs tertium hunc nostrum sunt longè plurima Romanorum Pontificum testimonia, & vetusta & recentiora. Nam & à Bulgaris Nicolaus primus Pontifex, & à monachis Cassinensibus rogatus Patriarcharum ordinem sanctus Petrus Damiani, secundum Ecclesiæ thronum dicunt Alexandrino per Canones adscriptum. Quocircà quod in octava Synodo sanctus Ignatius, in septima Tharasius, in sexta Georgius, in quinta Eutychius Constantinopolitanus locum secundum habuerit, factum est, uti in Breviario Nestorianæ & Eutychianæ hæreseos notat Liberatus Diaconus Carthaginensis, ex violenta voluntate Græcorum Imperatorum, & dispensatoria dissimulatione Legatorum Apostolicorum.

L. 6. Ep. 31.

Epist. 4.

Alitèr tandem in Synodo Lateranensi statuit Innocentius tertius. *Antiqua Patriarchalium sedium privilegia renovantes, sacra universali Synodo approbante, sancimus, ut post Romanam Ecclesiam, quæ disponente* C. 5.

Domino super omnes alias ordinaria potestatis obtinet principatum, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineat, servatâ cuilibet propriâ dignitate. Hunc ordinem vocat antiqua privilegia: A quibusdam per Canones accepta, à quibusdam usurpata per rapinam. Quin immò, de Episcopi Faventini postulatione agens, scribit ad Ravennatis Ecclesiæ
Greg.9.l.1 tit.9.c.11. Archi-Episcopum. *Verùm postulationi huiusmodi videbatur Concilij Constantinopolitani capitulum obviare, in quo statutum est, ut quicumque de Pontificali dignitate ad monachorum vitam & pœnitentiæ locum descenderit, nequaquam ulteriùs ad Pontificatum resurgat. Vndè contra dictum Concilium, cùm sit unum è quatuor principalibus, quæ sicut quatuor Evangelia Ecclesia catholica veneratur, nullatenùs videbatur postulatio admittenda.* Nequaquam istius Canones, sed solum fidei Symbolum, tamquam Dei Evangelium, & olim venerata est, & etiamnum hodiè Ecclesia veneratur: Neque huic doctissimo Pontifici, ejusque generali Synodo placuit aliud. Placuit superiùs adducta Justiniani Augusti Novella, mandans Symbolum, tamquam Evangelium; Canones, tamquam leges, admitti, fierique authenticos, & à Romana Ecclesia confirmatos. Solus namque tertius repugnat sexto Niceno, eumque præsertim aversata semper fuit Apostolica Sedes: Eo admisso, nulla ratio suasit alios sex refutari.

Porrò per dies istos Flandri nostri ceperant Constantinopolim, ejusque imperiali throno Comitem nostrum Balduinum imposuerant, & Cathedræ item Episcopali virum latinum. Eos, plusquam Saracenos, Græci aversabantur: Quare beneficijs illos placaturus Innocentius Pontifex Sedi Constantinopolitanæ dedit cuncta prætensa privilegia, quæ nullâ viâ ab ejus usque huc Prædecessoribus potuerant extorqueri. Eadem, quod ob Nicenorum canonum robur vacillare nossent, impetrarunt Græci ab Eugenio quarto & Florentina Synodo confirmari.

Adductus autem ille de clericis ad monastici status humilitatem descendentibus canon est quidem Concilij Constantinopolitani, nequaquã tamen hujus præsentis. Est Synodi habitæ per legatos Joannis octavi Pontificis, in qua Photius reconciliatus Ecclesię illius thronum cœpit tamquam legitimus Episcopus sedere: Synodi miserabilis. Ità lapsus est Innocentij tertij Scriniarius. Ex quo tamen lapsu novimus, quid de nostris Canonibus Constantinopolitanis sentire tandem cœperit doctissimus ille Pontifex, Romana Sedes, & Ecclesia universa.

Plerisque in contrarium adductis argumentis est satisfactum. Canones Calchedonenses à sancto Leone Pontifice nunquam fuisse con-

confirmatos, & isticdecipi Facundum Hermianensem, infrà ostendam. Eadem est ratio Canonum Synodi septimæ. Justinianum Augustum propriè notat adductus suprà Liberatus Carthaginensis: *Licèt Sedes Apostolica nunc usque contradicat, quod à Synodo firmatum est, Imperatoris patrocinio permanet quodammodò.* Ejus Novellæ constitutiones non laicum Imperatorem, sed supremum Ecclesiæ Episcopum sonant: Quasdam toleravit Romana Ecclesia, absit ut adprobârit. Alius erit hæc discutiendi locus. Quod Romani Pontificis Professio solam octo Synodorum fidẽ, nequaquam Canones aut acta alia comprehenderit olim, est palam. Exstat apud bibliothecam vaticanam integra in laudato Romanæ Ecclesiæ Diurno. Idipsum adfirmat Synodus Constantiensis. Basileensis nec audienda est, utpotè hoc inter Synodos, quod vespæ inter apes. C. 13. Sess. 34.

Quinta quæstio est, an saltem primus hujus Synodi Canon fuerit à Damaso Pontifice & Romana olim Ecclesia confirmatus? Etenim confirmatum videtur adserere suprà laudatus Evoptius, Cyzicenus Episcopus Metropolitanus, in synodalibus literis exstantibus post Synodum Calchedonensem, ad Leonem Augustum scribens adversùm Eutychianistas hujus Synodi inimicos. *Prima regula est posita, quæ anathematizat apertis sermonibus hæreses universas. Qui ergò hanc Synodum refutat ità sanctam & venerandam, quam præ omnibus quidem veritas confirmavit, deindè & tanto tempore robur accepit, certum est, quia non uno capitulo sustinent scandalum, sed in multis hæresibus languere noscuntur. Nam qui legem veritatis adiutricem refugiunt, aperti sunt veritatis ipsius inimici, quando hanc Synodum, quam se ignorare confingunt, & Proterius Deo amabilis tunc Alexandrinæ civitatis Episcopus, vir animâ venerandus, unà cum eis præsens & ipse firmavit.* Epist. 47.

Respondeo tamen neque hunc Canonem fuisse Evoptij tempore à Romana Ecclesia probatum. Etenim superiùs laudata ad Eulogium Alexandriæ & Anastasium Antiochiæ Patriarcham Epistola sancti Gregorij, quæ Canones Constantinopolitanos à Romana Ecclesia admissos negat, disertè agit de hoc primo, damnante cum reliquis tùm grassantibus Erronibus etiam Eudoxianos, quorum quis esset auctor Eudoxius, magnus ille Pontifex ignorabat. Canonibus suis aliquid de reis suis personis, de proprijs ritibus ac moribus, aut ambitiosis cupiditatibus passim infarciebant Græci: Singula funditùs discutere nolens Romana Ecclesia gaudebat fidei quæstiones tractatas benè, earumque solam definitionem confirmabat, Canones & reliqua acta, quibus nullum vitium apertum, in ambiguo statu relinquens. A doloso Græcorum ingenio metuebat etiam secura: Et è

difficultatibus, quæ nasci poterant & passim nascebantur, sibi exitum reservabat.

Quod ipsum in verbis adductis fatetur laudatus Evoptius. Ait hunc Canonem non à Romana Ecclesia, sed ab ipsa veritate & longi temporis lapsu confirmatum. Nempè à Præcessore suo Diogene didicerat motas inter Græcos Episcopos & Legatos Apostolicos in Synodo Calchedonensi lites de tertio præsertim Canone Constantinopolitano, cujus causâ Lucentius Esculanus Episcopus dixerat omnes & singulos istius Synodi canones non haberi in Synodicis, & ut spurios à Romana Ecclesia refutari.

Addit Evoptius hanc nostram, utique quoad canones, Synodum etiam à sancto Proterio Alexandrino Episcopo, ipsisque turbulentis eam jam impugnantibus Episcopis fuisse firmatam. Nequaquam in Calchedonensi Synodo fecit id Proterius: Namque non nisi post Synodum fuisse electum & consecratum, palàm in Breviario scribit Liberatus Carthaginensis. Eum itàque Marcianus Augustus ordinari non permisit, nisi priùs professum fidem & canones non tantummodò Calchedonensis Synodi, sed & nostræ Constantinopolitanæ. Procurârunt id Episcopi orthodoxi, qui Ægyptios in Calchedonensi Synodo ad solum Nicenum Symbolum proclamantes habuerant meritò suspectos lepræ Eutychianæ: Ac præsertim Anatolius Constantinopolitanus Episcopus, cui dictæ Synodi per Orientis Ecclesias executionem sanctus Leo Pontifex datis Apostolicis vicibus delegarat. Procuravit id ille unà serviens ambitui suo, cujus palmare fundamentum erit tertius Canon noster, ideòque non ad solius Constantinopolitani Symboli, in Calchedonensis fidei decreto expressi, sed & ad omnium septem Canonum professionem Proterium adegit. Quoad hos enim, ac ex illis extractos, dicto ambitui famulantes, Canones Calchedonenses, damnatus Dioscorus Alexandrinus Patriarcha auditus non fuerat: A successore ad Ecclesiæ suæ jura & Nicenos Canones reclamandum metuebat Anatolius, ideòque homo cautus hocce professionis reti Proterium intricavit.

C. 14.

Et hæc est intima radix, ex qua Hilarus Pontifex, quatuor Synodos confirmans, non expresserit Constantinopolitanam, comprehendens sub Nicena: Quod ipsum successores Felicem tertium, ac Simplicium, licet Eutychianis turbulentiis egregiè arietarentur, fuisse secutos suprà ostendi. Videntur adversùm turbines illos debuisse quam maximè exprimere & palàm prædicare: Ast tacere ex alia parte suasit comprimenda ambitio Sedis Constantinopolitanæ, cujus adulatores, uti ex sancti Gelasii Pontificis contra ipsos apologia liquet, blaterabant

Opusc. 1.

bant eandem Synodum non posse à Romana Ecclesia probari partim, partim improbari. Erat bivium perplexum: Periculi ex utroque latere plenum, ab inimicis in invicem pugnantibus obsessum, ambobus claudendum. Constantinopolitani Canones, secundum excipe, cum Nicenis nihil affine habent, utrumque verò Symbolum est virtute unum: Hìnc Constantinopolitanam Synodum sub Nicena comprehendendo declarârunt abundè laudati Romani Pontifices solum Symbolum, haud Canones à se probari.

Sexta quæstio est, an hujus Synodi de personis acta fuerint confirmata à Damaso Pontifice? Affirmare videtur sanctus Ambrosius, in literis ad Ecclesiam Vercellensem, dicens de se Neophyto in Episcopum promoto: *Ordinationem meam Occidentales Episcopi iudicio, Orientales etiam exemplo probârunt.* Exemplo Nectarij ex Neophyto Episcopi Constantinopolitani, quod erat nullius ponderis, adeòque Ambrosio indignum, si à Romana Ecclesia non fuerit comprobatum. Epist. 25.

Respondeo tamen nec illa acta fuisse confirmata. Disertè id testatur sanctus Gregorius magnus in suprà laudatis literis ad Eulogium Alexandrinum Episcopum, & Anastasium Antiochenum. Quin immò Flaviani Antiocheni ordinationem, ut manifestam & Paulini & totius Occidentalis Ecclesiæ injuriam, acerrimè insecuta est Romana Sedes. De Gregorio Nazianzeno, Nectario, Cyrillo Hierosolymitano acta in ambiguo suspensa præterijt, quomodò similia Synodi Calchedonensis S. Leo magnus, de quibus scribit ad Maximum Patriarcham Antiochenum. *Si quid sanè ab his fratribus, quos ad sanctam Synodum vice meâ misi, præter id, quod ad caussam fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit penitùs firmitatis: Quia ad hoc tantùm ab Apostolica Sede sunt directi, ut excussis hæresibus, catholicæ essent fidei defensores. Quidquid enim præter speciales caussas synodalium Conciliorum ad examen Episcopale defertur, potest aliquam diiudicandi habere rationem, si nihil de eo est à sanctis Patribus apud Niceam definitum. Nam quod ab illorum regulis, constitutioneq; discordat, Apostolicæ Sedis numquam obtinebit consensum.* Epist 62. c. 5. Confirmat solam fidem, editos Canones Nicenis adversos cassat, acta reliqua, quoniam sine suo mandato definita, licet forsàn confirmari possent, discutere non vult, suoque statui suspensa relinquit. Eodem modo hanc nostram Synodum Damasus Pontifex tractavit. Sanctus enim Gregorius Nazianzenus cum sancto Basilio semper Meletio adversùs Paulinum Antiochenum adhæserat, ideòque ejus caussam, præsertim non appellantis, noluit motu proprio facere suam. Sed neque Nectarij Episcopatum quisquam Romanus Pontifex legitur ad-

adprobasse. Neque id adfirmat sanctus Ambrosius: Episcopatui suo adversùm detractores, apologorum more, undequaque quærit patrocinium.

Septima quæstio est, an Synodi hujus fidem reverà Damasus Pontifex confirmârit, an autem sola veritas, lapsusque temporis, uti de primo Canone ad Leonem Augustum scripsit Evoptius Episcopus Cyzicenus? Respondeo ab ipso Damaso confirmatam. Etenim ad Michaëlem Bulgariæ Principem scribit in libro de septem Synodis Photius Constantinopolitanus. *Quibus haud multò post & Damasus Episcopus Romæ eadem confirmans atque idem sentiens accessit.* Et auctor incognitus libelli synodici apud Christophorum Justellum. *Damasus*
C.76. *sanctissimus collecta Romæ Synodo divinum decretum edidit, & ad eam, quæ Constantinopoli cogebatur, Synodum emisit.* Quod ipsum dicunt antiqua ejusdem Pontificis vita publicata per Martium Milesium, & in sermone ad Principem acclamatorio Synodus sexta.

Octava quæstio est, an hæc Synodus sit generalis seu œcumenica, & in talem à Damaso Pontifice confirmata? Pro parte negativa facit auctoritas sancti Gregorij magni, Cyriaco Episcopo Constantinopolitano, qui in Enthronistica suæ fidei professione anathematizârat et-
L.6.Ep. 4. iam Eudoxium, rescribentis. *Cùm recta à vobis fides veraciter & subtiliter sit prolata, inter eos, quos per sanctissimas generales Synodos damnandos esse censuistis, Eudoxium quemdam vos damnasse reperimus, cuius nomen in latina lingua, neque in Synodis, neque in libris beatæ memoriæ Episcoporum Epiphanij, Augustini, & Philastrij, quos contra hæreticos præcipuè disputasse novimus, positum reperimus. Quod si quis eum veraciter de catholicis Patribus damnat, eius procul dubio sententiam sequimur. Vos autem si in synodica vestra Epistola eos quoque nominatim damnare voluistis, qui extra sanctas Synodos per Patrum scripta damnantur, multos scriptis suis Fraternitas vestra minùs posuit; si autem eos, quos generales Synodi respuunt, hunc unum ampliùs.* At verò Eudoxius ille est Episcopus Constantinopolitanus damnatus à primo Canone hujus Synodi: Ergò illam sanctus Gregorius nequaquam habuit pro generali.

Prætereà generalis Synodus esse debet repræsentatio totius Christianitatis, adunata ex omnibus Ecclesiæ Patriarchis, Provincijs, Metropolitis, Episcopis: At verò hæc Synodus ex solis centum quinquaginta Orientalibus Episcopis convenit, idque citra jussum & præsidentiam Sedis Apostolicæ, sine qua veram non fieri Synodum, est suprà ostensum. Etiam Timotheus Patriarcha Alexandrinus non nisi post conditum Symbolum & Canones advenit.

Ad quæstionem tamen respondeo affirmativè. Ità semper inconcussè

cusè tenuit omnis sub cælo Ecclesia. Quod ipsum sanctus Gregorius senserit, & cur ità de Eudoxio loquatur, superiùs est declaratum abundè. Ex adducto nunc ejus loco magis liquet etiam primum hujus Synodi Canonem fuisse tunc à Romana Ecclesia non tantummodò non probatum, sed neque notum. Liquet & antiqua Enthronisticarum Patriarchalium literarum forma: Non quosvis hæreticos, sed solos à generalibus Synodis damnatos debebant anathematizare.

Ad secundum respondet Hincmarus Remensium Metropolita in literis contra Hincmarum Episcopum Laudunensem. *Cùm plura catholica habeantur Concilia, sex Synodi tantùm generales specialiter apellantur, quia pro generali ad omnes Christianos pertinente caussâ sunt convocata.* Et infrà eodem capite. *Vniversitas ab eo cognominatur, quod uno multoties verso propagatur: Nam multitudo unitatum vertente in unum collecta, universitas efficitur. Sicut enim Ecclesia universitas est, quæ græco eloquio catholica dicitur; ità nimirùm omne, quidquid ab eius unitate non discessit, catholicum nuncupari potest. Omnis enim doctrina Christiana, vel qualibet constitutio seu traditio talis esse debet, ut universali conveniat Ecclesiæ. Cùm ergò duarum aut trium Provinciarum Præsules in unum conveniunt, si antiquorum Canonum institutione muniti aliquid prædicationis aut dogmatis instituunt, quod tamen ab antiquorum Patrum dogmatibus non discrepat, catholicum est quod faciunt, & fortassè dici potest universale: Quoniam quamvis non sit ab universi orbis Præsulibus actum, tamen ab universorum fide & traditione non discrepat, quod crebrò factum in plerisque mundi partibus scimus. Si verò duarum aut trium Provinciarum Præsules in unum convenientes, nova quædam statuere cupientes, conventicula quædam faciunt, quæ non cum universi orbis Ecclesia sentiunt, sed ab ea ex quadam parte dissentiunt, non est catholicum quod faciunt, & ideò universale appellari non potest. Omne, quod Ecclesiasticum est, catholicum est; & omne, quod catholicum est, universale est. Claret hac de caussa universales & generales Synodos nominari, cùm plures Episcopi, quàm in quibusdam præfatis Synodis fuerint congregati Apostolicæ Sedis iussione, & imperiali convocatione. Sicut Sardicensis Synodus, in qua ab Hesperijs partibus plusquam trecenti convenerunt Episcopi. Et in Africanis Synodis, cum legatis Apostolicæ Sedis celebratis, interdum ampliùs quam ducenti fuerunt congregati Episcopi. Non tamen inter universalia Concilia computantur.* Epist. 33. c. 20.

Asserit Synodum non ab Episcoporum numero, sed à sola re definita dici generalem: Eam omnem & solam dici generalem, quæ, sive ex multis, sive ex paucis Episcoporum Provincijs adunata, rectè definit de dogmate, quod est caussa generalissimè spectans ad omnes Christianos. At certum est hallucinari. Quintam enim Synodum, quæ

de personis, non de fide definivit; nec ipse inficiatur esse generalem. Etiam octava definijt de solis personis. Quisquis Sardicensem negat œcumenicam, insolenter discordat ab perpetuo sensu Ecclesiæ latinæ. Quis ferat duarum aut trium Provinciarum Synodum dici generalem?

Dico igitur adesse oportere Sedem Apostolicam, omnes Ecclesiæ orthodoxos Patriarchas, Provincias, Metropolitas, Episcopos, attamen non per præsentiam corporalem: Satis est, ut adsint per legationem, aut literis expressum consensum; seu prævium, seu subsecutum. Epist 33 Palladio enim, Ariano Episcopo, ad Synodum Aquilejensem nolenti loqui, quod non adessent Episcopi Orientales, adeòque non esset *generale & plenum Concilium*, rectè respondit sanctus Ambrosius. *Interim, quia superioribus temporibus Concilium sic factum est, ut Orientales in Orientis partibus constituti haberent Concilium, Occidentales in Occidente, nos in Occidentis partibus constituti convenimus ad Aquileiensem civitatem iuxta Imperatorum præceptum. Denique etiam Præfectus Italiæ literas dedit, ut si vellent Orientales convenire, in potestate id haberent. Sed quia sciverunt consuetudinem huiusmodi, ut in Oriente Orientalium Concilium esset, intra Occidentem Occidentalium, ideò putaverunt non esse veniendum.* Et Vigilio Romanorum Pontifici, quintam Synodum intrare nolenti ob Occidentalium Episcoporum paucitatem, responderunt Eutychius Constantinopolitanus, Apollinarius Alexandrinus, Collat.2. & Domninus Patriarcha Antiochenus. *Nos communicamus, & unus sumus vobiscum, & non decet omnium nostrum conventum differri propter Occidentales Episcopos: Nec enim in quatuor sanctis Synodis multitudo Occidentalium Episcoporum inventa est unquam, sed duo vel tres Episcopi, & certi Clerici.* Soli fermè Sedis Apostolicæ Legati. Ante Nicænam Sylvester, ante Ephesinam Cælestinus, ante Calchedonensem Leo, ante sextam Agatho, ante septimam Adrianus primus, ante octavam Synodum Adrianus secundus Pontifex coëgit omnem Occidentalem Ecclesiam, ejusque de mota quæstione fidem & sensum misit ad Orientales Episcopos synodaliter adunatos, atque ità ex horum corpore & istorum spiritu facta est una Synodus plenè generalis, plenus consensus in unam fidem. Porrò antiqua est juris Regula, *Ratihabitionem retrotrahi & mandato æquiparari*, scribitque ad Eustochium Epist. 27. c.2. virginem sanctus Hieronymus. *Orientis & Occidentis Episcopos ob quasdam Ecclesiarum dissensiones Romam imperiales literæ contraxerunt.* Ob hujus Synodi Canones & Flaviani Antiocheni promotionem offensus gravissimè, ac imperiali jussione fultus Damasus Pontifex utramque Ecclesiam evocavit Romam ad plenam Synodum, atque illic cassavit

vit Canones, Flavianum non comparentem malè notavit, confirmavit verò Symbolum, atque ità fecit, quod suprà à Photio audivimus; *Eadem confirmans atque idem sentiens accessit.* Ratum habuit Symbolum, atque ità hanc Synodum fecit esse verè generalem. Gelasius Pontifex factum dicit *Theodosio Augusto mediante:* Ejus namque studio convenerat Synodus, omnem Orientem purgârat, & quoad dogma pacificârat. Con. I.

S. CYRILLI

Patriarchæ Alexandrini adversùs Nestorianam hæresim CAPITVLA, per Apostolicam Sedem & Ephesinam Synodum confirmata

Nec non & adversa impia Capitula Nestorij Episcopi & Hæresiarchæ Constantinopolitani.

PRIMVM S. CYRILLI CAPITVLVM.

SI quis non confitetur Emmanuelem verum Deum esse, & ob id sanctam Virginem Deiparam (genuit enim illa incarnatum Dei Verbum secundùm carnem) anathema sit.

PRIMVM NESTORII CAPITVLVM.

SI quis eum, qui est Emmanuel, Deum verum esse dixerit, & non potiùs nobiscum Deum, hoc est, inhabitasse eam, quæ secundùm nos est, naturam, per id, quod unitus est nostræ, quam de Maria Virgine suscepit: Matrem etiam Dei Verbi, & non potiùs eius, qui Emmanuel est, nuncupaverit; ipsumque Dei verbum in carnem versum esse, quam accepit ad ostentationem Deitatis suæ, ut habitu inveniretur ut homo, anathema sit.

SCHOLION.

Vocem, *Deipara*, primùm à Valentino, deindè ab Apollinario Laodicensi spretam ac infamatam, abominatus est, ex alio tamen principio, etiam Nestorius Episcopus & Hæresiarcha Constantinopolitanus, fuitque illi seu errandi, seu erroris detegendi
L.1. c.2. exordium, de quo Evagrius Scholasticus Epiphaniensis. *Anastasius, Nestorij Presbyter, in disputatione apud populum in Ecclesia Constantinopolitana palàm ausus est dicere:* NEMO MARIAM DEIPARAM VOCET. NAM MARIA HOMO ERAT: ATQVI AB HOMINE DEVS NASCI NON POTEST. *Quæ verba cùm populus Christo consecratus graviter & acerbè ferret, & disputationem illam non sine caussa haberet pro blasphemia, Nestorius, istius blasphemiæ auctor & dux, non solùm non prohibuit illum, neque rectam sanamq; doctrinam tutatus est, verùm etiam eius verba in primis roborare contendit, & in eisdem defendendis acriùs institit.* Etenim
L.7. c.32. *Anastasii sententiam,* inquit Socrates, *confirmare studens sæpissimè de eadem controversia in Ecclesia pro concione disseruit, de eadem pugnaciter quæstiones posuit, & vocem,* DEIPARA, *omninò reiecit.* Quin & Dorotheum, Marcianopolitanum Episcopum, secundæ Mæsiæ Metropolitam, induxit ad faciendum, quod queritur sanctus Cyrillus, Alexandriæ Patriarcha, in literis ad Cælestinum Papam, ac in literis ad Acacium Episcopum Berrhæensem, exstantibus in prima parte Syno-
Epist.12. di Ephesinæ. *Erat Episcopus quidam, Dorotheus nomine, Constantinopoli,*
14.22. *eadem, quæ Nestorius, sapiens & sentiens, vir quæstus caussâ adulationi impensè deditus, linguâq; ad temeritatem usque promptus. Hic, dum sacra peragerentur, Reverendissimo Nestorio in Cathedra Ecclesiæ Constantinopolitanæ sedente, surrexit, magnâq; & elatâ voce inclamare ausus est:* SI QVIS MARIAM DEIPARAM DIXERIT, ANATHEMA SIT. Ità homo effrons totam Ecclesiam, omnesque ejus Patres, dictâ voce semper usos, anathematizavit. Pergit Cyrillus de Nestorio. *Quamvis id ore suo facere noluerit, attamen sedens & audiens Dorotheum, ut hoc diceret, induxit, subornavitque, cui etiam confestim, ubi è cathedra descendisset, in Divinorum mysteriorum celebratione communicavit.* Porrò Dorotheum fuisse Ecclesiæ Marcianopolitanæ Episcopum, liquet ex Nestorij & asseclarum ejus Pseudo-synodali Relatione ad Theodosium Augustum, cui ipse ut talis subscribit.

An etiam Anastasium Presbyterum induxerit ac subornaverit Nestorius, non plenè constat. Affirmare videtur laudatus Evagrius. Verùm Socrates vult dictam blasphemiæ vocem Anastasio quasi inconsiderato elapsam, ejusque tunc patrocinium susceptum à Nestorio,

nolente eum, quem tanti faciebat, ut blasphemum coargui. Audi caussam. *Anastasius Presbyter unà cum Nestorio Antiochia venerat, eiusq; consuetudine semper usus fuerat, & in magno honore ab illo habitus, eique in rebus gerendis consiliarius.* Ad Episcopatum Constantinopolitanum ex Antiochena Ecclesia accitus Nestorius secum duxit futurum in gente aliena fidum Syncellum. L.7.c.32.

Quidquid sit de primo auctore, Nestorium evasisse pertinacissimum blasphemiæ defensorem docuit eventus. Etenim de illo scribit sanctus Cyrillus ad Joannem Patriarcham Antiochenum. *Ad Dominum meum Cælestinum, pijssimum Romanæ Ecclesiæ Episcopum, missâ Epistolâ adversùm eos, qui ab ipso dissentiunt, depromere non est veritus:* CITRA HORROREM SACRAM VIRGINEM DEI GENITRICEM APPELLANT. Vocem, *Deipara*, tamquam notham, irrationalem, temerariam, periculosam, blasphemam proscidit. Et de ejus quibusdam sectatoribus scribit idem Sanctus ad Clerum & populum Constantinopolitanum. *Deiparæ appellationem prorsùs negant, adduntque paratiores se esse, ut manus suas amputandas præbeant, quam ut huiusmodi voci subscribant.* Etiam Leporius Presbyter, Nestorij in Gallia Præcursor Pelagianus, *dicere verebatur de Maria natum Deum*, uti ipse profitetur in libello suæ emendationis. Et Vitalis & Constantius, Episcopi Hispani, scribunt ad Capreolum Archi-Episcopum Carthaginensem: *Sunt hîc quidam, qui dicunt non debere dici Deum natum*, utique de Virgine Maria. Primus & palmaris fuit hic error omnium, quotquot Nestorianâ scabie laborârunt. Quin immò quosdam suo tempore orthodoxos à laudata voce etiam abhorruisse scribit Facundus Episcopus Hermianensis. *Insinuandum*, inquit, *est, quod hanc quoque confessionem, quâ beatam Mariam verè & propriè dicimus matrem Dei, quidam etiam communicantes Ecclesiæ putant non debere suscipi, cùm Nestorium fateantur, propter quod eam matrem Dei negabat, debuisse damnari.* L.1.Ephe. Conc.c.21. L.1.cont. Nest. c.1. L.2. c.1. L.3.Conc. Ephes. F.481. L.1.c.12. L.1.c.4.

Primam istorum rationem adducit Anastasius Presbyter in literis ejusdem Cyrilli ad Clerum Constantinopolitanum: *Quod Nicena Synodus vocis*, DEIPARA, *nullam umquam mentionem fecerit.* Eandem rationem in literis ad Cælestinum Pontificem urget ipse Nestorius, addens etiam in sacris literis eam non contineri. Et apud Photium in Bibliotheca sanctus Efremius, Patriarcha Antiochenus, à sancto Leone Papa adfirmat inductam in Ecclesiam, priores Patres ipsâ lucidè non fuisse usos. L.228.

Secundam rationem adducit Nestorius in libro per sanctum Cyrillum recitato ac refutato, nec non ex illo ipse Cyrillus in libro

L.2.c.1. C.1. Apologetico contra Orientales. *Si fide simplici* DEIPARAM *proferres, nulla esset apud me dictionis invidia, verbi sensum exquirentem. Sed quia video te prætextu erga beatam Mariam honoris, hæreticorum confirmare blasphemiam, ideò dictionis probationem cautè prænuntio, cùm periculum in ea dictione latens suspectum habeam.* Eam suspectam dicit de naturarum in Christo Domino confusione, per Arium, Eunomium, ac Apollinarium adserta: Qui idcircò *statuerunt* DEI GENITRICIS *appellationem invehere.* Arius enim, Eunomius, atque Apollinarius Christo Domino detraxêre humanam animam, ejus vicem & functiones in ipsum Deum Verbum transcribentes, plenumque Christum ex carne & divinitate confusis & commixtis compingentes: Atque ità non solummodò Deum, sed & ipsam Deitatem dixêre natam ex Virgine, ejusque erroris dixit Nestorius vocem, *Deipara*, esse suspectam, ac proindè scandalosam, piarum aurium offensivam, ab omni ore Christiano proscribendam. Eandem rationem strenuè urget in literis ad Cælestinum Papam, Ecclesiæ suæ Clericos accusans ejusdem blasphemi erroris. *Existimat necesse esse*, inquit sanctus Cyrillus in libro apologetico contra Orientales, *ut ij, qui sacram Virginem Dei genitricem dicunt, fateri debeant carnis fuisse fructum nudam & seorsim positam Deitatis naturam, & subsistentiæ initium ex muliere habuisse Dei verbum.* Neque id in Nestorio mireris. Etenim & suprà ex Facundo Hermianensi adducti orthodoxi eamdem vocem aversabantur, quod illam Eutychiano, adeòque Apollinaristico & Ariano, dogmati deputarent, suspicantes istius veneni aliquid sub ipsa occultari.

L.1.Con. Ephes.c. 16.17.

Tertiam rationem, eamque palmarem, continent Nestorij verba

L.1.c.2. recitata ab Evagrio Epiphaniensi. *Ego eum, qui spacijs menstruis, id est, bimestri ac trimestri, & ità deinceps adoleverit, Deum certè non appellavero.* Eadem ex ipso Nestorij ore se audisse testatus est in Ephesina

F.351. Synodo Theodotus Episcopus Ancyranus. *Deum bimestrem aut trimestrem appellare nefas esse repetivit Nestorius. Atque hominem solùm esse ex ipso intelleximus, cùm paucis ante diebus in hac Ephesiorum civitate contra nos disceptaret, sed & alij prætereà non pauci.* Qui omnes idipsum fuêre attestati. Addit Relatio synodalis ad Clerum & populum Constantinopolitanum: *Graviores blasphemias adjecit, dicens nolle se bimestrem aut lacte nutritum adorare, neque eum, qui in Ægyptum fugit, Deum nominare.* Et hinc nos tamquam hominicolas, qui purum hominem pro Deo adoremus, infamat. Hominem illum in matris utero fuisse fatetur plenum Deo verbo, quomodò Joannes Baptista plenus Spiritu sancto, adeòque sacram Virginem non plus fuisse matrem Dei, quàm Elizabeth fuerit mater Spiritus sancti. Ex illa dicit

Deum

Deum *processisse atque emicuisse*, nequaquam ex ipsa natum. Quod F. 359.
principium etiam Leporio, alijsque in Gallia atque Hispania Pelagianis Nestorij præcursoribus fuit palmare.

Et hinc oritur dubium, an Jesum Christum, idque à primo suæ conceptionis ex matre puncto, fuisse verè & propriè Deum, personamque Divinam, reverà Nestorius negârit? Etenim hæc de illo Socrates. *Ego, dum libros à Nestorio editos lego, hominem reperio imperitum,* L. 7. c. 32.
& doctrinæ penitùs expertem: Et hoc ex animo dico. Meo equidem iudicio neque Paulum Samosatenum, neque Photinum imitatur, neque denique Dominum hominem solum esse dicit, sed vocem dumtaxat, DEIPARA, *tamquam larvam reformidat. Hocq; illi præ insigni inscitia contigit.* Et ad sanctum Cyrillum scribit Acacius Episcopus Berrhæensis Nestorium L. 1. Con. Ephes. c. 23.
ac ejus asseclas passos quid ejusmodi, quale beato Paulino Antiocheno Episcopo contigit. *Hic enim, etsi tres hypostases palàm dicere recusaret, re tamen & virtute ab illorum sententiâ & fide, qui hoc profitebantur, non recedebat. Sectabatur autem piissimos Occidentis Episcopos, propterea quod Romanæ linguæ angustia, sicuti græca phrasis, tres hypostases dicere commodè non ferat.* Et infrà. *Aiunt sermonem suum in sensu nihil continere, quod vel Apostolicæ doctrinæ adversetur, vel fidei à sanctis Patribus in Nicæa definitæ, & universæ Ecclesiæ traditæ repugnet.* Quare Cyrillum obtestatur, ut præsentem Ecclesiæ motum, utpotè natum ex unico verbo per inconsiderationem elapso, prudenter & suaviter componat, quomodò ex voce, *Hypostasis*, natum composuit sanctus Athanasius. Et ipse Cyrillus obtestatur Nestorium, ut offenso & scandalizato populo det tandem unicam vocem, *Deipara*, atque ità illum placet. Et ipse L. 1. c. 2.
mali auctor Anastasius Presbyter, pacem inire volens, protestatus est C. 12.
se idipsum, quod Cyrillus, sentire, differre quoad unicam & solam vocem. Et Cælestinus Pontifex, dum revocando errori decem dies præfixit, Nestorium non pravæ mentis, sed solius deviæ locutionis arguit, voluitque non aliquod dogma, sed solam vocem prædicari. Quod mandatum exponens & adimpleri suadens Joannes Patriarcha Antiochenus scribit ad Nestorium. *Quis, quæso, reprehendat, si ea, quæ* C. 25.
sentis, liberè exponas? Immò verò quis laudibus non efferat, si nomen, cuius sensum Pietas tua, ut cognovimus, possidet, propter publicam quietem, communemq; orbis pacem aliquandò amplecti in animum inducas? Assiduè inclamat quoad solam vocem deviasse Nestorium, ejusque palinodiam non infamem, sed gloriosam fore suadet ex simili humilitate nupera Theodori Mopsuestienis Episcopi, qui communis fuerat utriusque L. 3. c. 11.
magister apud omnem Ecclesiam honoratus. Theodorus enim, uti scribit Leontius Monachus Byzantinus, etiam vocem, *Deipara*, refu-

sutârat in concione, ideòque solemni palinodiâ offensum populum coactus est placare.

Respondeo nodum hunc solvi ab ipsa Synodo Ephesina in Relatione ad Theodosium Augustum missa per Palladium Magistrianum. F.474. *Sunt enim illi, qui diversa à recta fide sentiunt, ad tegendam imposturam adeò callidi, ut quidam quoque sanctißimi Episcopi, occultato errore à Nestorio, decepti sint, eiq; sese adiunxerint, & actu illum subscripserint, qui tamen, posteaquàm dilucidè quid sentiret, essent percunctati, illumq; suas blasphemias retegentem comperissent, ab eo desciverunt, ac sanctæ Synodo se adiunxerunt, patefactâq; eiusdem blasphemiâ, condemnationis sententiam adversùs illum nobiscum tulerunt.* Quod ipsum testantur in libro ad C. 8. Reginas S. Cyrillus, Vincentius Lerinensis, & in Nestorianæ ac Eu- C. 16. 17. tychianę heręseos Breviario Liberatus Carthaginensis Fingendi ansam præbuit Basilius, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus & Archimandrita, Nestorio Christum Dominum non propriè, sed æqui- L. 1. c. 30. vocè dumtaxat Deum prædicanti resistens in faciem: Hìnc enim cæpit ille *naturalem Dei Filium ex sancta Maria natum, dicere alium filium, ut posteà patuit, animo occultans.* Legenda Basilij Epistola ad Theodosium Augustum. A vaferrimis Pelagianis, eorum præsertim Goliath Juliano Celanensi Episcopo, & errorem & omnem mentiendi artem edoctus erat Nestorius, adeòq; & ità librare dolosissimas amphibologias, ut etiam ab hominibus oculatissimis existimatus sit solâ linguâ, non mente lapsus. Quidam tempora distinguunt, creduntque primum ejus lapsum fuisse solius linguę, at qui, dum turbatam Ecclesiam nec ab Apostolica Sede jussus per palinodiam componere pertinaciter spernit, transierit in mentem. Ità enim proficiunt vocum novitates, & pugnæ verborum.

Porrò Nestoriana adversùs vocem, *Deipara*, argumenta sunt nullius roboris. Ad primum respondet sanctus Cyrillus in literis ad Clericos L. 1. Ephe. Ecclesiæ Constantinopolitanæ. *Quamvis Nicena Synodus voculæ huius,* Con. c. 12. DEIPARA, *non meminerit, non ideò tamen officio rectè functa non fuit. Per id enim tempus nihil eiusmodi in controversiam adducebatur. Quare quæ tum ambigua non habebantur, ea in medium proferre nullum operæ pretium erat. Quamquam si sententiarum vim perpendere lubeat, sacram Virginem Deiparam esse nequaquam dißimulavit: Quandoquidem illum ipsum, qui ex* L. 1. c. 26. *Deo Patre natus est, incarnatum & hominem factum dicat*, utique ex C. 1. Virgine Maria. Latiùs id ostendit in literis ad ipsum Nestorium, & L. 1 Ephe. in libro Apologetico contra Orientales. In literis circularibus ait, Con. c. 10. quod omnes Occidentis atque Orientis Episcopi, omnesque Synodo Nicenâ etiam priores Ecclesiæ Patres dictam vocem profiteantur:

Ac

Ac in laudato libro Apologetico nominatim adducit sanctum Petrum Episcopum & Martyrem Alexandrinum. Ipsam Ephesinam Basilicam, in qua damnatus Nestorius, fuisse dedicatam Mariæ Deiparæ scribit ad Clerum & populum Alexandrinum. Etenim, uti ad Clerum & populum Constantinopolitanum scribit, cum Joanne Apostolo, cui à filio moriente commendata, sacra Virgo habitârat Ephesi, ideòque adhuc viventi attributa haud dubiè est ab Ephesijs fidelibus vox illa. Clerus Constantinopolitanus, in libello adversùs Nestorium Episcopum suum contestatorio, addit eâdem usum etiam sanctum Eustatium Antiochenum, eandemque semper Ecclesiam: Socrates etiam Eusebium Cæsareensem, sanctum Athanasium, atque Origenem. Et quidem sanctus Athanasius de Virgine Deipara edidit adversùm Apollinaristas, specialem tractatum. Laudatus Petrus Martyr ejus veritatem probat ex verbo Gabrielis Archangeli ad sanctam Virginem: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quo testimonio etiam Hormisda Pontifex in literis ad Anastasium Augustum, & in literis ad illum ipse quoque Augustus, atque orthodoxi passim omnes utuntur. Rectè enim laudatus Petrus *Sanctum* istud dicit esse ipsum Deum ac Dominum verbum. Sanctus Efremius Patriarcha Antiochenus probat ex verbo sanctæ Elizabeth: *Vndè hoc mihi, ut mater Domini mei veniat ad me.* Adeò non dicit S. Leonem Pontificem esse vocis primum auctorem: fuisse dicit insignem illustratorem. F. 838. L. 1. c. 13. L. 7. c. 32. Epist. 5.

Ad secundum respondeo fœdè hallucinari Nestorium, dum vocem, *Deipara*, adserit ab Apollinario invectam. Jam enim suprà adversùs illum ex literis ad Cledonium Presbyterum audivimus anathema S. Gregorij Nazianzeni: *Si quis sanctam Mariam Deiparam non credit, extra Divinitatem est. Synusiastæ, sive Apollinaristæ,* inquit Facundus Hermianensis, *putârunt Christum unius essentiæ natum, nec ex utero Virginis habuisse carnem, sed potiùs in eius utero Deum Verbum partem suæ substantiæ, id est, Deitatis, in carnem sibi vertisse, & in illa quidem, sed non ex illa incarnatum esse credentes, non solùm in Divinitate, verùm etiam in carne consubstantialem dicunt Patri: Contrà Catholici quique Doctores asserunt, quod Christus ex substantia Virginis sit natus.* Hinc ergò illi suis falsis nostrum verum miscentes, *doctrinamque veritatis infamantes iactavêre, quod Ecclesia sic doceret Christum natum ex Virgine, quasi etiam secundùm Deitatem ex illa sumpsisset exordium:* utiquè secundùm Deitatem versam in carnem. Quocircà Apollinaristæ vocem, *Deipara*, nequaquam induxêre, nec Dei Verbi Divinitati ex Virgine initium adscripsêre, sed de omnibus his accusavêre catholicos: Atque ità non Cyrillus, sed ipse Nestorius, licèt ex fundamento adverso, illos æmulatur. Etiam L. 9. c. 5.

Hypatius, Ephesiorum Archi-Episcopus, in collatione Constantinopolitana cum Severianis, admiratus est, quomodò Nestorij Fautor Joannes Patriarcha Antiochenus, ejusque Synodus, sanctum Cyrillum duas palàm naturas prædicantem de Arij & Apollinarij lue infamârint. Eandem vocem neque in Eusebio Cæsareensi, neque in ipso Ario unquam culpavit Ecclesia: Penitùs aliæ fuerunt istorum lites. Aliud est natura, aliud persona Dei Verbi: huic, hypostaticæ unionis ergò, non illi & orthodoxi & Ariani semper adscripsêre nativitatem ex Virgine. Porrò memorati à Facundo Hermianensi orthodoxi fuerunt monachi insomnes, perpetui Eutychianistarum hostes, & ab illis, quoniam dies mali erat, etiam secura quævis metuentes, Joannes secundus Pontifex dicit esse Nestorianos. Historia longa est. A voce interim, *Deipara*, non minùs Eutychianos prosterni, quàm Nestorianos, ideòque monachos vana timuisse, nervosè ostendit laudatus Facundus. Undè & ad preces Justiniani Augusti Joannes Pontifex sprevit eorum scrupulos, sanxitque vocem antiquissimam omninò retinendam.

Tertia ratio est proprijssima, fædissima, totius dogmatis Christiani eversiva lepra Nestorij, ob quam ab Ephesina Synodo ac omni Ecclesiâ damnatus est tamquam Paganus, Judæus, novus Caiphas, atque Porphyrius, aut Julianus. Neque enim Judæi Dominum Jesum Christum egêre in crucem, nisi quod homo cùm esset, faceret seipsum Deum. Ad ejusmodi illius voces, tamquam ad blasphemias, Cayphas laceravit vestem, sanctum Stephanum lapidantes Judæi aures obturavére. Et ad Fotinum, Archi-Episcopum & Hæresiarcham Syrmiensem, adversùs Diodorum Tharsensem Metropolitam orthodoxum,
L. 4. c. 2. scribit in literis per Facundum Hermianensem relatis Julianus Augustus Apostata. *Tu quidem, ô Fotine, verisimilis videris, & proximus salvare, benefaciens nequaquam in utero inducere quem credidisti Deum; Diodorus autem, Nazarai magus, eius pigmentalibus manganes acuens irrationabilitatem, acutus apparuit sophista religionis agrestis.* Laudat Fotinum, quod non recipiat Deum utero clausum: Hocce enim admirandum mysterium fuisse passim irrisum à Paganis, scribit ad sanctum Augustinum nobilis vir Volusianus, irrisionisque fundamenta Augustinus dissolvit. Isti ergò sunt Magistri, à quibus didicit Nestorius refutare etiam Deum bimestrem, & nostram simplicem fidem de blasphemia damnare. In Relatione ad Marcianum Augustum verè dicit Synodus Calchedonensis, quod diabolus illi *persuaserit Deo verbo nativitatem ex Virgine denegare velut in reverentiam & honorem nostri Salvatoris, & vocabulũ* DEI GENITRICIS *ab eius generatione subripere.* Quo-

Quocircà pręsēs S. Cyrilli anathematiſmus eſt firmis anchoris innixus.

Genuit enim illa incarnatum Dei Patris Verbum ſecundùm carnem. Qui ſanđi Cyrilli adversùm Orientales & Theodoretum Cyri Epiſcopum libros Apologeticos è græco tranſtulit, latinè reddidit hoc modo: *Genuit enim illa carnaliter incarnatum Dei Patris Verbum.* Eaque verſio eſt omninò conformis textui græco. Quem dicti Theodoretus atque Orientales ſunt variè calumniati. *Ecquis*, inquiunt hi, *carnem factum Dei verbum carnaliter natum eſſe ſimul confitebitur? Nam ſi carnaliter genuit, iam non ut Virgo, & non ut Deum decet: Et ſic ipſum etiam peccatum, & maledictum factum eſſe*, id eſt, originali reatui, qui ex carnali per virum & mulierem nativitate contrahitur, *ſuſpicabitur.*

Alterum eorum argumentum eſt. *Si abſque examine & iudicio in has voces inciderimus, converſionem Verbi in carnem imaginabimur.* Quod ipſum placuit & Theodoreto. *Non enim*, inquit, *in carnem Deus Verbum converſus eſt, ſed Dei forma adſumpſit formam ſervi.* Deum Verbum carnaliter ex Virgine naſci putant eſſe idem, quod ipſum gigni converſum in carnem, atque ità Cyrilli capitulum eſſe Apollinarij leprâ aut veraciter infectum, aut ſanè de illa ſuſpectum, ac proindè ſcandaloſum, piarum aurium offenſivum, & Neſtoriano anathemate dignum.

Delicata eſt hæc materia, habetque in ipſa locum admonitio ſancti Auguſtini in libro de gratia Chriſti. *Iſta quæſtio ità eſt ad diſcernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem adſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Etiam ad Symmachum Pontificem ſcribunt Epiſcopi Orientales. *Veri, rectique dogmatis viam dubiam fecerunt noſtra peccata, æſtimantibus quibuſdam non poſſe inter Neſtorij & Eutychetis*, qui idem cum Apollinario ſenſit, *ſalutis viam mediam reperiri, ſed quod omninò neceſſe ſit aut illius eſſe quemquam aut iſtius.* Mutuis dudùm calumnijs invicem arietaverunt Orientales orthodoxi, Neſtorianam & Eutychianam luem ultrò citròque improperantes, quomodò olim ſancti Athanaſij tempore Occidens ob vocem, *Hypoſtaſis*, Orienti Arianiſmum, hic illi objectabat Sabellianiſmum. Et noſtra ætas audit & gemit orthodoxos de Pelagianiſmo & Calviniſmo invicem proſcindentes. Eodem igitur modo Theodoretus, & alij Orientalis Diœceſeos Epiſcopi ſanctum Cyrillum de Apollinario infamârunt. Rectè ad Symmachum Pontificem pergunt laudati Orientales. *Propter hoc feſtina poſt Deum nos adiuvare, & ſicut inter Arij dividentis veram Deitatis naturam, & Sabellij confundentis perſonas, oſtenderunt ſanctiſſimi Patres viam mediam veritatis, ſic & vos nunc illuminate nos ſpiritualis veſtræ ſcientiæ lumine.* Mediam hanc inter Neſtorium & Apollinarium viam ſanctus Cyrillus

Poſt Epiſt. 9.

 lus

lus monstravit abundè: Et ad vitandam omnem amphibologiam latina Ecclesia hocce ejus capitulum ad sensum potiùs, quàm ad verbum transtulit, non, *Genuit carnaliter*, sed, *Genuit secundùm carnem*, id est, non ipsam Deitatem, sed carnem seu humanitatem Dei Verbi inhumanati, quæ quoniam illius hypostaticè propria est, genuisse rectè dicitur & ipsum incarnatum Verbum.

Quid autem significet vox, *Emmanuel*, exponit sanctus Cyrillus in
C. 2. scholio de Verbi incarnatione. *Emmanuel nominatur Deus Verbum, quod Abraha semen apprehendit, interpretatur autem nobiscum Deus.* Nobiscum non tantùm localiter, aut per sanctificationis gratiam, sed per hypostaticam unionem. Significat unam utriusque naturæ hypostasim, quomodò vocabulum, *Christus*.

SECVNDVM S. CYRILLI CAPITVLVM.

SI quis non confitetur Dei Patris Verbum carni secundùm hypostasim unitum, & unum tantùm unà cum sua carne esse Christum, eundem nimirùm Deum simul & hominem, anathema sit.

SECVNDVM NESTORIJ CAPITVLVM.

SI quis in Verbi Dei coniunctione, quæ ad carnem facta est, de loco in locum mutationem divina sententia dixerit esse factam, eiusq; divinæ naturæ carnem capacem dixerit, ac partialiter unitam carni; aut iterùm in infinitum incircumscriptæ naturæ, cùm extenderent carnem, accipiendum Deum, eundemq; ipsum naturâ & Deum dicat & hominem; anathema sit.

SCHOLION.

SAnctus Eulogius, Patriarcha Alexandrinus, in florilegio collectaneorum, & ex ipso Josephus Methonensis Episcopus in Apologia Florentinæ Synodi adversùs Marcum Ephesiorum Primatem,
F. 750. hæc scribunt. *Ephesina Synodus definijt, quæ nulla prior definierat Synodus. Siquidem ipsius auctoritate recepta est vox illa*, HYPOSTATICA UNIO, *de qua Synodi anteriores nihil sanxerant.* Quomodò Nicena adversùm

Arij

Arij dolos vocem, *Consubstantiale*, ità Ephesina Synodus adversùm versutissimas Nestorij restrictiones & amphibologias induxit & in Regulam recepit vocem jam laudatam.

Hanc adversùs illam declamat Theodoretus Nestorij Defensor. *Vnum Christum confitemur, sanctis Apostolorum doctrinis credentes; eumdemque propter unionem & Deum & hominem nominamus;* SECVNDVM HYPOSTASIM *verò* VNIONEM *modis omnibus ignoramus, tamquam peregrinam & alienam à divinis Scripturis & Patribus, qui eas interpretati sunt.* Unum simpliciter Christum, & naturarum sine addito unionem huc usque prædicârat Ecclesia: Ad hanc phrasim proclamat Theodoretus, additamentum, *Secundùm Hypostasim*, volens esse vocum novitatem, ideòque non induci. Hinc pergit. *Si autem per* UNIONEM SECVNDVM HYPOSTASIM *hoc vult dicere Cyrillus, quod temperamentum carnis & Divinitatis sit factum, contradicemus omni cum alacritate, & redarguemus blasphemiam. Necesse est enim ad temperamentum sequi confusionem. Superflua itàque* SECVNDVM SVBSISTENTIAM VNIO: *Sufficit autem dicere unionem, quæ & naturarum proprietates ostendit, & unum edocet adorare Christum.* Et in Synodo Calchedonensi, dum Basilius Seleuciæ Episcopus ac Isaurorum Metropolita diceret de Christo Domino: *Vnam naturam habet ex Patre ante sæcula, alteram ex matre secundùm carnem suscipiens; idem ipse unijt sibi* SECVNDVM SVBSISTENTIAM. Ad hæc, inquam, verba *unus quidam, nescio quis, proiecit seipsum in medium, & dicere cœpit:* QVIA HAEC VOX ECCLESIAM CONTVRBAVIT. Ad Ecclesiam turbandam movit Nestorianos. Act 1.

Nestorij sensum & verba habemus apud sanctum Cyrillum in literis ad Successum Dio-Cæsaræensem in Isauria Episcopum. *Si Christus perfectus Deus, idemque perfectus homo intelligitur, ubinam est perfectio, si hominis natura non subsistit? ubi etiam eadem nobiscum substantia, si ipsa iam non subsistit essentia, hoc est, natura nostra?* Naturam & hypostasim dicit non distingui, ideòque quomodò duas naturas, ità in Domino esse duas subsistentias, & sine hisce illas non esse perfectas & plenas, ac proindè hypostaticam seu subsistentialem unionem fieri non posse sine alterius saltem naturæ mutilatione, temperamento, confusione. Quod à gentilibus acceptum fundamentum etiam Paulo Samosateno, Sabellio, Fotino, Apollinario, atque Eutychianistis fuit palmare, atque ità apud hosce quomodò est una in Christo persona, ità & una natura. Ex illo tandem nata est & impia insania Tritheitarum, blaterantium in divina Majestate non tantummodò tres personas, sed & tres naturas. Hinc item Nestoriani unam in Christo homine quandoque fassi personam, nunquam fateri voluerunt unam hypostasim seu subsisten- L. 3 c. 1:

 tiam.

tiam: Quod nempè vox, *Hypostasis*, non pateret dolo, cui vocem, *Persona*, patere scribit Facundus Hermianensis. *Vnam dicere personam Nestorianorum nova subterfugia non excludit, qui convicti innumeris testimoniis Patrum, quod Deus Verbum & adsumptus homo una persona sit, pro auctoritatis dignitate ab eis hoc vel existimant dictum, vel existimare se fingunt.* Non ex unica utriusque naturæ communi subsistentiâ, sed ex pari auctoritate, dignitate, honore unam dicunt esse personam, quomodò in rebus humanis sunt Pater & Filius, Episcopus & Vicarius, Rex & Legatus. Quomodò hic gerit Regiam, ità ab homine adsumpto dicunt geri Divinam personam.

L. 1. c. 3.

F. 198. Meritò in libro ad Reginas scribit sanctus Cyrillus nequaquam sufficere personarum copulam, voluntatum concordiam, dignitatis, honoris, nominis, auctoritatis æqualitatem, naturarum indivisionem, inhabitationem, accessum, appositionem, coagmentationem, connexionem, contiguationem, habitus participationem, aut aliam quamvis simplicem coitionem, ut verè sit unus Christus, sed omninò requiri *carnis & Verbi unionem hypostaticam.* Quod ipsum inculcat in literis ad Nestorium, seipsum sedulò expurgans ab omni suspicione mutati Verbi in carnem, aut carnis in Verbum. Eumdem arguit, quod tot impertinentes unionum modos fingat, improbetque unicum verum, quo solo esse potest unus veraciter Christus. Ait se sentire cum Joanne Apostolo scribente: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Etenim voces, *Caro factum est*, palàm important unionem secundùm hypostasim; voces, *Et habitavit in nobis*, excludunt omnem conversionem. Eleganter Facundus Hermianensis. VERBVM CARO FACTVM EST, *Nestorianos expugnat; Eutychianos autem vel Apollinaristas, eorum progenitores,* ET HABITAVIT IN NOBIS. *Quia,* VERBVM CARO FACTVM EST, *unam significat esse personam,* HABITAVIT *autem* IN NOBIS, *duas mansisse naturas.* Quod ipsum in Relatione ad Marcianum Augustum tradit Synodus Calchedonensis. Æquè eleganter scribit sanctus Eulogius, Patriarcha Alexandrinus, in Bibliotheca Photij. *Sicut si quis unionem in Christo asserens non coaptet unioni* HYPOSTASIN, *suspectum verbum reddit; sic si quis duas naturas indivisas dixerit non adiungens hoc,* SECVNDVM HYPOSTASIN, *in eandem suspicionem incidit.* Proindè laudata vox est istud ipsum Ephesinæ, quod Synodo Nicenæ vox, *Consubstantialis.* Per hanc adversùm Arianos sanctissimæ Trinitatis, per istam adversùs Nestorianos dolos & mentiendi artes assecurata & circumscripta est orthodoxa doctrina Dominicæ incarnationis. Quisquis eam refutat, licèt forsàn rectum sentiat, reddit se de Nestorio suspectum. Theodoretum existimo rectum cre-

L. 1. Con. Ephes. c. 26.

L. 1. Con. Ephes. c. 8. 26.

C. 2.

L. 6. c. 4.

L. 230.

credidisse: At quod vocem veræ fidei penitùs necessariam, & ab Ephesina Synodo ac Romana Cathedra probatam, traducat tamquam peregrinam, suspectam de Apollinario, & scandalosam, referri debet in laudatæ Synodi deplorandum schisma, suoque loco elucidandum. Facit, quod de voce, *Consubstantiale*, post Nicenam fecêre Eusebiani, & quod hodie post Tridentinam Synodum de voce, *Transubstantiatio*, faciunt Calvinistæ & Lutherani. Verùm in Synodo Calchedonensi ad mentem ille rediit, nec solas dogmaticas sancti Leonis Papæ ad sanctum Flavianum Constantinopolitanum Episcopum & ad ipsam Synodum literas, sed & laudatam vocem generosissimè tutatus est: Eandem ista ipsa Synodus, Synodus quinta, & Ecclesia tandem universa recepit tamquam veræ fidei regulam, & columnam gloriosam, in qua Nestoriana impietas inscripta triumphatur.

Suprà tamen laudatum sancti Eulogij Alexandrini, & Josephi Methonensis Verbum videtur intelligendum de sola Ecclesia Græca, non de latina. Sanctus namque Augustinus, Synodo Ephesinâ prior, assiduè inculcat Dei & adsumpti hominis unionem admirabilem atque ineffabilem factam fuisse in persona ad personæ unitatem. Et antiquus Tertullianus in libro adversùs Praxeam: *Videmus duplicem statum, non confusum, sed coniunctum in una persona, Deum & hominem Iesum.* Elegantissimè ostendit personalem unionem sine quavis factam confusione naturarum. Eodem modo antiqui latinorum Patres passim loquuntur, adeòque verè Facundus Hermianensis scribit innumeris Patrum testimonijs convictos Nestorianos, quod Deus & homo adsumptus fuit una persona. Porrò laudati Patres nunquam aut rarò utuntur voce, *Subsistentia*; sed passim voce, *Persona*; atque ità apud nos *unio in persona* est istud ipsum, quod Græcis *unio in hypostasi*: Quâ voce ante Ephesinam Synodum illi non fuerunt usi. Eam è sancti Cælestini Papæ literis in Græcam linguam transtulit sanctus Cyrillus, omnisque Synodus adprobavit.

C. 27.

Rectè Acacius Berrhæensis Episcopus, in literis ad sanctum Cyrillum, arguit Nestorium, quod altiora se quærens, arcanissima, altissimo simplicis fidei silentio honoranda, Divinæ Incarnationis Mysteria cogere præsumpserit ad leges humanæ rationis. Hypostaticam enim Divinæ & humanæ naturæ unionem dicit esse impossibilem, quod hæc finita sit, illa infinita, ideòque uniri deberet partialiter, quod rei impartibili est impossibile. Deindè, quæ hypostaticè uniuntur, simul etiam loco moventur, adeòque ad naturæ humanæ motum moveri debuisset & Divina: Aut certè humana ad instar Divinæ debuisset esse ubique. Tertiò, hypostatica unio, quod hypostasis & natu-

L. 1. Ephe. Con. c. 23.

natura sint idem, est unio in unam naturam, adeòque palàm error confundentis Apollinarij.

Nempè antiqua hæc sunt gentilium in fidem nostram nugamenta, ut liquet ex literis sancti Augustini, abundè ea refutantis, ad Dardanum & Volusianum. Sunt hodiernæ nugæ eorum Lutheranorum, quos passim dicimus ubiquetarios. Nam & his placuit vetustas gentilium & Nestorianorum sordes, jam pridem in inferno sepultas, revocare in aërem Romanum. Eamdem temeritatem in Elipando Archi-Episcopo Toletano graviter notat Synodus Francofordiensis. Rectè verò respondet sanctus Cyrillus in libro duodecim Capitulorum explanatorio. *Nestorius ad priscorum Pharisæorum exemplum adversùs Christum se erigit, protervéq; vociferatur:* CVR TV, CVM HOMO SIS, FACIS TEIPSVM DEVM? In libro ad Theodosium Augustum dicit eum cum nocturno Nicodemo quærere: *Quomodò possunt hæc fieri?* Et addit. *Valeant deliria, facessant infirma ad persuadendum fabulæ, opiniones falsæ, phaleratarum vocularum imposturæ: Nihil enim, quod detrimentum adferre possit, admittimus, etiamsi adversarij exercitatissimis acerrimisque quæstionibus nos pulsaverint. Est enim Divinum hoc nostrum Sacramentum non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in Spiritus ostensione positum.* Et omnes *argumentationes, quibus impij nostram simplicem fidem de via recta conantur avertere, si ratio refutare non posset, fides irridere deberet.* Hypostaticæ tamen unionis possibilitatem eleganter elucidat sanctus Augustinus in literis ad nobilem virum volusianum. *Sic quidam reddi sibi rationem flagitant, quomodò Deus homini permixtus sit, ut una fieret persona Christi, cum hoc semel fieri oportuerit, quasi rationem ipsi reddant de re, quæ quotidiè fit, quomodò misceatur anima corpori, ut una persona fiat hominis. Nam sicut in unitate personæ anima unitur corpori, ut homo sit, ità in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit.* Ait se loqui de mixtura confusionis experte, Deique Verbum principaliter unitum esse ad animam, ad corpus non nisi ex caussa animæ, & pergit. *Duarum rerum incorporearum commixtio faciliùs credi debuit, quàm unius incorporeæ & alterius corporeæ: Ac per hoc Verbi Dei & animæ credibilior debuit esse permixtio, quam animæ & corporis. Sed hoc in nobis ipsis experimur, illud in Christo credere iubemur. Si autem utrumque nobis paritèr inexpertum credendum præciperetur, quid horum citiùs crederemus?* Haud dubiè duorum incorporeorum unionem. Eodem argumento utitur in libris de civitate Dei. Et sanctus Leo Pontifex in literis ad Julianum Episcopum Coënsem.

Epist. 57. Epist. 3. Epist. 3. Præfat. C. 23. Aug. l. 12. de Civit. c. 17. Epist. 3. L 10 c 29 Epist. 11.

TERTIVM

TERTIVM S. CYRILLI CAPITVLVM.

SI quis in uno Christo post unionem dividit hypostases, eaque dumtaxat coniunctione easdem inter se nectit, quæ est secundùm dignitatem, vel auctoritatem, vel potestatem, & non ea potiùs, quæ est secundùm naturalem unionem, anathema sit.

TERTIVM NESTORII CAPITVLVM.

SI quis non secundùm coniunctionem unum dixerit Christum, qui est etiam Emmanuel secundùm naturam; ex utraque etiam substantia tam Dei Verbi, quàm etiam ab eo hominis suscepti in una filij connexione, quam etiam nunc inconfusè servamus, minimè confitetur; anathema sit.

SCHOLION.

DE Nestorio hæc Socrates. *Ignoravit quod scriptum sit in vetustis exemplaribus Epistola catholica divi Ioannis:* OMNIS SPIRITVS, QVI SOLVIT IESVM, EX DEO NON EST. *Quippè hanc sententiam omnes, qui Divinitatē ab humanitate Christi seiungere studebant, ex vetustis exemplaribus delere & tollere non dubitârunt. Quapropter veteres interpretes idem ipsum significârunt, quosdam videlicet esse, qui illam Epistolam depravassent, qui in Christo hominem à Deo separarent.* Asserit Nestorium, utpotè omnis Christianæ antiquitatis imperitum & contemptorem, fuisse usum depravatis exemplaribus, & hìnc lapsum. Quidquid sit, Christum palàm solvere seu duos palàm Christos prædicare Nestorius non præsumpsit, timens fidelem Christi plebem, recitantem quotidiè in Symbolo: *Credo in unum Iesum Christum.* Ejus unitatem plenis & ipse buccis ubique deprædicavit: verùm dolosè & mendaciter, vocem, *unitas*, tractans pessimè, quomodò ab ejus magistris Pelagianis novimus tractatam vocem, *gratia*. Formalia, quibus omnis vafrities detegitur, illius verba adducit sanctus Cyrillus in apologia suorum capitulorum adversùs Synodum Orientalem. *Dic de eo, qui suscepit, quod sit Deus. Appone susceptum, quia servi formam: Adijce post hæc connexionis dignitatem, quia duorum auctoritas communis, quia duorum eadem dignitas.*

L. 7. c. 32.

C. 3.

tas. Naturis manentibus, fatere dignitatis unitatem. Deum Verbum & adsumptum hominem palàm dicit esse duos, duas hypostases seu personas, verùm unitas dignitatis & auctoritatis æqualitate, quomodò sunt Rex & ejus ad caussarum & potestatis plenitudinem legatus. Hęc est ab illo ad circumscribendam simplicem plebem tot mendaciis phalerata unitas, de qua rectè sanctus Cyrillus in literis ad ipsum Nestorium. *Deum & hominem non secamus, quasi dignitatis tantùm & auctoritatis communicatione inter se consocientur: Hoc enim dicere nihil est aliud, quàm inanem vocum novitatem ineptè profundere.* Est duos statuere Christos, alterum Deum ex Patre, alterum hominem purum ex matre. *Non enim honoris, dignitatis, vel auctoritatis æqualitas naturas unit: Alioquin Petrus & Ioannes, qui paris dignitatis exstiterunt, unus essent, non duo.* Hæc ergò blasphemia est omninò digna anathemate.

L.1.Con. Ephes. c.26.

Nihilominùs Nestorij fautores in hocce Cyrilli capitulo graviter persecuti sunt voces, *unio naturalis.* Orientalis Synodus ità impugnat. *Naturas confundit Cyrillus, naturalem Divinam unionem nominans. Et quis unquam admittet naturalem Divinam unitionem in Sacramento dispensationis? Si enim naturalis unitio, ubi gratia? ubi Divinum Sacramentum? Naturæ enim semel ab ordinante Deo ordinatæ necessariis consequentiis serviunt. Nùm iterùm erit secundùm revolutionem & naturæ consequentiam dispensationis opus, iuxta deliramenta, fabulosaque mille annorum infausti Apollinarij dogmata?* Assiduus eorum scopus est Cyrillum reddere de Apollinario suspectum.

Aliam non nihil viam ingreditur Theodoretus Cyri Episcopus. *Vel ignorat fortè Cyrillus, quæ dicit, vel si novit, blasphemat. Natura enim vis est necessariò compellens, & absque voluntate. Si igitur naturalis fuit Dei formæ & servi formæ unio, à necessitate quadam compulsus, & non misericordiâ usus Deus verbum formæ servi coniunctus est, & legislator omnium necessitatis leges sequi invenitur.*

Cavillationes hæ sunt, Episcopis & Patriarchalibus præsertim Synodis indignæ. Ad primam respondet sanctus Cyrillus in Apologia adversùm Orientales. *Quod si naturalem unionem dixerimus, veram intelligimus:* Ad excludendam *externam solùm connexionem, quasi in ordine dignitatis. Habet enim Scriptura divinitùs inspirata hunc morem hâc dictione in hunc sensum uti. Scribit enim Divinus Paulus:* ERAMUS NATURA FILII IRAE. *Ibi* NATURA *idem est, quod verè.* Naturalem unionem esse dicit nihil aliud, quàm veram dissimilium naturarum unionem in eadem hypostasi sine omni confusione.

C. 3.

Respondet & ad secundam in libro ad Evoptium Ptolomaïdis Episcopum. *Anathematismus asserit verbum naturaliter, hoc est, non secun-*

cundùm solam dignitatem, auctoritatem, eandem filiationis nominationem, vel aliam quamvis habitudinem, sed verè unitum sanctæ carni habenti rationalem animam, nullo modo dividendum esse, ne duos imaginemur filios, & impartibilem partiamur. Unionem naturalem esse dicit sine confusione veram, ostenditque Theodoretum, Episcopum insigniter doctum, pueriliter, frigidè, indignè deviare. Quis enim ferat omne naturale esse coactum & violentum? *Etenim Deus est naturaliter Deus, sanctus, iustus, bonus, vita, lux, sapientia, virtus: Neque tamen præter voluntatem & coactè.*

Quæstio gravis est, quomodò sanctus Cyrillus dicat in Christo Domino unitas non solummodò naturas, sed & ipsas subsistentias. Quo loquendi modo utitur etiam in libro ad Evoptium Episcopum adversùs calumnias Theodoreti. *Quia aït* Theodoretus *à Dei forma adsumptam servi formam, doceat in medium procedens, si absque subsistentijs solæ & per se formæ convenerint inter se. Sed existimo, ipse se statim evertet. Non enim similitudines omninò non subsistentes & formæ convenerunt inter se per unionem dispensatoriam, sed rerum sive hypostaseon conventus factus est, ut humanationis ratio verè facta credatur.* Et in literis ad Valerianum Episcopum Iconiensem, exstantibus inter acta Synodi Ephesinæ. *Simulant Nestoriani unum Christum & Filium confiteri, unamque ipsius personam esse dicunt; sed rursùs cùm in duas Hypostases distinguunt invicem distinctas atque diversas, mysterij doctrinam penitùs pervertunt.* L. 3. c. 40.
Eos istic continuò exagitat, non quod duas in Domino hypostases dicerent, sed quod duas divisas ac seorsim subsistentes. Ejusmodi plura illius loca, Christum Dominum è pluribus in unum concurrentibus ac inconfusis permanentibus subsistentijs componentia, adducit Facundus Hermianensis. Favere videtur sanctus Leo Pontifex in sermone de Epiphania. *Magi adoraturi unum, tria se simul credidisse demonstrant: Auro honorantes personam Regiam, myrrha humanam, thure Divinam.* L. 1 1. c. 7. Ser. 3. c. 2.

At verò in alijs locis idem sanctus Cyrillus dogma istud tamquam Nestorianum constantissimè damnat, adserens duarum naturarum in una hypostasi unionem esse fidem Apostolicam, ideòque omnem credentem aut dicentem duas hypostases esse ab illa penitùs alienum. Et hinc adversùs illum scribit Synodus Orientalis. *Illum suorum verborum commonefacimus, ostendentes ipsum duas subsistentias dixisse: Quomodò igitur quasi oblitus suorum verborum ad unam hypostasin cogit, naturas confundens?* Et infrà. *Vt ostenderemus eum dicere duas hypostases, ac sibi esse contrarium, apposuimus ea, quæ olim ab ipso dicta sunt.* Quam contradictionem exagitat etiam Theodoretus. Episcopi item Severiani in C 3.

Collatione Constantinopolitana habita cum catholicis sub Justiniano Augusto. *Cyrillus in Epistola duodecim Capitulorum duas subsistentias pro duabus naturis posuit*, adeòque erravit. Quin immò Cyrilli defensor atque Encomiastes Facundus Hermianensis post enumerata lo-
L.11.c.7. ca ejusmodi pergit. *Consideret Lector, quomodò asseratur, quod in Christo naturis inconfusè manentibus subsistentia quoque permanserunt, quæ nunquam fuerunt: Quoniam semper ad Dei Verbi subsistentiam humanitas illa pertinuit, numquamque sola velut in persona propria substitit adsumentis subsistentiam nacta, & in illam nascendo transiens, vel transeundo nascens, cui caussa oriendi, totumq; quod orta est, ipsa fuit adsumptio.*

Hinc omninò magna est quæstio, quomodò Cyrillus dicat non tantùm ambas naturas, sed & ambas earum subsistentias in Domino integras atque inconfusas permansisse. Etenim Quintianus, Asculanus in Apulia sub Fælice tertio Pontifice Episcopus, inter alios anathematismos etiam hunc misit ad Petrum Cnapheum, Patriarcham Antiochenum: *Si quis dicit duas personas sive subsistentias, & non potiùs duas naturas in unam personam & unam subsistentiam concurrentes, damnetur.* Etenim *persona, quâ persona est, non potest uniri personæ*, uti
L.228. apud Photium in Bibliotheca ostendit in literis ad Domitianum Melitinæ Episcopum sanctus Efremius Patriarcha Antiochenus.

Ad nodum hunc respondet idem Efremius in relata ibidem oratione de actis Synodicis Syncletici Tharsensis Episcopi, ostendens *beatum Cyrillum alicubi* NATVRA *pro persona usum esse:* ubi nempè dicit Christum Dominum esse *unam naturam Dei Verbi incarnatam.*
L.230. Quod ipsum adseverat sanctus Eulogius Patriarcha Alexandrinus in relatis ibidem orationibus adversùm calumniatores Synodi Chal-
L.229. cedonensis. Addit Efremius etiam vice versâ Athanasium, Basilium, ac Julium Pontificem quandoque voce, *Hypostasis*, seu, *subsistentia*, uti pro voce, *Natura*, eodemque modo loqui in hoc anathematismo sanctum Cyrillum, atque ità in ejus doctrina nullam esse contrarietatem. Quin immò Nicena Synodus, dum Deum Filium definit esse, non ex aliena, sed ex Patris essentia seu subsistentia, videtur utramque vocem pro eodem accepisse, licet aliud velit sanctus Basi-
Epist.78. lius in professione fidei præscripta Eustatio Sebastensium in Arme-
Epist.34. nia Metropolitæ. Ipse Basilius in literis ad fratrem suum Gregorium Nyssenum Episcopum fatetur vocem, *Hypostasis*, non pro persona, sed pro essentia sumi ab Apostolo in Epistola ad Hebræos. Certè nostra vulgata versio idipsum censet, transferens: *Qui cùm sit figura*, id est, imago, non subsistentiæ, sed *substantiæ eius.* Quidquid sit, sanctus Athanasius varijs in locis ità sumit. Scribit enim ad Julia-

num

num Auguſtum in literis à laudato Efremio adductis: *Vnam appellare decet, ac potiùs profiteri Verbi naturam ac hypoſtaſim incarnatam.* In quinta oratione contra Arianos, ac in literis ad Liberium Papam disertè ait Patris & Filij eſſe unam ὀυσίαν, unam ὑπόστασιν. In literis ad Episcopos Africanos: ὑπόστασιν οὐσίαν εἶναί. Et quod miſera illa inter orthodoxas Eccleſias de voce, *Hypoſtaſis*, contentio ortum duxerit ex eo, quod quidam ὀυσίαν & ὑπόστασιν confunderent, quidam diſtinguerent, tradit idem ipſe in literis ſynodalibus ad Eccleſiam Antiochenã, & ſanctus Baſilius in laudatis literis ad fratrem Gregorium Nyſſenum. Et hinc in literis ad Cledonium Presbyterum ſanctus Gregorius Nazianzenus ait ſe non curare de ſyllabis & vocibus, id eſt, de controverſa tunc ſignificatione vocis, *Hypoſtaſis*: Ità illum in Florentina Synodo exponit doctiſſimus Beſſarion, Metropolita Nicenus. Et huc omninò reſpicit Anaſtaſius Bibliothecarius in præfatione ſeptimæ Synodi ad Joannem octavum Pontificem. *Sed & illud notandum, quoniam ubicumque in huius Synodi textu* SVBSISTENTIAM *poſui,* PERSONAM *intelligi volui. Quod enim græcè* HYPOSTASIS *dicitur, hoc nonnulli perſonam, nonnulli verò ſubſiſtentiam interpretati ſunt. Porrò* SVBSISTENTIAM *multi perſonam, multi verò ſubſtantiam etiam intellexerunt. At illos ego ſecutus, qui* SVBSISTENTIAM, *non ſubſtantiam, ſed perſonam intelligi voluerunt (Magni quippè ſunt) ubicumque græcè in hoc codice* HYPOSTASIM *reperi, in* SVBSISTENTIAM *transtuli, hanc* PERSONAM *ſicut & alij quam plurimi, volens intelligi.* Sanctus itàque Cyrillus voce, *Hypoſtaſis*, quandoque in hac, quandoque in iſta ſignificatione uſus eſt; in hoc autem anathematiſmo omninò utitur pro ſubſtantia ſeu natura. Abſit, ut in Chriſto Domino dicat duas, licet quovis modo unitas, perſonas. Cauſſam, ex qua ità locutus eſt, in laudata Collatione Conſtantinopolitana edicit Hypatius Orthodoxus Epiſcopus Epheſiorum. *Antiqui Patres, & maximè Romani, pro ſubſtantia & naturam & ſubſiſtentiam nominabant: undè ſicut unam naturam, & unam ſubſtantiam, ità unam ſubſiſtentiam ſanctæ Trinitatis eſſe dicebant. Orientales verò ſancti Patres pro perſona ſuſcipiebant ſubſiſtentiam, & ſicut tres perſonas, ità & tres ſubſiſtentias in ſancta Trinitate dicebat.* Hoc in cardine hæſiſſe dicit litem ſuperiùs memoratam, quam compoſuit ſanctus Athanaſius. Sanctus ergò Cyrillus Romani Pontificis in cauſſa Neſtoriana Legatus & Vicarius Romano more locutus eſt, *& ideò in duodecim illis Capitulis pro duabus ſubſtantijs, vel naturis duas ſubſiſtentias poſuit.* Ità & iſta lite Paulinum Patriarcham Antiochenum, quod à Romanis ordinatus eſſet & adversùm æmulos defenderetur, Romano more uſitaſſe hanc ipſam vocem, *Hypoſtaſis*,

Seſſ. 8.

ſcribit in literis in prima parte hujus Synodi exſtantibus ad S. Cyrillũ
C.23. Acacius Epiſcopus Berrheenſis. Addit Hypatius duodecim Cyrilli Capitula ob cauſam hanc à Synodo Chalcedonenſi fuiſſe non quidem abjecta, neq; tamẽ expreſsè approbata. *Synodus namq; unam perſonam & unam ſubſiſtentiam* adversùs Neſtorium dividentem *volebat definire; illa* autem Capitula *duarum ſubſiſtentiarum inferunt mentionem, propterea ea propriè nominare diſtulit, ut non inveniretur aut illis aut ſibi eſſe contraria.* Nullam admittere voluit vel ſpeciem contradictionis, ex qua ſubjacere poſſet hæreticorum calumnijs. Et hìnc illi latini codices, qui non *ſubſiſtentiam*, ſed *ſubſtantiam* vertunt in hoc anathematiſmo, ſunt omninò meliores.

Porrò ſanctus Leo Pontifex vocem, *Perſona*, iſtic etiam impropriè ſumit: Abſit, ut Chriſti Domini hypoſtaſin dicat eſſe humanam. Accipit vocem pro vario ejuſdem perſonæ ſtatu & qualitate, quomodò etiam ſubindè à ſanctis Baſilio & Gregorio Nazianzeno accipi, oſten-
L.230. dit apud Photium laudatus Eulogius Alexandrinus. Addit acceptionem poſteà evaſiſſe ſcandaloſam, ſuſpectam, & offenſivam,
L.232. quod Tritheitæ, quos inter Stephanus Gobarus, illâ abuterentur: Undè & nos hodie non ità loquimur.

QVARTVM S. CYRILLI CAPITVLVM.

SI quis duabus perſonis vel hypoſtaſibus eas voces attribuit, quæ in Evangelicis & Apoſtolicis Scripturis paſsim occurrunt; quæve à Sanctis de Chriſto, aut ab ipſo quoque Chriſto de ſe ipſo dictæ ſunt; & alias quidem homini ſeorſum à Dei Verbo conſecrato adſcribit, alias verò, tamquam in divinam maieſtatem convenientes, ſoli Verbo, quod ex Deo Patre eſt, accomodat, anathema ſit.

QVARTVM NESTORII CAPITVLVM.

SI quis eas voces, quæ tam in Evangelicis quàm in Epiſtolis Apoſtolicis de Chriſto, qui eſt ex utraque, ſcripta ſunt, accipiat tamquam de una natura; ipſique Dei Verbo tentat paſsiones tribuere, tam ſecundùm carnem, quam etiam Deitatem: anathema ſit.

Sco-

SCHOLION.

ADsumptas à Domino nostro Jesu Christo humanæ naturæ infirmitates, earumque significativas voces, à duobus invicem pugnantibus hostibus, Arianis & Nestorianis, in abusum & blasphemiam trahi rectè advertit in literis ad Valerianum Iconiensem Episcopum sanctus Cyrillus. Isti ex illis Dominum Christum consubstantiali Patris naturâ, hi spoliare conantur Divinâ personâ. Ariani namque Deum Verbum libentissimè admittunt è Virgine natum, parvo lacte pastum, crucifixum, & mortuum, quo illum evincant in ipsa Divinitate à Patre diversum ac minorem; Nestoriani ea omnia ut blasphema ac Deo nimiùm indigna aversantur, quò obtineant Dei & hominis adsumpti non esse eamdem personam. L. 3. Ephe. Con c. 40.

Porrò Nestorij de communicandis utriusque in Christo Domino naturæ idiomatibus verba & sensum refert ipsa Synodus Ephesina. L. 1. c. 364. *Si totum novum Testamentum accuratè scrutatus fueris, nusquam in eo mortem Deo adscriptam comperies, sed vel Christo, aut Domino, aut Filio. Hæ autem voces,* CHRISTVS, DOMINVS, FILIVS, *cum unigenito in Scripturis tribuuntur, naturarum duarum indices existunt, & aliquandò quidem Divinitatem, nonnunquam humanitatem, interdùm utramque simul exprimunt.* Divinæ Majestatis idiomata seu vocabula dicit esse duplicia: Alia creaturæ incommunicabilia, quale est vocabulum, *Deus*; alia communicabilia, qualia sunt, *Filius, Dominus, Christus*, aliaque id genus: Nam & Cyrus & Nabuchodonosor, Reges gentiles, Scriptura vocat Dei filios, & Christos. Hæc itàque ipsa vocabula utrique in Christo hypostasi dicit esse communia, atque ità de illis utriusque naturæ idiomata verè prædicari. Christum, Dominum, Dei filium dicimus natum ex Patre & natum ex matre, bimestrem & æternum, immortalem & mortuum: Et quidem eundem Filium, Dominum, Christum. Eundem, inquam, nomine, honore, dignitate, auctoritate, personâ. At verò nomen, *Deus*, quod Divinam naturam privativè importet, dumtaxat æquivocè dicit cadere in creaturam, etiam ipsum Christum hominem: Atque ità Deus dici nequit natus è Virgine, bimestris, mortuus, crucifixus. Etenim natura & hypostasis sunt idem, proindèque ista infirmitatis humanæ idiomata, quomodò non de Deitatis, ità neque de Divinæ hypostaseos propriè significativâ voce possunt veraciter adfirmari.

At longè aliter philosophatur sanctus Cyrillus, omnisque cum illo Ephesina Synodus, cujus sensum post multis expositam duarum in Christo Domino naturarum unam personam eleganter tradit sanctus

Leo

Leo Pontifex in literis dogmaticis, quibus instruxit & sanctum Flavianum Constantinopolitanum Episcopum & Synodum Chalcedonensem. *Propter hanc unitatem personæ in utraque natura intelligendam & filius hominis legitur descendisse de cælo, & filius Dei dicitur crucifixus & sepultus.* Homo impassibilis, æternus, immensus; Deus dicitur esse mortalis, tempore & loco circumscriptus, uti latè in Relatione ad Principem prosequitur laudata Synodus Chalcedonensis. Et in eadem post lectionem dictæ Epistolæ Reverendissimi Episcopi clamaverunt. *Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides. Omnes ità credimus, orthodoxi ità credunt. Anathema ei, qui non credit. Petrus per Leonem ità locutus est. Apostoli ità docuerunt. Piè & verè Leo docuit. Cyrillus ità docuit. Cyrilli æterna memoria. Leo & Cyrillus similiter docuerunt. Anathema ei, qui non sic credit.* Quam doctrinam in centenis locis tradit & sanctus Augustinus, & quotquot Ecclesiæ Patres dogma istud tractavêre. Ut enim voces concretæ de sese mutuò adfirmentur, identificari debent in significatis rectis, & formale significatum prædicati inexistere oportet significato recto subjecti: Hæc duo de sese mutuò adfirmari faciunt etiam voces disparatissimas ac repugnantes. Earum porrò significatum rectum est persona, eaque in Christo Domino est unica, atque ità utriusque, licèt diversissimæ, naturæ quævis concreta idiomata legitimè & verè ultrò citròque prædicantur.

Epist. 10. c. 5.

Act. 1.

Dico, *Idiomata concreta.* Rectè enim Joannes Patriarcha Antiochenus, alijque Nestorianæ, non perfidiæ, sed personæ defensores Episcopi Orientales scribunt ad suos gregales de Acacio Episcopo seu Berrhæensi, seu Melitinensi. *Redarguimus & Acacium, qui in commentarijs posuerat* PASSIBILEM ESSE DEITATEM. *Quod usque adeò gravatim tulit pius Rex Theodosius, ut excuteret pallium, & retrorsùm cederet præ blasphemiæ magnitudine.* Etiam sanctus Cyrillus in libris adversùs Nestorium admittere videtur hanc propositionem: *Divinitas est homo facta.* Et sanctus Augustinus in libris de consensu Evangelistarum dicit *ipsam Dei sapientiam in homine adsumpto natam, mortuam, resurrexisse.* Et sanctus Fulgentius ad hanc Ferrandi Carthaginensis Diaconi quæstionem, *Utrùm sicut Dei Filius dicitur natus, passus, mortuus, crucifixus, ità ejus Divinitatem confirmare nos oporteat natam, passam, mortuam, crucifixam, quamvis sive Deus, sive Divinitas nominetur, sola intelligitur caro mutabilis atque passibilis, secundùm quam Deus aut Divinitas potuit, quod in sua natura non potuit*, respondet affirmativè, suam adsertionem non tantùm Augustini & aliorum Patrum, sed & ipsius Apostoli variâ auctoritate confirmans. Et quidem ejus tempore per omnem Orientem horrendissimè grassabantur ipsius in propria essentia Divi-

Con. Ephe. F. 468.

L. 1. c. 3.

L. 1. c. 35.

Q. 2.

Divinitatis crucifixores Eutychianistæ: Ne cum ipsis insanire viderentur orthodoxi, ejusmodi propositiones non omitti jussit, sed dumtaxat temperari adjunctâ voce, *Secundùm carnem*. Quod ipsum apud sanctum Augustinum tradit Auctor quæstionum de sancta Trinitate. C. 2.

Verùm enim verò hetroclytæ sunt locutiones istæ, deviæ à veris Logicorum regulis, neque à nobis ullatenùs usurpandæ. Rectissimum in illis sensum habuêre laudati Patres: At nos in quotidiani sermonis usum vertere non possumus schemata & orationis figuras, quibus illi ex magistrali auctoritate & licentiâ fuêre, & quidem parcissimè, usi. Eam fore ineptam insolentiam scribit ad Asellicum Episcopum sanctus Augustinus. Epist. 200. Discipulis, uti non expediunt, ità nec licent phrases istæ. Ex unica jam adducta Acacij locutione Nestorij fautores adeò non solùm ipsum, sed & omnem illi communicantem Synodum Ephesinam reddidêre suspectam de Apollinario, ut pergant in adductis literis ad suos gregales. *Scimus & totum Consistorium nos valde habere acceptos, quod pro pietate certemus. Et omnis populus Constantinopolitanus iugiter ad nos venit orans, ut strenuè pro fide certemus.* F. 486. Agebant enim Errones isti Chalcedone, istic per Principem Theodosium quasi exilio circumscripti.

Meritò autem in Synodo Chalcedonensi clamatum est ab Episcopis, eam esse fidem Apostolorum & omnium semper orthodoxorum. Etenim antiquus Tertullianus scribit in libro de patientia. C. 3. *Nasci se Deus in utero patitur matris, & exspectat, & natus adolescere sustinet, & adultus non gestit agnosci, sed contumeliosus insuper sibi est, & à servo suo tingitur, & tentatoris congressus solis verbis repellit.* Ità non adsumpti hominis, sed ipsius adsumentis Dei patientiam commendat. Ejusdem, quam gentium Doctor Apostolus vocat *Stulta Dei* & *stultitiam prædicationis*, humilitatem commendans, exponensque ejusdem Apostoli verbum, *Stulta mundi elegit Deus*, pergit in libro de carne Christi adversùs Marcionem. C. 4. *Quænam hæc stulta sunt? Quære, Marcion, de quibus dixerit. Et si te præsumpseris invenisse, non erit tam stultum, quam credere in Deum natum, & quidem ex Virgine, & quidem carneum, qui per illas naturæ contumelias volutatus sit. Dicat hæc aliquis stulta non esse: Et alia sint, quæ Deus elegerit in æmulationem sapientiæ sæcularis. Et tamen apud illam faciliùs creditur Iupiter taurus factus aut cycnus, quam verè homo Christus.* Pergit in capite sequenti. *Sunt planè tam stulta, quæ pertinent ad contumelias & passiones Dei. Aut prudentiam dicant Deum crucifixum. Aufer hoc quoque, Marcion, immò hoc potiùs; quid enim indigniùs Deo? Quid magis erubescendum, nasci, an mori? carnem gestare, an crucem? circumcidi, an suffigi? educari, an sepeliri? in præsepe deponi, an in monumen-*

to recondi? *Sapientior eris, si nec ista crediderit; sed non eris sapiens, nisi stultus in sæculo fueris, Dei stulta credendo.* Natum & mortuum Christianorum Deum, quomodò immortalem & apud illos sepultum Cretensium Jovem, derisêre gentilium sapientes, ejusque caussâ non minùs istos, quàm hos, existimavêre stultos, semperque mendaces. Eodem ex principio natum de muliere, infantem, bimestrem, crucifixum, mortuum, & per quævis infirmitatis nostræ solennia volutatum Deum derisit, & exufflatâ carnis veritate phantasma induxit Marcion: Atque ità Nestorio fuit, licèt ex adverso fundamento, magister & Antesignanus erroris.

Pergit Tertullianus. *Vtriusque substantiæ census hominem & Deum exhibuit: Hinc natum, indè non natum; hinc carnem, indè spiritalem; hinc infirmum, indè præfortem; hinc morientem, indè viventem. Quæ proprietas conditionis humanæ & Divinæ, æqua utique natura utriusque proprietate, dispuncta est eadem fide & spiritus & carnis. Virtutes Spiritum Dei, passiones carnem hominis probaverunt.* Egregiè consonat laudata dogmatica Epistola sancti Leonis Papæ. *Agit utraque forma cum alterius communione, quod proprium est: verbo operante, quod verbi est; & carne exequente, quod carnis est. Vnum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniurijs. Et sicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recessit, ità caro naturam nostri generis non reliquit. Vnus enim, idemque est verè Dei Filius, & verè hominis filius.* Quocircà ad idiomatum communitatem non tantùm personæ unitas, sed & naturarum requiritur inconfusa ac integra diversitas: Illa enim disparata, immò & repugnantia, quomodò in eandem indivisam hypostasim, ità refundi debent in diversas unitas naturas.

Cap. 4.

Attamen Joannes Patriarcha Antiochenus, ejusque Synodus, post initam cum sancto Cyrillo Alexandrino ac ejus Synodo pacem damnavit Nestorij & impietatem & personam, Maximiani successoris ordinationem admisit, veram humanæ ac Divinæ naturæ in eadem hypostasi unionem professus est; verùm de idiomatum communione scripsit ad laudatum Cyrillum. *Evangelicas & Apostolicas de Domino voces scimus graves Theologos alias quidem communes facere, tamquam ad unam personam pertinentes, alias verò propter duarum naturarum diversitatem divisim nuncupare; & illas quidem, quæ Deo conveniunt, ad Christi Divinitatem, humiles verò ad eiusdem humanitatem referre solere.* Ejus mentem egregiè exponit, & à veneno Nestoriano discernit Hypatius Archi-Episcopus Ephesinus in collatione Constantinopolitana cum Severianis. *Nestorius duos dicit filios, & Dominos, & Christos; Orientales autem fratres nihil tale dixerunt, sed tantùmmodò voces dividunt. Dividunt*

L.3. Conc. Ephe. c 30

dunt autem secundùm hunc modum dicentes: Eò quod quædam ex his Deo digna sunt, quædam verò homine; quædā autem communiter prolata sunt tamquam habentes tam dignationem Divinam, quam humanitatem, sed tamen ab uno eodemq; prolatas. Christi Domini idiomata dicit esse duplicia, alia utrique naturæ communia, alia propria soli Divinæ aut humanæ: Priora & de voce *Deus*, & de voce, *Homo*, & de voce, *Christus*, utriusque naturæ significativa; posteriora soli humanæ infirmitati propria de sola voce, *Homo*, aut voce, *Christus*, vult posse prædicari. Eamque esse dicit gravium Doctorum Theologiam.

Adducere poterat Tertullianum in libro adversùs Praxeam, Divinæ Trinitatis eversorem, & Dei Patris crucifixorem. *Obmutescat, obmutescat ista blasphemia. Sufficiat Christum Filium Dei mortuum dici: Et hoc, quia scriptum est. Nam & Apostolus non sine onere pronuncians Christum mortuum, adiecit,* SECVNDVM SCRIPTVRAS, *ut duritiam pronuntiationis Scripturarum auctoritate molliret, & scandalum auditori everteret. Quamquam enim duæ substantiæ censeantur in Christo Iesu, Divina & humana, constet autem immortalem esse Divinam, sicut mortalem, quæ humana sit, apparet, quatenùs eum mortuum dicat, id est, quâ carnem, & hominem, & filium hominis, non quâ Spiritum, & sermonem, & Dei Filium. Dicendo denique,* CHRISTVS MORTVVS EST, *id est,* VNCTVS, *id, quod unctum est, mortuum ostendit, id est, carnem.* C. 19. Crucifixus & mortuus Christianorum Deus erat gentibus stultitia, ejusque Evangelium jam audivimus ab ipso Apostolo vocari stultitiam prædicationis, & omni sapientiâ sapientius Dei stultum: Noluit nihilominùs idem Apostolus gentium, quibus datus singulariter Doctor, aures offendere aut mentes scandalizare, ideòque duplicem moderationem adposuit verbo suo, dicens, non *Deum*, sed *Christum*, uti in libro contra sermonem Arianorum sanctus Augustinus loquitur, *duplicis substantiæ gigantem*, mortuum, idque *secundùm Scripturas*, id est, juxta vetustissima vaticinia omnium Prophetarum. Noluit audire novorum dogmatum adnuntiator, nec videri cum Cretensibus semper mendacibus insanire. Eodem igitur modo Joannes Antiochenus Episcopus, uti in literis ad Acacium Meletinæ Episcopum, Eulogium suum Presbyterum ac in Regia urbe Apocrisarium, & ad Successum Episcopum Dio-Cæsareæ sanctus Cyrillus scribit, ab omni Arianæ, Apollinaristicæ, ac Eunomianæ perfidiæ, Christi Domini naturas confundentis, ac ipsam Deitatem crucifigentis, suspicione, & quæ indè nasci poterat, piarum aurium offensione sese removere & tutari voluit, atque ità non Deum, sed Christum dicere natum, crucifixum, mortuum, sepultum. Aut forsàn in omnia Cyrilli capitula & dogmata L. 3. Conc. Eph. c. 35. C. 37. Epist. 2.

quasi victus descendere noluit, sed & vice versa ipsum cogere ad aliquid sui admittendum. Ut ut sit, Ecclesiæ dogma sartum testum servabat, & de sola voce contendebat ista quæstio, ideòque dissimulavit & postulata Cyrillus admisit. Exindè tamen à varijs contradictiones passus est, quasi qui pacis causâ Ephesinam fidem & sua Capitula prævaricator proderet ac venderet, atque ità & pro se & pro Joanne compulsus fuit ad plures Episcopos scribere Apologias. Ejus item posteà apologiam agere coactus est Hypatius Ephesinus. Et hinc tandem evanuit ista Theologia Joannis: Iam pridem omnis sub cælo Ecclesia quasvis humanæ infirmitatis voces non tantùm de voce, *Christus*, sed & de voce, *Deus*, adfirmat, idque ex phrasi & lege Apostolorum, qui scandalum crucis, quomodò semper in corde & fronte, ità & in ore portari, ac non erubesci à veris Christianis docuerunt.

QVINTVM S. CYRILLI CAPITVLVM.

SI quis dicere audet Christum non esse verum Deum, sed hominem tantùm deiferum; utpotè unum naturalemq; filium, quatenùs nimirùm Verbum caro factum carni & sanguini perindè ac nos communicavit, anathema sit.

QVINTVM NESTORIJ CAPITVLVM.

SI quis unum esse post assumptionem hominis naturaliter Dei Filium audet dicere, cùm sit Emmanuel, anathema sit.

SCHOLION.

L 1. Conc. Ephes. c. 6. NEstorij sensum exponit sanctus Cyrillus in literis ad ipsum, agens de fidelibus ab illo seductis. *Eò malum hoc paulatim serpendo pervenit, ut Christum nonnulli Deum appellari ægrè patiantur, sed potiùs Divinitatis organum & instrumentum, hominemq; Deiferum, & alia his ineptiora.* Et in alia ad eundem Epistola. (Cap. 26.) *Sed neque Dei Verbum in sacræ Virginis Filio veluti in communi quodam homine inhabitasse dicere fas est, ne hac ratione Christus Deifer homo intelligatur. Nam licèt Verbum in nobis habitârit, attamen non ità in illo habitavit, ut in Sanctis inhabitare dicitur.* Nestorius enim, ut idem Doctor scribit ad suos Monachos, (Cap. 19.) Christum Dominum dixit, non Deum verè incarnatum, sed hominem dumtaxat Deiferum, id est, organum & instrumentum, quale & Moy-

& Moyses fuit, ad patranda miracula à Deo adsumptum & usurpatum. Et in libris adversùs Nestorium, Subjicit *Nestorius Christum non Deum verum, sed Deiferum potiùs hominem fuisse.* Hanc itàque blasphemiam anathemate damnat Cyrillus. L. 1. c. 3.

Damnat conformitèr ad D. Augustinum, qui de voce, *Homo dominicus*, usitata à se in libris de sermone Domini in monte, scribit in libris Retractationum. *Non video, utrùm rectè dicatur* HOMO DOMINICVS, *qui est mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, cùm sit utique Dominus.* DOMINICVS *enim* HOMO *quis in eius familia non potest dici? Et hoc quidem ut dicerem, apud quosdam legi catholicos tractatores* DIVINORUM *Eloquiorum. Sed ubicumque hoc dixi, dixisse me nollem.* Eodem modo *Homo Deifer* quis in Dei familia dici non possit? Etenim sanctum Ignatium Martyrem & Episcopum Antiochenum in octava Synodo *Deiferum* vocant Thomas Tyriorum Metropolita, sedisque Antiochenæ Vicarius & Legatus, ac Elias Presbyter, Legatusque & Syncellus Theodosij Patriarchæ Hierosolymitani. Caussam dat Anastasius Bibliothecarius in scholijs ad dictum Synodi locum. *Tradunt Græci, quod quem* DOMINUS *advocatum statuit in medio, dicens,* NISI CONVERSI FVERITIS, ET EFFICIAMINI SICVT HIC PARVVLVS, *iste Ignatius fuit, & idcircò hunc* DEIFERVM *nuncupant. Vndè nec Apostoli ausi fuerunt ei, cùm ad Ecclesiæ Præsulatum promoveretur, ampliùs manus imponere, nimirùm quem ore Dei laudatum, & ipsius tactu sanctificatum cognoverunt.* Quin quosvis Ecclesiæ Patres sexta Synodus passim vocat *Patres* DEIFEROS. Et ad omnes fideles Corinthios scribit Paulus Apostolus: *Glorificate & portate* DEUM *in cordibus vestris.* L. 1 c 19. Act. 1. F. 199. Epist. 1. c. 6.

Dictam propositionem, *Christus est homo* DOMINICUS, ante Augustinum, ex alio adversùs Apollinarium principio, in prima ad Cledonium Epistola damnavit sanctus Gregorius Nazianzenus. *Ne imposturam faciant homines, vicissimque ipsi fallantur,* HOMINEM DOMINICVM, *ut ipsi loquuntur, vel potiùs* DOMINUM *nostrum &* DEUM *mentis expertem esse asserentes.* Naturam nostram in Christo Domino mutilabat Apollinarius, dicens deesse animam aut mentem, ejusque vices & officia suppleri à verbo ipso, ideòque Mediatorem esse, non vulgarem hominem, sed Dominicum, utpotè qui non vulgari mente aut animâ, sed ipsâ Divinâ & Dominicâ essentiâ compleretur. Quam dolosam blasphemiam omni latebrarum asylo orbatam volens Gregorius dictas voces damnavit.

Adversùs hunc tamen Anathematismum acerrimè insurrexit Theodoretus. DEIFERVM HOMINEM, *sicut à multis sanctis Patribus dictus est, non devitamus: Quorum unus magnus ille Basilius in sermone de Spiritu*

sancto ad Amphilochium hoc usus est nomine, & in explanatione quinquagesimi novi Psalmi. Vocamus autem DEIFERUM HOMINEM, *non quod particularem quamdam* DIVINAM *gratiam acceperit, sed quod omnem habeat unitam Filij* DEITATEM. Existimat Theodoretus sanctorum Patrum, quomodò sensum, ità & voces non posse ab ullo damnari, ideòque Cyrillum esse manifestum prævaricatorem. Eundem Anathematismum arguit Nestorius, quod Deum & hominem asserat esse *unum naturaliter Filium*, id est, juxta Apollinarium, unius ex duabus confusæ naturæ.

Cap. 20. Respondeo Nestorij calumniam esse crambem repetitam, refutari indignam. De Theodoreto & adductis ejus verbis scribit ad Eliam Aquileiensem Metropolitam ac ejus Synodum Pelagius secundus. *Quis hac omni impietate plena non videat? A quibus tamen constat, quod se postmodùm Theodoretus correxit, qui in sancta Chalcedonensi Synodo Nestorium anathematizare consensit.* Voces, *Deus carnifer*, huc usque inauditas, aliasque id genus peregrinarum blasphemiarum novitates per omnem Ecclesiam sparserat Apollinarius, cui sanctus Basilius voces, *Homo Deifer*, opposuit sensu sanissimo, quem absit ut anathemate percusserit sanctus Cyrillus. Aliud sunt sanctorum Patrum sensa, aliud voces, rectèque in catalogo virorum illustrium scribit Gennadius Presbyter Massiliensis. *Iulius Romæ Episcopus scripsit de Incarnatione Christi* DOMINI *Epistolam unam, quæ isto quidem tempore utilis visa est adversùs eos, qui duas per Incarnationem in Christo asserebant personas, sicut & naturas; nunc autem perniciosa probatur: fomentum enim est Eutychianæ & Timotheanæ impietatis.* Quæ & qualis fuerit Julij Pontificis Epistola, & num de illa non hallucinetur Gennadius, est loci alterius quæstio: fateor literas adversùs grassantem priori tempore errorem utiles posse tempore posteriori fieri perniciosas, & grassanti tunc errori præbere fomenta. Hocce enim necdum nato, & ejus patronis pro ipso necdum litigantibus atque insidiantibus, securiùs loquebatur Ecclesia, usurpabatque voces rectas quidem, sed quibus postmodùm illi, tamquam lupi ovinis lanis, abuti, suum sub illis virus abscondere, atque ità ex ipsis, tamquam ex securis latibulis, cæperunt simplicem orthodoxam plebem venari. Suspectæ, periculosæ, piarum aurium offensivæ, scandalosæ tunc fiunt ejusmodi voces, ideòq; illas, salvo Patrum sensu, ab omni fideli linguâ Ecclesia proscribit, ac omnis earum usurpator sese reddit de subintruso per dolosos Errones novo veneno suspectum, immò & præsumptivè convictum. Et ità laudatis S. Basilij vocibus factum est ex succedente perfidia Nestoriana. Longa est hæc de vocibus damnandis quæstio, suo loco elucidanda.

SEX.

SEXTVM S. CYRILLI CAPITVLVM.

SI quis Dei Patris Verbum, Christi Deum vel Dominum esse dixerit, neque post Verbum secundùm Scripturas incarnatum, unum eundemque Deum simul & hominem esse confessus fuerit, anathema sit.

SEXTVM NESTORII CAPITVLVM.

SI quis post Incarnationem Deum Verbum alterum quempiam præter Christum nominaverit, servi sanè formam initium non habere cum Deo Verbo, & increatam, ut ipse est, dicere tentâverit, & non magis ab ipso creatam confiteatur, quam natura Dominum, & Creatorem & Deum, quam & suscitare propriâ virtute promisit: SOLVITE *dicens,* TEMPLVM HOC, ET IN TRIDVO SVSCITABO ILLVD, *anathema sit.*

SCHOLION.

CHristum Dominum non solummodò Dei Patris, sed & ipsius Dei Verbi servum appellavit Nestorius verbis relatis à sancto Cyrillo in libro ad Evoptium Episcopum contra reprehensiones Theodoreti. *Atque adeò passus est Pontifex misericors, non vivificator, eius; qui passus est,* DEUS. Et in alio loco. *Erat autem & ipse infans & infantis dominus.* Et hunc ejus errorem, *Sermonesq; non solummodò indecorè, sed & valdè impiè dictos* directè impetit suo anathemate Cyrillus. Et adjecit caussam. *Si* DEUS *Christi est Verbum, quod ex* DEO *Patre est, duo erunt modis omnibus & indubitanter. Quomodò intelligatur idem infans & infantis* DOMINUS*? Nùm igitur dicetur & fuisse ipsius Deus ac* DOMINUS *Emmanuel, quandoquidem idem ipse simul est* DEUS *& homo?* Eandem causam repetit in libro Capitulorum suorum explanatorio, & in libris adversùs Nestorium. *Vbi unquam dictum est,* DEUS *Christi, horresco referens, ipsum* DEI *Patris Verbum? Vnus est enim* DOMINUS *Iesus Christus.* Et in literis ad eundem, exstantibus in Synodo Ephesina. *Neque ipsum* DEI *Patris Verbum Christi* DEUM *aut* DOMINUM *nominamus, ne unum Christum, & Filium, &* DOMINUM *in duos apertè divellentes* in

C.6.

L.3.c.2.

L.1.c.26.

in blasphemia crimen, utpotè Deum ipsum sui ipsius dominum constituentes, incidamus. Verbum enim Dei, carni secundùm hypostasim unitum, & Deus est, & creaturarum omnium dominus, sui autem ipsius neque dominus neque servus. Servus & Dominus debent hypostasi distingui: Quisquis Deum Verbum dicit Christi Dominum, & Christum illius servum, Jesum Christum palàm solvit, dividitque in duas hypostases, & duos Christos.

Eandem veritatem ex Verbo Domini, *Adscendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, ad Deum meum & Deum vestrum,* egregiè adversùm Pelagianos Nestorij in Hispania præcursores confirmat in literis ad Vitalem & Constantium, Hispanos Episcopos, Capreolus Archi-Episcopus Carthaginensis. *Eligat hæreticus, cujus vocem malit hanc esse: utrâque parte acuto spiritali gladio ferietur. Si hominis vox est, ergò Filius Dei est homo ille:* AD PATREM MEUM *dicit* ADSCENDO. *Si Dei vox est, ergò homo est Deus ille:* AD DEUM MEUM *dicit* ADSCENDO. *Nec enim ait, Adscendo ad Patrem meum, & Deum hominis mei, aut Adscendo ad Deum meum, aut Patrem* DEI *mei.* Quia nempè Deus Verbum & homo adsumptus sunt hypostasi unus & idem, ideòque nequit ille hujus esse Dominus aut Deus. Eadem de caussa permixtè non dicit, *Adscendo ad Patrem nostrum ac* DEUM *nostrum.* Quoniam *aliter illi* DEUS *Pater est, aliter nobis.* Nobis per adoptionis gratiam, illi per communicatam naturalis filij personam.

Dices Nestorium docuisse cum sancto Gregorio Nysseno Episcopo, qui in libris adversùs Eunomium, à sancto Hieronymo & Synodo Constantinopolitana probatis, scribit de utriusque in Christo naturæ idiomatibus. *Quoniam plagæ quidem servi sunt, in quo* DOMINUS *existit; honores autem* DOMINI, *circa quem servus agnoscitur.* Disertè dicit Deum Verbum fuisse adsumpti hominis Dominum, & hunc illius servum. Respondet Facundus Episcopus Herminianensis. *Nunquid Gregorium hæc secundùm errorem Nestorij dixisse talia credimus, quasi alterius subsistentiæ sit* DOMINUS, *qui exstabat in servo, & alterius servus, in quo exstabat: vel alterius personæ sit* DOMINUS, *cui adscribendus est honos, & alterius servus, qui circa* DOMINUM *agnoscitur, & cui plagæ sint deputandæ?* Nullo modo. Non dumtaxat contra Eunomium, sed & contra Apollinarium, utrumque Synusiasten & naturarum in Domino confusorem, depugnat Gregorius, adeòque rectum sentiens liberiùs subindè quasi divisor loquitur, quas locutiones, ubi Nestorius in suum virus detorquere & abuti cæpit, Ecclesia abolevit, circumscripsit, damnavit.

L. 3.

L. 4. c. 11.

Et hinc oritur alia quæstio, an Christus Dominus ac ipse Deus Ver-

Verbum dici poſſit ſervus Dei Patris, à quo ſecundùm hypoſtaſim diſtinguitur? Theodoretus in libro horum Capitulorum reprehenſorio ad Joannem Patriarcham Antiochenum admittit quidem ità dictum à Prophetis ante factam Incarnationem, nequaquam verò poſt illam ab Apoſtolis aut Evangeliſtis. Licèt Eſaias de Domino ſcribat, *Servus meus es tu Iſrael, & in te gloriabor*, ac rursùm, *Formavit me ex utero ſervum ſibi*; longè tamen aliter Paulus Apoſtolus: *Itàque iam non eſt ſervus, ſed filius*. Et Dominus ad diſcipulos: *Iam non dicam vos ſervos, ſed amicos*. Longè ergò plus *ipſe Dominus à cognominatione ſervi liberatus eſt, & factâ unione ultra locum non habet ſervitutis nomen*. Agnoſcit in Domino ſervi hominis formam ſive naturam, at quæ ipſum ob divinam hypoſtaſim non poſſit denominare ſervum.

Eadem adversùs Elipandum Toletanum ac Felicem Epiſcopum Urgelitanum fuit ſententia Adriani primi Pontificis, in literis ad Galliciæ & Hiſpaniarum Epiſcopos, lectis & probatis in Synodo Francofordienſi. Fatetur Dominum à Prophetis dici ſervum, verùm tropicè & figuratè, quomodò dicitur vermis, leo, agnus, Petra, lapis angularis, & addit. *Nullus unquam Evangeliſtarum, nemo Apoſtolorum ſervum eum commemorat, ſed Dominum & Salvatorem*. Audi rationem. *Iam revelata & impleta erat omnis figuratæ locutionis obumbratio*, dixeratque in cruce Dominus, *Conſummatum eſt*. Pergit Pontifex. *Paulus electionis vas dicit, ut omnis lingua eum Dominum confiteatur, & veſtra lingua non confunditur ſervum eum latrare? Hæc ſtultiloqua lingua in fruſta eſt præcidenda, & per mille partes minutiùs detruncanda*.

Ad quæſtionem tamen reſpondeo adfirmativè. Etenim adversùs Theodoretum ſcribit ſanctus Cyrillus. *Si quis dicat Dominum Ieſum Chriſtum appellatum eſſe ſervum per vocem Prophetarum, nullo modo offendi decet*. Et ſanctus Hieronymus, in commentarijs ſuper beati Pauli Apoſtoli Epiſtolam ad Titum, exponens vocem, *Servus*, dictam de Domino à Propheta Eſaia. *Si moveat quempiam, Dominum Salvatorem, qui univerſitatis eſt conditor, ſervum Dei dici, non movebitur, ſi ipſum ad Apoſtolos audiat loquentem: QVI VOLVERIT INTER VOS MAIOR ESSE, SIT OMNIVM SERVVS. Et filius hominis non venit, ut miniſtraretur ſibi, ſed ut miniſtraret. Quod ne docere tantùm verbis videretur, monſtravit exemplo. Aſſumpto quippè linteo accinxit ſe, & aquâ pelvim replens diſcipulorum pedes lavit. Non eſt itàque impium credere eum, qui formam ſervi adſumpſerat, hæc feciſſe, quæ ſervi ſunt, ut paternæ voluntati ſerviſſe dicatur, cùm ſervis ſuis ipſe ſervierit*. Dominum Jeſum Chriſtum oſtendit non tantùm à Prophetis, ſed & ab Apoſtolis ac Evangeliſtis dictum Dei Patris ſervum: utique non timoris & peccati, ſed liberâ C. I.

 ſervi-

servitute justitiæ & charitatis. Et sanctus Augustinus in libris de civitate Dei: *Propter formam servi etiam servus Dei dicitur Dei Filius.* Et sanctus Fulgentius in libro contra objectiones Arianorum: *Ex ancilla natus est servus, qui ex Patre generatus est Dominus.* Et sanctus Ambrosius in literis ad Sabinum Episcopum Placentinum. *Vnus pro omnibus servus factus est. Quid dicam, Servus factus est? Peccatum, opprobrium, maledictum factus est.* Multis non antiqui tantùm, sed & novi Testamenti testimonijs adsertionem hanc singuli adducti Patres confirmant. Nam Petrus Apostolus in Actis Dominum crucifixum vocat *Dei puerum*, id est, servum, & ipse Dominus in Evangelio dicit: *Adscendo ad Patrem meum & Patrem vestrum; Deum*, adeòque *& Dominum meum, & Deum vestrum.* Et in alio loco Deum Patrem suum vocat *Dominum cœli & terræ*, id est, omnis creaturæ, qualis erat & ipse.

L. 18. c. 34.

C. 3.

Epist. 8.

Dominum namque Jesum Christum, quomodò Deum ex Patre genitum, ità & creaturam à Deo factam appellavit semper omnis chorus sanctorum Patrum. Hæc propositio, *Deus est creatura*, quidquid dicant quidam Scholastici, nunquam propter Arianos ipsâ abutentes tamquam suspecta aut offensiva fuit per Ecclesiam proscripta. Unicum adduco testem sanctum Fulgentium in jam laudato libro, ubi adversùm Arianos constantissimè defendit Dominum, caussâ adsumptæ naturæ, esse omninò & creatum & creaturam. At hæc non tangunt errorem Nestorianum.

In suprà laudatis ad Hispaniarum Episcopos literis rectè dicit Adrianus primus Pontifex ità cum alijs Patribus locutum sanctum Ambrosium *contra eos hæreticos, qui phantasticum aut etiam semiplenum Dominicum corpus sacrilego ore susurrabant.* Contra Apollinarium, cujus vocem fuisse de Domino, *Formam servi accepit, non servus lectus est*, testatur in adductis literis sanctus Ambrosius. *Apollinaris enim non potest audire, quod Dominus noster Iesus Christus susceperit pro nobis servitutem in istius corporis susceptione, quia Verbum & carnem asserit unius esse substantiæ.* Asserit Dominum non dumtaxat secundùm Divinitatem, sed & secundùm carnem esse Deo Patri consubstantialem, aut certè ejus carnem non à creata anima aut mente, sed ab ipsa Divinitate fuisse vivificatam atque informatam, adeòque etiam ejus caussâ illum nec Dei Patris posse dici servum. Hanc ergò impietatem longissimè eliminatam volentes istorum temporum Patres Christum Dominum constanter dixêre Dei Patris servum.

Duravit loquendi modus usque ad Synodum Francofordiensem. Tunc Elipandus Toletanus Archi-Episcopus & Felix Episcopus Urgelitanus voci, *Dei servus*, adoptionis & nescio cujus Domino indig-

dignæ & ab Ecclesia nunquam traditæ servitutis errorem subintrusêre, atque ità vocem reddidêre suspectam, periculosam, scandalosam, offensivam: Tamquam talem proscripsit & dicta Synodus, & Romana Ecclesia, rigidissimaque, suo loco elucidanda, proscriptio etiamnum hodie perseverat.

SEPTIMVM S. CYRILLI CAPITVLVM.

SI quis Iesum Christum hominem, tantùm divini Verbi vi actum esse dixerit; aut illustrem illam unigeniti gloriam illi ipsi homini, veluti alteri cuipiam ab ipso Verbo, advenisse commentus fuerit; anathema sit.

SEPTIMVM NESTORIJ CAPITVLVM.

SI quis hominem qui in Virgine creatus est, hunc esse unigenitum dixerit, qui ex utero Patris ante Luciferum natus est, & non magis propter unionem eum, qui est naturaliter unigenitus, Patris ingeniti appellatione confitetur participem factum; Iesum quoque alterum quempiam præter Emmanuelem dicit; anathema sit.

SCHOLION.

NEstorij errorem hoc anathematismo impetitum exponit sanctus Leo Pontifex in literis ad Clerum & populum Constantinopolitanum. *Nec dicimus, quod beata Virgo hominem sine Deitate conceperit, qui creatus à Spiritu sancto, posteà sit susceptus à Verbo, quod Nestorium prædicantem iustè meritòq; damnavimus.* Quod ipsum repetit in literis ad Episcopos Gallicanos. Et sanctus Cyrillus in libro ad Reginas. *Nestorij scopus est, persuadere eum, qui ex muliere natus est, hominem esse unum quempiam, qui ob sua persona cum Dei Verbo connexionem insigni prædestinatione electus sit, quique sensim & per incrementa, & tamquam per propriam, hoc est, humanam virtutem ad eam tandem dignitatem pervenerit, ut divinis honoribus potiretur.* Docuit, inquam, Nestorius Christum Dominum, è matre natum purum hominem, per humana pedetentim merita ad illustrem illam unigeniti gloriam & Divinam personam profecisse. Quod ipsum de illo Vincentius Lerinen-

Epist. 23.
Epist. 52.
C. 12.

C. 15. nensis, ac de ejus in Ecclesia Occidentali præcursoribus testatur in li-
C. 12. bro de Prædestinatione Sanctorum, & libro de Dono perseverantiæ sanctus Augustinus. Istorum unus fuit Leporius Presbyter Gallus, cujus jam conversi professio sic habet: *Nec quasi per gradus & tempora proficientem in Deum, alterius status ante resurrectionem eum fuisse credamus, sed eiusdem semper plenitudinis atque virtutis.*

Quocircà profectum hunc priùs fuisse in resurrectione factum existimavit Nestorius, dum omni obedientiâ perfunctum hominem Christum Deus exaltavit, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Et Deum vinciri, flagellari, crucifigi, mori, non minùs quàm infantem aut bimestrem esse, aut fugere ad Ægyptios, idem Erro est aversatus. Et hinc liquet, quo sensu quandoque dixerit: *Si simplici fide* DEIPARAM *proferres, nulla esset apud me dictionis invidia.* Exponit
Cap. 21. Vincentius Lerinensis. *Sancta Maria non est eo modo Theotocos, quo impia hæresis suspicatur, quæ adserit eam Dei matrem solâ appellatione dicendam, quæ eum scilicet, peperit hominem, qui posteà factus est Deus: Sicut dicimus Presbyteri matrem aut matrem Episcopi, non iam Presbyterum aut Episcopum pariendo, sed eum generando hominem, qui posteà Presbyter aut*
L. 1. c. 3. *Episcopus factus est.* Quod Facundus Hermianensis rectè dicit esse non verè & propriè, sed solummodò perfunctoriè & nuncupativè Dei Matrem.

Hausit errorem à suis in Ecclesia latina præcursoribus Pelagianis, de quibus Joannes Cassianus in libris de Incarnatione ad sanctum Leonem, Romanæ Ecclesiæ tunc Archi-Diaconum, posteà Papam.
L. 5. c. 3. *Addiderunt Dominum Salvatorem nostrum post Baptisma factum esse Christum, post resurrectionem Deum: Alterum designantes Vnctionis Mysterio, alterum merito passionis. Vndè advertit novus iam non novæ hæreseos auctor,* utique Nestorius, *qui Dominum Salvatorem nostrum solitarium hominem esse contendit, idem omninò se dicere, quod Pelagianista antè dixerunt.*

Et hinc oritur quæstio, an Nestorius Dominum à mortuis resuscitatum fassus sit esse verè Deum, veramque in illo unionem naturæ Divinæ & humanæ secundùm Hypostasim. Etenim huc usque dicta suadent partem affirmativam. Respondeo tamen negativè. Nestorij quippè de hac re sensum exponit sanctus Cyrillus in literis ad Acacium Berrhæensem Episcopum, exstantibus inter acta Synodi Ephesi-
L. 1, c. 22. næ. *Audio alios eò perfidiæ & inscitiæ prolapsos, ut Christum Deum esse disertè inficientur; alios verò Dei appellationem ità illi largiri, ut nihil tamen rectè de illo sentiant. Opinantur enim non naturâ, sed benignâ Dei voluntate & gratiâ, perindè ac unum è nobis, ad id dignitatis evectum esse.* Utique per plenæ justificationis & glorificationis gratiam, quæ etiam

nos faciet esse Deos, Filiosque excelsi omnes. Veram hypostaticam, etiam in Christi Domini resurrectione factam, unionem, quam de naturarum confusione odiosam facere tentans vocat passim Deificationem, adeò aversatus est Nestorius, ut de illa, tamquam de blasphemia, accuset suos Clericos apud Pontificem Cælestinum. *Carnem coniunctam Deitati ad Deitatem transisse blasphemant in ipso Verbo Deificationis, quod nihil est aliud, quàm utrumque corrumpere.* Et in libro per sanctum Cyrillum refutato. *Neque contingit, ut Deus Verbum sine humanitate faciat aliquid: Perductus est enim ad summam coniunctionem, non ad Deificationem, ut sapientes è recentioribus dogmatistis adserunt.* Et in hoc ipso anathematismo creati puri hominis factam postmodùm adsumptionem, datamque illustrem gloriam dicit non esse aliud, quàm *participatam unigeniti appellationem*, quâ non secundùm hypostasim, sed secundùm nomen dumtaxat, dignitatem, atque auctoritatem factus sit filius Dei. Veram in hypostasi unionem autumat sine naturarum confusione non posse fieri. Ideòque Pelagiani fuére illo longè meliores. Hi namque in Domini resurrectione factam veram unionem omninò admiserunt. Fuére tamen in alio etiam peiores: Christum enim Dominum, quem Nestorius in materno utero sanctificatum & Spiritu sancto unctum tradit, natum asserunt in natura pura, istisque donis donatum priùs in Baptismo, quomodò aiunt fieri & nobis. L.1.c.16. L.2.c.8.

Et hinc dignoscitur radix erroris, de quo sanctum Cyrillum consuluit, & quem suo commonitorio inseruit Successus Episcopus in Isauria Dio-Cæsareensis. *Quod post resurrectionem sanctum illud corpus nostri omnium Salvatoris Christi in Divinitatis naturam transierit, ut totum sit sola Divinitas.* Quidam existimant fuisse errorem Nestorij, qui cum stultis vitia vitans in contraria cucurrerit, factus ipse Apollinarista, dicensque glorificatam Domini humanitatem in ipsam Divinitatē fuisse penitùs cōversam & absumptam. Quod enim hypostaticā adsumptionem sine tali absumptione crediderit non posse fieri, jam audivimus. Alij malunt errorē non fuisse ab ipso receptum, sed nobis objectum per calumniam. Et hoc est omninò veriùs. Est enim antiquus nescio cujus auctoris error, natus ex perperam accepto Apostoli verbo: *Iam non novimus Christum secundùm carnem.* Et ex verbo Domini apud sanctum Joannem: *Pater, clarifica me apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus fieret.* Adversùs illum declamat sanctus Augustinus in tractatibus super Evangelium ejusdem Apostoli. *Hoc quidam sic intelligendum putârunt, tanquam natura humana, quæ suscepta est à Verbo, converteretur in Verbum, & homo mutaretur in Deum: Immò si diligentiùs, quod opinati sunt, cogitemus, homo periret in Deo.* Ex pravè intellecto Epist. 2. C. 17. Tract. 105

verbo sancti Pauli Apostoli, dicentis nos in vita futura *implendos in omnem* DEI *plenitudinem*, quidam ejusmodi conversionem etiam ad nos extenderunt, adversùm quos Augustinus scribit in literis ad Pauli-
Epist 112. nam. *Hanc plenitudinem* DEI *quidam sic intellexerunt, ut putarent nos hoc*
c.15.23. *futuros omninò, quod* DEUS *est*. Et in libro de natura & gratia. *Si aliqui*
C. 33. *putant tantum nostrum profectum futurum, ut in* DEI *substantiam convertamur, & hoc efficiamur prorsùs, quod ille est, viderint, quemadmodùm adstruant sententiam suam, mihi hoc fateor non esse persuasum.* Qui loquendi modus innuit errorem tunc fuisse grassatum, & quidem non apud solos imperitos. Rectè tamen & Augustinus in dictis ad Paulinam & in alijs ad Dardanum literis, & in laudatis literis ad Successum Cyrillus dicunt esse errorem detestandum. Undè & Gelasius
Epist.2. Pontifex, in professione fidei missa ad Laurentium Lignidensem Episcopum, illum damnat & detestatur. Eumque Nestorius & Nestoriani nobis calumniosè objecerunt.

OCTAVVM S. CYRILLI CAPITVLVM.

SI quis hominem, aßumptum unà cum ipso Dei Verbo adorandum, unà cum ipso glorificandum, unà cum illo, tamquam alterum in altero existentem, Deum appellandum eße dicere ausus fuerit: (hunc enim intellectum particula, cum, *adiecta perpetuò & neceßariò afferre consuevit) & non unâ potiùs adoratione Emmanuelem honorat, unamque illi glorificationem attribuit, quatenùs* VERBVM FACTVM EST CARO, *anathema sit.*

OCTAVVM NESTORII CAPITVLVM.

SI quis servi formam pro seipso, hoc est, secundùm propriæ naturæ rationem colendam esse dixerit, & non omnium dominam; & non potiùs per societatem, quâ beatæ & ex se naturaliter Domina unigeniti naturæ coniuncta est, veneratur, anathema sit.

SCHOLION

SCHOLION.

HVnc Nestorij errorem & verba formalia referunt Synodus Ephesina, & sanctus Cyrillus in literis ad ipsum, in literis ad Acacium Melitinæ Metropolitam, ac in libro adversùs calumnias Synodi Antiochenæ. *Propter induentem indutum veneror; propter latentem adoro apparentem. Inseparabilis à visibili* DEUS: *Atque ideò eius, qui non separatur, honorem non separo. Naturas separo, sed adorationem coniungo.* Et in libris adversùs Nestorium. *Non est per se* DEUS, *quod est in utero formatum, formatum in spiritu, sepultum in monumento: Alioquin essemus hominicola & cadavericola prorsùs. Naturarum itàque coniunctionem sine confusione servemus, confiteamur unum* DEUM, *veneremur hominem, qui ex Divina coniunctione simul cum* Deo *omnipotente adoratur.* Virus, uti ad Eulogium suum Presbyterum ac in Regia urbe Apocrisarium scribit sanctus Cyrillus, latet in vocibus: *Naturas separo.* Etenim naturas non tantummodò distinguunt, sed etiam dividunt, adeòque inducunt duos Christos, duos Dei Flios, duas personas. Neque refert, quod eas Nestorius dicat inseparabiliter unitas, assiduèque ebuccinet earum indivisam sine confusione unitionem: Intelligit enim unitionem, non secundùm hypostasim, sed secundùm eandem auctoritatem, dignitatem, nomen, honorem, adorationem, quâ Deus Verbum & homo adsumptus, non tamquam unus & idem, sed adorantur unus cum altero, & unus propter alterum, quomodò Legatus, aut regnum cum potestatis plenitudine gubernans minister adoratur cum Rege & propter Regem.

F 361. L. 1. c 26. C. 3. L. 2. c. 12. 13. L. 3. Con. Ephe. c. 37.

Quocircà pessimè & calumniosissimè Nestorius ait adsumptam servi formam pro seipsa seu secundùm propriæ naturæ rationem à nobis adorari, ideòque nos esse hominicolas & cadavericolas. Antiquam gentilium calumniam, & suum ipse scelus in omnem Ecclesiam, cælumque & terram traducere conatur. Ipse enim, uti in libro ad Reginas sanctus Cyrillus testatur, docet Dominum esse purum hominem, qui *divinis honoribus potiatur.* Eumdem Leontius Monachus Constantinopolitanus accusat, quod circa Domini humanitatem committat idololatriam, eamque sibi demutet in idolum. Etiam Nestorianos esse *hominem colentes* testantur, & tamquam tales anathematizant Ecclesia Antiochena & Hierosolymitana in literis ad Justinum Augustum, exstantibus inter Epistolas Pontificis Hormisdæ. Quisquis enim, uti ad orthodoxos Archimandritas scribit sanctus Cyrillus, Deum & adsumptum hominem in duas hypostases dividit, & tamen hunc latricè colit, honorem soli Deo debitum palàm transscribit

C. 12. Post Epist. 74. L. 3. Con. Eph. c. 37.

scribit in hominem, colitque pro Deo creaturam. Et in literis ad suos
L.1.c.3. Monachos. *Tu igitur Emmanuelem ut verum Deum adora. Tunc gentium populus nullo iure Christianorum fidem subsannare poterit: Agnoscet enim nos non nudo alicui homini Divinum cultum deferre, sed illi, qui naturâ Deus est.*

Servi autem formam pro seipsa adeò non adoramus, ut ipsam dicamus esse nobiscum unam ex adorantibus. Ejus namque caussâ Dominus gloriæ erat pernoctans in oratione Dei, etiamnum in cælis assiduè interpellat pro nobis, dixitque olim ad mulierem Samaritanam: *Vos adoratis, quod nescitis, nos autem adoramus, quod scimus.* Attamen nequaquam in adorantem & adoratum divisus est, rectèque laudatus
Cap. 32. Cyrillus in libro ad Theodosium Augustum. *Qui cum muliere loquebatur, erat unus & solus Dominus Iesus Christus, ex humanitate adorante & adoranda Divinitate constitutus.* Undè nobiscum adorans humanitas à nobis etiam adoratur, non pro seipsa, sed tamquam adorati Dei Verbi indumentum, de quo sanctus Augustinus in sermone de tempore.
Ser. 115. c.3. *Dico, planè dico, quia vestem intueor, & vestitum adoro. Caro illa illius vestimentum fuit:* Non quovis modo appositum, sed ejus Divinæ Hypostasi naturaliter unitum.

NONVM S. CYRILLI CAPITVLVM.

SI quis unum Dominum nostrum Iesum Christum à Spiritu sanctó, tamquam virtute à se alienâ, glorificatum dixerit, efficaciamq́, quâ contra immundos spiritus uteretur, & divina inter homines miracula operatur, ab ipso eodem accepisse prædicaverit, & non proprium, naturalemq́ue illius esse Spiritum, per quem divina signa edidit, anathema sit.

NONVM NESTORII CAPITVLVM.

SI quis formam servi consubstantialem esse dixerit sancto, & non potiùs per illius mediationem, quæ est ad Deum Verbum, & ex ipsa conceptione habuisse dixerit coniunctionem, per quas communes nonnunquam in homines miranda curatione exercuit, & ex hoc curandorum spirituum eveniebat esse potestatem, anathema sit.

Sco-

SCHOLION.

SPiritus sancti in adsumptum hominem dona mirè extollit Nestorius. Etenim homo ille de Spiritu sancto conceptus & natus est, in Spiritu sancto justificatus, in Spiritu sancto baptizavit, miracula fecit, dæmonibus fuit terribilis, illa in Spiritu sancto ejecit, super eum baptizatum Spiritus sanctus mansit, eum Spiritus unxit, pauperibus evangelizare misit, & tandem videntibus Apostolis adsumpsit in cælum. Hinc de orthodoxis queritur Nestorius: *Hunc, qui tantam Christo largitus est gloriam*, cum Arianis & Macedonianis *Christi servum efficiunt.* Quin immò hocce ejus stultum capitulum etiam de Apollinario criminatur præsentem anathematismum. Apollinarius quippè, uti ad Epictetum Corinthiorum Episcopum scribit sanctus Athanasius, Domini carnem, utpotè de converso in sese Deo Verbo factam, dixit esse Deo Patri, ac ejus Divinitati consubstantialem, adeòque & Spiritui sancto: At verò hypostaticam unionem sine simili naturarum confusione non posse fieri, ideòque eisdem absurdis esse obnoxiam, semper Nestorius habuit pro principio palmari. L.4. cont. Nest. c.2.

Verùm enim verò & suam & illius sententiam exponit lucidè Cyrillus in libris contra ipsum. *Si ipsum ex Deo Patre Verbum unum est cum sua carne, quomodò Divinis viribus eum indigere putas, & terribilem dæmonijs à Spiritu sancto factum, ut qui à sua natura id non poßit efficere: Ad hæc etiam hoc ipsum posse conterere sathanam, quasi ab alio datum, vixque dono acceptum. Si igitur non ignoras separare Spiritum à Divina eius natura, turpißimum habendum esse crimen, & quidem iure, ipsius procul dubio Spiritus est, ut qui per ineffabilem ipsius naturam procedat, & ipsi sit consubstantialis, & ità minimè indigeat virtute ab eo data, tanquam externa & aliundè adscita, sed utetur potiùs tanquam proprio Spiritu, & per ipsum se terribilem dæmonijs ostendet.* Et in eodem capite. *Vnitum carni illud ex Deo Patre Verbum velut unum aliquem è nostro numero, & vulgarem prorsùs, auxilio Spiritus sancti indiguiße dicis, ut terribilis immundis spiritibus videretur.* Et Domini apud Joannem Evangelistam de Spiritu sancto Verbum, *De meo accipiet*, exponens pergit. *Vt procedit ex Patre Spiritus sanctus, cùm sit ipsius secundùm naturam, eodem quoque modo per ipsum Filium, cùm sit eius naturaliter, ipsiq; consubstantialis. Ergò quamvis per Spiritum glorificetur Filius, ipse tamen seipsum tanquam per proprium Spiritum glorificare intelligitur, neque ea res extrinsecùs illi advenit, etiamsi factus homo nostri similis videatur.* Egregiè Cyrillus ostendit, quod neque cum Apollinario adsumptæ naturæ veritatem evertat, neque cum Macedonio Spiritum sanctum in servitutem re- L.4 c.3.

digat; verùm quod Nestorius Dominum Gloriæ in vulgarium hominum ordinem abijciat, *qui quasi non habens suam, gloriâ à Spiritu datâ indiguerit; eum computet intra mensuras creaturæ, omnia extrinsecùs habentis atque donata*; faciatque unum ex illis, de quibus rogat Apostolus: *Quid habes, quod non accepisti?* Hocce ergò anathematismo damnatus Nestorij error est, quod Christum Dominum faciat purum & communem hominem, qui gratuito & extrinseco moventis & inhabitantis Spiritus sancti adjutorio ad opera sua egeat, ac non sit verus in eadem Divina hypostasi Deus, qui cum Patre sit unum Spiritus sancti principium, adeòque & illum donet, mittat, & tamquam principio subauctorato ad quævis gloriæ opera utatur.

Etiam de vitiato sacro textu, quod est perpetuum ac solenne omnium hæreticorum privilegium, Nestorium culpat. *Ad hæc neque illud vacare culpâ dixerim, quod tamquam de communi, vulgariq́; homine, ait adsumptionem in cælum ipsi fuisse dono datam à Spiritu. Nam elegit quidem discipulos per Spiritum sanctum, sed adsumptus est ut Deus, non quasi eam rem ab alio datam acceperit, sed ut ipse potiùs, velut primitiæ quædam humanæ naturæ in incorruptionem renovatæ, seipsum ostenderet Deo & Patri.* In hoc Actuum Apostolorum loco, *Præcipiens Apostolis, quos elegit per Spiritum sanctum, adsumptus est*, Nestorius interpunctionem, atque ità omnem sensum alteravit, legitque: *Quos elegit, per Spiritum sanctum adsumptus est.*

Notanda sunt hæc sancti Cyrilli verba: *Per ineffabilem ipsius naturam procedit.* Item hæc: *Eodem modo per ipsum Filium procedit*, utique Spiritus sanctus. Vanus enim & profanus Nestorius, ut Spiritum sanctum ab homine adsumpto remotiùs alienaret, etiam alienavit à Dei Verbo, primusque blaterare cæpit procedere à solo Patre. Blasphemiam lucidè edicit ejus defensor Theodoretus, vel ob illam solam de Deo & omni Ecclesia pessimè meritus, in libro horum capitulorum
Cap. 9. reprehensorio ad Joannem Patriarcham Antiochenum. *Proprium Spiritum Filij, si quidem ut eiusdem cum eo natura, & ex Patre procedentem dixit* Cyrillus, *simul confitebimur, & tamquam piam suscipiemus vocem; Si verò tamquam ex Filio aut per Filium existentiam habeat, hoc ut blasphemum & impium rejciemus.* Eandem blasphemiam Nestorianum Charisij Symbolum profitebatur. Quare primos illius auctores fuisse
Sess. 7. Nestorium ac Theodoretum, rectè dixit in Florentina Synodo Andreas Rhodiorum Metropolita, & Marcus Ephesius non fuit ausus diffiteri. Est una è capitalibus radicibus hodierni Photiani schismatis: Adeòque hanc extremam Ecclesiæ Orientalis in anima & corpore miseriam non solus plantavit Eusebius Nicomediensis Episcopus, aut

aut conventiculum Philippopolitanum, sed etiam cum Nestorio Theodoretus. De quo plura suo loco.

DECIMVM S. CYRILLI CAPITVLVM.

CHristum Iesum nostræ confeßionis Pontificem & Apostolum exstitisse, eundemque semetipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo & Patri obtulisse, divina Scriptura commemorat. Si quis ergò dixerit Pontificem, & Apostolum nostrum non esse ipsum Dei Verbum, posteaquàm caro & homo nobis similis factum est, sed hominem illum, qui ex muliere natus est, quasi alterum quempiam ab ipso diversum: Aut si quis Christum pro seipso quoque, & non potiùs pro nobis solis sacrificium obtulisse affirmaverit (neque enim is oblatione opus habebat, qui nullum peccatum commiserat) anathema sit.

DECIMVM NESTORII CAPITVLVM.

SI quis illum in principio Verbum, Pontificem & Apostolum confeßionis nostræ factum eße, seq; ipsum obtulisse pro nobis dicat, & non Emmanuelis esse Apostolum dixerit, oblationemq; secundùm eandem rationem ei tribuat, qui univit, si quis unitus ad unam communitatem Filij, hoc est Deo quæ Dei, & homini quæ sunt hominis deputans, anathema sit.

SCHOLION.

AVdi verba Nestorij recitata à sancto Cyrillo in libris adversùs ipsum. *Hic ille fidelis Deo factus Pontifex: factus est enim, non ab æterno erat. Hic paulatim ad Pontificis dignitatem progreßus est.* In Christo Domino non tantùm naturas distinguit, sed & hypostases dividit, ideòque solum purum hominem, non Deum Verbum blaterat peccatis nostris datum Pontificem ac Mediatorem. *Quod si Sacerdos, inquit, est ipsa Divinitas, quisnam est, qui Sacerdotis obsequio colitur? Si* L.3.c 4.

Deus est, qui offert, nemo est, cui offeratur. Quid enim sit Divinitati dignum, ut illa tamquam inferior maiori offerat? Pontificatum ac Apostolatum Deo Verbo adscribere dicit esse insignem *contumeliam summæ illius dignitatis.* Est enim *adversùs Paulum Scripturas interpretari, impaßibile Verbum terreno miscere corpori, & paßibilem Pontificem facere.* Naturam & hypostasin quasi eadem confundit, ideòque à nobis, qui Deum Verbum dicimus factum, uti hominem, ità & Apôstolum ac Pontificem, garrit illud idem dici de ipsa Divinitate.

Et purum hunc hominem non ex matre conceptum & natum Pontificem fatetur, sed per humana merita paulatim in dignitatem istam ait profecisse. *Iesus enim proficiebat ætate, sapientiâ & gratiâ.* Et Apostolus Paulus eum dicit à Deo glorificatum, ut Pontifex fieret, additque: *Consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi caußa salutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex iuxta ordinem Melchisedech.* Ad quæ verba Nestorius: *Consummatur, quod paulatim proficit.*

L.3.c.6. Pergit. *Ipse nobis promissæ benedictionis ex semine Abraham est mißus, tamquam pro seipso & genere suo corporis sui victimam simul afferens.* Adversùm quæ sanctus Cyrillus. *Ergòne ipse quoque Christus factus est sub peccato, per quem os ipsum peccati adversùm nos obstruitur?* Copiosè ostendit Christum Dominum fuisse Pontificem sanctum, innocentem ac impollutum, qui neutiquam pro se, sed pro solis peccatis nostris semetipsum obtulerit in sacrificium, adeòque Nestorium esse unum ex Pharisæis blasphemantibus, in quos dixit Dominus: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quod paulatim evincendis carnalibus cupiditatibus etiam Dominum subjecerit, testatur Georgius Cedrenus.

Cap.4. Addit Cyrillus adversùm alios Nestorij errores. *Quomodò igitur progressus est, ut temerè fabularis, ad Pontificis dignitatem, cùm Deus sit omnipotens, tuorum quoque verborum testimonio?* Ostendit inter Domini naturas non solummodò ignobilem illam, ac à solo Nestorio excogitatam in æquali dignitate & nomine conjunctionem, sed & veram in hypostasi divina unionem intercessisse, adeòque non adsumptum hominem dumtaxat, sed & ipsum Deum Verbum fuisse nobis

Cap.3. Pontificem. *Quia enim unigenitum illud Dei Verbum factum est homo, & Sacerdotij munus humanitatis mensuram haud dedecet: ut item, quod mißus* seu Apostolus *eße dicitur. Confusionem contempsit, ut beatus Paulus ait: Cum his etiam viliora & indigniora propter nos pertulerit. Dedit enim dorsum in flagella, & faciem non avertit à confusione sputorum, & Iudæorum contumelias patienter sustinuit. Sed refugis Sacerdo-*

tem

tem dicere, ut qui sit Deus. Admitte dispensationis rationem, cogita exinanitionem, descensumq́ ad servi formam.

Quocircà ad hunc Pontificatum nequaquam provectus est, aut profecit per humana merita. *Est enim exinanitus, & seipsum humiliavit, ad minora se deijciens. Quomodò igitur ad dignitatem progressus est factus Sacerdos? Non profecisse dicimus, & ad dignitatem pervenisse ipsum Dei Verbum, cùm Pontifex noster factus est, sed potiùs etiam ex hac parte ad exinanitionem descendisse.* Ne ipsa quidem humana Domini natura per humana merita profecit in istam dignitatem. Pelagiana sunt ista, abundè refutata per sanctum Augustinum in locis suprà memoratis librorum de Dono perseverantiæ & Prædestinatione Sanctorum. Pontificatum & Apostolatum hunc fateor dictæ naturæ fuisse dignitatem: verùm non per humana merita, sed gratis in ipso conceptionis primo puncto collatam unà cum omni alia intellectus, voluntatis, & cæterarum facultatum virtute & dignitate. Hæc enim cuncta sunt ipsa Divinæ unionis & unctionis gratia, quâ Deum Deus unxit oleo lætitiæ & exultationis omnigenæ in supremum traducem, caput, & principium reformandæ humanæ creaturæ.

Solenni autem hæreticorum privilegio utitur rursùm Nestorius, dùm Dominum Jesum dicit in Pontificem fuisse consummatum. Apostoli locum sanctus Cyrillus exponit longè aliter, Nestorium arguens inscitiæ & doli. *Consummatus est quidem per passiones Dominus noster Iesus Christus: Iste verò,* Nestorius utique, *licèt modum, quo consummatus est, non ignoret, simpliciorum animos ad remotos quosdam cogitationum anfractus abducit, & profecisse dicit in Sacerdotem, & in hoc eum consummatum fuisse, quod cùm factus est, dicitur exinanitus.* L. 4. n. 3.

Verè item Cyrillus arguit contradictionis Nestorium, utpotè qui omni dogmatis vento circumlatus modò hæc dicat, modò illa, & ædificata destruens constituat seipsum prævaricatorem. Deum namque Verbum nunc adfirmat, nunc negat Pontificem: Quia nempè hìnc fidelem populum novis vocibus offendere timuit, istinc agnoscere detrectàvit veram naturarum in divina hypostasi unionem, natamq́ue indè communionem idiomatum.

UNDECIMVM S. CYRILLI CAPITVLVM.

SI quis ipsam Domini carnem vivificam, ipsiusq́ Verbi, quod ex Patre est, propriam esse negaverit, sed alterius cuiuspiam ipsi Verbo secundùm dignitatem tantùm coniuncti,

Eti, aut Divinam tantùm inhabitationem sortiti, esse dixerit: neque verò potiùs vivificam confessus fuerit, ut modò meminimus, eò quod Verbi, quod omnia vivificat, facta sit propria; anathema sit.

UNDECIMVM NESTORIJ CAPITVLVM.

SI quis unitam carnem ex naturæ propriæ possibilitate vivificatricem esse dixerit, ipso Domino & Deo pronuntiante: SPIRITVS EST QVI VIVIFICAT, CARO NIHIL PRODEST; *anathema sit. Spiritus est Deus, at non pronuntiatum est. Si quis ergò Deum Verbum carnaliter secundùm substantiam carnem factum esse dicat, hoc autem modo & specialiter custodit, & maximè in Domino Christo post resurrectionem suam discipulis suis dicente:* PALPATE ET VIDETE QVIA SPIRITVS OSSA ET CARNEM NON HABET, SICVT VIDETIS ME HABERE; *anathema sit.*

SCHOLION.

Cap. 41. HOc Capitulum respicit D. Cardinalis Stanislaus Hosius in doctissima confessione fidei Catholicæ. *Non desunt, qui in Ephesino Concilio fuisse scribunt decretum, ut sub specie panis tantùm à laicis Eucharistia sumeretur. Decretum autem illud fuisse creditur propter abolendam Nestorij hæresim, qui sub specie panis carnem sine sanguine, sub specie vini sanguinem absque carne commeri blasphemabat.* Quod ipsum repetit
F. 105. in dialogo de communione sub utraque specie, adserens ità sentire etiam quosdam Lutheranos, nominatim Urbanum Regium, addentem Ephesinum decretum abrogatum posteà à sanctis Leone & Gelasio Romanis Pontificibus, reductumque populum ad antiquum utriusque speciei usum, atque indè probantem sub una aut utraque specie Eucharistiam sumere esse adiaphorum, quod ex rationibus varijs possit vario tempore Ecclesia variare. *Inter Ephesinum Concilium & Leonem Papam intercessisse dicebat* Urbanus Regius *annos propè triginta: totidem inter Leonem & Gelasium. Atque non solùm ad Leonis, verùm ad ipsa etiam usque Gelasii tempora sic increbuerat usus alterius tantùm speciei, ut ipsi quoque Sacerdotes sacris operantes à Calice abstinerent: Quamobrem &*

po-

populum S. Leo Pontifex, & Sacerdotes Gelasius admonere necesse habuit, ut ad Calicis usum redirent.

A laico populo Eucharistiam sub una aut utraque specie sumi fateor esse adiaphorum, at in cunctis reliquis dico Urbanum penitùs inurbanè falli. Quid simile neque Nestorius docuit, neque Synodus Ephesina definivit, S. Leonis tempore ad unicam speciem non obstringebatur Romanus populus, Romani Sacerdotes sacrificantes à Calice non abstinebant: Cessent, cessent somnia ejusmodi de Ecclesia Romana. Istis diebus vel sub unico vel sub utroque elemento liberè ex arbitrio & antiquo more communicabat Romanus populus, confiteorque à sancto Leone mutatum morem, adstrictumque populum ad speciem utramque. Pontifex caussam aperit in quarto sermone quadragesimali, dicens ad illum de repertis tùm in urbe Manichæis *Cùm ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysterijs, ità in Sacramentorum communione se temperant, ut interdùm tutiùs lateant. Ore indigno corpus Christi accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omninò declinant. Quod ideò vestram scire volumus sanctitatem, ut vobis huiusmodi homines & his manifestentur indicijs, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & proditi à Sanctorum societate, sacerdotali auctoritate pellantur.* Manichæi vinum esse errant naturâ malum, à malo principio conditum, fel principum tenebrarum, ideòque illo etiam in Christiano Mysterio abstinent, flagitiosissimam suam Eucharistiam conficientes in solo pane. Utuntur item famoso Priscillianistarum arcano: *Iura, periura, secretum prodere noli.* Religionem suam occultant, negant, alienam simulant, aliena altaria accedunt: Romæ accedebant & nostra; verùm intra illam populi partem, quæ sub sola panis specie Eucharistiam sumebat. Hìnc dolum & dolosos detecturus Pontifex omnem populum suum ad utramque coëgit speciem, statuens præsumptionem juris & de jure, ut quicumque deinceps à calice abstinuisset, haberetur pro Manichæo convicto & confesso. Hæc est vera origo istius decreti, quod postmodùm innovavit Gelasius Pontifex ob necdùm exstinctos Manichæos. De quo latiùs, dum agemus adversùm Wickleffistas. C. 5.

Nestorij igitur error fuit longè alius. Docuit in Eucharistia esse verum ac plenum Christum, at talem, qualem credebat natum è Virgine, crucifixum, mortuum, resuscitatum, & ad Patris dexteram exaltatum: Hominem purum & vulgarem, vulgaremque, & non vivificum ejus sanguinem & carnem. Error de Dominica incarnatione non potest se ad Eucharistiæ Sacramentum non extendere: Idem namque & unus est utrobique Christus. Et hìnc Paulus Samosatenus,

de priori errans cum Nestorio, erravit & de secundo, uti testatur sanctus Dyonisius Alexandrinus. Et Basilidem, qui in Deo Verbo incarnato non veritatem, sed solam carnis speciem finxit, eodem modo de Eucharistia blasphemasse, scribit ex sancti Ignatij Martyris ad Smyrnenses Epistola Theodoretus. Hinc sancto Cyrillo Nestorius improperat, quod Dominicam carnem ex propriæ naturæ possibilitate dicat vivificatricem, & Deum Verbum carnaliter versum in carnem, aut certè ipsam à nobis Divinitatem manducari.

L.3. Dial.

Apud Cyr. L.4.c.4.5.

Ast aliam longè & suam & totius Ecclesiæ fidem exponit laudator Pater in literis ad Nestorium. *Quin illud quoque non possum hoc loco non adjicere: Nempè dum unigeniti Filij Dei, hoc est, Iesu Christi mortem, & ex mortuis resurrectionem annuntiamus, eiusdemq; in cælum assumptionem confitemur, incruentum in Ecclesia Sacrificium nos celebrare, atque ad mysticas benedictiones accedere, eâq; ratione sanctificari, utpotè sacræ carnis & pretiosi sanguinis Christi omnium nostrum Salvatoris participes effecti. Neque enim illam ut carnem communem accipimus: Absit hoc, Neque rursùm tanquam viri cuiuspiam sanctificati, aut dignitatis tantùm æqualitate Verbo consociati, aut Divinam inhabitationem sortiti, sed tanquam verè vivificam, ipsiusque Verbi propriam. Nam cùm vita sit ut Deus secundùm naturam, simul atq; unum quiddam cum ipsa sua carne effectum est, mox vivificandi virtutem illi contulit.* Eodem sensu Eucharistiam vocat vivificam Domini carnem sanctus Dyonisius Alexandrinus Episcopus in laudatis literis adversùs Paulum Samosatensem. Et quidem has sancti Cyrilli literas Ephesina, quinta, & sexta Synodus, ac universa semper sub cælo Ecclesia accepit in regulam: Quocircà videant Lutherani & Calvinistæ, quomodò à se teneri dicant fidem quatuor primarum Synodorum. Nestorius igitur, quomodò Dominum Jesum ac ejus compositam hypostasim, ità quoque hujus arcani *Mysterij virtutem dissolvit*, eumque errorem petit hic anathematismus.

L.1.Con. Ephe c.26

Adsumptum, inquam, hominem, tam in Eucharistia, quam in Patris dextera constitutum, Nestorius Deum esse dixit per solam nobis communem gratiam Divinæ inhabitationis. Hæc est illa ignobilis & per ipsum solum excogitata, aut veriùs ex inferno, ubi cum Ebione & sequacibus ejus sepulta fætebat, in orbem Romanum revocata unio, quam meritò damnavit sanctus Cyrillus ex Joanne Apostolo, docente Deum Verbum non tantummodò habitasse in nobis, sed & carnem factum. Voces, *Habitavit in nobis*, naturarum veritatem ac plenam sine confusione & mutilatione integritatem contra Valentinum, Apollinarium & Eutychetem; voces, *Caro factum est*, contra Nestorium & ejus Symmystas important hypostaticam unionem, uti

uti jam dixi aliquoties cum Synodi Chalcedonensis Relatione ad Principem. Hínc & Apostolus Deum Verbum non quovis modo habitasse dicit in homine adsumpto, sed corporaliter omnem Divinitatis plenitudinem: De quo videatur sancti Augustini Epistolâ ad Dardanum. Epist. 57: q 2.

DVODECIMVM S. CYRILLI CAPITVLVM.

SI quis non confitetur Dei Verbum secundùm carnem passum, secundùm carnem crucifixum, mortemque secundùm carnem gustasse, & primogenitum tandem ex mortuis factum esse, quatenùs videlicet vita est, & vivificum ut Deus, anathema sit.

DVODECIMVM NESTORII CAPITVLVM.

SI quis confitens passiones carnis, eas quoque tamquam Verbo Dei tribuit, quas etiam carni, in qua factus est, adhibuerit, non discernens dignitatem naturarum; anathema sit.

S C H O L I O N.

PRo Nestorio facere videtur Tertullianus, in libro superiùs adducto contra Praxeam, dicens non Deum, sed Christum crucifixum & mortuum prædicari ab Apostolo, qui etiam istius locutionis duritiam atque offensionem mitigatam volens addiderit: *Secundùm Scripturas.* C. 29. Et Quintianus Asculanus Episcopus Petro Cnapheo Patriarchæ Antiocheno mittit hunc anathematismum: *Si quis confundit duas Christi naturas, dicens Deum passum carne, & non Christum passum carne, secundùm Apostolum, anathema sit.* Et ad Liberium Pontificem Romanum scribit sanctus Athanasius. Adsumpta caro *suspensa est in cruce, non ipse* Deus Verbum: *In illa omnes passiones ut homo sustinuit, non ipse. Ipse enim est Dei virtus.* Et Anastasio Augusto volenti recipi hanc propositionem, *unus è Trinitate est crucifixus*, validissimè restiterunt Anastasius secundus & Symmachus Romani Pontifices, imitati suos Antecessores Simplicium, Felicem tertium, ac Gelasium, eamque abjecêre tamquàm Eutychianam. Nec ad Justiniani Comitis aut Justini Augusti preces admittere voluit Hormisda Pon-

tifex, secutus consilium suorum in Orientali Ecclesia Legatorum, judicantium esse vocum novitatem quatuor Synodis & omni usque huc Ecclesiæ ignotam, superfluam, dolosam, variè suspectam. At verò unus ille è Trinitate erat Deus Verbum. Quæ enim Divinitati repugnant, ne quidem per idiomatum communionem possunt de Deo prædicari. Et hinc apud Photium in Bibliotheca Stephanus Gobarus, Ecclesiasticorum Problematum collector, ponit & hoc Proble-
L. 232. c. 48. ma: *Tempore passionis Deitas è corpore Christi discessit, & non discessit ab anima, nec à corpore.* Etenim & de Pelagianis Nestorij in Hispania præcursoribus & de semetipsis ad Capreolum Primatem Carthaginensem scribunt Vitalis & Constantius, Episcopi Hispani orthodoxi, postulantes erudiri. *Hominem purum dicunt pependisse in cruce comprehensum. Aiunt: Deus recessit ab eo. Quibus Parvitas nostra sic dicit: Nunquam Deus recessit ab homine, nisi quando dixit de cruce,* DEVS, DEVS MEVS, QVARE ME DERELIQVISTI? Adeò tunc viri etiã catholici noluêre Deum Verbum dici mortuum aut crucifixum. Accedit nostro tempore Melchior Canus, docens non quidem Divinam hypostasin, tamen gaudium beatificum, utpotè cum tantis cruciatibus incompatibile, fuisse passionis tempore in homine adsumpto suspensum.

Respondeo sancti Cyrilli anathematismum esse longè justissimum. Ejus justitiam exponit eleganter Tertullianus in libro de carne Christi adversùs Marcionem, adserentem in Domino fuisse solam carnis
Cap 5. speciem non veritatem. *Responde interfector veritatis: Nonnè verè crucifixus est* DEUS? *Nonnè verè resuscitatus, ut verè crucifixus? Falsò ergò statuit inter nos scire Paulus tantùm Iesum crucifixum: falsò sepultum ingessit, falsò resuscitatum inculcavit. Falsa est igitur fides nostra, & phantasma est totum, quod speramus à Christo. Scelestissime hominum, qui excusas interfectores Dei. Nihil enim ab eis passus est Christus, si nihil verè est passus. Parce unicæ spei totius orbis. Quid destruis necessarium dedecus fidei? Quodcumque Deo indignum est, mihi expedit. Salvus sum, si non confundar de Domino meo:* QVI MEI, *inquit,* CONFVSVS FVERIT, CONFVNDAR ET EGO EIVS. *Alias non invenio materias confusionis, quæ me per contemptum ruboris probent bene impudentem, & fæliciter stultum. Crucifixus est Dei filius: Non pudet, quia pudendum est. Et mortuus est Dei Filius: Prorsùs credibile, quia ineptum est. Et sepultus resurrexit: Certum est, quia impossibile.* Etiam ipse Paulus Apostolus non solùm Christum aut adsumptum hominem, sed & Dominum gloriæ prædicat crucifixum. Et de illo moriente exclamavit centurio: *Verè Filius Dei erat iste.* Et tam Nicena, quàm Constantinopolitana fides profitetur ipsum Deum Verbum, genitum, non factum, consubstantialem Patri,

per

per quem omnia facta sunt, pro nobis descendisse de cælis, incarnatum esse, passum, crucifixum, mortuum, sepultum. Eodem modo omnes & Græci & latini Patres loquuntur. Hoc est enim scandalum crucis, stultitia nostræ prædicationis, & stultum Dei, in quæ olim fremuerunt gentes & populi insultaverunt: At inania meditati. Virtus enim Dei, omnesque thesauri sapientiæ & scientiæ ejus latent in scandalo & stultitia ista. Eademque jam pridem etiam in Regum frontibus splendent, tamquam unica gloria, & sapientia Christianorum. Pudeat Nestorium agere, licet ex alio principio, discipulum Marcionis.

Quin excessit Marcionis scelus. Etenim non dumtaxat Deum crucifixum & mortuum, sed & Christum hominem negavit à semetipso de morte suscitatum: Suscitatum dixit, quomodò & adsumptum in cælum, à Deo Patre, Spiritu sancto, ipsoque Deo Verbo, at secundùm hypostasin diviso. Hìnc addit Cyrillus: *Primogenitum tandem ex mortuis factum, quatenùs vita est, & vivificum ut Deus.* Loquitur cum ipso Domino: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus readificabo illud.* Idem ille, qui Lazarum mortuum, seipsum suscitavit occisum: Hominem Deus, quia idem homo & Deus. Pulchrè Capreolus Episcopus Carthaginensis in literis ad laudatos Vitalem & Constantium Episcopos Hispanos. *Cuius virtute & maiestate antiqua Sanctorum corpora visa sunt resurrexisse, si Deus inferos minimè visitavit? Quis ille est, qui petras scindi, terram commoveri, solem obscurari, velum templi in duas dividi partes effecit? Nonnè homo tantùm? Nonnè etiam Deus?* Homo-Deus, qui sibi à seipso datam resurrectionis gratiam, tamquam fæcunda reparationis nostræ radix & tradux, mox in suos istos fratres propagavit. *Ergò ei nec in cruce, nec in morte, nec in sepulchro, nec in inferis defuit Deus. Alioquin non est Dominus gloria crucifixus.* Nec cùm dixit ad Patrem, *Quare me dereliquisti?* Etenim *hac & talia veram hominis infirmitatem demonstrant, nec ideò prasentiam Divina Maiestatis evacuant.* Ità Capreolus respondet & errori Pelagianorum Nestorio in Hispania præcurrentium, & ignorantiæ Vitalis & Constantij Episcoporum. Stephanus Gobarus, impurus Tritheita, indignus est, cui respondeatur. Etiam adducta Melchioris Cani opinio olet pessimè in omni Ecclesia, de qua suo loco.

Adductus adversùm nos Tertulliani locus jam suprà est expositus. Et quis non laudet prudentiam Apostoli, qui omnibus, gentilibus præsertim, omnia factus, quandòque etiam suas de nostræ fidei arcanis voces ità temperavit, ut molliter ducenda ad fidei lumen cæca gentilitas suspicari desineret immortalem & mortuum Christiano-

norum Deum esse novum quempiam Cretensium Jovem, aut nescio quod monstrum hetroclytum, quale suo tempore productum ab illis in scenam & ludibrium publicum scribit in libro Apologetico Tertullianus. Eandem prudentiam æmulatur Quintianus Episcopus: Scribit enim adversùm Synusiastas Eutychianos, Deum Verbum cum carne in unam naturam confundentes, immò in carnem versum delirantes, quod proindè, non minùs quàm anima nostra, in carne & à carne patiente pateretur. Eadem de caussa adversùm eorum parentes & magistros Apollinaristas ità loquitur sanctus Athanasius. Ejusmodi plures Patrum locutiones adducit & eleganter exponit Facundus Hermianensis. Ob easdem dolosissimas Eutychianorum technas dudùm Romana Ecclesia aversata est laudatam propositionem, *Vnus è Trinitate est crucifixus.* Tandem tamen ad Justiniani Augusti preces & propter Sancti Augustini auctoritatem admisit Joannes Papa secundus. Probavit & hanc, *Deus est mortuus*, idque ob auctoritatem præsentis Anathematismi. Ejus successor Agapetus, Hypatius Ephesinus Episcopus in collatione Constantinopolitana cùm Severianis, & quinta generalis Synodus confirmârunt. Quæ omnia evertunt Nestorium, qui hanc propositionem, *Deus est mortuus*, credit verificari non posse sine Apollinarij errore seu confusione naturarum.

CANON
De non alterando Symbolo Niceno.

His igitur perlectis, statuit sancta Synodus alteram fidem nemini licere aut conscribere, aut componere, præter definitam à sanctis Patribus, qui in Nicæa cum Spiritu sancto congregati fuerunt. Qui verò ausi fuerint aut componere fidem alteram, aut proferre vel offerre converti volentibus in agnitionem veritatis, sive ex Gentilitate, sive ex Iudaismo, sive ex qualicumque hæresi, hos quidem, si sunt Episcopi aut Clerici, alienos esse Episcopos ab Episcopatu, & Clericos à clericatu decrevit: si verò laici fuerint, anathemati subijci.

Simili etiam modo si qui inventi fuerint vel Episcopi vel Cleri-

Clerici vel laici, sive sentire, sive docere ea, quæ continentur in oblata expositione à Charisio Presbytero de unigeniti Filij Dei incarnatione, sive scelerata & perversa Nestorij dogmata, quæ & subnexa sunt, subjaceant sententiæ sanctæ huius & universalis Synodi: ut videlicet Episcopus quidem removeatur ab episcopatu, & sit depositus; Clericus verò similiter excidat à clericatu: Si verò laicus quis sit, & ipse anathematizetur, sicut superiùs dictum est.

S C H O L I O N.

SEcundo Ecclesiæ loco, dato per tertium Canonem secundæ Synodi, Episcopi Constantinopolitani nequaquam fuére contenti: Animo namque ambitioso quid locus sine Synodo & Diœcesi? Patriarchalium Diœceseon invasio erat difficilis ex caussa varia: Hìnc in trium Autocephalorum Primatum, Thracici, Asiatici, & Pontici, vicinas & vastas Provincias oculos statim conjecit Nectarius Episcopus, atque hìnc Socrates accepit occasionem errandi de secundo Canone Constantinopolitano: *Nectario ampla illa civitas Constantinopolis, & tota Thracia sorte obvenit.* Quod ab Episcopis Constantinopolitanis videbat per rapinam fieri, existimavit à Canone acceptum. Eadem de caussa Gerontium, è criminoso suo Diacono Nicomediensem in Pontica Diœcesi Episcopum ac Bythyniæ Metropolitam, ordinatum ab Helladio Cæsareensium in Cappadocia Episcopo & Ponticorum Primate, eijci ab eodem Nectario postulavit sanctus Ambrosius: Quod nempè Diœcesim illam videret ab illo potiùs, quàm ab Helladio administrari. Et quidem Ambrosio conatus est satisfacere Nectarius, verùm non potuit, quod Helladius fines suos generosè tutaretur. Eodem jure à Marino Arianorum Constantinopoli Episcopo invasam Diœcesim Asiaticam, ac in ipsa Metropoli Epheso ordinatum Agapium, Socrates testatur. L. 5. c. 8. Zozom. l. 8. c. 6. L. 5. c. 22.

Nectario successit sanctus Joannes Chrysostomus, quem in Synodo ad Quercum, relata à Photio in Bibliotheca, non sine fundamento accusavit Isaacius Monachus, *quod aliorum invaderet Provincias, ordinaretq́; ibidem Episcopos* Hermias Zozomenus ait etiam ab alijs accusatum, *quod rerum novandarum primus auctor exstitisset in Ecclesijs, & ordinationum consuetudinem præter leges patrias invertisset.* Etenim Gerontium Nicomediensem, quem Nectarius non potuerat, ejecit L. 59. L. 8. c. 6.

 ipse,

ipse, ejusque in locum ordinavit Pansophium. Ea est caussa, cur illum in exilium abeuntem per Cappadociam Helladius Primas non tamquam afflictum fratrem frater compatiens, sed palàm crudeliter tractârit: Tractavit ut violentum suæ Diœceseos & Primatialis potestatis invasorem. Etiam omnem Asiam visitavit Joannes, varios istic dejecit & ordinavit Episcopos: in ipsa Metropoli Ephesina dejecit Anthoninum, imposuitque suis ordinatum manibus Heraclidem, suum Diaconum. Sedi Heracleensi, Thracum primatiali, ordinavit suum Archi-Diaconum Serapionem. Quin & Cucusi in Pontica Diœcesi exulem ordinasse plures Episcopos & Clericos, scribit in ejus vita
L. 96. apud Photium Georgius Patriarcha Alexandrinus. Omni Asię, Ponto,
L. 5. c. 28. & Thraciæ dominatum Theodoretus.

Joanni post paucos Arsacij dies successit Atticus, de quo Socrates.
L. 7. c. 28. *Mortuo Cyzicenorum Episcopo*, Metropolita Hellesponti in Diœcesi Asiatica, *Sisinnius* post Atticum Constantinopolitanus Episcopus *Proclum Cyzici Episcopum designat. Quem ad illam urbem profecturum antevertunt Cyziceni, Dalmatiumq; Monachum Episcopum ordinant. Hoc ab illis factum est, neglectâ illâ lege, quæ iubet, ne quis Episcopus designetur absque sententia & auctoritate Episcopi Constantinopolitani. Legem autem propterea neglexerunt, quod Attico soli, uti illi putabant, nominatim authoritatem illam concederet.* Atticus ergò trium Diœceseon primatialem Potestatem sedi suæ per sanctum Joannem assertam lege imperiali sibi manuteneri impetravit, atque ità evasit contradictiones plurimas, è quibus Ioanni natæ fuerant tot calamitates. Quod eadem via omnem Illyricianam Diœcesim tentârit in se transcribere, dixi superiùs ad sextum decimum Canonem Sardicensem.

Ei post optimum Sisinnium successit noster Nestorius, ex Ecclesia Antiochena vocatus, cujus minimus digitus erat grossior dorso cujus-
L. 7 c. 31. vis sui Antecessoris. Etenim, ut Socrates scribit, statim se trium
29. Diœceseon Patriarcham ostentans Macedonianos in Hellesponto, Novatianenses Quartodecimanos in Lydia, Caria, omniqúe Asia tractavit crudelissimè, imitari volens suum collegam & concléricum Antiochenum sanctum Ioannem Chrysostomum, à quo item
L. 6. c. 17. dictarum Provinciarum Quartodecimanos fuisse de Basilicis ejectos testatur idem Scriptor. De Nestorij superbia & usurpata potestate
L. 1. Conc. scribit ad sanctum Cælestinum Pontificem sanctus Cyrillus. *Fastu*
Eph. c. 14. *tumens, insidijsque ac sedis potentiâ fretus, effecturum se arbitratur, ut & nos ipsi & reliqui omnes sua sententiæ subscribamus.* Et in literis ad Cle-
Cap. 12. rum Constantinopolitanum. *Rerum nostrarum iudicem fore se sperat.* A Romano Cælestini Pontificis adversùs se ac errorem suum judicio ap-

appellârat, generalem Synodum à Theodosio Augusto impetrârat, atque ità Pontificis auctoritate suspensâ sperârat tamquam secundus Ecclesiæ Episcopus & trium Diœceseon Patriarcha esse Synodi, non Præses, sed tyrannus, agere ex arbitrio in Cyrillum & ejus sibi adversantes collegas, atque ità omnem sub cælo Ecclesiam seducere à Christo ad suum judaicum errorem. Ob Principem Nestorio faventem non fuit sine metu Cyrillus, ideòque sese quasi ad Martyrium parabat.

Nestorius itàque in Episcopatus sui exordio mox in Diœcesin Asiaticam legavit Antonium & Jacobum Ecclesiæ suæ Presbyteros, omnem istic Quartodecimanum ad Ecclesiæ fidem & communionem coacturos. Dedit illis & fidei professionem exigendam à redeuntibus, nequaquam illam, quam Novatianensibus præscripsit Nicenus Canon, non item Nicenum aut Constantinopolitanum Symbolum, sed aliud novum, à suis Presbyteris Photio & Anastasio, totius hujus mali auctore, compositum, in quo omne suum virus expressit, unàque memoratam superiùs blasphemiam in Spiritum sanctum, quod nempè non à Filio, aut per Filium procedat, sed à solo Patre. Ipsum non solis redeuntibus hæreticis atque schismaticis, sed & gentilibus ad fidem venientibus tradi jussit contra omnium sub cælo Ecclesiarum morem & legem, quæ Catechumenis semper tradidére Apostolicum, Nicenum, aut Constantinopolitanum, atque ità & hos & illos fecit non veros Christianos, sed Semi-Iudæos Nestorianos. Hæc Ephesinæ Synodo datis libellis quæstus est, & medelam expostulavit Charisius, Ecclesiæ Philadelphiensis in Lydia Presbyter atque œconomus, obtinuitque Canonem præsentem.

Hìc est ille famosissimus Canon, in quo Græci hodie schismatici caussam suam principaliter fundant, & nequaquam sese, sed nos latinos dicunt esse schismaticos, Canonum prævaricatores, anathematizatos, quorum communio contagiosa sit in omnem, qui sese ab ejusmodi hominibus, eorumque altaribus & Sacramentis non separârit. Aiunt nos contra hujus Canonis præscriptum addidisse Niceno Symbolo vocem, *Filioque*, ac proindè cum Romano nostro Papa & omnibus Episcopis esse ab eodem Canone damnatos. Hic quippè Canon ab illo Sardicensi, quem in synodalibus ad Ecclesiam Antiochenam literis refert sanctus Athanasius, differt longè plurimùm: Ille novum dumtaxat condi Symbolum & deseri Nicenum, hic Niceno quidquam addi aut demi vetat, etiam unicam solummodò vocem.

Ità illum intellexit Ioannes Patriarcha Antiochenus in literis synodalibus, per Paulum Episcopum Emisenum missis, quibus cum sancto

ſancto Cyrillo ac ejus Synodo inivit pacem. Plenam de Domini incarnatione fidem, ipſamque vocem, *Deipara*, profitetur, attamen
L. 3 Con. *non additamenti loco, ſed confirmationis ſpecie*, fidei Nicenæ nihil adij-
Eph. c.30. ciens, quod *illa ad omnem pietatis cognitionem, omniſque hæreticæ pravæ doctrinæ depulſionem abundè ſat eſſe* ſit ab hoc Canone declarata. Et
Cap. 34. Joanni per eundem Paulum reſpondet ſanctus Cyrillus. *Nullo modo patimur, ut ab aliquo fides illa, ſive fidei Symbolum concutiatur, quod à ſanctis quondam Patribus Nicenis editum eſt. Neque enim aut nobis, aut ulli omninò alteri vel unam voculam ibi poſitam immutare, aut unam etiam Syllabam præterire permittimus.* Cyrillus Alexandrinus & Joannes Patriarcha Antiochenus in Epheſina Synodo graviter diſſenſerant, & dudùm hìc illum de Apollinarij, ille hunc de Neſtorij lepra diffamârat, tandemque à Theodoſio Auguſto juſſi ſunt in gratiam redire. Hìnc alter alteri ſuam de Dominica incarnatione fidem largiùs expoſuit, adverſis erroribus abjuratis. Neque id erat contra Canonem præſentem, qui ipſi ſolùm Symbolo quid inſeri aut detrahi vetat: Extra illud à ſuſpectis catholicis, redeuntibus hæreticis, novis Epiſcopis, alijſque id genus, ſpecialem fidei profeſſionem & profeſſionis præſcriptam formulam exigere ſemper in Eccleſia licuit, ſemperque licebit, uti tradunt ſanctus Cyrillus in literis ad Acacium Melitinæ Epiſcopum, perpetuaque Eccleſiæ praxis, & in Florentina Synodo & Græci & Latini ſunt unanimiter profeſſi. Nihilominùs & in Cyrillum & in Joannem nata eſt æmulorum calumnia, quod pacis Fuco palmarem Epheſinum Canonem ipſi auctores non tantùm prævaricati eſſent, ſed & exufflaſſent. Hiſce convitiatoribus ambo occurrunt, oſtendentes à ſe neque conditum aut admiſſum novum Symbolum, neque veteri Niceno inſertum ullum additamentum; ſed editam dumtaxat ſatisfactoriam atque expurgatoriam fidei profeſſionem, quà toti mundo demonſtrarent ſeſe ab omni huc uſque gravante ſuſpicione immunes. Elegantiſſimè & largiſſimè id proſe-
Cap.35. quitur Cyrillus in laudata & omninò videnda Epiſtola ad Acacium Melitinenſem.

Hìnc patet, quid ſibi velit Archimandrita atque Hæreſiarcha Eùtyches, Epheſino latrocinio querens de ſancto Flaviano Epiſcopo ſuo Conſtantinopolitano, ejuſque Synodo, quæ ipſum de hæreſi
Con Chal- damnârat. *Et cùm juſſus eſſem per meipſum confeſſionem fidei dicere, &*
ced. Act. 1. *dixiſſem ſapere ſicut trecenti decem & octo Patres, qui in Nicæa ſanxerunt, & quæ in Epheſo ſancta Synodus confirmavit, exigebat* Flavianus *me aliqua alia, præter quæ expoſita ſunt in Nicæa & Epheſo priùs, dicere: Ego verò timens prævaricari prolatam definitionem à ſancta Synodo, quæ hic Dei volun-*

voluntate priùs congregata est, & ea, quæ definita erant de fide à sanctis Patribus, qui in Nicæa convenerant, rogabam innotescere sancto vestro Concilio. Eutycheti assiduè debuccinanti Nicenum Symbolum, & virus suum verbis ejus coaptanti, specialem professionis & abjurationis formulam præscripsit Flavianus, at versutus hæresiarcha provocavit ad hunc Canonem, sanctumque Flavianum accusat de ejus prævaricatione.

Hinc & Dioscorus Patriarcha Alexandrinus, hæresiarchæ fautor, & latrocinij Præses, eundem Canonem innovavit, Eutychetem damnatum absolvit, Flavianum autem tamquam Canonis prævaricatorem damnavit. Innovando Canoni Thalassius Cæsareensium in Cappadocia Primas ità est suffragatus: *Tenere omninò necessarium est sine aliquo additamento aut detrimento* Nicenam fidem, idque ob nostrum Canonem: *Quia hæc similiter nocere solent Regulæ pietatis.* Et Julianus Coensis Episcopus ac sancti Leonis Papæ Vicarius: *Hæc tenet Apostolica Sedes.* At verò sancti Flaviani damnationi Hilarus Romanæ Ecclesiæ Diaconus & Legatus constantissimè contradixit. Et jure merito. Flavianus enim antiquum Ecclesiæ morem secutus fuerat, nequaquam Canonem nostrum prævaricatus. Con. Chal. Act. 1.

Quantus fuerit ejusdem Canonis rigor, lucidè patet ex Synodo Chalcedonensi. Cùm enim post damnatos Dioscorum & Eutychetem, absolutum verò sanctum Flavianum, Magnificentissimi ac Gloriosissimi judices, Nicenum & Constantinopolitanum Symbolum professi, urgerent Synodum ad tandem edendum lasæ fidei restauratorium decretum, Reverendissimi Episcopi clamaverunt. *Expositionem alteram nemo facit, neque tentamus, neque audemus exponere. Sufficiunt quæ exposita sunt, alteram expositionem non licet fieri. In scriptis expositionem non facimus. Regula est, quæ prædicat sufficere, quæ sunt exposita.* Utique hæc nostra Regula Ephesina. Putabant Episcopi à Gloriosissimis judicibus aliud Symbolum, aut Niceni additamentum postulari. Hinc item de jam concepto fidei decreto clamantibus quibusdam Episcopis, *Sancta Maria Theotocos scribatur, in Symbolo sic addatur,* nequaquam acquievit Synodus; quin immò hunc nostrum Canonem in ipso fidei decreto rigidissimè innovavit. Act. 2.

Synodalis ad Marcianum Augustum Relatio meretur scribi aureis literis. Fusè agit adversùm illos, qui sancti Leonis Papæ dogmaticam Epistolam, nec non suum fidei decretum de nostri Canonis prævaricatione calumniabantur. Aliud esse dicit novum Symbolum conscribere, aut Niceno aliquid addere, aliud Nicenam fidem contra novos insurgentium hæreticorum errores synodaliter aut papaliter extra

Symbolum exponere: Hoc semper fuisse ac fore licitum, & à se & sancto Leone Papa factum, ideòque nullam esse vel speciem violati Canonis Ephesini. Legenda integra Relatio, verè dictata à Spiritu sancto.

Dicta Canonis mens liquidissimè patet ex Leonis Papæ tertij gestis & responsis ad Francos, contendentes de additamento vocis, *Filioq.* Græci olim sæpiùs à Romanæ Ecclesiæ communione sese segregârunt aut fuêre segregati, ejus tamen ritus aut dogmata erroris infamare vix fuêre ausi usque ad tempora Leonis Isauri, Imperatoris Iconoclastæ. Circa ejus tempora quispiam Joannes Monachus Hierosolymitanus resumpsit Nestorij ac Theodoreti errorem de Spiritu sancto, addens latinos, qui à Patre & Filio procedere dicerent, esse hæreticos. Quod Pippinus Francorum Rex, ejusque filius Carolus magnus istarum regionum orthodoxis sub jugo Saraceno gementibus per eleëmosynas ac alia fraternæ charitatis subsidia communicarent, erroris fama contagiosa serpsit in Franciam, factasque illic varias tunc Synodos, in quibus de sacris imaginibus ac sancti Spiritus processione cum Græcis disputatum fuit, testantur Abbas Regino, Eginardus, Sigebertus Gemblacensis, alijque rerum Francicarum scriptores.

Hinc ergò quidam Francorum Episcopi, plebem suam adversùs venenum munientes, cæperunt Symbolum Constantinopolitanum publicè in Ecclesijs ad Missarum solennia cantare, & quidem cum additamento vocis, *Filioque.* Ritus novus, quod fructum faceret, placuit & alijs Episcopis, ipsique Domino Regi, qui novitatem suâ auctoritate inducere non ausi, impetravêre licentiam à laudato Pontifice Leone, atque ità idem cantus sonare cæpit non tantùm in omni populari Ecclesia, sed & in Capella Palatina. Verùm cantandi dumtaxat, non addendi licentiam dederat Pontifex, graviter doluit & questus est de excessu, dixitque Romæ ad Francorum Legatos, Jesse Ambianensem, Bernarium Episcopum Wormatiensem, & Adalardum Abbatem Corbejensem. *Ego licentiam dedi cantandi, non autem cantando aliquid addendi, minuendi, seu mutandi. Quod verò asseritis ideò vos ità cantare, quoniam alios in istis partibus vobis priores audistis cantasse, quid ad nos? Nos enim id ipsum non cantamus, sed legimus, & legendo docemus, nec tamen legendo aut docendo addere quidpiam eidem Symbolo adserendo præsumimus. Quæ verò prædictis Symbolis fidei tantùm non congruentia deesse cognoscimus, non inserere præsumimus, sed locis temporibusque opportunis, quibus competit, ministrare curamus.* Assiduè inculcat Symbolo vel unam, licet de medio ad salutem necessario & ab omnibus etiam plebejs credendo, vocem inserere esse præsumptionem illici-

licitam, à Romanæ Ecclesiæ more & lege, nostra utique Ephesina, alienam: Ejusmodi puncta esse omninò tradenda populis, at extra Symbolum, quod à nemine tangi possit, tamquam sacrosanctum. Seriò Legatos hortatur ad attentati additamenti expunctionem, immò ad omissionem cantandi Symboli, si aliter illud expungi non possit.

At Franci non paruerunt. Quare indignatus Pontifex fecit, quod in ejus vita scribit Anastasius Bibliothecarius. *Pro amore & cautela orthodoxæ fidei fecit* in Basilica sancti Petri *scuta argentea duo, scripta utraque Symbolo, unum quidem literis Græcis, & aliud latinis*, eaque posuit ad latera sancti Petri, supremi Canonum custodis. Sanctus Petrus Damiani, & Petrus Lombardus falluntur posita fuisse ad altare sancti Pauli. Photius Ecclesiæ Constantinopolitanæ pervasor, Georgius Corcyrensis, alijque Græci schismatici Francos vocant hæreticos, Leonemque Pontificem laudant quasi secum de Spiritus sancti processione sentientem. At imperitè aut malignè. Neque enim de dogmate, sed de solo ritu fuit quæstio inter Francos & Pontificem, nolentem suo tempore violari Ephesinum Canonem, hactenùs religiosissimè à Romana & omni latina Ecclesia custoditum. Argenteas illas tabulas esse voluit Romanæ innocentiæ testes, & Francicæ præsumptionis damnatrices. Dialogus Græci cum latino de Azymis & processione Spiritus sancti addit de laudato Pontifice. *Per universas Ecclesias Romæ subiectas græcè recitari & cum cantu sanctum Symbolum præcepit.* Auctoris incogniti de latinorum à Græcis separatione tractatus jussum id dicit à Benedicto tertio, Leonis quarti successore, rursùm à Francis hæreticis vexato. At Græculi suo more fingunt, & de suo loquuntur.

L.3.Ep. 1. L.1.Dist. 11.

Canonis mentem lucidè item demonstrant nostrorum cum Græcis disputationes, factaque tandem unio in Synodo Florentina. Disputatum fuit, non tantùm an Spiritus sanctus à Patre & Filio procederet, sed etiam an vox, *Filioq;*, licet sancta & vera, Symbolo citra nostri Canonis prævaricationem potuisset inseri. Marcus Ephesiorum Primas, hostis noster implacabilis, utramque quæstionem duxit æquè principalem: Ob errorem de priore hæreticos, ob temeritatem circa posteriorem adserens nos à præsente Canone damnatos.

Canonem eleganter exponit Bessarion Archi Episcopus Nicenus: *Eundem honorem sortitum est Symbolum, quem & divina Scriptura, Patribus ipsis ità censentibus.* Sacram Scripturam per tomos, Epistolas, tractatus, professiones exponere licitum est cuivis Episcopo, at ejus corpori vel apicem unum aut iota inserere aut extrahere, graviùs est peccato ariolandi. Eandem igitur reverentiam Niceno Symbolo sancivit Ephesina Sess. 4.

Synodus, vocem, *Deipara*, adeò tunc necessariam stabiliens quidem in regulam, at Symbolo, quod poterat non minùs quàm Constantinopolitana, non inferens, ne ipsa suum Canonem prævaricari aut parvi pendere videretur. Tantæ reverentiæ caussam adducit idem Bessa-
Sess. 8. rion: *Sacrum Symbolum in Ecclesia obtinet locum principij*, proximi post Scripturam. Et in hoc tandem consensit utraque Ecclesia, latinaque ostendit vocem, *Filioq.*, esse apud se legitimâ & caussâ & potestate additam, ideòque immunem à Marci Ephesij calumnijs, de quibus omnibus plura suo loco.

Dictis nostris quædam possunt opponi. Etenim Ruffinus Presbyter in Symboli expositione scribit ad Laurentium Episcopum, quod omnes penè Orientales Ecclesiæ mutârint caput ipsius Apostolici Symboli, dicentes, non *Credo in Deum Patrem*, sed *Credo in unum Deum Patrem*. Item *Et in unum Iesum Christum*: Originale namque Symbolum non habuit vocem, *unum*. Ad voces, *Deum Patrem omnipotentem*, quædam Ecclesiæ addiderunt voces, *Impassibilem ac invisibilem*, de quibus idem Ruffinus. *Sciendum, quod duo isti sermones in Ecclesia Romana Symbolo non habentur. Constat autem apud nos additos, hæreseos caussâ, Sabellij illius profectò, quæ à nostris Patripassiana appellatur, id est, quæ & Patrem ipsum vel ex Virgine natum dicit & visibilem factum esse, vel passum affirmat in carne. Vt ergò excluderetur talis impie-*
Lib. 1. *tas de Patre, videntur hæc addidisse Maiores.* Et in libris invectivarum in sanctum Hieronymum scribit de Ecclesia Aquilejensi. *Cùm omnes Ecclesiæ ità Sacramentum Symboli tradant, ut postquam dixerint,* PECCATORUM REMISSIONEM, *addant,* CARNIS RESURRECTIONEM, *sancta Aquileiensis Ecclesia addit unius pronominis syllabam, & pro eo, quod cæteri dicunt,* CARNIS RESURRECTIONEM, *nos dicimus,* HUIUS CARNIS RESURRECTIONEM: *Quo scilicet frontem, ut mos est, in fine Symboli signaculo contingentes, & carnis huius videlicet, quam contingimus, resurrectionem fatentes, omnem adversùm nos venenata lingua calumniandi aditum præstruamus.* Ità ostendit Ecclesiam Aquileiensem, adeòque & se illius ex sancto fonte filium, esse remotissimos ab Origenis deliramentis de carnis resurrectione. Aperit & antiquum morem, morisque caussam, ex quâ olim fideles ad undecimum Apostolici Symboli articulum solebant crucis signaculo frontem insignire.

Clerus item Constantinopolitanus in libello contestatorio adversùs Nestorium Episcopum suum, exstante inter acta Synodi Ephe-
L. 1. c. 13. sinæ, scribit de Ecclesia Antiochena. *Illa non alium & alium Filium agnoscit, semperque agnovit, sed unum eundemque. Nam inter cætera ità concionatur:* DEUM VERUM DE DEO VERO, CONSUBSTANTIALEM

PA-

PATRI, PER QVEM SAECVLA CONSTITVTA, ET OMNIA FACTA SVNT. Niceno igitur Symbolo addit voces, *Per quem sæcula constituta.* Omisit verò vocem, *De cælis*, legitque simpliciter, *Descendit.* Plura ejusmodi additamenta adduxi, suprà ad Symbolum Constantinopolitanum. Et Eutychianis Ægyptiorum Episcopis, adversùm facta per Synodum Constantinopolitanam additamenta declamantibus, respondit in Synodo Chalcedonensi Diogenes orthodoxus Episcopus Cyzicenus ea esse contra Macedonium atque Apollinarium facta, & omninò licuisse. Et adversùs ipsum Hæresiarcham Eutychem, qui in Ephesino latrocinio hunc nostrum Canonem Ephesinum urserat adversùs S. Flavianum Episcopum suum Constantinopolitanum, respondit Eusebius Episcopus Doryleensis. *Mentitus est: Non est talis definitio, non est regula hoc præcipiens.* Hunc nostrum Canonem dicit esse supposititium & fictum. Quod Eusebij dictum in Florentina Synodo adduxit etiam D. Cardinalis Julianus. Act. 1.

Respondeo hæc omnia additamenta facta fuisse ante hunc nostrum Canonem, ideòque nobis non adversari. Noster namque Canon primus additamenta interdixit, tantamque sanxit reverentiam Symbolo Niceno. Eusebio autem Dorilæensi respondit in Synodo Chalcedonensi Dioscorus Patriarcha Alexandrinus. *Quatuor Codices sunt, qui eam definitionem continent. Quod definierunt Episcopi, non est definitio? Nunquid habet, quia regula est? Non est regula. Aliud est regula, aliud definitio. Accusa quinque Synodicos codices. Et ego habeo, & ille, & ille habent; proferant omnes codices.* Mutilum ergò codicem habuit Eusebius: Forsàn ex caussa tali, ex quali Canones Chalcedonenses fuisse Cappadocibus ignotos scribit ad Leonem Augustum in literis post Synodum Chalcedonensem exstantibus Alypius Primas Cæsareensis. Act. 1. Epist. 50.

EPHESINI CONCILII DECRETVM.

De Ecclesia Cypriorum.

SAncta Synodus dixit: Rem, hanc quæ præter ecclesiasticas constitutiones & sanctorum Patrum Canones innovatur, & omnium libertatem attingit, annuntiavit pijssimus Episcopus Rheginus, & qui cum eo pijssimi Episcopi Provinciæ Cypri Zenon & Evagrius. Undè quoniam communes morbi maiore egent remedio, eo quod maius damnum adfe-

ferant; si non est vetus mos, quod Episcopus Antiochenus ordinet in Cypro, sicut libellis & propriis vocibus docuerunt religiosissimi viri, qui ad sanctam Synodum accesserunt, habebunt ius suum intactum, & inviolatum, qui sanctis in Cypro Ecclesiis præsunt, secundùm Canones sanctorum Patrum & veterem consuetudinem, per seipsos ordinationes religiosissimorum Episcoporum facientes. Istud autem etiam in aliis Diœcesibus, & in omnibus Provinciis servetur, ut nullus piissimorum Episcoporum aliam Provinciam occupet, quæ anteà & ab initio sub sua, vel antecessorum suorum potestate non fuerit: sed & si quis occupaverit, vel per vim sibi subegerit, ipsam restituat, ne Patrum Canones prætereantur, neve sub Sacerdotii prætextu mundanæ potestatis fastus irrepat, ne clam paulatim libertas amittatur, quam nobis donavit sanguine suo Dominus noster Iesus Christus, omnium hominum liberator. Placuit igitur sanctæ & œcumenicæ Synodo, ut unicuique Provinciæ pura & inviolata, quæ iam indè ab initio habuit, sua iura serventur, iuxta veterem consuetudinem; & liberum sit cuique Metropolitano actorum exempla ad suam securitatem excipere. Si quis autem veterem typum contempserit, pœnam non effugiet: & si quis his, quæ nunc decreta sunt, pugnantes litteras attulerit, irritas esse decrevit sancta & universalis Synodus.

SCHOLION.

PAtriarchæ Antiocheno sanctus Petrus Apostolus quoad judicia & ordinationes subjecit quindecim Orientalis Diœceseos Provincias, quarum una fuit omnìnò Cyprus. Ità fuisse usque ad Synodum Nicenam, docet Canon sextus. Apostolicum Patriarchæ jus concutere ex schismatis Eustatiani occasione cæpit Ariana rabies, Divi-

Divini atque humani ordinis perturbatrix, exstinctoque schismate scribit ad Alexandrum Patriarcham Innocentius primus Pontifex. *Cyprios asserit olim Arianæ impietatis potentiâ fatigatos non retulisse*, spernentes *Nicenos Canones in ordinandis sibi Episcopis, & usque adhuc habere præsumptum, ut suo arbitratu ordinent, neminem consulentes. Quocircà persuademus eis, ut curent, iuxta Canonum fidem, fidem catholicam sapere, atque unum cum cæteris sentire Provincijs, ut appareat sancti Spiritus gratia ipsos quoque, ut omnes Ecclesias, gubernari.* Patriarchalis quoad subditorum Episcoporum consecrationem potestas consistit præsertim in duobus: ut Metropolitas evocet ad suas manus, ordinetque proprijs manibus, Provinciales autem Episcopos permittat ordinari à Metropolitis, verùm ad suam præviam licentiam, examen, & confirmationem. Primùm sub dicto schismate manserat Ecclesiæ Antiochenæ ferè inconcussum, secundum violatum erat à cunctis pænè Metropolitis, arbitratu suo suffraganeos ordinantibus: Soli Cyprij utrumque excusserunt, transfusâ in Metropolitam suum plenâ libertate & autocephaliâ. Eam hisce literis exufflat Pontifex, illosque cogit ad plenam ex more antiquo subjectionem. Epist 18. c.2.

At illi non obediverunt, nec item juri suo defuit Ecclesia Antiochena. Antiquæ libertatis possessionem firmare conati sunt violenter, at pacificam non potuerunt facere. Etenim in ordinatione Sabini, & Troili, qui in Metropolim Constantiensem seu Salaminensem successerunt sancto Epiphanio, popularis seditio ad manus & effusum sanguinem devenit, quod Ecclesiæ Antiochenæ Emissarij semper adessent, suscitarentque ejusmodi tragedias. Ephesina interim indicitur Synodus, moriturque Troilus Metropolita. Hìnc ad alia consilia se vertit Joannes Patriarcha Antiochenus. Conciliat sibi magnificentissimum Comitem Dyonisium, Ducem Dioceseos Orientalis, persuasum omnes istic Provincias subijci Patriarchæ in sacris, quomodò subijciuntur Duci aut Prætorij Præfecto in rebus humanis. Pro jure suo appellat ad Synodum, ad ejus usque judicium mandans hærere suspensa omnia: laudatus item Dux laicam brachij sui opem adjunxit, Clero Constantiensi novi Metropolitæ electionem & consecrationem rigidissimè interdixit, illustrissimo viro Theodoro Provinciæ Præsidi interdicti observantiam delegans, cui accessit & Ecclesiæ Antiochenæ Diaconus cunctis agendis sedulò invigilaturus. Verùm nec hanc omnem paraturam Cyprij curaverunt: Elegerunt & consecrârunt Rheginum Metropolitam, miseruntque ad Synodum unà cum Zenone Curiensi & Evagrio Solensi Episcopo, Ecclesiæ suæ dignitati constanter adfuturum.

Rhe-

Rheginus itàque Metropolita constanter adfuit Synodo, adduxit Canones Apostolicos, antiqua Ecclesię suę privilegia, sextumq; Canonem Nicenum, *Suis privilegia serventur Ecclesiis*. Utique illa, de quibus ejusdem Canonis exordium: *Servetur antiqua consuetudo*. Ecclesiarum quippè privilegia passim aliud non sunt, quàm vetustæ consuetudines, ab Apostolis præsertim plantatæ atque inductæ. Hìnc addidit Zenon Episcopus Curiensis. *A sanctis Apostolis nunquam possunt ostendere, quod adfuerit Antiochenus, & ordinaverit, vel communicaverit unquam insula ordinationis gratiam, neque alius quisquam.* Et infrà. *Numquam vel adfuit, vel ordinavit, neque in Metropoli, neque in alia civitate, sed Synodus nostra Provinciæ congregata constituebat Metropolitam*: Qui constituendi seu Metropolitæ promovendi modus est proprius character Autocephaliæ. Etiam S. Epiphanium asseruit ità ordinatum. Esse dicit perpetuam & Apostolicam Insulæ consuetudinem, instat stabiliri ex sexto Niceno Canone, *Nullamque in insula fieri novitatem*. Eodem modo Africanis Episcopis, ad quintum & sextum Nicenos Canones provocantibus, dixit in sexta Carthaginensi Synodo Faustinus, Episcopus Potentinus ac Sedis Apostolicæ Legatus, *aliud esse dictorum Canonum constitutionem, aliud consuetudinem, quia aliqua ordine & Canone tenentur, aliqua consuetudine firmata sunt*, ideòque *de his primitùs tractandum*. Qui, inquam, Ecclesiæ suæ privilegia seu consuetudines firmari postulat, opus est, ut eas primitùs ostendat. Synodo nostræ ostenderunt, aut potiùs ostendere visi sunt Rheginus Metropolita ac ejus laudati suffraganei, atque ità hocce decretum impetravêre.

Dico, *Ostendere visi sunt*. Eos enim Synodo obrepsisse ostendunt supra laudatum Innocentij primi decretum, subsecuta oppositio Ecclesiæ Antiochenæ, ac inter ipsam & Cyprios tandem initum & in Canonibus Arabicis expressum concordatum, cui suus erit dicendi locus. Quod Joannes Patriarcha Antiochenus Nestorio faveret, turbisque impleret omnia, Synodus in ejus Ecclesiam fuit iniquior.

CANONES
CONCILII EPHESINI.
PROŒMIVM.

CVm essemus Ephesi secundùm pias Imperatorum literas congregati, defecerunt quidam à nobis numero paulò plus triginta, defectionis suæ antesignanum Ioannem Antiochenum Episcopum habentes. Horum nomina hæc sunt. Primus ipse Ioannes Antiochiæ Syriæ Episcopus, Ioannes Damasci Episcopus, Alexander Apameæ, Alexander Hierapolis, Himerius Nicomediæ, Fritilas Heracleæ, Helladius Tarsi, Maximus Anazarbi, Dorotheus Marcianopolis, Petrus Traianopolis, Paulus Emisæ, Polychronius Heracleopolis, Eutherius Tyanensium, Meletius Neocæsariensis, Theodoretus Cyri, Apringius Chalcidis, Macarius Laodiceæ magnæ, Zosys Esbuntis, Sallustius Coryci Ciliciæ, Hesychius Castabalæ Ciliciæ, Valentinus Mutloblacæ, Eustachius Parnassi, Philippus Theodosiopolis, Daniel, & Dexianus, & Iulianus, & Cyrillus, & Olympius, & Diogenes, & Palladius, Theophanes Philadelphiæ, Tarianus Augustæ, Aurelius Irenopolitanus, Musæus Aradi, Helladius Ptolemaidis. Hi nullam omninò Ecclesiasticæ communionis facultatem habentes, ut ex auctoritate sacerdotali cuiquam nocere, vel prodesse possint, propterea quod etiam quidam ex ipsis sunt depositi, cum primis Nestorij, & Celestij se-

sequi sententias manifestè ex eo sunt deprehensi, quod Nestorium nobiscum condemnare noluerunt: quos sancta Synodus communi decreto ab omni Ecclesiastica communione alienos esse statuit, & omnem sacerdotij efficaciam illis ademit, per quam aliquibus vel nocere, vel prodesse poterant.

SCHOLION.

IOannes Patriarcha Antiochenus, non caussæ, sed personæ Nestorianæ fautor, seriùs venit ad Synodum, comitatus non tantùm suæ Diœceseos Episcopis, sed & quibusdam latinis Pelagianis, per Celestinum Pontificem è sede sua & toto Occidente ejectis, & ab his seductus egit varia tanto Episcopo indigna. Nestorianæ caussæ & personæ damnationem canonicè à Synodo factam sprevit, S. Cyrilli capitula de Apollinarij hæresi damnavit, confirmari permisit errorem Pelagianum, sanctum Cyrillum & Memnonem Ephesiorum Episcopum abjecit ad laicos, jussitque carcerari à Joanne Sacrarum largitionum Comite, novis Cælestini Pontificis ad hæc dissidia componenda legatis noluit parere, sed nemine salutato ad propria redijt cum suis Episcopis, facturus pejora per omnem suum Patriarchatum. Quæ prævidens, & hosce jam non Episcopos, sed in ferocissimam rabiem actos orthodoxi gregis lupos exarmare & dentibus truncare volens sancta Synodus, christianâ communione privavit, addiditque Canones sequentes. Ad hoc Proœmium alludunt Monachi Orientales in libellis suis exhibitis Agapeto Papæ & Justiniano Principi, lectisque in Synodo Constantinopolitana sub Mennâ Patriarcha, quibus Anthymum, Severum, Petrum, Zoaram, Acephalorum Principes, & orthodoxorum crudeles persecutores, rogant nudari dignitate & efficaciâ Episcopali.

CANON PRIMVS.

QVoniam autem oportebat & absentes à sancta Synodo, morantesque in urbibus & provincijs ob aliquod impedimentum, sive ecclesiasticum sive corporeum, non ignorare quæ de ipsis sunt constituta; significamus Sanctitati vestræ ac Dilectioni, ut si quispiam Metropolita Provinciæ, derelicta

san-

ſanctâ & œcumenicâ Synodo, aut acceßit ad illorum defectionis conſeſſum, aut accedet in poſterum, ſive cum Celeſtio ſenſit aut ſētiet, ipſe nihil amplius poterit agere adverſùs Provinciæ Epiſcopos, ut qui iam indè à Synodo totius Eccleſiaſticæ communionis expers ſit factus & prorſùs inutilis, ſed & ipſis Epiſcopis illius Provinciæ, circumque vicinis Metropolitis recta ſentientibus, ſubiacebit, ut omninò deiectus ſit à ſede Epiſcopatus.

CANON II.

SI qui autem Provinciales Epiſcopi à ſancta Synodo abfuerunt, & deficientibus adhæſerunt, aut adhærere tentaverint, vel etiam poſtquàm ſubſcripſerunt Neſtorij depoſitioni, rurſùs ad defectionis conſenſum recurrerunt: Iſtos placuit ſanctæ Synodo penitùs alienos eſſe â ſacerdotio, & à gradu cecidiße.

SCHOLION.

GEneralis Synodus ſolet eſſe unanime judicium omnium trium Patriarcharum: At verò in hac Synodo Joannes Antiochenus ſchiſma fecit jam dictum, eratque domum redux Epiſcopos ſuos, qui non adfuerant, omnemque Synodi auctoritatem omni conatu & arte circumſcripturus. Huic malo Canon iſte uterque occurrit. Et jure merito. Rectè enim in octava Synodo dixit Baſilius Auguſtus ex unius Patriarchæ iniquitate aut lapſu non vitiari Synodum, dummodò firmus ſtet, qui labi non poteſt, omnium caput & lumen, Romanus.

Metropolitam, nullumque generaliter ſuperiorem poſſe judicari à ſubditis, ſtatuit ſextus Canon Nicenus: vetat & quævis judicia peregrina. Hic Canon exceptionem facit aut oſtendit, dum eſt cauſſa criminalis de læſa fide: Tunc enim Metropolita à ſubditis Epiſcopis, & vicinis Metropolitis orthodoxis poteſt omninò judicari & damnari. Ità in quinta ſua Synodo dixit Symmachus Pontifex eſſe antiquum Romanæ Eccleſiæ Canonem, ut Epiſcopus à ſubdito non poſſit criminaliter accuſari: *Niſi tamen à recta fide exorbitaverit.*

CANON III.

SI qui verò Clerici in singulis urbibus aut regionibus à Nestorio, & cum eo conspirantibus, sacerdotio prohibiti sunt, quod rectè sentirent; iustum putavimus hos quoque proprium gradum recipere. In summa autem Clericos orthodoxæ & œcumenicæ Synodo consentientes iubemus eis, qui defecerunt aut defecturi sunt, Episcopis nullo pacto aut ratione subiectos esse debere.

CANON IV.

SI qui autem Clericorum defecerint, & ausi fuerint vel privatim vel publicè, quæ sunt Nestorij aut Celestij, sapere, sancitum est à sancta Synodo, istos quoque depositos esse.

SCHOLION.

COnstantinopolitanæ Ecclesiæ Clericos, novis Nestorij Episcopi sui prædicationibus resistentes, fuisse ab illo excommunicatos, degradatos, pessimè tractatos, ostendit eorum libellus contestatorius, per quem toti mundo ostendunt illum delirare antiquas & damnatas nugas Pauli Samosatensis. Fuisse etiam civitate ejectos testatur sanctus Celestinus Pontifex in literis ad Nestorium, & addit.
L 1. Con. Eph. c. 18. *Lætamur eos præmium confeßionis acquirere, sed dolemus quod Episcopo persequente.* Undè illos ab omni ejusmodi, non sententiâ aut vinculo, sed contumeliâ & convicio liberat, accipitque in suam communio-
C. 19. nem & protectionem. Ejusmodi excommunicationes esse quandam Martyrij speciem adserit, & S. Athanasij exemplo confirmat in literis ad Clericos illam patientes. Quę omnia stabilit & præsens Canon. Hæreticorum Episcoporum præsumptiones ejusmodi in orthodoxos subditos laudati superiùs Monachi Orientales, in libellis Justiniano Augusto datis adversùs Anthymum Trapezuntis Episcopum, eleganter vocant anathematizationes audientium aures & aërem inquinantes. Et sanctus Augustinus scribit in libris de Baptismo adversùm Dona-
L. 1. c. 17. tistas de quavis excommunicatione injusta. *Spiritales, sive ad hoc ipsum pio studio proficientes, non eunt foras. Quia & cum aliqua vel perversitate*

vel

vel necessitate hominum videntur expelli, ibi magis probantur, quàm si intùs permaneant, cùm adversùs Ecclesiam nullatenùs eriguntur, sed in solida unitatis Petra fortissimo charitatis robore radicantur.

CANON V.

QVicumque autem ob turpia gesta sunt à sancta Synodo condemnati, vel à proprijs eorum Episcopis, quibus præter Canones Nestorius, qui nullum rerum discrimen habebat, & qui cum illo eadem sentiunt, restituere conati sunt gradum vel communionem, aut conabuntur, istos censuimus nihil profecisse, & manere, & esse nihilominùs depositos.

CANON VI.

SImiliter autem & si qui velint ea, quæ de singulis per sanctam Synodum Ephesinam gesta sunt, quocumque modo movere; sancta Synodus ipsa decrevit, si quidem Episcopi aut Clerici fuerint, eos omninò à proprio cadere gradu; si verò laici, excommunicatos esse.

EPHESINI CONCILII DECRETVM De Eustatio, Pergensi Episcopo, Pamphyliæ Metropolita.

Cùm divinitùs inspirata Scriptura dicat, SINE CONSILIO NIHIL FACIAS, *eos in primis, qui sacro aliquo in munere versari volūt, magnâ diligentiâ, omniq; studio in id incumbere oportet, ut in omnibus rebus administrandis, agendisq; summa adhibeatur consideratio. Nam ijs, qui sic vivere volunt, in optima spe res eorum sitas esse, & veluti secundo cursu, quæ optant, succedere contingit. Et sanè hæc non parùm rationi consentanea est oratio. Verum interim solet incidere*

ali-

aliquando asper, ac intolerandus dolor, qui mentem humanam tamquam subitò aliquo fulminis percellat impetu, itàque eam perturbatam, perversamque reddat, ut & ab utilium, honestorumq; indagatione abducatur, & ad ea, quæ naturâ ad lædendum sunt comparata, specie bonitatis persequenda impellatur. Tale quiddam sanctissimo illi religiosissimoque viro Eustathio contigisse cognovimus. Ritè enim ac secundùm Canones, ut omnium testimonio probatur, electus est. Posteà verò cùm in tumultum à nonnullis, ut dicit, pertractus esset, subitisq; ac insperatis undique malis circumseptus (cùm usum in rebus gerendis admodùm exiguum haberet,) sustinere tam multas, tamque graves, quæ ei incumbebant, curas non vellet, nec refutare eorum, qui ipsum adorirentur, maledicta, cùm posset; recusationis & abdicationis obtulit nescio quo pacto libellum: quum contrà oportebat eam, quam semel fidei suæ sacerdotalem curam commissam habuerat, fortitudine spiritali tenere, labores subire, ac animo volenti sudorem, cui merces proposita est, sustinere. Quæ diligentia quoniam in hoc apertè desiderata fuit (id tamen ex exiguo rerum usu potiùs, quàm ex ignaviæ, desidiæq; vitio) non levi equidem causâ, quæ vestra pietas est, memoratum Dei amantissimum fratrem nostrum, ac in Episcopali dignitate collegam, Theodorum eligere compulsi estis, qui curam Ecclesiæ subiturus sit. Indignum quippè fuisset, viduam manere Ecclesiam; indignum Pastore carere Salvatoris nostri ovilia. Quoniam ergò flens rogatum venit Eustathius, cum sanctissimo Theodoro Episcopo non de civitate recipienda, non de Ecclesia decertans, sed solum Episcopalis nominis honorem ac vocationem expetens: hominis

nos

nos senectus sanè commovit universos; nec ut privatas eius lacrymas, sed tamquam communes reputantes, inquirere studuimus, legitimamne passus esset memoratus vir depositionem, an de absurdis factis dictisve convictus esset, obtrectantibus nonnullis adversùs ipsius existimationem: Statimq; reperimus hominem nihil huiusmodi perpetrasse, sed potiùs illi pro crimine recusationem officij vitio datam fuisse. Vndè neque pio vestro studio succensuimus, quo in illius locum convenienter prædictus reverendus Episcopus Theodorus suffectus est: sed quia adversùs eius animum à negotijs gerendis remotum non admodùm decertare oportuit, sed miserari potiùs senem, qui procul ab urbe, in qua natus fuerat, & à patrijs ædibus tamdiu abfuisset, iustum, rectumque esse definimus, ut absque omni contradictione & nomen retineat Episcopi & honorem, & communionem: eâ tamen lege, ut neque ordinandi ipse auctoritatem habeat, neque ubi in illam Ecclesiam venerit, ex propria sacrificet auctoritate, nisi id sibi vel adiuvandi causâ, vel concessionis ratione, affectu, amoreque Christiano à fratre & Coepiscopo, si ità contigerit, liberaliter deferatur. Quod si vos de eo melius consilium aut nunc explicare potestis, aut in posterum explicare studebitis, gratum id etiam, acceptumq; sanctæ Synodo futurum est.

S C H O L I O N.

ALiud est Episcopatum electione delatum recusare, aliud jam admissum & manus impositione firmatum deponere. Primum, licet non semper admiserit, semper tamen laudavit Ecclesia, dùm præsertim nimia contumacia non accessit. Laudamus non solummodò Sanctos Cyprianum, Athanasium, Ambrosium, Gregorium magnum, & id genus plurimos, qui electi sese occultaverunt, sed & Ammonium Monachum, qui se, irregularem facturus, aure-

trun-

L.8. c.19. truncavit, minatus truncare & linguâ. Nilamnon Monachus, qui pro evadendo Episcopatu mortem postulavit atque obtinuit, insigniter laudatur ab Hermia Zozomeno, testante defunctum etiam coruscasse miraculis. Scio ejusmodi recusatores fuisse quandoque violenter coa-
Zozom. ctos. Etenim Valens Augustus Moysen Monachum, à Saracenis po-
L.6.c.38. stulatum Episcopum, fugientem jussit per milites comprehendi, & ordinandum deduci ad Patriarcham Alexandrinum. Et de Africanarum Ecclesiarum Electis ad Donatum Presbyterum Donatistam scri-
Epist. 204. bit Augustinus. *Multi, ut Episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur multa quæ nolunt, donec eis adsit voluntas suscipiendi operis boni.* Antequàm eis Electionis decretum insinuaretur, apprehensi tradebantur custodiæ, quasi in vinculis deducendi ad manus Primatis consecraturi. Hinc primus Fussalensis Ecclesiæ Electus in ipso consecrationis puncto malè custoditus
Epist.261. aufugit, sanctusque Augustinus fuit coactus ei supponere infælicem illum Anthonium. Et Bassianus primò Evazorum, deindè Ephesiorum Episcopus ad Synodum Chalcedonensem dicit de Memnone
Act. 11. Ephesiorum Episcopo, suo consecratore. *Memnon immisit manus suas, ut me ordinaret Episcopum Evazorum, & hoc fecit. Ego autem non acquiescebam, sed ab hora tertia usque ad sextam coram altari me plagis afflixit, & sanctum Evangelium & altare sanguine est impletum.* At ejusmodi violentias, quod spirituale matrimonium nequeat nisi à volentibus
Epist.2. iniri, in literis ad Joannem Ravennæ Archi-Episcopum damnat, ac deinceps fieri vetat Simplicius Pontifex, exstatque in Codice Theo-
Novel. 12. dosiano Novella Valentiniani tertij Augusti, latum quempiam circa id tempus à Romana Ecclesia Canonem confirmans, de non ordinandis invitis.

At verò legitimè semel admissi Episcopatus deponendi ratio est longè alia. Nonnulli, quos in literis ad Nicolaum secundum Pontifi-
L.1. Ep.4. cem refutat sanctus Petrus Damiani, dixêre ex nulla caussa posse deponi, ejusque vinculum esse jure Divino indissolubile, ducto argumento à matrimonio carnali ad spirituale. Fatetur laudatus Petrus deponi non posse, nisi ex caussa admodùm momentosa. Ad Rusticum Archi-Episcopum Narbonensem scribit sanctus Leo magnus Ponti-
Epist.92. fex. *Miror Dilectionem tuam in tantùm scandalorum quâcumque occasione nascentium adversitate turbari, ut vacationem ab Episcopatus laboribus optare te dicas, & malle in silentio atque otio vitam degere, quam in his, quæ tibi commissa sunt, permanere.* Ei in faciem refricat verbum Apostoli, dictum specialiter Episcopis: *Omnes, qui volunt piè vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* Non tantùm à gentilibus per ignem, ferrum,

ferrum, aut quævis supplicia, sed etiam à falsis fratribus per *dissimilitudines morum, contumacias inobedientium, & malignarum tela linguarum.* Et hinc sanctus Thomas Cantuariensis nullâ prece aut suasu induci potuit, ut Episcopatum deponeret ad placandum Regem Ecclesiasticæ libertati adversum, dandamque pacem toti Ecclesiæ Anglicanæ. Deponere erat paratissimus, nam & non ità pridem ex alia caussa deposuerat resignato annulo in manus Alexandri tertij Pontificis: Erat, inquam, & modò paratus, at post Ecclesiæ dignitatem è Regis manu & animo vindicatam. Rectè enim apud sanctum Prosperum in libris de vita contemplativa dicit Julianus Episcopus fluctuantis pelagi formidinem excutiendam ab Episcopis, & spe perveniendi conceptâ, creditam Ecclesiæ navem usque ad portum sine ulla mercium jactura perducendam. Imitatus est Thomas S. Cyprianum, qui Episcopatum, adversâ penitùs mente susceptum, generosissimè postmodùm contra quinque Ecclesiæ suæ Presbyteros, ejus acerrimos impugnatores, etiam in Romano judicio defendit, tenuitque usque ad mortem. Quin immò sanctum Petrum Damiani, quod etiam post compositas Romanæ Ecclesiæ afflictiones Episcopatum Ostiensem & Cardinalatum deposuisset, graviter culpavit Cardinalis Hildebrandus, postmodùm Papa Gregorius septimus, nullasque admisit apologias. Et hoc etiam fuit delictum Eustatij Metropolitæ Pergensis, quem meritò Synodus noluit reponere in sedem & potestatem.

L. 1. c. 16.

Rectè tamen illi, pusillum animum, senium, & varias afflictiones miserata, reliquit aut potiùs reddidit Episcopale nomen, dignitatem, communionem. Quod namque solius sedis, retentâ dignitate, renunciatio ex tunc in Ecclesiarum usu fuerit, docet nos in Theodori Lectoris Collectaneis Martyrius Patriarcha Antiochenus, renuncians in hæc verba: *Clero immorigero, & populo rebelli, & Ecclesia contaminata renuncio, servatâ mihi interim Sacerdotij dignitate.* De cujus renunciationis effectu apud Gregorium nonum videatur Rescriptum Innocentij tertij Pontificis ad Episcopum Faventinum. Ex hoc nostro item decreto Lateranensis sub laudato Pontifice Synodus videtur desumpsisse Canonem, quo Episcopus cedendi licentiam postulans & obtinens resilire non sinitur, sed cogitur ad cedendum.

L. 1.

L. 1. Tit. 9. c. 11.

DECRETVM
De Messalianis.

VEnientes ad nos pientissimi & religiosissimi Episcopi Valerianus, & Amphilochius, proposuerunt in communi considerandum de Messalianitis, hoc est, Euchetis vel Enthusiastis, qui in Pamphylia versantur, vel quocumque nomine contaminatissima haeresis vocatur. At nobis considerantibus attulit pientissimus & religiosissimus Episcopus Valerianus schedulam Synodicam de illis compositam in magna Constantinopoli sub beatae memoriae Sisinnio: quae ubi lecta, ab omnibus probata est, quod benè sit condita, rectèque habeat. Et placuit nobis omnibus & pientissimis Episcopis Valeriano & Amphilochio, & omnibus Pamphyliae & Lycaoniae Provinciarum pientissimis Episcopis, ut omnia, quae in synodica charta contenta, robur habeant, & nullo modo praetereunda; ut solida sint & ea, quae in Alexandria acta sunt; ità ut omnes, qui per universam Provinciam haeretici Messaliani vel Enthusiastae sunt, vel de eius haereseos morbo suspecti, sive Clerici, sive laici sint, conveniantur: & si quidem anathematizaverint iuxta ea, quae in praedicta Synodo scripto pronuntiata sunt, in scriptis, si Clerici fuerint, maneant Clerici; si laici, ad communionem admittantur. Quod si renuerint anathematizare; si Presbyteri vel Diaconi fuerint, vel in alio quopiam gradu Ecclesiae, excidant & à clero & à gradu & à communione: Laici verò anathematizentur. Convicti quoque non permittantur habere monasteria, ut ne zizania diffundantur & crescant. Haec ut sic agantur, omnes

nes vires intendant pientissimi Episcopi Valerianus & Amphilochius, cæteriq́ reverendissimi totius Provinciæ Episcopi. Vndè ad hæc placuit, librum pollutum illius hæreseos, qui dicitur Asceticon, anathematizari, quem attulerat religiosissimus & pientissimus Valerianus, utpotè ab hæreticis compositum. Similiter si quid illorum impietatem sapiens apud plerosque inveniatur, etiam hoc anathema sit. Prætereà dum conveniant, quæ utilia & necessaria ad concordiam & communionem & dispensationem, manifestè scriptis commendentur. Si autem quæstio oborta de his, quæ in hoc negotio sunt, & si quid difficile & ambiguum fuerit, quod pientissimis Episcopis Valeriano & Amphilochio, cæterisq́ per totam Provinciam Episcopis, *non probatur, admotis scriptis omnia excutere debent. Et si relicti fuerint pientissimi Episcopi vel Lyciorum, vel Lycaoniorum; non relinquatur tamen Metropolitanus, Provinciæ cujuscumque fuerit. In commentarios hæc referenda, ut si qui opus habent ijs, inveniant, quo etiam alijs ea diligentiùs exponant.*

S C H O L I O N.

MEssaliani Syriacè, latinè Precatores, græcè Euchetæ, Psalliani, Adelphiani, Enthusiastæ sunt ejusdem erroris pessimi diversa nomina. Cur Euchetæ seu Precatores dicantur; caussam dat sanctus Augustinus in libro de hæresibus. *Tantùm orant, ut eis, qui hoc de illis audiunt, incredibile videatur.* Ad literam implere volunt Domini Verbum: *Oportet semper orare, & non deficere.* Cur dicantur Enthusiastæ seu Spiritu adflati, edisserit Theodoretus. *Vim dæmonis cuiusdam in animos suos admittunt, eamq́ Spiritus sancti præsentiam arbitrantur:* Quomodò hodie nostri Anabaptistæ, ac Suencfeldiani, qui sese dicunt cælestes Prophetas. Addit in quarto libro hæreticarum fabularum. *Alia multa faciunt, quæ phrenesim arguunt. Nam & repentè saltant, & super dæmones se saltasse iactant, & digitis sagittantium speciem præferunt, in dæmones se iaculari affirmantes. Et alia pleraque agunt simili fu-*

C. 57.

L. 4. c. 10.

rore plena. Deindè *à dæmone, qui eos agitat, decepti revelationes se vidisse perhibent, & futura prædicere conantur; rebus autē ipsis mentiri convincuntur.* Eos idē Doctor sub Valentiniano & Valente Augustis, Epiphanius sub Constantio dicit ortos, suo autem tempore sparsos per regiones varias sine principio, fine, capite, radice, & addit. *Simul permixtim viri cum mulieribus, & mulieres cum viris in eodem loco dormiunt, in vicis & plateis æstatis tempore, eò quod non habent possessionem, ut inquiunt, in terra. Cæterùm de turpitudine aut libidine non valdè possum scire: verumtamen neque ab hac absunt, præsertim cùm simul in communi dormiant viri ac mulieres.* Fuisse longè fædissimos, apud Photium in Bibliotheca scribit Gerontius Presbyter & Archimandrita ad Alypium Archi-
L. 51. Episcopum in Cappadocia Cæsareensem. Erat Monachorum genus de Manichæi Persæ prava radice ortum in Mesopotania, ex malè intellecto Evangelico consilio de renunciandis terrenis possessionibus: Hoc namque consilium est prima Monachorum origo, quos ideò antiquitas passim appellavit *Renunciantes.*

Primus itàque Messalianorum error docet abdicanda bona temporalia, vivendumque de mendicato. Hinc habuère infames illas & sacrilegas mendicandi, seu veriùs simplices & divites mulieres spoliandi artes, quas in literis ad Ecdiciam refert & damnat sanctus Au-
Epist. 199. gustinus. Est error Eustatij Metropolitæ in Armenia Sebastensis, damnatus à Synodo Gangrensi, resuscitatusque à Pelagianis, quibus sub sanctitatis fuco fuisse easdem corradendi & captivandarum mulierum artes, quis ignorat? Neque ideò cum Ioanne Wicleffo aut Martino Luthero damnamus saccos Monachorum mendicantium. Absit. Rectè enim adversùs Marcum Ephesiorum Metropolitam in Florentinæ Synodi Apologia dicit Gregorius Protosyncellus: *Vtinam nobis tot essent Concionatores in Ecclesia diebus festis & dominicis populum docentes, quot summâ fælicitate visuntur in Ecclesia latina, quotque Monachi extremam amplexi paupertatem.*

Errorem secundum refert sanctus Augustinus in libris Retracta-
L. 2. c. 21. tionum. *Cùm apud Carthaginem Monasteria esse cæpissent, alij se suis manibus transigebant, obtemperantes Apostolo; alij verò ità ex religiosorum oblationibus vivere volebant, ut nihil operantes, undè necessaria vel haberent vel supplerent, se potiùs implere præceptum Evangelicum existimarent atque iactarent, uti Dominus ait:* RESPICITE VOLATILIA CAELI ET LILIA AGRI. Monachismū à sancto Augustino recèns in Africa plantatum, egregièque fructificantem, novis hisce quæstionibus conatus est diabolus fædare per immissos ex Oriente Errones, quos fuisse Messalianos liquet ex toto libro de opere Monachorum. Non quod

non operarentur, sed quod operari Monachum dicerent improbitatem Evangelio adversam, hæretici fuêre. *Sic decepti*, inquit in quarto libro hæreticarum fabularum Theodoretus, *homines miserrimi nullum opus aggrediuntur, spiritales enim seipsos vocant, sed ubi orationi vacarint, diei maximam partem dormiunt.* Nicephor. L. 11 c. 14

Tertius error à Theodoreto refertur in eodem libro. *Baptisma*, etiam Eucharistiam, *dicunt suscipientibus nihil prodesse. Novaculæ namque instar præcedentia peccata aufert, peccatorum verò radices stirpitùs non exscindit.* Exscindi aiunt solâ oratione. Errorem hunc sancto Augustino, C. 1. restantem post baptisma concupiscentiam esse peccati cadaver & radicem asserenti, calumniosè imposuit Julianus Pelagianista, nostro autem infælici tempore in dogma resumunt Lutherus & Calvinus. Addit in libro de hæresibus sanctus Augustinus. *Nonnulli eos dicunt de purgatione animarum nescio quam phantasticam & ridiculam fabulam narrare: Porcam scilicet cum porcellis suis videri exire de ore hominis, quando purgatur, & cum visibili similiter specie ignem, qui non comburat intrare.* Aliter Theodoretus. *Egredi inhabitantem dæmonem dicunt per mucum & sputi excrementa.*

Alios errores, quos sectæ dux Adelphius Flaviano Patriarchæ Antiocheno confessus est, refert laudatus Theodoretus. *Adelphius dixit Divini Baptismatis lavacrum nihil omninò prodesse, sed solas preces ardentes dæmonem in animis habitantem expellere. Nam singulos ex primo parente, ut naturam, ità dæmonum servitutem traxisse: Quibus oratione expulsis ex animo, Spiritum sanctum accedere, suamque præsentiam tùm sensibus tùm visu ostendere, & non corpus solùm perturbationum motibus liberare, verum etiam animum inclinatione ad deteriora penitùs eripere, adeò ut de cætero neque ieiunio opus sit ad corpus coercendum, neque doctrina ad refrænandam eius libidinem, & ad danda præcepta, quibus rectâ vivendi viâ incedere discat. Et qui sit huius rei compos factus, non modò à lascivis corporis concitationibus liberum fore, sed etiam prævidere futura, & sanctam Trinitatem oculis cernere.* Quos errores ab aliquot sæculis resumpsêre Begghardi & Begghinæ, rursùmque damnârunt Clemens quintus Pontifex & Synodus Viennensis.

Alium errorem adducit in Bibliotheca Photius ex suprà laudatis literis Gerontij Archimandritæ ad Alypium Primatem Cæsareensem. *Eos, qui statis horis psallunt, fœdè irrident Messaliani, & convitij insectantur, tamquam legi adhuc servientes.* Erroris caussam aperit sanctus Augustinus in libro de hæresibus, Apostoli verbum, *Sine intermissione orate*, dicens *sic sanissimè accipi, ut nullo die intermittantur certa orandi tempora.* Hoc illi dixerunt non sufficere, ideòque orthodoxos crimi-

nati sunt tamquam adhuc jacentes sub imperfecto legis, cujus vocem esse existimabant, *Septies in die laudem dixi tibi:* Septies dumtaxat orantium justitiam necdum abundare supra justitiam Scribarum & Pharisæorum.

Alium denuò errorem refert idem Photius dicens de Synodo Antiochena sub Flaviano Patriarcha. *Noluit hac Synodus Adelphium pœnitentiam profitentem, hæresimq́; abiurantem admittere, quod neque ea hæreseos abiuratio, neque pœnitentia vera atque ex animo facta probaretur.* Et infrà. *Condemnatus Adelphius, eiusque sectatores: Neque pœnitentiæ locum, quamvis quæsierint, propterea repererunt, quod, quos anathemate tamquam Messalianos condemnârant, cum his veluti consortibus, scripto communicare deprehensi sunt.* Exponit Theodoretus: *Parati sunt ad negandum errores suos, & si urgeantur, protinùs anathematizant eos, qui horum aliquid dicunt*, à Valentino antiquo Hæresiarcha docti abominandas ejusmodi imposturas. Hìnc in Synodo Constantinopolitana sub Sisinnio Episcopo *Neon Episcopus exclamavit, ut si quis post anathematismum ullo tempore deprehensus fuerit re aut verbo in suspicionem mala huius secta incidisse, nunquam posteà locum teneat, ne si millies quidem pœnitentibus constitutas pœnas luiturum se polliceatur.*

Pergit Photius. *Hæresis huius auctores fuère Adelphius*, homo Edessenus, *neque Monachorum neque Sacerdotum in ordinem lectus, sed plebeius ac privatus, & Sabbas monasticum habitum præferens, quem ex rei eventu Resectium nominant: Alter item Sabbas, & Eustatius venerandus, & Dadoës, & Semesones, dæmonis zizania.* Reverà *dæmonis zizania:* Eos enim abominatus est etiam Severus, Patriarchatus Antiocheni invasor, omnium hæreseon sectator & amicus, ob facinora & flagitia passim dictus *Organum diaboli.* Adelphium tempore Flaviani Patriarchæ Antiocheni, à secunda Synodo in Episcopatu confirmati, Theodoretus ait fuisse plenè senem, adeòque potest ille sub Constantio Augusto incepisse suos errores. Edidit de illis librum Adsceticon, quem nostra Synodus pollutum vocat & anathematizat. Ab hoc Adelphio dicti sunt Adelphiani.

Eos ex Armenia Latoius Melitinensis, ex Lycaonia Amphilochius Metropolita Iconiensis, ex Orientis Diœcesi Flavianus, Theodotus, & Joannes Patriarchæ Antiocheni, ex Thracia Atticus & Sisinnius Episcopi Constantinopolitani, ex Ponto synodaliter proscripserunt Archelaus Primas Cæsareensis & Heraclidas Episcopus Nyssenus. Attamen nec per tantam auctoritatem ac diligentiam potuerunt exstingui. Quare Synodo nostræ generali denuò detulerunt Valerianus Iconiensis & Amphilochius Sidendis in Pamphylia Episcopus,

copus, & hocce decretum impetrârunt. Ex summa gratia Synodus infectos hâc leprâ Episcopos & Clericos recepit in suo gradu. Hæc verba, *Convicti non permittantur habere Monasteria, ne zizania diffundantur & crescant*, exponit Nicephorus Calixtus, laudans Latoium Melitinæ Episcopum, quod eorum Monasteria, tamquam *latronum speluncas*, exusserit, & vindice flamma eliminarit. Ità in quarta Actione Synodi Constantinopolitanæ ad Mennam Patriarcham clamaverunt orthodoxi Episcopi & Monachi adversùs Petrum Apameensem Episcopum Eutychianistam. *Petrus quare habet Monasteria? Speluncæ hæreticorum modò ardeant. Monasteria Petri everte.* L.II.c.14

DECRETVM

De Ecclesia Europæ, quæ est Thracicæ Diœceseos sexta Provincia.

VEtus mos viget in Provincijs Europæ, quod singuli Episcopi duos vel tres sub se habeant Episcopatus; undè Heracleæ Episcopus *sub se habet Heracleam & Panion: Episcopus autem Byzes sub se Byzen, & Arcadiopolim; Cœlensis verò similiter habet Cœlan, & Callipolim: Porrò Episcopus Sabsadiæ, sub se habet Sabsadiam, & Aphrodisiadem. Itàque olim & ab initio* Ecclesias illas duo Europæ *Episcopi administrabant, & nunquam prædictæ civitates proprios acceperunt* Episcopos; *sed aliæ quidem sub Heraclea fuerunt ab initio; Arcadiopolis autem fuit* Episcopi *Byzensis; Callipolis similiter sub* Episcopo Cœlensi. *Verùm quoniam nunc Phriuclas Heracleæ* Episcopus, *à sancta Synodo apostata factus, Nestorio & cum illo sentientibus se addixit (suspicamur autem, quod nunquam vel ipse ulciscens tamquam hostes, vel qui cum ipso Heracleæ* Episcopatum *administrant, veniant ad ordinandum* Episcopos *juxta veterem & roboratam consuetudinem in memoratis civitatibus, quæ nunquam*

pro-

proprios Episcopos receperunt) itàque priscos mores & consuetudinem, quæ olim & ab initio viguit, commoveri propter novitates cogitantes, oramus vestram Pietatem definitionem pronuntiari de ea re à vestra sancta magnaq; Synodo, proprioq; signaculo eam roborari, ita ut neque nos Ecclesiis nostris privemur, in quibus plurimùm laboravimus, neque mos iam longo tempore confirmatus à quopiam præmemoratorum commoveatur, fiantq; bella, & inordinationes, maximè inter Episcopos Europæ. Cuius rei si compotes facti fuerimus, gratiam habituri sumus omnium Deo, qui sic vestram Sanctitatem congregavit ad corrigendas Ecclesias orbis.

Sancta & universalis Synodus dixit: Honesta petitio est pientissimorum Episcoporum Euprepij & Cyrilli, quam ostendunt oblati libelli. Vndè & sanctis Canonibus, & externis legibus, quæ veterem consuetudinem, nunc vim legis habent, nihil innovandum in Europæ civitatibus, sed iuxta veterem consuetudinem gubernentur ab Episcopis, à quibus & olim; cùm nullus etiamnum Metropolitanus, qui alioqui sustulisset potestatem, neque postea futuris temporibus poterit aliquid à veteri consuetudine innovare.

Locus mēdosus.

SCHOLION.

ANtiquæ, dummodò probabilis, consuetudinis summa semper apud Ecclesias fuit reverentia. Ob varias variarum gentium sub una fide consuetudines Ecclesiam esse quasi Reginam circumamictam varietatibus, ideòque illarum nullam esse temerariæ cavillationis dente rodendam, scribit sanctus Fulbertus Episcopus Carnotensis. Non facilè mutandas, ad Ianuarium sanctus Augustinus. *Quoniam mutatio consuetudinis, etiam quæ adiuvat utilitate, novitate perturbat.* Et Synodi Nicenæ frequens vox est: *Servetur antiqua consuetudo.* Africanarum Provinciarum sine sede Metropolitana Primates erant omninò contra generales Ecclesiæ Canones, mutareque voluit

Epist. 2.
Epist. 118.

voluit Pelagius secundus Pontifex; at sanctus Gregorius magnus *im motam permanere concessit consuetudinem, quod contra fidem catholicam nihil usurparet.* Eodem modo duas Ecclesias uni Episcopo esse cathedrales, seu duas cathedrales Ecclesias uniri in unum Episcopatum, & ab uno Episcopo teneri in titulum, dissonat à Canonibus, vestiri tamen potest rationibus, ob quas fit consuetudo probabilis, per ipsos Canones rata ac firma. Etenim huic nostræ Synodo subscribunt *Athanasius Episcopus Duelsanus & Zosopolitanus, ac Timotheus Episcopus civitatis Termesi & Eudociadis.* Et in ipsa Italia sanctus Gregorius magnus varias univit Ecclesias, ac in utraque esse jussit eundem & unum Episcopum cardinalem. Etiamnum hodie Portuensis & Veliternensis; Recanatensis item & Lauretana sunt unitæ. Etiam in Germania Bremensis & Hamburgensis Metropolitanæ: Et in Anglia quidam Episcopi habent tres civitates & Ecclesias cathedrales.

L. 1. Ep. 79

F. 378.

Idem ergò mos viguit in Europæ Provincia, forsàn à tempore Apostolorum. Nam & de Schytia, Provincia ejusdem Diœceseos, scribit Hermias Zozomenus. *Per Schytiam cùm sint civitates multæ, unum dumtaxat omnes hæ Episcopum habent.* Fritilas ergò seu Friulcas Heracleæ Metropolitanus Episcopus, Joanni Patriarchæ Antiocheno adversùs Synodum adhærens, quò Nestorianam factionem firmiorem faceret, vetustam Provinciæ suæ consuetudinem mutare, & singulis civitatibus dare voluit ejusdem secum pravitatis Episcopos: At apud Synodum intercessêre ejus suffraganei, & hocce decretum impetravêre, veterem consuetudinem non dumtaxat probans, sed & adversùs omnem futuram impugnationem stabiliens.

L. 7. c. 19.

DISSERTATIO DE SACROSANCTA SYNODO EPHESINA.

CAPUT PRIMUM.

Exponitur Hæresis Nestoriana, occasio Synodi.

DEfuncto Sisinnio, optimo Regiæ civitatis Episcopo, Theodosius Augustus Clericorum ejusdem Ecclesiæ ambitum retundere, & novum Joannem Chrysostomum, Antiochiâ olim evocatum, volens habere Episcopum, à Joanne Antiocheno Patriarcha accepit Nestorium. Hominem accuratè depingit Theodoretus in quarto libro hæreticarum fabularum, & in literis ad Sporacium. Ex

Germaniciensium ortus oppidulo, nescio cuiusmodi ab initio studijs educatus, aliam ex alia regionem commutans, ut flagellum quoddam Ægyptiacum in magnam Antiochenorum civitatem irrupit. In hac cum liberalibus disciplinis mediocriter esset imbutus, vocemq; pulcherrimam & maximam exercuisset, in Ecclesiam Dei se ingessit, & in numerum Presbyterorum relatus est, docendiq; populi munere imposito, statim in exordio, qualis totâ vitâ esset futurus, ostendit. Neque enim generosum & genitalem, qui hominum animas excolere posit, dicendi characterem secutus est. Sed cum ad populi delectationem orationem suam conferret, & inanes plausus, ut qui maximè, aucuparetur, turbulentum & instabile vulgus ad sui desiderium excitaret, fuscâ veste indutus, utpotè Monachus, tristis incedens, strepitus forenses declinans, pallore corporis continentiæ videri affectans, libris domi ut plurimùm incumbens, ac in otio & quiete secum habitans. Hoc habitu & hâc simulatione populum inescans, magnam ætatis partem transegit, Christianus potiùs videri, quam esse studens, & Christi gloriæ suam præferens. Germanicia est Provinciæ Eufratesiæ civitas Episcopalis, Nestorij autem monasterium fuit Antiochiæ in Suburbano ad sanctum Euprepium. Eum

L. I. Coh. Eph. c. 18. Celestinus Pontifex adfirmat *tantâ* & in monasterio & in Clero *vixisse* apud omnes *opinione*, *ut suis alienà civitas invideret*. Undè & contra Canones electum idem Pontifex promptissimè confirmavit. Socrates fuisse ait sanctorum Patrum contemptorem. Quare san-

L. 7. c. 32. ctus Cyrillus illum seriò monet, ut in declamando ad populum sit prudens, sanctos Patres seriò legat, summi æstimet, ex ipsis formet suas Exegeses. At surdo cantavit fabulam. Reddidit enim ille talionem, dicens Patres legi quidem à Cyrillo, at minimè intelligi. Ex hac arrogantia præsumpsit Anastasij Presbyteri infaustas voces defendere, & per Dorothei Episcopi Marcianopolitani insaniens os universam Ecclesiam anathematizare, & ore proprio orthodoxos æquare gentilium Mythologis, qui Dijs suis affingunt matres.

In Episcopum consecratus fuit quarto idus Aprilis, Felice & Tauro Consulibus, Christi Domini anno quadringentesimo vigesimo octavo, Celestini Pontificis quarto, vigesimo primo Theodosij Augusti Junioris. Liberatus Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus consecratum scribit Kalendis Aprilis. Consecratus mox populum ex more docuit, exclamavitque ad Principem. *Mihi, ô Imperator, terram hæreticis purgatam tribue, & ego tibi cælum tribuam; tu mihi in profligandis hæreticis subveni, & ego tibi in profligandis Persis subveniam.* Eâdem & Anastasius Presbyter impias suas in Domini matrem voces evomuit, atque ità totam Regiam urbem implevit litigiosissimis quæstionibus, uti testatur idem Liberatus. Quod eadem, at occultè, jam pridem ipse

 ad-

adhuc Presbyter Nestorius Antiochiæ docuisset, scribit in catalogo Gennadius Massiliensis. Quinto post die Arianorum Basilicam demolitus est, quare illi in rabiem versi faces urbi injecerunt, parati ad armatam sui vindictam, & publicam, quam Deus impedijt, seditionem. Eodem tempore fugitivi servi occupavêre basilicam, & desperati seipsos occidentes proprio sanguine polluerunt. Ex quibus omnibus novus hic Episcopatus apud viros prudentes venit in infælicitatis suspicionem, & ipse Episcopus etiã ab ipsis catholicis vocari cæpit *Civitatis incendiũ*.

Nec fuit vana suspicio. Quod namque Nestorius statim in sui Anastasij gratiam cæperit virus spuere & scribere, testantur sanctus Cyrillus in literis ad Celestinum Papam, & in plena Ephesina Synodo Petrus Alexandriæ Presbyter ac Primicerius Notariorum. Ei statim adstipulati sunt Photius, Chæremon, Victor, Sophronas, Clerici Constantinopolitani, quos sanctus Cyrillus vocat *faces illius civitatis*. F.323. Primum mali fontem fuisse Diodorum, Tharsensem Episcopum & primæ Ciliciæ Metropolitam, suprà laudatum in Synodo Constantinopolitana, scribunt idem Cyrillus in literis ad Successum Dio- Epist. 1. Cæsareæ in Isauria Episcopum, apud Photium in Bibliotheca Gela- L. 102. sius Cæsareensis in Palæstina Episcopus, & omnes generaliter trium Capitulorum impugnatores. Diodorus ex Macedonianis venit ad Ecclesiam, & Antiochenum Presbyterum magis, quàm Tharsensem Episcopum floruisse scribit in catalogo sanctus Hieronymus. Presbyter unà cum Flaviano collega, posteà Episcopo, strenuè verbis pugnavit in Arianos Antiochenses, Episcopus scripsit in Apollinarium, atque ità dum naturarum in Christo Domino confusionem nimis declinat, incidit in divisionem, Nestorio præformans unionem non secundùm hypostasim, sed secundùm æqualem dignitatem, auctoritatem, nomen, honorem. Diodorus Theodorum Mopsuestiæ Episcopum, Nestorium docuit Theodorus; tamquàm omnium horum errorum fons post mortem damnatus à Synodo quinta. Edidit libros longè plurimos, unumque *contra asserentes peccare hominem naturâ, non voluntate*. Photius editum dicit *contra Occidentales* hâc labe infectos. L.177. Labis capita sunt illæ ipsæ calumniæ, quas orthodoxæ doctrinæ imponit Julianus Pelagianista in duabus Epistolis refutatis à sancto Augustino in libris ad Bonifacium Papam. Proindè nescio cujus Pelagiani calumniosus in orthodoxos fuit ille liber, & ex illo Theodorus, adeòque & Nestorius didicerunt Pelagianizare.

Hæc est caussa, cur de eodem Juliano, Floro, Orontio, & Fabio, ex Episcopali sede & toto Occidente per Sedem Apostolicam ac Leges Imperiales ejectis & proscriptis, scribat ad Nestorium sanctus

 Pon-

L.1.Con. Ephe.c.18. Pontifex Celestinus. *Aliquantis diebus vitæ nostræ, post nefandum & sæpè damnatum dogma Pelagij atque Celestij, catholica fides quietem habuit, quando eos cum suæ opinionis sequacibus, telis unitæ sententiæ Oriens Occidensque percussit. Denique sanctæ recordationis Atticus, catholicæ magister fidei, ac verè beati Ioannis etiam in ista successor, ità eos persecutus est pro Rege communi, ut ijs nec standi quidem illic copia præstaretur.* A Romana Ecclesia damnatum Julianum provocasse ad generalem Ecclesiæ Synodum, testatur frequenter sanctus Augustinus, addens post ejusmodi judicium nullam ampliùs audientiam, sed solam pænitentiam superesse. Appellationem ergò prosequens Julianus accessit Regiam urbem, & à Theodosio Augusto generalem Synodum, cogique ad illam Romanum Pontificem postulavit. Porrò Ecclesiæ Constantinopolitanæ morem docet nos Hormisda Pontifex in in-
Post.Ep 4. structione data legatis suis ad Anastasium Augustum: *Est consuetudo per Episcopum Constantinopolitanum omnes Imperatori Episcopos præsentari.* Omnes Episcopos advenas, venientes ad Comitatum, etiam ipsos Legatos Apostolicæ Sedis Romanæ. Quocircà & Julianus ab Attico Episcopo ad Principem induci petijt; verùm quid ille sancti Joannis Chrysostomi successor egerit, jam audivimus à Pontifice Celestino. Ejus vestigia secutus est successor Sisinnius, miraturque & dolet laudatus Pontifex Nestorium ab illis deviasse. Addit sese, vacante sede Constantinopolitanâ, de novi Episcopi promotione semper esse anxiũ: Ne nempè quis succedat, qui ejusmodi damnatos leprosos inducat ad Principem, eumque juvet ad indulgendam generalem sine caussa Synodum, omnemque turbandam Ecclesiam ab illis circumscribi.

Hircus hircum ex odore cognoscit. Ità & Julianus audiens Constantinopoli sedere Nestorium, Theodori Mopsuesteni insigniter Pelagianizantis discipulum, docereque Mariam non esse Deiparam, & Christum esse purum hominem, paulatìm per humana merita ad sublimiora proficientem, certum habuit eum esse virum sui gregis. Etenim, uti rectè sanctus Prosper advertit, Pelagiana & Nestoriana hæresis sunt subordinatæ: Ubi desinit Pelagius, incipit Nestorius. Pelagius negat naturam humanam esse in Adamo peccante vitiatam, ideòque credit non reparatore aut reparationis traduce principio, sed solo egere Doctore & imitationis exemplo: Infert Nestorius Christum non debere esse Deum, quoniam purus homo potest esse plenè sanctus, aptumque exemplum imitationis. Quæ omnia ante Nestorium in Gallia & Hispania Leporius Presbyter, alijque Pelagiani docuerunt, ut suprà audivimus à Vincentio Lerinensi, sancto Augustino, Joanne Cassiano, Vitali & Constantio Episcopis Hispanis, & Capreo-

præolo Archi-Episcopo Carthaginensi. Docuerunt patere in Christo Domino, quid sibi ipsi dare possit humana libertas. Quò enim evectus ille, crediderunt per humana merita adscendere posse hominem quemvis. Hìnc enim & Ibas Edessenus Episcopus accusatus fuit dixisse: *Non invideo Christo, quia Deus factus est, quoniam si volo, fio & ego.*

Cupiebat Nestorius Julianum inducere ad Principem, at hæsit illi aqua ob metum Pontificis Cælestini. Hunc ergò priùs consuluit, exponens dictorum Episcoporum, quasi temporibus Christianis persecutionem passorum, ad se & ad Principem miserabiles ac importunos clamores, unàque proprias querimonias de grassantibus in Ecclesia sua Apollinaristis, qui fidem Nicenam prævaricati sanctam Virginem, & quidem sine horrore, dicerent DEIPARAM. Sese dixit ab illis admodùm vexari. Erant ejus impietati resistentes orthodoxi Clerici Constantinopolitani, quos suprà per ipsum dixi excommunicatos, degradatos, civitate ejectos.

Afflicti hi auxilium & solatium quæsiêre ab aliis Episcopis, sancto præsertim Cyrillo, Patriarchâ Alexandrino, viro potente in opere & sermone. Huc usque enim Alexandrini Episcopi nescio quid potestatis ambierunt & habuerunt in Ecclesiam Regiæ civitatis, adeò ut nuper Arcadius Augustus ad consecrandum sanctum Ioannem Chrysostomum, sexto Niceno & secundo Constantinopolitano Canone non obstante, evocârit Theophilum, sancti Cyrilli Patruum, & proximum in throno Alexandrino Antecessorem. Etiam suos Emissarios habuit Nestorius, præsertim ad Ioannem Antiochenum, suum nuper Episcopum, sub Theodoro Mopsuesteno condiscipulum, & ad Regiæ civitatis Episcopatum promotorem, nec non ad Acacium Berrhæensem Episcopum, summæ auctoritatis senem, & in Antiocheno Patriarchatu quasi Patrem & Magistrum omnium Episcoporum. Addidit suas & Photij Presbyteri sui Exegeses, variosque libellos, quos sparsit per omnes Diœceses, etiam inter sancti Cyrilli Monachos, ipsamque Ecclesiam Romanam. Audiamus rem ex literis sancti Celestini Pontificis ad Clerum & populum Constantinopolitanum, & literis sancti Cyrilli ad Iuvenalem Episcopum Hierosolymæ. *Romanam Ecclesiam in suam sententiam* pertrahere se posse arbitratus scripsit ad ejusdem *Ecclesiæ Episcopum Celestinum, eisque literis dogmatum suorum perversitatem inseruit. Misit eidem & multas quoque Exegeses*, seu potiùs quosdam earum quaterniones aut compendia, blasphemijs plena, *propriâque subscriptione* signata. Ità Papales aures, dum cæcus, vetusto hæreticorum more, prævenire & circumscribere posse præsumit, implacabiliter offendit, seipsum prodidit, dictorum

L. 1. Conc. Ephes. c. 24. 19.
C. 21.

rum Monachorum silentium mutavit in clamorem, sanctum Cyrillum ad pugnam coëgit.

Hominis tamen honori parcens per familiares literas amicè primùm tentavit Cyrillus, visusque est Erronem reduxisse ad mentem. Etenim ejus Presbyter & Legatus Lampo retulit pariformes, licèt salis & dentis non penitùs vacuas, responsorias, ac ipse mali auctor Anastasius Presbyter protestatus est eadem se cum Cyrillo credere & docere. At ficta erant omnia, & ad Cyrillum, quem metuebant unicum, per insidiosas calumnias evertendum præparamenta. Illum Principi reddidére adeò exosum, ut per sacram Divalem correptus fuerit, de versutia, audacia, protervia, usurpato imperio, turbatâ Ecclesiâ, ipsáque etiam domo Augustâ. Nempè retulerant hasce quorumdam Alexan-

Cap. 8. drinorum, quos castigârat, de illo criminationes: *Quod cacos & egenos per iniuriam opprimeret, ferrum in matrem strinxisset, ancilla præsidio aurum alienum abstulisset, eiusmodi improbitatis suspicione semper laborasset*; quod eadem pararet Nestorio, quæ ejus Patruus Theophilus in sanctum Joannem Chrysostomum, Regiæ item civitatis Episcopum, nu-

L. 7. c. 7. per patrasset. Elucidat hæc Socrates dicens de Cyrillo. *Cyrillus in sede Episcopali collocatus maiorem principatum, quam unquam Theophilus Antecessor habuisset, pariter sibi assumpsit. Etenim ex illo tempore Episcopus Alexandrinus præter Cleri dominatum rerum prætereà sæcularium principatum acquisivit.* Refert & ejus cum Oreste Ægypti Præfecto Augustali duras contentiones de laica in Diœcesim potestate, cujus usurpatæ etiam sanctum Athanasium apud Constantium Augustum criminati Eusebiani impetrârunt proscribi tamquam reum læsæ Majestatis. An ex usurpatione, an ex Constantini dono egerit uterque sanctus Episcopus, nolim hìc discutere: Certè exindè uterque Principi fuit non modicè invisus.

Apertum igitur cum Nestorio bellum inchoârunt Clerici per ipsum dejecti & ejecti, appellantes ad Celestinum Pontificem, proponentesque libellum contestatorium hâc Epigraphe. *Contestatio proposita à Clericis Constantinopolitanis, & in conspectu Ecclesiæ publicata, quod Nestorius eiusdem sit sententiæ cum Paulo Samosateno, ante centum sexaginta annos ab orthodoxis Episcopis anathemate condemnato.* Libello tamen ob Principis metum communicare aut auctoritatem dare, vel sese à Nestorij communione segregare ausus non fuit Cyrillus, attamen per iteratas, easque acres literas illum monuit de hæresi, & omnes has tragedias per Possidonium Diaconum retulit Pontifici Celestino, addens hoc, à Petro Alexandriæ Presbytero & Notariorum

F. 323. in Synodo Ephesina Primicerio recitatum, mandatum. *Si literas Nestorij*

ſtorij & expoſitionum codices redditos Pontifici *compereris, & tu quoque meas literas redde; ſin autem, ne reddas, ſed huc referas.* Nolebat enim ſine firmis probationibus apud Papam accuſare. *Poſſidonius ergò cùm compeɾiſſet tam Epiſtolas, quam expoſitiones illius fuiſſe exhibitas, compulſus eſt ipſe quoque, quas ferebat, exhibere.* Quocircà & Celeſtinus muneri ſuo non defuit. Fecit Synodum ex Epiſcopis tùm in urbe per occaſionem repertis, de quibus ſcribit ſanctus Cyrillus ad Joannem Patriarcham Antiochenum. *Qui cùm Exegeſeon eius quaterniones legiſſent, multiſque conſeſſibus & conſultationibus habitis examinaſſent, illarum auctorem non abſque indignatione exſibilârunt, palàm aſſerentes novam illum, eamque pernicioſiſſimam, & à nullo veterum hæreticorum unquam excogitatam hæreſim moliri.* L. 1. c. 21.

Hìnc ergò Pontifex appellantes & afflictos Clericos communioni & gradui reddidit, accepitque in Sedis Apoſtolicæ protectionem; Neſtorium de admiſſis in Regiam urbem & ſuum alloquium Ex-Epiſcopis Pelagianis, violatâ Dominicæ Incarnationis fide, & præſertim de damnata voce, DEIPARA, graviſſimè increpuit, eam publicè in Eccleſia laudari & probari, tamquam unum è dogmatis Chriſtiani fundamentis juſſit intra decem dies à recepto hoc mandato, idque ſub reatu perdendi ipſo facto Epiſcopatum & communionem, cadendique etiam extra laicos; hujus ſententiæ per omnes Orientales Eccleſias publicationem & executionem delegavit ſancto Cyrillo, nec non in hac omni cauſſa plenas vices Apoſtolicæ Sedis. Quæ omnia non tantummodò ad Cyrillum & Neſtorium, ſed etiam per ſpeciales literas ſcripſit ad Clerum, & populum Conſtantinopolitanum, Ioannem Patriarcham Antiochenum, Iuvenalem Epiſcopum Hieroſolymitanum, Ruſum Theſſalonicenſem, & Flavianum Philippenſem. Exſtant Epiſtolæ in prima parte Concilij Epheſini. C. 18. 19. 21. 24. 25.

Quomodò ſanctus Cyrillus injunctum onus adimplêrit, recitat in Epheſina Synodo laudatus Petrus Presbyter ac Primicerius Notariorum. *Non ſolùm ea, quæ Celeſtinus ſanctiſſimus ſacratiſſimuſque Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus ad Reverendiſſimum Neſtorium ſcripſerat, miſſa & reddita ſunt eidem, verùm ea etiam, quæ ſanctiſſimus piiſſimuſque Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus Cyrillus, & univerſa Ægypti Synodus per Theopemptum & Danielem, & Potamonem, & Macarium, religioſiſſimos Epiſcopos, ad eumdem deſtinaverant.* Ad ſe igitur directas Pontificis literas ſynodaliter per omnem Ægypti Diœceſim publicavit Cyrillus, Neſtorio autem inſcriptas Conſtantinopolim miſit tradendas in manum propriam ſolenniter per quatuor Epiſcopos, & ſui jam Apoſtolici Vicarij, & omnis ſuæ Synodi Legatos: Nequaquam Neſtorium, vento F. 323.

abun-

abundè plenum, ſed Sedis Apoſtolicæ in Regiæ civitatis Epiſcopum ſententiam judicialem itâ juſſus honorare. Ejuſmodi ſententias ſic terrificâ pompâ mitti & inſinuari ſolitas ſcribit Felix tertius Pontifex ad Regiæ civitatis & totius Bythiniæ Presbyteros & Archimandritas. Addidit Cyrillus & ſuas literas ſynodales. Eodem modo miſit alijs laudatis Primatibus Epiſcopis, attamen per ſolos ſuæ Eccleſiæ
L. 1. c. 25. Clericos, uti in literis ad Neſtorium teſtatur ipſe Joannes Antiochenus. Nempè ipſi non erant rei per Apoſtolicam ſententiam petiti. Eos
Cap 24. hortatur Cyrillus ad unanimes literas, quibus Principi & Senatui ſuadeant pietati non præferri hominem Neſtorium, ſed illum, ſi reſipiſcere noluerit, eijci de Epiſcopatu.

Synodales Cyrilli ad Neſtorium literæ fuerunt illæ, quas Hypatius Epheſiorum Archi-Epiſcopus in Collatione Conſtantinopolitana cum Severianis vocat *Epiſtolam duodecim Capitulorum*. Neſtorium iſtic non tamquam frater & Collega, ſed tamquam Prælatus & Sedis Apoſtolicæ Legatus tractat Cyrillus, dicens & ſe & Celeſtinum Pontificem nequaquàm ſolâ Niceni Symboli profeſſione contentos, ſed velle diſtinctam horum duodecim Capitulorum, idque intra decem dies, alioquin Romanæ ſententiæ executionem non dormituram.
Cap. 26: *His omnibus*, inquit, *te ſubſcribere, & citra omnem fucum & dolum unà nobiſcum aſſentiri oportet.* Quapropter duodecim illa Capitula nequaquàm ſunt ſolius Cyrilli, ſed totius Synodi Ægyptiacæ, quam viris ſemper ſanctiſſimis atque doctiſſimis novimus abundaſſe. Ejuſdem formæ ſynodales miſit ad Clerum, populum, & Monachos Conſtantinopolitanos, mandans, ut ſeſe oſtendant germanè Chriſtianos, *Neſtorij frigida, inutilia, anilia dogmata non attendant*; ſed eum, ſi non reſipiſcat, tamquam lupum averſentur, deſerantque ejus hæreticam & ſcabioſam communionem.

Joannes Patriarcha Antiochenus etiam exeruit omnes ſuæ eloquentiæ vires. Collègit & ipſe ſuæ Diœceſeos Synodum, literas Apoſtolicas publicavit, eiſque edixit ab omnibus obediendum. Neſtorium de turbatis Eccleſijs, & negata, quam omnis ſemper agnovit orthodoxa antiquitas, voce, DEIPARA, graviter arguit, hortatus ad matura cum viris cordatis, quibus detur plena effandi libertas, conſilia, & ad imperatam à Romana Eccleſia palinodiam, non futuram ignominioſam nupero exemplo communis magiſtri Theodori Epiſco-
Cap. 25. pi Mopſueſteni. *Hoc noſtrum*, inquit, *quæſo, conſilium admitte, hæc per nos rogatus exequare, nullum diſſidijs locum, nullum gliſcenti novitati fomentum ſuppedites. Cogita, ſi priuſquam ullæ omninò literæ Romá miſſæ forent, multi contra nos extitêre infrenes, panèque intolerabiles, quales*

nunc

nunc futuri sint, tantâ ex allatis literis subministratâ fiduciâ, qualique imposterum adversùs nos audaciâ usuri. Tantam auctoritatem apud ipsos etiam Patriarchas; eorumque Diœceses semper habuerunt literæ & mandata Romana. Addit Joannes. *Nam & Occidens, & Ægyptus, & ipsa quoque Macedonia ab ea unione se abrumpere decreverunt, quam singularis Dei beneficentia per multos sanctorum Patrum, celebriumque Episcoporum, & præcipuè per sanctißimi & magni illius Patris Acacij Berrhœensis Episcopi sudores molestiasq;, communi Ecclesiæ utilitati impertivit.* Laudat unionem & pacem de miserando schismate Eustatiano nuper ab Innocentio primo Pontifice datam Ecclesiæ Antiochenæ. Hanc rursùm Joanni Patriarchæ, nisi Nestorio palàm valediceret, auferre minabatur Ecclesia Romana. Cap. 3.

Quomodò autem hisce mandatis & consilijs contumax & vanus Nestorij spiritus obediverit, edixit in Synodo Ephesina Theopemptus Cabasorum Episcopus, sancti Cyrilli ad Nestorium legatus. *Die dominico, cum Synaxis ageretur, ad Episcopale palatium adscendimus, ibidemque toto præsente Clero, multisque ex illustribus adstantibus, literas Celestini Pontificis Nestorio tradidimus.* Ejus Collega *Daniel Darnensium Episcopus eadem confirmavit.* Qui & Flaviano Philippensium Metropolitæ roganti, *Dic, quæso, literisne ab eo sit satisfactum*, reposuit. *Tunc nobis respondit, ut postero die veniremus, & privatim illum conveniremus. Porrò sequenti die redeuntibus aditum interclusit, & responsum nobis dare non est dignatus.* Addidit Theopemptus. *Postero die reversos non admisit, neque quidem satisfecit literis, sed publicè pro Concione eadem, quæ ante, & his quoque deteriora dogmata proposuit. Neque verò solùm ante redditas literas hæc docebat, sed multò peiora, postquam accepit, docuit, & usque hodie docere non desinit.* Etenim Cyrilli capitula tamquam de Apollinario atque Ario leprosa traduxit, sua illis insana opposuit, datusque palàm in reprobum sensum præsumpsit, quod ad Clerum & populum ejus scribit Pontifex Celestinus. *Quis petitorem Synodi crederet Synodo absuturum?* Eusebianum in morem ab Apostolicæ Sedis judicio ad generalem appellavit Synodum, appellationi delatum iri credens effectum suspensivum: Incensus à Iuliano Pelagianista, ejusdem temeritatis jam vetusto attentatore, cui semper à Synodo spem fuisse testatur Celestinus Pontifex in literis ad Synodum Ephesinam. Ità duo hi ferocissimi tauri ad cribrandam Ecclesiam scelerata cornua conjunxerunt. Quin immò desperatum Nestorium appellasse ad Dei tribunal & cælestem Synodum, testatur in precibus Theodosio Augusto exhibitis Dalmatius Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyter & Archimandrita. Et quidem Nestorij recta & pura esse, Cyrilli autem

F. 350. L. 3. Con. Eph. c. 23. Epist. 11. L. x. c. 30.

capitula fætere credidit, à Joanne Antiocheno Neſtorium quoad ſolas voces hallucinari exiſtimante non ſeductus, ſed circumſcriptus Theodoſius Auguſtus: Undè & in ipſa Sacra, quâ ad Synodum evocavit, huic improperat Capitulorum ſcabiem, addens plenam dogmatis
Cap. 31. pacem eſſe inter ſuum Imperium & Sacerdotium Conſtantinopolitanum. Cyrillum, teſte Liberato Carthaginenſi, compeſcendum duxit à Neſtorij perſecutione.

Nihilominùs Eccleſiæ ejuſdem veraciter fideles Clerici, Monachi, & laici palàm ſeſe retraxerunt ab Epiſcopi ſui communione ad primam Chriſtianitatis baſim, Eccleſiam Romanam. Laudatus Dalmatius, & plures cum ſuo grege Archimandritæ, Epiſcopale palatium
Cap. 30. & conſiſtorium intrantes, homini in faciem reſtitêre. *Simplex quidam Monachus, zelo vehementi inſtigatus, in medium Eccleſiæ progreſſus, impietatis præconē, quod hæreticus eſſet, quodq́ue populi Synaxis haberetur, ab ingreſſu prohibuit.* Impietatis ille in publica Synaxi Præco fuiſſe creditur Dorotheus Epiſcopus Marcianopolitanus, fidiſſimus Neſtorij Satelles. Quin immò, quod Theodoſius Auguſtus ad hæc circumventus cæcutiret, populus publicè exclamavit: *Regulum habemus, Epiſcopum non habemus.* Quæ omnia Neſtorium egerunt in rabiem, & ex Chriſtiano Epiſcopo fecerunt gentilem tyrannum. Omnes namque, etiam Clericos & Archimandritas, ſibi adverſantes, ferro vinctos, tradidit Præfecto urbis affligendos publicis carceribus & flagris, quæ omnia in laudati Dalmatij precibus videantur. De Principe & Palatio confiſus jactabat futurum ſe Synodi promiſſæ Præſidem, atque ità omnem ſub cælo, Romanam etiam, Eccleſiam cogendam ad ſuum dogma. Quare per Orientis Eccleſias ab hoc INCENDIO ardebant omnia: Neque jam ſolus ipſe, ſed & omnes ejus carnificinam paſſi orthodoxi poſtulabant Synodum, ideòque & Celeſtinus Pontifex & Auguſtus Theodoſius annuerunt.

CAPUT II.

Ephesinæ Synodi Præſes, Epiſcopi, Comes, locus, tempus.

HAnc noſtram Synodum fuiſſe de conſenſu Celeſtini Pontificis indictam teſtatur Gelaſius Pontifex in prima ſua Synodo Romana. Et ipſa Synodus in varijs ad varios Relationibus aſſiduè dicit ſe conveniſſe *Secundùm Canones*: utique Apoſtolicos & Divinos, à quibus nullam ſine Romani Pontificis adſenſu permitti generalem Synodum, ſuprà eſt abundè oſtenſum. Theodoſij Auguſti Tractoriæ Divales fuerunt dumtaxat executoriæ mandati Apoſtolici: *Generales enim Synodos Apoſtolicæ Sedis juſſione & imperiali convocatione,* ſem-

semper olim fieri consuetas rectè scribit Hincmarus Episcopus Remensis. Epist.33. c.20.

In Edicto Chalcedonensis Synodi confirmatorio ait Marcianus Augustus veritatis in Synodo Ephesina Duces fuisse Celestinum Romanæ urbis, & Cyrillum Episcopum civitatis Alexandrinæ. Ad illam enim, & ejus Præsidentiam invitatus Celestinus Pontifex sese ex more excusavit, vicesque suas delegavit sancto Cyrillo, qui assiduè in actis synodalibus dicitur Præses, Episcoporum Ephesi existentium caput, *obtinens locum Celestini sanctissimi & sacratissimi Romanæ Ecclesiæ Archi-Episcopi.* Res notissima non est gravanda probationibus. Et sanè grandia Cyrilli adversùs Nestorium merita honorem hunc merebantur. Aliam caussam dant Dioscorus Presbyter & Chæremon Lector, Ecclesiæ Alexandrinæ Apocrisarij, in precibus Constantinopoli exhibitis Cresconio & Germano Episcopis, Anastasij secundi Pontificis ad Anastasium Augustum legatis, quod Romana & Alexandrina Ecclesiæ ab eodem sancto Petro Apostolo fundatæ sint, semper non tantùm in fide, sed & in ritibus fuerint concordes, atque hinc factùm, *ut si quando contigerit in rebus ambiguis quædam Episcoporum concilia celebrari, sanctissimus is, qui Romanæ Ecclesiæ præsideret, Reverendissimum Ecclesiæ Alexandrinæ Archi-Episcopum deligeret, ut sui loci curam susciperet.* Nam & sanctus Marcus gessit vices sancti Petri. Quam rationem urget & sanctus Leo magnus in literis ad Dioscorum Alexandriæ Episcopum adhuc orthodoxum. Epist.81. c.1.

Quomodò Celestinus Pontifex Præsidentiam honorârit, exponit Photius in Nomo-Canone. *Huius temporis Patriarcha Alexandrinus ius habet, ut cum Phrygio celebret. Habuit autem hanc facultatem sanctus Cyrillus Alexandrinus à Romano Papa Celestino, quando coacta est Ephesina Synodus adversùs Nestorium. Cùm non posset Celestinus adesse Ephesi & iudicare Nestorium, visum est, ut sancto Cyrillo à Celestino permitteretur huic Synodo præsidere. Vt itaque constaret eum habere ius & auctoritatem Papæ, sedit cum Phrygio, & condemnavit Nestorium. Ab eo ergò tempore cum eodem Phrygio sacra celebrant & procedunt Patriarchæ Alexandrini, nec verentur reprehendi.* Attestatur Nicephorus Calixtus, addens & PAPAE titulum Cyrillo & ejus successoribus à Celestino indultum. Porrò Phrygium esse Mitram Episcopalem opere Phrygio ornatam, aut quoddam ejus genus, testantur sanctus Petrus Damiani, & Sugerius sancti Dyonisij Abbas in vita Ludovici Grossi Francorum Regis. Addit Photius, *Nec verentur reprehendi*: Utique tanquam patrij moris transgressores. Græcorum enim Episcopos passim non uti Mitrâ, affirmat Jacobus de Vitriaco in historia Hierosolymitana, agens de Ma-

Tit. 9. c.1. L.14 c.34 L.3.Ep.10 c.9.11. L.1 c.77.

Maronitis ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam conversis. *Cùm omnes alij Orientales Prælati, exceptis dumtaxat latinis, annulis & mitris Pontificalibus non utantur, nec baculos Pastorales gestent in manibus, nec usum habeant campanarum, sed percussu baculo vel malleo tabulis populum ad Ecclesiam soliti sint congregare; Maronitæ in signum obedientiæ consuetudines & ritus observant latinos.* Eos sub Aimerico, tertio latinorum Patriarchâ Antiocheno conversos & ad fidem & ad Ritum Romanum, scribit etiam in sacri belli, cujus hic effectus, historia Guilielmus Metropolita Tyriorum. Eodem modo ad Haitonem, ex Armeniorum Rege sanctissimum Monachum, scribit apud Clementem Galanum Gregorius Sisensis eorumdem Patriarcha: *A sancta Romana Ecclesia, utique per manus sancti Gregorij magni, cum alijs latinis ritibus acceptam habemus Mitram Episcopalem.* Quin immò Joannem Apostolum gestasse πέταλον in capite, id est, laminam seu tiaram auream, scri-

L. 5 c. 23. bit apud Eusebium Cæsareensem Polycrates Ephesiorum Primas in

L. 3. c. 25. literis ad Papam Victorem. Etiam sanctum Eusebium Samosatensem Episcopum tiarâ Episcopali usum Nicephorus Calixtus. Et an-

L. 11. c. 3. tiquum Rituale Syrorum Jacobitarum & Eutychianorum sub titulo *De Ordinatione Episcopi, Metropolitæ, & Patriarchæ,* habet hæc verba. *Dat Patriarcha Cidarim uni ex Episcopis, & ponit eam super caput ordinandi.* Et infrà. *Ponitq; Cidarim seu Mitram super caput eius.* Eutychiani sunt per Dioscorum Patriarcham abortus Ecclesiæ Alexandrinæ, atque ità ex illa secum & Mitram detulerunt. Addit in loco laudato Photius de Charto-Phylace Ecclesiæ Constantinopolitanæ. *Oportet eius caput tegi aureâ tiarâ, quæ etiam in Chartophylacio sita est.*

L. 4. c. 29. Et Sylvester Sguropulus in historia Concilij Florentini. *Magni Scriniarij auro redimitum caput.* Nempè & magnus Chartophylax & magnus Scriniarius erant è quinque istius Ecclesiæ Exocatocelis seu Crucigeris, qui omnes gestabant purpuream in veste crucem, & auream in capite tiaram, in synodali consessu habentes locum ante omnes Episcopos, etiam Metropolitas. Dictam tiaram ex albo linteo & auro fuisse adserit Codinus Curopalates. Ex quo vides Prærogativas

L. 1. c. 4. Dominis Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus datas non carere vetusto

F. 148. fundamento. Etiam quibusdam latinis Episcopis olim non fuisse Mitræ privilegium testatur magnum Belgij Chronicon, Ecclesiæ Ultrajectensi & Gidebaldo Episcopo affirmans priùs donatam à Calixto Papa secundo.

L. 1. Con. Eph. c. 31. At his obstat sacra Divalis, quâ Cyrillus ad Synodum fuit evocatus. Turbatam fidem mandat disputari in utramque partem, & addit. *Cui diiudicandæ eos præfici oportet, qui Sacerdotiis ubique præsident,* id est, om-

omnes Metropolitas. Neminem vult dominari cæteris, omnium verò minimè Cyrillum; quem de Ecclesijs, imperio, domo Augustâ turbatis arguit, pergitque. *Quamobrem & tuam quoque Reverentiam præsto adesse oportebit, neque prius nostram amicitiam te recuperaturum confidas, quam omni turbatione & animorum ægritudine sedatâ ad propositarum quæstionum discussionem ultrò accurreris. Hâc enim ratione, quæ pro tuenda opinione acerbè & inconsultè abs te iam gesta sunt, neque privato dolore perculsus, neque alicui præter decorum infestus admisisse & quæ adhuc reliqua sunt, legitimè transigere velle censeberis. Si quid autem secùs visum fuerit, id nequaquam sustinebimus.* Cyrillus ergò erat extra gratiam Principis, de vexato injustè Nestorio suspectus, de pravo Capitulorum dogmate ab illo reconventus, citatus ad Synodum tamquam reus: Adeò remotus erat à Præsidentia & supremi Judicis dignitate. Et hinc Joannes Patriarcha Antiochenus eum & accusavit & damnavit tamquam Canonum, Legum, & sacrarum Iussionum prævaricatorem, utpotè qui secundùm illa obligatus stare in reorum ordine judicandus, tyrannicâ potestate invasisset supremum locum, ideòque læsisset non solummodò Ecclesiasticam disciplinam, sed & Regiam Majestatem. Etiam Comes Candidianus, Principis ad Synodum Legatus & Vicarius, questus est sese, dum sacras Iussiones & literas observari postulat, fuisse ab illo de Synodo ejectum. Et quidem in reorum ordine stare debuisse videtur ex duplici Canone: Primò, tamquam de Apollinarij lepra à Nestorio accusatus; deindè tamquam Vicarius Pontificis Celestini, per Nestorij appellationem ex judice demutati in reum, adeòque obligati ad Synodo dandas judicij sui rationes.

Respondeo & fateor Synodi Presidentiam per Divales literas fuisse Cyrillo interdictam. Caussam ipse aperit in literis ad Clerum Constantinopolitanum. *Libellum supplicem vestrâ operâ ad me missum, qui Imperatori* contra Nestorium *porrigendus esset non sine nostra sententia, accepi & legi. Verùm quod prolixè in eum invehatur, hactenùs suppressi, ne adversùm nos insurgens se per nos hæreseos delatum apud Imperatorem cavilletur. Intereà protestati sumus fore, ut inimicitiarum caussâ posthac iudicium illius devitemus, præsentemque controversiam, si omninò importuni esse perrexerint, ad aliud forum transferamus.* Synodi Præsidentiam ob suspensum appellatione Celestinum Pontificem ambiebat & sibi à Principe spondebat Nestorius; at verò adversùs illum protestatus fuit sanctus Cyrillus, ideòque omnibus generaliter Metropolitis Augustus imposuit. Episcoporum Primatibus impositam testatur in literis ad Marim Persidis Episcopum Ibas Metropolita Edessenus. Erat contra Canones. Quis enim nesciat generalis Synodi Præsidentiam jure

L 1. Con. Eph. c. 12.

jure Divino esse Episcopi Romani? Quis nesciat à Romano Episcopo ad generalem Synodum appellari non posse, nec divinam illius potestatem attentato appellationis fuco suspendi? Eusebianæ & Acacianæ sunt præsumptiones istæ, adversùm quas in literis ad Dardaniæ
Epist. 13. Episcopos, & in Commonitorio ad Faustum Magistrum scribit Gelasius Pontifex. *Cuncta per mundum novit Ecclesia, quod ad Sedem beati*
Epist. 4. *Petri Apostoli de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit apellare permissus.* Neque cuiquam per eosdem Canones de ejus licet judicare judicio, aut ipsum, nisi de ejus licentia, retractare. Absit, ut data per ipsam retractandi facultas ejus potestatem suspendat, aut ejus Episcopum ex judice demutet in reum vel accusatorem. Etenim Melchiadis Papæ de Donatistis successor Sylvester, & suum de sancto Athanasio judicium Julius Pontifex retractari permiserunt à Synodis Arelatensi & Sardicensi, cui tamen utrique utriusque Pontificis Legati tamquam judices præsederunt. Neque aliud vel postulare fuerunt ausi Donatistæ & Eusebiani. Et hìnc ad quosdam Donatistas de laudato Melchiadis judicio scribit sanctus
Epist. 162. Augustinus. *Ecce, putemus, illos Episcopos, qui Romæ iudicarunt, non bonos iudices fuisse: Restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universæ Concilium, ubi etiam cum ipsis iudicibus caussa posset agitari, ut si malè iudicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur.* Disertè dicit non dumtaxat Romanum Episcopum, sed & ejus assessores in retractatorio judicio debere rursùm judices esse. Romanæ Ecclesiæ est istud privilegium, quod quisquis mutilare attentat, semetipsum in inferna demergit, uti
Epist. 89. c. 1. ad Provinciæ Viennensis Episcopos scribit sanctus Leo, & Nestorius suo monstravit exemplo.

Rectè Synodus Alexandrina in literis ad omnes Episcopos orthodoxos de Conciliabulo Tyrio. *Præclari Eusebiani nomen Synodi suis actis prætexunt, cùm res ipsa negotium imperatorium, non synodale haberi debeat, quippè ubi Comes præsideat, & milites Episcopos sub satellitio cingant, & imperatoria Edicta, quos ipsi volunt, coire compellant. Si enim veluti Episcopi sese iudices volebant esse, quid opus erat vel Comite, vel militibus, aut Edictis ad coeundum imperialibus?* Etenim dictum Conciliabulum circumscriptus ab Eusebianis Constantinus Augustus convocàrat, adfuturos Episcopos designârat, dederat Præsidem & formam procedendi, miseratque Comitem Edictorum suorum executorem. Eodem jure nostra Ephesina Synodus Theodosij Augusti sacras jussiones Canonibus adversas, earumque executorem Comitem Candidianum rejecit, & in Præsidem admisit sanctum Cyrillum, delegatum à Celestino Pontifice, volens de Nestorio synodale, non impera-

ratorium judicium celebrare. Quocircà Joannes Antiochenus nugas adducit, suâ personâ indignas.

Porrò Theodosius Augustus Synodo adesse voluit omnes sub cælo Metropolitas Episcopos, addito hoc ad singulos mandato. *Pietas tua nonnullos, quos idoneos iudicabit, sanctißimos Provinciæ suæ Episcopos simul secum adducat, ità ut neque necessarij sanctißimis eiusdem Provinciæ Ecclesiis desint, neque ij rursùm, qui ad eam rem apti censebuntur, in sacra Synodo desiderentur.* Quocircà errat in suis ad Principem Relationibus Ioannes Antiochenus, dicens mandatum à Principe, ut quisque Metropolita duos dumtaxat adduceret Provinciales. Nempè Cyrillum & Memnonem Primatem Ephesinum, qui longè plures adduxerant, facere conatur etiam hujus sacri mandati violatores.

L 1. Con. Eph. c 32.

F. 448. 451.

Nullus omninò Provincialis Episcopus aut à Principe aut à Papa invitatus fuit, nisi unicus sanctus Augustinus. *Eius præsentiam peculiari ratione fuisse à Theodosio Augusto efflagitatam*, scribit ad Synodum Capreolus Carthaginensis Archi-Episcopus, & in Breviario pluribus refert Liberatus Diaconus ejusdem Ecclesiæ. Divales literas, quod Augustinum ab aliquot mensibus defunctum reperirent, auctoritate Primatiali aperuit laudatus Capreolus, volebatque omnem suam convocare Diœcesim, & ex quâvis Provinciâ quosdam Episcopos mittere Ephesum; at *effusa hostium multitudo, & ingens ubique* per Wandalos *vastatio*, nec non & temporis angustia impedierunt. Legavit tamen Bassulam, insigniter doctum Ecclesiæ suæ Diaconum, cum excusationis literis, sanctique Augustini & totius Africæ sensu de proposita quæstione, & addidit. *Si quid fortè novarum controversiarum inciderit, id discußioni subijciatur, oportet; at verò si quis olim diiudicata in disputationem vocari sinat, is sanè aliud nihil facere censebitur, quam de fide, quæ hactenùs valuit, ipse dubitare.* Addidit adversùm suprà memoratos Ex Episcopos Pelagianos, quos ad indictam Ephesinam Synodum audierat exultasse, sperantes Romanum de suis dogmatibus & personis judicium istic retractandum & reformandum. Hujus legationis caussâ scribit in Relatione ad Principem Synodus suo consessui adesse omnem Africanam Ecclesiam: Omne item Illyricum, totumque Occidentem. Eodem jure suprà laudatus Dalmatius Archimandrita populo Constantinopolitano dixit Synodo adhærere sex millia Episcoporum degentium sub suis Metropolitis: Nempè per similes literas aut legationes. Ex quibus liquet Synodum fuisse veraciter œcumenicam.

C. 4.

F. 473. 475.

Porrò corporaliter præsentes fuisse passim dicuntur Episcopi ducenti: Numero rotundo. Etenim dato in Nestorium judicio adfuisse

circi-

F. 381. *circiter plus minùs ducentos* scribit Cyrillus ad Clerum & populum suum Alexandrinum. In libellis pro se & Memnone Ephesino exhibitis Synodo adversùs Joannem Antiochenum adfirmat fuisse supra
F. 427. ducentos. Consentiunt variæ synodales Relationes. Ad Principem adversùs eundem Ioannem Relatio ait fuisse ducentos & decem. At verò ipsi sententiæ subscripti leguntur soli centum nonaginta octo. Adjuncta subnotatio omnia conciliat. *Postquàm hi omnes Nestorij depositioni subscripsissent, accesserunt alij Episcopi ad sanctam Synodum, qui & ipsi quoque propositæ damnationi subscripserunt. Episcopi itàque, qui ipsum Nestorium deposuerunt, plures quam ducenti exstiterunt. Aliqui enim locum tenuerunt aliorum Episcoporum, qui ad Ephesiorum Metropolim venire non potuerunt.* Ioannes Antiochenus Cyrillo adfuisse dicit quinquaginta Ægyptios, Memnoni quadraginta Asiaticos,& è Pamphylia multos; fuisse turbam imperitam, permixtos Messalianos, Pelagianistas, aliosque ob crimina depositos & damnatos: Synodum faciendam ex paucis Episcopis, à multis nihil sperandum, nisi turbas. Est antiqua omnium hæreticorum & schismaticorum vox insana, blaterantium cum Montanista Tertulliano, quod Ecclesia non sit numerus Episcoporum. At quomodò ex paucis Episcopis fieri possit generalis Synodus, eodem Tertulliano teste, *repræsentatio totius Christianitatis*? Adfuerunt Iuvenalis Hierosolymæ Episcopus, Rufus Thessalonicensis & Apostolicæ Sedis in Illyrico Vicarius per Legatum Flavianum Philippensem, Memnon Asiæ, Firmus Ponti Primas, alijque id genus multi, quos constat non fuisse turbam imperitam. Et quidem Flavianus Rufum vocat suum Patrem: Ex quo vides etiam Achaiam, licet Proconsularem, subfuisse vicibus Apostolicis Thessalonicæ.

Theodosius Augustus adjunxit Candidianum Comitem Domesticorum. Domestici porrò erant Palatinæ seu Prætorianæ militiæ pars nobilior, quam Gordianus Iunior Augustus instituit, vocavitque *Protectores Domesticos*. Recentiores Græcorum Augusti, teste Georgio Cedreno, Spatharios appellavêre. Alij Equites, alij Pedites erant, ideòque & alius horum, alius istorum Comes. Erat altum officium, Illustris & Magnifici titulo insigne. Et hinc apud Græcorum Ecclesias natus videtur *Domesticus Subdiaconorum*, de quo Anastasius Bi-
Act. 2. bliothecarius in notis marginalibus ad Synodum octavam. *Primum Subdiaconorum Græci* DOMESTICUM *vocant, quem Romani* OBLATIONARIUM. Comitem, inquam, Candidianum Princeps in Synodo esse voluit suum Vicarium & Legatum, Canonum & Ordinis custo-
L. 1. Con. dem, edendorum Decretorum executorem, donatum hâc potestate
Eph c 35. & mandatis. *Candidianum præclarissimum religiosorum Domesticorum Comi-*

Comitem ad sacram vestram Synodum abire iussimus, sed eâ lege & conditione, ut cum quæstionibus & controversiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquid commune habeat: Nefas est enim, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotijs & consultationibus sese immiscere. Ejus munus erat Monachos & sæculares, ad Synodum quasi ad spectaculum confluentes, & quandòque turbis studentes, è civitate pellere; impedire Episcoporum in disputando lites, eis adversùs Patriarcharum, & Primatum violentiam stabilire dicendi & suffragandi libertatem, nullum Episcopum ante decreta & definita omnia permittere abire è Synodo, ne quidem ad Comitatum, tandemque efficere, ut quam citissimus finis omnibus imponeretur. Hinc addidit sacra Divalis. *Ne ullam omninò aut Ecclesiasticam, aut aliam quamcumque controversiam, undecumque natam vel motam, quæ ad propositam sancti dogmatis considerationem non pertineat, antè moveri sinas* Comes Candidianus, *quam eorum omnium, quæ nunc in quæstionem vocata sunt, ambiguitate solutâ, ea, quæ ad veritatis investigationem faciunt, exactissimo iudicio discutiantur, finemque orthodoxæ Religioni congruum sortiantur.* Eodem fine etiam publica Ephesiorum tribunalia jussa sunt penitùs silere.

Adjunctus est & Irenæus Comes, de quo Sacra. *Magnificentissimus Comes Irenæus neque sanctissimæ vestræ Synodi consilijs, neque his, quæ Eximio Legato nostro Candidiano à nobis demandata sunt, ullatenùs communicare debet: ut qui solùm amicitiæ causà cum pijssimo huius celeberrimæ civitatis Episcopo Nestorio Ephesum profectus sit.* Etiam Candidianus fuit Nestorio nimiùm amicus: Amborum pro illo in Synodo tragedias statim edisseremus.

Synodi locus fuit Ephesina civitas, caput totius Diœceseos Asiaticæ. Rationem edicit Theodosius Augustus in literis ad Patres missis per Joannem Comitem Sacrorum. *Deputavimus Ephesiorum civitatem, terrâ marique accessu percommodam, ibique diversantibus necessaria suppeditantem affatim è nativis apportatisque fructibus.* At Domini Dei, in cujus manu sunt & vertuntur corda Regum, ratio videtur fuisse longè alia. Primatialis Ephesiorum Ecclesia MARIAE DEIPARAE erat consecrata, atque istic ab ipsis etiam lapidibus voluit ille blasphemam Nestorij linguam confundi. Quod Memnon Ephesiorum Episcopus orthodoxis Patribus *magnam Ecclesiam aperuerit, idoneamque consessus sedem ibidem præparaverit*, scribit ad Principem ipse Nestorius. Quedam tamen Actiones celebratæ fuerunt in domo Episcopali: Ob schisma Joannis Antiocheni.

F. 460.

Indicta fuit Synodus Theodosij Junioris tertio decimo, & Valen-

 tiniani

tiniani tertij Augusti consulatu tertio, Domini quadringentesimo trigesimo, Celestini Pontificis quarto, Nestorij Episcopi anno secundo. Sacra Principum tractoria data est decimo tertio Kalendas Decembres, traxitque ad anni sequentis, habentis Consules Bassum & Antiochum, Paschale festum die decimo nono Aprilis, diem Pentecostes, septimum mensis Junij. Etenim inchoata fuit Synodus decimo Kalendas Iulias, dixitque tunc Memnon Episcopus Ephesinus: *A*
F. 324. *præfinita die in pijs & religiosis literis præteriêre sexdecim dies.* Evagrius Scholasticus Epiphaniensis præterijsse dixit solos quindecim. Nempè inceptæ Synodi diem unus includit, excludit alter, adeòque indicta fuit illa in diem dictum. Paucis ante indictionem mensibus obierat sanctus Augustinus.

CAPVT III.

Acta Synodi de Nestorij dogmate & persona.

Cap. 5. CONtinuò, inquit Liberatus Carthaginensis, *post Paschalem festivitatem Nestorius cum maxima multitudine venit Ephesum, & invenit plurimos Episcopos collectos.* Fuisse populi, utique Irenæum Comi-
L.7. c. 33. tem sequentis, multitudinem, quâ terribilem adversarijs se ostentavit, Socrates testatur. Suo item tempore adfuit Cyrillus, turbatissimo mari adgressus iter, & cum illo per viam periculosè luctatus: Pro reparando dogmate etiam paratus ad moriendum, uti scribit in libro Apologetico ad Principem. Adfuerunt & alij suprà memorati Primates Episcopi: unus defuit Joannes Antiochenus.

Synodus statim in ipso exordio divisa fuit in duas communiones. Modica Nestorio, major & sanior pars adhæsit Cyrillo, præsertim verò Memnon Ephesinus, à factione Nestoriana passim dictus Cyrilli Satelles. Sacrosanctum Pentecostes diem ne in eadem quidem Ecclesia sustinuerunt celebrare: Orthodoxis in DEIPARAE magna & primatiali relictis, Nestoriani occupare tentârunt Basilicam sancti Ioannis Evangelistæ; at intercessit, tanquam loci Ordinarius, laudatus Memnon, de quo postmodùm apud Ioannem Antiochenum factio est que-
F. 393. sta. *Sanctas Ecclesias, sanctasque Martyrum ædes, ac sanctam quoque Ioannis Apostoli Basilicam præclusit, & ne sacrum quidem Pentecostes diem religiosissimis Episcopis celebrare permisit, extrema comminatus, nisi confusi eorum concilio se adiungerent.* Nec sibi orare istic permissum, queritur factio in Relatione ad Senatum Constantinopolitanum. Addit in Relatione ad Principem Nestorius etiam reis illuc confugientibus negatum asylum. Fecisse hæc, & civitatem turbis implevisse accusatus fuit

fuit Memnon per collectam multitudinem agrestium Asiaticorum, F. 399.
& Satellitium nautarum Ægyptiorum. Tractabat eos tamquam schismaticos, palàmque pollutos contagiosâ communione Nestorij hæretici professi, utpotè qui in ipso Synodi loco cum Episcopis disputans quotidie antiquum virus vomeret, & coram Theodoto Ancyræ atque Acacio Melitinæ Archi-Episcopis orthodoxis Christum Dominum & benedictam Matrem ejus impudentissimè blasphemasset. Et hinc etiam non otiosus Cyrillus *deflorationes quasdam librorum* Liberat. *Nestorij faciebat, eum perturbare*, id est, in Synodo de hæresi convincere c. 5. *volens: Erat enim, ut dicitur, eius inimicus.* Immò eum patiebatur inimicum calumniosissimum.

Ephesinam interim viam carpebat cum suis Episcopis Joannes Patriarcha Antiochenus, & ab omnibus exspectatus hæc scripsit ad Cyrillum. *Tandem post multas exantlatas itineris molestias, Sanctitatis* L. 1. Con. *tuæ precibus adiutus, præ foribus sum. Nam triginta totos dies (tot enim* Eph. c. 36. *spacij intercapedo postulat) iter usque facio, nihil quidquam quietis mihi prorsùs indulgens: Multis interim religiosissimis Episcopis ob itineris difficultatem graviter afflictis, neque paucis quoque iumentis ob continuum prosecutionis laborem exstinctis.* Decimo sexto post Pentecosten die Ephesum advenerunt Alexander Apameensis secundæ Syriæ, & Alexander Hierapolitanus Provinciæ Eufratesiæ Episcopi Metropolitæ, Synodo de nimijs Joannis eorum Patriarchæ cunctationibus querenti dicentes: *Mandavit nobis, ut Pietati vestræ indicemus, ne Synodum pro-* F. 375. 428. *rogetis, si ipsum ampliùs tardare contigerit, sed potiùs, quod opus est facto, id fiat.* Non fuisse mentitos ostendit in libro ad Principem Apologetico S. Cyrillus ex firma deinceps amicitia inter illos & Joannem. Hunc etiam sibi usque huc fuisse amicum & benevolum ibidem testatur. F. 369. Undè & biduo ante inchoatum consessum illi rescripsit, *quod universa Synodus eius adventum præstolaretur.* Vera tardationis caussa latet in obscuro. Evagrius Epiphaniensis studiosam illi apologiam texit; suum de illa sensum edicit Synodus in Relatione ad Celestinum Papam. *Certò constabat* Ioannem *detrectare consessum: vel quod* F. 428. *amicitiæ, quæ illi cum Nestorio intercedebat, indulgeret, vel quod is Ecclesiæ suæ fuit Clericus, vel etiam quod quorumdam pro illo deprecationibus morem gereret.* Nestorium, suum Presbyterum & sub Theodoro Mopsuestiensi condiscipulum, ad Episcopatum Constantinopolitanum strenuè Ioannes commendârat, ideòque de illius hæresi, superbia, tyrannide, necessaria damnatione, turbatisque per ipsum Ecclesia & Republica nolebat publicè perfundi *iusto pudore*, uti ad quosdam F. 375. de Clero Constantinopolitano scribit sanctus Cyrillus.

F. 324. Dudùm transierat dies Synodo præfixus, *multi Episcopi in ægritudinem inciderant*, nonnulli etiam extremum diem clauserant, ex tædio *quidam discesserant*, reliqui ætate confecti aut inopiâ pressi clamabant Ioannem studio abesse, ideòque inchoandam Synodum, præsertim post auditos duos memoratos Alexandros Metropolitas. Quocircà decimò Kalendas iulias primam Actionem inchoavit Cyrillus, & ad Iuvenalis Episcopi Hierosolymitani interlocutionem lectæ primùm sunt Sacræ Divales ad Synodum, quod sint veluti *fax quædam* præscribens formam & ordinem gerendorum. Legit ipse Comes Candidianus, invitus tamen & coactus, cum Episcopis Nestorianis ob Ioannis Antiocheni absentiam protestatus non inchoandam Synodum, volensque Cyrillum stare inter reos. Hæc erat paratura ad turbas inter ipsum & Ioannem pro Nestorio jam pridem conceptas. Quod à Sacra ad Canones proclamarent Episcopi, exivit ille de Synodo, postmodùmque questus est se fuisse expulsum.

Quoniam utile per inutile non vitiatur, ex Sacræ præscripto volebat Cyrillus absque Nestorio inchoare discussionem fidei, producens suas ex eius libris deflorationes; verùm Theodotus Ancyræ Episcopus ac Primæ Galatiæ Metropolita intercessit, suadens evocari & adesse Erronem. Rationem conijcio ex literis Celestini Pontificis ad hanc Cyrilli quæstionem, propositam paucis ante Synodum diebus. *Vtrùm sancta Synodus recipere debeat hominem à se prædicata damnantem; an quia induciarum tempus emensum est, sententia dudùm lata perduret?* Induciarum tempus erant decem dies Nestorio ad palinodiam à Romana Ecclesia præfixi. Apostolicus Vicarius in Synodo futurus Cyrillus rogat, nùm Nestorius, si ad mentem redeat, sit dignandus gratiâ, recipiendusque non tantùm in communionem, sed & in gradum Episcopalem. Servanda illi videbatur antiqua Regula, solos seductos aut circumscriptos Episcopos & Clericos reddens gradui, ipso erroris auctore inter laicos relicto: Ità puniendus videbatur homo in Sedem Apostolicam contumax. Plenè tamen restituendum Pontifex rescripsit, idque in gratiam Principis, palàm hominem diligentis. Hinc illum ante omnia vocandum, & modo quovis tentandum etiam Synodo Theodotus persuasit.

Porrò in libello ad Nicolaum primum Pontificem misso dicit sanctus Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus: *Lex est, ut citatus à Synodo Episcopus per duos Episcopos vocetur, & hoc iterùm ac tertiò.* Tribus ergò vicibus etiam per quatuor Episcopos ad Synodum peremptoriè citatus fuit Nestorius, primâ vice respondens: *Mecum deliberabo, & si quidem venire me oportuerit, veniam.* Alterâ non fecit sui copiam

piam, per Florentium Candidiani Comitis Tribunum appellans ad adventum Joannis Antiocheni. Citationis tertiæ eventum edicit Joannes Episcopus Ephesti unus è Synodi Legatus. *Diu, multùmq́, præstolati ne sub umbra quidem ab illius Satellitibus consistere permissi sumus, immò insolenter & impudenter hùc illucque nos impellentes vix tantillum loci concedebant, ubi pedem securè figeremus. Sed neque ullo humano responso nos dignabantur.* Omnes suos tùm Legatos rediisse militum *contumeliâ & conviciis oneratos* queritur Synodus in Relatione ad Principem. Nestorij namque Satellites erant Comitis Candidiani milites, armati fustibus, vestibulo adhibiti custodes, ne quis è Synodo ad illum ingrederetur. Ejus Clerici erant militum socij & rectores. Et huc respicit Celestinus Pontifex in literis ad Clerum & populum Constantinopolitanum: *Quis petitorem Synodi crederet Synodo abfuturum?* Etiam quartâ vocatione hominem honorandum, utpotè Principi charum Regiæ civitatis Episcopum, censebat Juvenalis Hierosolymitanus; at dicta in Episcopos militaris injuria impedivit. L. 1. c. 19.

Et hinc oritur quæstio, quomodò Nestorius ab ipsa Synodo usque ad latam in ipsum depositionis sententiam assiduè vocetur religiosissimus, reverendissimus, pijssimus Episcopus. Exindè sanè quidam existimant appellationi à Romana sententia ad generalem Synodum interjectæ ab ipso hìc Ephesino Concilio permitti & adscribi effectum suspensivum. Etenim præfixarum à Celestino Pontifice induciarum tempus jam dudum effluxerat, adeòque non nisi appellationis beneficio poterat Nestorius esse Episcopus.

Quæstio hæc est quasi ea ipsa, quam statim audivimus Celestino Pontifici propositam à sancto Cyrillo, Nestorium non ampliùs Episcopum, sed hominem vocante, idque ob lapsum tempus induciarum. Eadem de caussa judicavit non vocandum ad discussionem dogmatis: Utpotè jam Ex-Episcopum, in quem depositionis sententia non ferenda erat, sed dumtaxat confirmanda. Fateor tamen illi appellanti datum fuisse effectum suspensivum: Nequaquàm per Canones, sed ob violentos affectus circumscripti Theodosij Augusti. Sacras jussiones Canonibus adversas semper sprevit atque exufflavit Ecclesia, attamen cum moderamine, ex quo sanctus Gregorius magnus scribit ad Anatolium Diaconum Ecclesiæ Constantinopolitanæ. *Quod pijssimus Imperator fecerit, si canonicum est, sequimur; si verò canonicum non est, in quantum sine peccato nostro valemus, portamus.* L. 9. Ep. 41

Tandem ergò sine Nestorio ad dogmatis disquisitionem processit Synodus, & post Nicenum Symbolum, generalem fidei Regulam, Celestini Pontificis nec non sancti Cyrilli de præsenti quæstione li-

teras lectas unanimi suffragio comprobavit, tamquam laudato Symbolo per omnia conformes: Etiam Epistolam duodecim Capitulorum. Celestinum fuisse virum illustrem, ejusque Epistolam penitùs Divinam testatur Evagrius Epiphaniensis. Lectæ sunt etiam Nestorij literæ & Capitula, exclamâruntque omnes simul Episcopi. *Quicumque Nestorium non anathematizat, anathemasit. Omnes Nestorij Epistolam & dogmata anathematizamus: Omnes hæreticum Nestorium anathematizamus. Omnes eos, qui cum Nestorio communicant, anathematizamus.*

L.1. c.4.

Accessit Theodotus, Ancyræ Episcopus & primæ Galatiæ Metropolita, testans sibi in ipsa Ephesina civitate palàm coram multis Episcopis dictum à disceptante Nestorio: *Ego bimestrem aut trimestrem Deum non appellavero.* Acacius Melitinæ Episcopus & secundæ Armeniæ Metropolita deposuit se partim à Nestorio, partim ab ejus Episcopis audisse tria. Primò, *Deum verbum non esse incarnatum, aut certè Patrem & Spiritum sanctum incarnatos unà cum ipso:* Unam namque sine alijs personam incarnari non posse, fuit unum è palmaribus Nestorij fundamentis. Secundò, *Alium esse Filium, qui mortem subijt, alium Dei Verbum.* Tertiò, *Iudæos non in Deum, sed in hominem impios exstitisse.*

Hinc interlocutus est Flavianus Metropolita Philippensis, Vicariusque Rufi Archi-Episcopi Thessalonicensis. *Consequens est, ut beatorum Patrum nostrorum sententiæ ad præsens institutum facientes in medium proferantur, prolataq́ue & lectæ in acta referantur.* Neque enim Synodorum est novas dogmatum revelationes à Deo accipere, sed Prophetis ac Apostolis olim factas per adsistentem sanctum Jesu Christi Spiritum interpretari, idque ex illis, ad quos in Timotheo dixit Apostolus: *Depositum custodi.* Utique Divinum Christiani dogmatis depositum, Apostolis à Christo, Christo traditum à Deo, quod eidem Apostoli tradidêre proximis sibi Episcopis etiam ad nos & nostros ad usque sæculi finem successores sub fidis sigillis traducendum. Hinc dogmaticam suam Epistolam adversùs Eutychianorum criminationes defendens sanctus Leo magnus sufficere duxit hoc verbum: *A sanctorum Patrum confessione non recessi.* Et ad Græcos suos in Florentina Synodo verissimè dixit Bessarion Metropolita Nicenus Concilijs generalibus sanctos Patres semper fuisse *regulam & gloriam veritatis.*

Orat. dogmat. c.3.

Lecta itàque sunt varia variorum Patrum de controverso dogmate testimonia. Lectæ item & illis collatæ scedę ex Nestorij libris defloratæ, exclamavitque ad lectionis medium laudatus Flavianus. *Horrenda & blasphema sunt Nestorij dicta, neque aures nostræ hisce ampliùs inquinari*

nari ferunt. Quare tandem lata est in illum hæc sententia. *Cùm præter cætera impijßimus Nestorius neque nostræ citationi parere, neque sanctißimos religiosißimosq; Episcopos à nobis destinatos admittere voluerit, non potuimus ad eorum, quæ impiè docuit, examinationem animum non adiungere. Deprehendentes itaque partim ex literis commentarijsq; ipsius hic publicè lectis; partim è sermonibus, quos nuperrimè in hac Ephesiorum Metropoli habuit, quique testimonijs comperti sunt, illum impiè sentire & prædicare: Coacti per sacros Canones & Epistolam sanctißimi Patris nostri & Comministri Celestini, Romanæ Ecclesiæ Episcopi, lacrymis subinde perfusi, ad hanc lugubrem contra eum sententiam necessariò venimus. Igitur Dominus noster Iesus Christus, quem suis ille blasphemis vocibus impetivit, per sanctißimam hanc Synodum eundem Nestorium Episcopali dignitate privatum, & ab universo Sacerdotum consortio & cœtu alienum esse definit.* Celestinum Papam Synodus vocat suum Patrem, per cujus literas jussa & coacta fuerit ità judicare: Atque ità illi profitetur se subesse.

Gestorum diem, ordinem, finem scribit sanctus Cyrillus ad Clerum & populum suum Alexandrinum. *Scitote sanctam Synodum in magna civitatis Ephesi Ecclesia, quæ appellatur* DEIPARA MARIA, *vigesimâ octavâ mensis Pauni fuisse factam. Cùm autem totus dies insumptus ibidem esset, tandem damnatum blasphemum Nestorium, nec ad sanctam Synodum audentem accedere, depositionis sententiæ subiecimus, & ab Episcopatus gradu amovimus. Episcopi autem, qui convenimus, ducenti circiter eramus, plùs, minùs. Vniversus verò civitatis populus à primo diei ortu usque ad vesperam sanctæ Synodi iudicium præstolabatur. Vt autem auditum est, illum blasphemiarum auctorem suâ dignitate privatum esse, omnes unâ voce sanctam Synodum laudare, Deumque glorificare cœperunt, quoniam fidei hostis cecidisset. Neque his contenti, nos quoque, ubi primùm ex Ecclesia egreßi fuimus, cum facibus & tædis usque ad diversorium deduxerunt. Erat enim vespera. Multa paßim lætitia, multa etiam luminaria accensa, ità ut nonnullæ quoque mulieres, thuribula gestantes, antecederent nos.* Fuisse diem vigesimam octavam mensis Pauni juxta Alexandrinos, scribit etiam in literis ad Clerum Constantinopolitanum. F. 381.

Altero die sententia fuit Nestorio insinuata per literas synodales, quarum hæc Epigraphe: *Sancta Synodus Nestorio, novo Iudæ.* Reverâ novus Judas. Etenim & Judas Christum Dominum, quod se Deum & Dei Filium diceret, tamquam hominem blasphemum Iudæis vendidit, primusque, teste Theophylacto Bulgarorum Archi-Episcopo, tremendum Eucharistiæ Mysterium enunciavit, ipsam à Domino acceptam vivificam buccellam foras prolatam exsibilans, quod eam ille credi vellet esse suam carnem. Literarum hìc fuit textus.

tus. *Agnosce te propter impias prædicationes tuas, & adversùs Canones contumaciam, vigesimo secundo die mensis Junij præsentis, iuxta Ecclesiasticarum sanctionum Decreta, à sancta Synodo depositum, atque ab omni Ecclesiastico gradu alienum esse.* Et subditur. *Hæc Epistola, die damnationem eiusdem Nestorij proximè consecutâ, ad ipsum transmissa est à sancta Synodo.* Quod ipsum de datæ atque insinuatæ sententiæ die asserit Relatio synodalis ad Clerum Constantinopolitanum. Nempè Ægyptij cunctos menses æquales triginta dierum habent, ideòque quoad quinque aut sex dies quandoque ab illis discrepamus.

Proindè insinuatæ sententiæ dies fuit Junij vigesimâ tertiâ. Etiam tunc facta est illius publicatio solennis, de qua ad Ioannem Antiochenum questus est Comes Candidianus. *Sequenti latam sententiam die, cùm penitus, quid actum esset, nescirem, repentè sanctissimum Episcopum Nestorium ab ipsis esse depositum audivi. Refixi Scripturam illam depositionis publicè propositam, quam ad piissimos Imperatores nostros misi. Paulò post & publicos quoque præcones forum obeuntes, memoratique sanctissimi Episcopi Nestorij depositionem solenni pompâ ebuccinantes audio. Cùm igitur hæc rescivissem, inhibitiones ad illos misi, ne quid omninò præter ea, quæ à religiosissimis nostris Imperatoribus decreta fuerant, molirentur.* Adeò igitur Candidiani refixionem sprevit Synodus, ut refixam sententiam curârit longè solenniùs per publicos præcones promulgari, & Canones prævalere Regijs Edictis.

Verùm ab hac sententia mox appellavit Nestorius, & à circumscripto in suum patrocinium Principe per novas preces mendacijs onustas expostulavit novam Synodum, ejusque conatus per similes Relationes strenuè adjuvit Comes Candidianus, etiam in ipsa Ephesiorum Metropoli operatus pessima, quæ refert Memnon ejusdem civitatis Episcopus in literis ad Clerum Constantinopolitanum. *Magnificentissimus Comes Candidianus milites interdùm in nos concitans totam civitatem tumultuationibus implet, omniumque simul vitæ necessariorum importatione per custodiam nos privat. Non paucos quoque ex Zeuxippo, qui deposito Nestorio adhærent, permittit in nos & totam sanctam Synodum contumelias effundere, qui & ob hanc caussam aluntur. Quin etiam non parva rusticorum multitudo per illos petulantiùs nos insectantium ex Ecclesiasticis possessionibus convenit.* In Memnonis ac aliorum Asiæ Episcoporum possessiones immisit manum Regiam, earumque rusticos servos movit in dominos: Quam violentiæ speciem creditur in sanctum Basilium adinvenisse Valens Imperator Arianus, frequenterque usurpavit Iustinianus Augustus. Zeuxippus Constantinopolitanus erant amplissima militum balnea, adeòque isti contumeliosi fuisse videntur illo-

illorum servi. Similes insolentias addidit & Comes Irenæus, de quo synodalis Relatio ad Principem. *Vniversam sanctam Synodum vehementer conturbavit, tantamque Episcopis formidinem per quasdam tumultuationes & externam incursionem incußit, ut plures è nobis etiam de vita periclitarentur.*

Orthodoxis item Episcopis & mare & terram clauserunt. Audiamus Synodi literas ad Clerum Constantinopolitanum. *Sciat Pietas vestra Ephesum perindè ac carcerem prorsùs nos inhabitare, in qua iam trimestre spatium usque adeò arctè inclusi tenemur, ut neque per mare, neque per terras liberè & absque discrimine quempiam omninò, vel ad pium Comitatum, vel in alium aliquem locum amandare poßimus. Nam quotiescumque ea, quæ misimus, reddi contigit, ut tabellarij sexcenta vitæ discrimina evaderent, in alias atque alias formas sese transformare coacti sunt. Quòd autem tam diligenter custodimur, hoc aliundè non provenit, quam quod ad piißimos Imperatores omnia contra nos falsò deferuntur.* Hinc dudùm & Princeps, & omnis ad Synodi successum anhela civitas Regia de Nestorij depositione & caussa nihil sciverunt, nisi mendacia Candidiani, attentantis hanc violentiam vigore Sacræ Divalis, quæ mandabat nemini permitti abitum è Synodo, ne quidem ad Comitatum. Verùm addebat: *Ante omnia decreta & definita.* Quidam tandem mendicus synodales literas arundineo scipioni inclusit, mendicando Constantinopolim detulit, tradiditque superiùs laudato Dalmatio Archimandritæ, qui eas primùm Principi, deindè in sancti Mocij Ecclesia toti populo divulgavit, exclamans & à cunctis exclamari faciens: *Anathema Nestorio.* F. 485.

CAPVT IV.

Ioannis Patriarchæ Antiocheni adventus & Acta.

TAndem ergò Ephesum advenit Ioannes Patriarcha Antiochenus. Etenim qui ipso cæptæ Synodi die per duos Metropolitas mandârat se non expectandum, per Magistrianos Comiti Candidiano promisit se brevi adfuturum, uti in Relatione ad Principem testatur ipse Nestorius. Evagrius Epiphaniensis advenisse dicit quinto die post damnatum Nestorium. Et Comes Candidianus in suis ad illum querimonijs: *Cùm ante proximos quinque dies Episcopi in Ecclesia convenissent.* Attamen in græco dumtaxat habetur, *Per hosce dies*, numero non adjecto. Et Relatio synodalis ad Principem missa per Palladium Magistrianum. *Ioannes Episcopus Antiochenus sanctam Synodum post terminum à vestra Maiestate præstitutum supra dies viginti & unum suspen-*

 sans

sam tenuit. Relatio per Episcopos Legatos missa illum vix comparuisse dicit die vigesimâ secundâ post tempus præfinitum, id est, die Junij vigesimo octavo, post Nestorium damnatum sexto. At verò Ibas Edessæ Episcopus, è Joannis comitibus & Metropolitis unus, adeòque testis irrefragabilis, in famosa sua Epistola scribit longè aliter: *Post duos dies damnationis Nestorij venimus in Ephesum*. Quod ipsum
Cap. 5. dicit in Breviario Liberatus Diaconus Ecclesiæ Carthaginensis. Est nodus difficilis, cujus solutionem malim ab alio audire.

Nestorius ad Principem scribit exspectatum fuisse cum suis Metropolitis & varijs Italiæ atque Siciliæ Episcopis. Verùm quid Italis & Siculis cum Patriarcha Antiocheno? Exponit sanctus Cyrillus in libro ad Principem Apologetico: *Erant factionis illius socij viri exules, Celestiani depositi, Nestorianaq́ dementia satellites*. Iulianus, Orontius, alijque Ex-Episcopi Pelagiani ob rigida Celestini Pontificis mandata dimissi à Nestorio ex Regia urbe, abiére Antiochiam ad Ioannem, haud dubiè literis formatis commendati, & tamquam desperati adversùs Romanam Ecclesiam lupi cum eodem Ioanne venerunt Ephesum, turbas dudùm mente dispositas facturi. Synodalis ad Principem Relatio Nestorij & Ioannis in unum conflatas factiones fuisse dicit Episcopos solummodò septem & triginta, adducitque nomina singulorum, adducta etiam in superiùs à nobis exposito Canonum Ephesinorum proœmio, in quibusdam tamen variante. Eorum in sanctum Cyrillum & Memnonem Ephesiorum Episcopum latæ sententiæ subscribunt quadraginta tres, eosque inter nullus est Pelagianus. Iulianus enim & Gerontius, sive Orontius, non sunt Itali aut Siculi: Prior Larissenus in secunda Syria, posterior est Episcopus Claudiopolitanus.

Ioanni adhærebant octo proprij Metropolitæ, quisque cum duobus dumtaxat Suffraganeis, uti in suis ad Principem Relationibus frequenter ipse affirmat. Nempè secundæ Syriæ Alexander Apameensis, Phœniciæ Libanesiæ Joannes Damascenus, Provinciæ Eufratesiæ Alexander Hierapolitanus, Isauriæ Dexianus Seleuciensis, Arabiæ Antiochus Bostrensis, primæ Ciliciæ Helladius Tharsensis, Mesopotamiæ Asterius Amidenus, & secundæ Ciliciæ Metropolita Maximianus Episcopus Anazarbi. Deerant Rheginus Cypriorum, Provinciæ Osrhoënæ Ibas Edessenus, Phœniciæ Maritimæ Cyrus Tyriorum, nec non Metropolitę trium Palestinarum. Etenim laudatus Cyprius, insignis pro fide orthodoxa pugil, esse Autocephalus; Iuvenalis autem Hierosolymitanus haberi ambiebat Apostolicæ Sedis Antistes, novusque Patriarcha trium Palestinarum. Cyri absentis vices gessit Macarius

Epis-

Episcopus Laodicensis: Liquet ex Orientalium synodali, legatis suis dato mandato, Ibam adfuisse, ut etiè adfirmat Facundus Hermianensis ex suprà ejus adductis verbis, *Venimus Ephesum*: Et, *Cognoscentibus nobis*. Strenuè ibidem adversùs S. Cyrillum laborasse docent ejus posteriores calamitates. Cur nullis actis subscripserit, nullaque fiat ejus memoria, fateor me ignorare. De Pelagianis, ob Celestini Pontificis mandata, timuit Ioannes Antiochenus, ideòque ad suffragium non admisit. Eorum tamen nomina exprimit synodalis ad Celestinum Pontificem Relatio: *Iulianus, Persidius, Florus, Marcellinus, Orontius*. F. 461. F. 431.

Nestorio autem adhærebant Fritilas Heracleensis Episcopus, Europæ Metropolita, Primasque totius Thraciæ Diœceseos, Bithyniæ Himerius Nicomediensis, secundæ Cappadociæ Eucherius Thyanensis, secundæ Mæsiæ Metropolita Dorotheus Episcopus Marcianopolitanus, fœdus ille Nestorij Palpo, ausus cum voce, DEIPARA, omnem sub cælo Ecclesiam anathematizare, & Basilius Thessaliæ Metropolita, unicus Apostata ex toto Patriarchatu Romano, quem respiciunt hæc verba Relationis synodalis ad Celestinum Pontificem: *Nonnulli de ijs, qui ex Thessalia fuerunt eiecti*. Et huc, rhetorico auxeseos schemate usus, respicit Facundus Episcopus Hermianensis. *Non parvus numerus, aut parva fuit auctoritas illorum etiam Primatum, qui cùm Diœceseos Episcopis, sicut erant admoniti, venientes Ephesum cum sancto Ioanne Antiocheno & cæteris Orientalibus senserunt. Novem quippè Provinciarum eis adiuncti erant Episcopi: Id est, Bithyniæ, Pisidiæ, Cappadociæ secundæ, Paphlagoniæ, Europæ, Mæsiæ secundæ, Rhodopæ, Thraciæ, atque Thessaliæ*. Loquitur ex schismaticorum istorum ad Principem Relatione, cujus fuit hæc Epigraphe. *Sacra Diœceseos Orientalis Synodus, cæterique unà cum ipsis ex diversis provincijs ac Diœcesibus congregati, videlicet ex Bithynia, Pisidia, Cappadocia secunda, Paphlagonia, Europa, Mæsia, Rhodope, Thessalia*. Etenim Episcopi Constantinopolitani omnem Thraciam, Asiaticæ autem ac Ponticæ Diœceseos partem sibi subjugârant, ideòque variæ illarum Provinciæ Nestorio, ut suo Patriarchæ, adhærebant. Fuisse à Nestorio non tantummodò circumscriptos, sed omninò mente seductos, nequissimosque à vera Synodo & fide Apostatas, ostendit lucidè Relatio synodalis ad Principem, missa per Palladium Magistrianum. *Qui diversa à recta fide sentiunt, sunt ad tegendam imposturam usque adeò callidi, ut quidam quoque sanctissimi Episcopi, occultato errore à Nestorio, decepti, ei sese adiunxerint, & actis eius subscripserint: Qui tamen, postquam lucidè, quid sentiret, essent perscrutati, illumque suas blasphemias retegentem comperissent, ab eo descivêrunt; sancta Synodo se adiunxerunt, & condemnationis sententiam adver-* F. 419. L.7.c.3. B. 414.

 sùs

sùs prædictum Nestorium nobiscum tulerunt. Quotquot igitur sese non adjunxerunt Synodo, fuerunt omninò mente corrupti. Quare fallitur rursùm Facundus Hermianensis, dicens hosce homines fuisse non parvæ actoritatis. Attamen Ephesinus & Cæsareensis Episcopi, uti Primatialis suæ Autocephaliæ, ità & orthodoxæ fidei mansére tenaces.

Adveniens ergò Joannes à Synodo receptus fuit cum debita reverentia, descripta à Memnone Ephesiorum Episcopo in literis ad Clerum Constantinopolitanum. *Cùm sancta Synodus illius adventum appetere intellexisset, honorem, & quam oportuit Sacerdoti, observantiam impendens, quosdam Deo dilectißimos Episcopos cum nonnullis quoque religiosißimis Clericis obviam illi misit, hæc duo faciens, nempè ut debitum illi honorem deferens, simulque ut à Nestorij, à sancta Synodo depositi, colloquio se abstineret, eum commonefaciens.* Ex antiquo Ecclesiæ more, patriarchaliter receptus fuit cum processione, cujus partem fecit se & ipse Synodi Præses Cyrillus; atq; ante Ephesi portam sunt dulcibus affatibus invicem amplexi. Pergit Memnon. *Cùm autem militum comitatu impediti eum per viam alloqui non possent* Episcopi, *nihilominùs pone ad illius usque diversorium consecuti sunt. Multis autem horis ibi præstolantes, neque ullam eius conveniendi copiam obtinere valentes, militum contumelijs interim onerati, tamdiu manserunt, donec post diuturnam moram, cùm videlicet illi ità visum iam esset, pijßimos Episcopos & religiosißimos Clericos per milites ad se introducit. Posteàquam verò quæ à sancta Synodo in mandatis habebant, illi exposuissent, per magnificentißimum Comitem Irenæum, cæterosque, qui cum ipso aderant, Episcopos atque Clericos, intolerabiles Comministris nostris & Clericis plagas inferri permisit, ità ut in vitæ discrimen quoque adducti sint.* Hæc nihilominùs fucare conatus est Joannes apud Comitem Candidianum. *Cùm oportuisset, ut illos, qui è tam longa peregrinatione recens advenerant, fraternè complecterentur, pulvereque adhuc adspersos benignè & comiter exciperent, ac refocillarent affectu fraterno, tumultuario impetu statim ad nos perturbandos irruerunt, consuetamque insolentiam ac immodestiam apertis indicijs declarârunt.* Hinc illos dicit à sua Synodo non fuisse auditos.

L. Apolog. ad Princip.

Uerè dicit, *Pulvere adhuc conspersos.* Etenim *ubi primùm alitis more volans Ephesum venit, cùm vix curru desilijsset, cubiculumque ingressus esset, adbuc pulverulentus* Pseudo-Synodum fecit, veramque Synodum & omnem sub cælo Ecclesiam implevit indignissimis turbis. Primus illi congressus fuit cum Comitibus Candidiano & Irenæo, ad sanctum Cyrillum, Synodi Præsidem, ac Memnonem Ephesiorum Episcopum, quem illius vocabat satellitem, *de sexcentis sceleribus* convincen-

Cyril. I. Apol.

Con. Eph. f. 396.

cendos atque damnandos. Candidianus accusavit Cyrillum, quod sacras Principis ad Synodum jussiones & literas sprevisset, se Principis Legatum & Vicarium de Synodo expulisset, contra leges & Canones Synodi Præsidentiam tyrannicè invasisset, Episcopos sibi adversantes in ipso sancto Pentecostes die per collectos à Memnone nautas & rusticos barbaricè tractasset, ac tandem Nestorium inauditum, minimèque convictum *sine ullo prorsùs examine & iudicio* damnasset. Quod ipsum in famosa sua Epistola scribit Ibas Edessenus, addens per Cyrillum Episcopos fuisse auro corruptos. Quare Facundus Hermianensis, hæc non ad Nestorij damnationem, sed Capitulorum Cyrilli approbationem referenda existimans, palàm hallucinatur. Hinc & alij dixêre Nestorium *non Synodi voluntate exauctoratum fuisse, sed artibus Cyrilli*, qui fraudibus, minis, promissis honoribus integros, impunitatis spe aut dono reos Episcopos seduxerit, adhibueritque ad numerum ostentandum etiam exauctoratos, Pelagianistas, ac Messalianos. Etiam ipse Nestorius questus est se damnatum ut contumacem, quod quatuor, intra quos Ioannes Patriarcha certò adveniret, dumtaxat dierum inducias postulasset. Fidei item decreto, seu Cyrilli quidem probatis, Nestorij autem damnatis Capitulis opposuit apud Principem Candidianus, quod facta essent læso & hostili animo, sine debita discussione, extra plenam Synodum, sine Patriarcha Antiocheno, & quidem contempto. Alias insuper adversùm se calumnias refert Cyrillus in literis ad Episcopos Theopemptum, Danielem, & Potamonem: Quod *multi ex Alexandrinis balneis*, id est, publici libidinum administri, & mulieres *Canonicæ*, id est, proscriptæ per Synodum Nicenam Agapetæ, ipsum sequerentur. Palmarem accusationem addidit Ioannes Antiochenus: Quod duodecim ejus Capitula Arij, Eunomij, atque Apollinarij damnatam scabiem continerent, istisque stabiliendis & fucandis tot ille tragedias concitasset. Addidit in Memnonem, quod ad evadendum Ecclesiasticæ substantiæ perperam administratæ judicium Cyrilli Capitulis & reliquis ausibus militare, rusticum, nauticum satellitium impendisset.

L. 7. c. 5.

F. 487.

F. 464.

F. 470.

F. 486.

Audito ac dimisso Candidiano, Ioannes adhuc pulverulentus in ipso suo diversorio fecit conventum reverà obnoxium illis vitijs, quæ in Cyrillo fuerat Comes calumniatus. Factiosæ paucorum spe aut metu corruptorum, Nestorianorum, Pelagianistarum, sine populo & cathedra vagantium, exauctoratorum, criminosorum hominum factioni venerabile nomen Synodi, & seipsum caput imposuit, nullam per sacras Divales, leges, aut Canones habens potestatem, reusque ipse, & ob tardum adventum metuens agi reus. Ejus Acta

non-

l. 7. c. 5. non malè exponit Facundus Episcopus Hermianensis. *Nestorius ab Orientalibus Episcopis, licet indignantibus*, & non exspectati sui adventus *iniuriam graviter dolentibus, non fuit absolutus, sed venerabiles Cyrillus & Ephesinus Memnon Episcopi solâ suspicione damnati.* Quidquid egerunt, egisse, *ut sancta Synodi sententia contra Nestorium hereticum lata everteretur*, testantur sanctus Cyrillus in libro ad Principem Apologetico, & Relatio synodalis ad Pontificem Celestinum. Ob ejusdem tamen Pontificis, à quo jam pridem damnatus Erro, metum tentare, longè minùs solvere fuerunt ausi. Sperantes & omni impetu machinantes solvendam sacrâ jussione Principis. Eorum technas aperit in famosa Epistola Ibas Edessenus. *Post duos dies damnationis Nestorij venimus Ephesum, & cognoscentibus nobis, quia in damnatione eius duodecim Capitula, quæ à Cyrillo conscripta sunt, contraria existentia veræ Fidei, posuerunt & firmaverunt, & consenserunt eis, tanquam veræ fidei consonantibus, omnes Orientales Episcopi eundem Cyrillum damnaverunt, & adversùs alios Episcopos, qui consenserunt eius Capitulis, excommunicationem decreverunt.* Hæretica Capitula dicit in ipsa Nestorij sententia fuisse admissa ac probata, adeòque insinuat illam horum probatione non esse firmiorem. Palàm id edicit ipsa Factio in literis ad suos Constantinopoli Legatos. *Quomodò fieri potest, ut duo hæc diversa, depositio* Nestorij *& Capitula* Cyrilli *conveniant? Nam si fide digni sint, qui eum recipiunt, digni fide sunt & in Capitulis hereticis, quæ exposuerunt; si autem Capitula redarguunt eos hæreticos, omninò hæreticorum est & depositio.* Undè & à Nestorij communione illi nequaquam sese retraxerunt.

Dumtaxat igitur Cyrillum & Memnonem, tamquam spretæ sacræ Divalis, Ephesinæ Metropoleos turbis impletæ, & hæreticorum Capitulorum, illum auctorem, hunc satellitem ab Episcopatu irreparabiliter deposuerunt, reliquos eis adstipulatos Episcopos *excommunicationis vinculis innodârunt, donec proprio delicto agnito, dicta Capitula anathematizarent:* Juxta superiùs laudatam Regulam antiquam, quæ erroris Principes mandat sine spe ad laicos abjici, ab illis seductos à gradu dumtaxat suspendi, factâque surgendi spe ad pænitentiam animari. Palàm errabant in Capitulis: Hìnc dictos Episcopos laudatus Facundus dicit ex *sola suspicione* damnatos. Etiam non vocatos, non auditos, clandestinè se judicatos ipsi in libellis Synodo exhibitis fuêre conquesti. Hæc est illa, non sententia, sed convicium & contumelia, quam ipso jure nullam rectè dixerunt hæc ipsa Synodus in Relatione ad Celestinum Pontificem, Gelasius primus in literis ad Dardaniæ Episcopos, ac Nicolaus primus in literis ad Michaëlem Augustum: Quod tertiæ in secundæ sedis Episcopum, utique se majorem, nihil

nihil penitùs possit. Quare ad Cyrilli & Memnonis, sententiam solvi à Synodo postulantium, libellos meritò dixit Acacius Metropolita Melitinensis. *Supervacaneum est postulatum. Fieri enim non potest, ut hi, qui à sancta hac Synodo desciverunt, & pravæ Nestorij opinioni se adiunxerunt, quidquam contra œcumenicæ huius Synodi Præsides audeant efficere, cùm nullam omninò habeant auctoritatem.* Exemplo tamen suo Cyrillus & Memnon docuerunt etiam iniquam ac manifestè invalidam Ecclesiasticæ damnationis sententiam esse metuendam. Ex hoc namque metu Cyrillus Præsidis & Apostolici Vicarij thronum descendit, posuitque se inter reos. Undè & ejus laudatum libellum Factio arguit contradictionis, utpotè qui damnationis sententiam diceret esse invalidam, simulque peteret illius solutionem. At malè. Etenim & Theodosium Augustum, à nescio quo insolente monacho palàm invalidè communione privatum, non nisi soluto per Episcopos vinculo fuisse ausum communicare scribit & laudat magna hujus Factionis pars Theodoretus. L. 5. c. 36.

Factiosæ sententiæ impensa est publicatio similis, de qua Memnon in literis ad Clerum Constantinopolitanum. *Accepimus scriptum quoddam, certum temeritatis ac illegitimæ sententiæ argumentum, nullo certo auctore editum, nullâ subscriptione munitum, in quadam civitatis parte fuisse propositum.* Et Relatio synodalis ad Celestinum Pontificem. *Hæc scripto publico mandata proposuerunt legenda quibuslibet, theatri parietibus affigentes, ut suæ impietatis spectaculum exhiberent.* Tali namque modo & loco solent promulgari libelli famosi. Quomodò nulla reorum citatio, ità nulla facta est sententiæ insinuatio, ac si nulli forent in Ecclesia Canones, nullumque judicium Divinum. C. 429. Fuisse chartulam arrogantiâ ac inscitiâ plenam, & ut talem ab omni turbatissima civitate fuisse derisam; testatur in libellis Synodo exhibitis sanctus Cyrillus.

Pergit Memnon. *Quotidie Ioannes venerandum Senatum, illustrissimosq; cives ad se evocans, magnâ importunitate flagitabat, ut eorum suffragijs alius in meum locum ordinaretur Episcopus: Denique ità hic instabat, ut omnes orthodoxi civitatis incolæ oratoria occuparent, ibique se continerent, ne illius temeritas & nefarius ausus effectum sortiretur. Vndè ad sancti Ioannis Basilicam adscendens, & quod ibidem eum ordinaturus esset divulgans, seditionem & tumultuationem in eo loco concitavit. Tanta namque armatorum insolentium multitudine comitatus adscendit, ut aliquos ibi mendicantium semineces reliquerit.* Sententiam suam volebat mandare executioni. At intercessit Memnoni addictus Ephesiorum populus, de quo ipse Joannes in Relatione ad Principem, missa per Pal-

ladium Magiſtrianum. *Profecti ſumus ad ſancti Ioannis Evangeliſtæ Apoſtolicam Eccleſiam, gratias acturi, Deumq; pro veſtra Maieſtate rogaturi. Cùm autem illi nos conſpicati eſſent, repentè templum nobis occluſerunt. Rursùm cùm forinſecùs adoraviſſemus, ſilentioque reverteremur, famulorum quorumdam multitudo erumpens alios noſtrorum detinuerunt, nonnullis iumenta abſtulerunt, quoſdam etiam vulnerârunt, nos autem fuſtibus ac lapidibus inſectati ſunt, ità ut, tamquam barbaris inſequentibus, magna cum feſtinatione fugam capeſſere cogeremur.* Et in ſecunda petitione miſſa ad Principem è civitate Chalcedonenſi queritur *ſe lapidatum, & tantùm non perditum fuiſſe à ſervis Monachorum habitu indutis.* Concludit iam adductam Relationem. *Hæc multò iam antè præparaverat Memnon. Quapropter obteſtamur veſtram Pietatem, ut illum tyrannum iam depoſitum ob has inſolentias hâc civitate pelli iubeat. Nam niſi expellatur, fieri nequit, ut pacem aliquando recuperemus, aut Pietatis veſtræ ſcopus ad exitum perducatur.* Procedi in illum rogat ex nupera Gratiani Auguſti lege, quæ damnatum Epiſcopum, ſententiæ violenter moto populo recalcitrantem, proſcribi mandat ad centum millia ab illa civitate. Quam legem ad Afrorum Epiſcoporum preces fuiſſe latam rectè advertit in literis ad Adrianum ſecundum Pontificem, ſcriptis ex Caroli calvi Regis
Epiſt. 42. nomine, Hincmarus Metropolita Remenſis. Ejuſmodi inquietos in alterius Provinciæ Monaſterio ad perpetuum ſilentium claudi ſanxit Juſtinianus Auguſtus, cujus executionem à Mauritio Principe frequenter expoſtulavit Gregoriùs magnus.

In hoc item factioſo conventu Ex-Epiſcopi Pelagiani confirmavêre ſuum damnatum dogma uſque ad negatum peccatum originale, ſuoque auſui prætexuére fucum & nomen Concilij Epheſini. Habemus teſtem Gregorium magnum Pontificem, nec non Joannem quartum, vulgò dictum ieiunatorem, Epiſcopum Conſtantinopolitanum. Quoſdam Iſauriæ Monachos, tamquam Meſſalianos aut Manichæos à ſe damnatos, etiam in appellatorio Romano judicio convincere Joannes volens, repertum apud illos Codicem Romam miſit, ad certos articulos ſubvirgulatum. Et reverà codex Manichæus, verùm ſubvirgulator erat Pelagianus, utpotè qui articulum peccati originalis aſſertivum ſubvirgulârat tamquam Manichæum. Obſtupuit Gregorius, ſcire volens ſubvirgulatoris perſonam & rationes. Quis fuerit, neſcio; Joannes Epiſcopus tamen miſit Codicem Synodi Epheſinæ, continentem de anima Adæ, *Quia in peccato mortua non fuit.* Hinc ampliùs Pontifex ſtupuit, ſcribitque ad Eulogium Alexandrinum, & Anaſtaſium Patriarcham Antiochenum. *Quia perſcrutantes*
L. 6 Ep 31 *Epheſinam Synodum, nihil in ea tale invenimus contineri, de Ravennate*
quo-

quoque Ecclesia vetustum valdè codicem eiusdem Synodi ad nos deferri fecimus, & Synodo, quam habemus, cum ità concordare invenimus, ut in nullo discreparet, & nihil aliud contineret in definitione anathematis, & reprobationis, nisi quod duodecim Capitula beatæ memoriæ Cyrilli reprobant. Ea igitur Acta erant eadem cum nostris hodiernis, in quibus Ioannis Antiocheni Pseudo-Synodus nihil habet dogmatici, nisi dictorum Capitulorum damnationem. Et hìnc Cyriaco, Ioannis ieiunatoris in Cathedra Constantinopolitana successori, mandat seriò Gregorius, ut Ephesina illa pro Pelagio Acta proscribantur & penitùs abijciantur. Addit in alia ad laudatum Anastasium Epistola. *Dùm de sanctorum Conciliorum custodia Tua Fraternitas loqueretur, sanctam Ephesinam Synodum primam se custodire professa est. Sed quia ex annotatione hæretici Codicis, qui ad me ex Regia urbe transmissus est, agnovi per hoc, quod quædam catholica Capitula cum hæreticis fuerant reprehensa, quia quidam illam Ephesinam primam Synodum in eadem urbe existimant, quæ quondam ab hæreticis traditur esse composita, omninò necesse est, ut Charitas vestra eandem Synodum apud sanctam Alexandrinam atque Antiochenam Ecclesiam requirat, & qualiter in veritate habeatur, inveniat. Vel, si placet, hinc dirigemus, quæ ab antiquitate servata in scrinijs habemus. Illa enim Synodus, quæ sub prima Ephesina imagine facta est, quædam in se capitula asserit approbata, quæ sunt Celestij atque Pelagij prædicamenta. Et cùm Celestius atque Pelagius in ea Synodo sint damnati, quomodò poterant illa Capitula recipi, quorum damnabantur auctores?* Quomodò sanctus Augustinus inter veram Sardicensem Synodum & conventiculum Philippopolitanum nescijt distinguere, ideòque utrumque conventum putavit esse Arianorum; ità Ioannes ieiunator orthodoxam Ephesinam cum schismatica Synodo confudit, ideòque Pelagianorum decreta credidit esse catholicorum. In tantæ civitatis Episcopo ignorantia nimiùm crassa.

L. 7. Indict. 2. Epist. 48.

At quæritur, An illa Pelagiana Acta Ioannes Antiochenus in suo conventiculo reverà ediderit, aut certè probârit? Ratio dubitandi est, quod vera Synodus, de Pelagianorum communione & satellitio illum assiduè arguens, eiusque expugnandi omnem viam quærens, penitùs taceat de editis aut probatis ejusmodi Actis. Certè Theodosius Augustus, Romanæ Ecclesiæ decreta confirmans, nuper Pelagianos tanquam definitivè damnatos extra Imperij fines proscripserat, ideòque & apud hunc, & apud laudatam Romanorum Ecclesiam non poterat efficaciùs everti Ioannes, quam per probatam hæresim Pelagianam. Deindè lateri suo adhærentes Pelagianos Ex-Episcopos nequidem admisit ad suis in Cyrilli Capitula decretis subscribendum. Et sanctus

Cyrillus, dum pacem cum illo iniit, nihil legitur postulasse de articulis Pelagianis. Quocircà respondeo Pelagiana decreta fuisse istorum dumtaxat Ex-Episcoporum commenta, oblata Synodo schismaticæ, at per illam non probata, quibus tamen sui auctores Ephesinæ Synodi fucum apud imperitam plebem & suos Gregales adfinxêre. Quis credat Joannem Antiochenum, Theodoretum, ac eorum Collegas negasse originis peccatum, de quo nec Nestorius dubitavit? Agente S. Gregorio perierunt scabiosa acta, ideòque aliud nequeo divinare.

CAPUT V.

Exponitur Ioannis Antiocheni & Ecclesiæ orthodoxæ iudicium de duodecim Capitulis sancti Cyrilli.

SAncti Cyrilli duodecim Capitula esse ex Ario, Eunomio, atque Apollinario, Christi Domini naturas confundentibus, scabiosa primus excogitavit Nestorius, persuasitque Principi Theodosio, multis Palatinis, Joanni Patriarchæ Antiocheno, omnique ejus fermè Diœcesi, assiduè clamantibus hæreticos & stolidos esse istos anathematismos, seseque potiùs, quàm ad eorum unum, ad mille necis genera paratos. Et de ipso Principe scribit schismatica Joannis Antiocheni factio ad Rufum Episcopum Thessalonicensem. *Quintùm iam nos & ipsos*, veræ Synodi legatos Episcopos, *affatus, illis mandavit, ut vel Capita Cyrilli tamquam cum fide pugnantia reijciant, vel certè, suscepto in eorum defensionem certamine, sanctorum Patrum confessioni consentanea esse palàm faciant. In promptu enim argumenta habemus, per quæ ostensuri eramus, quòd orthodoxæ fidei Doctoribus manifestè adversantur.* Ab illis doceri aiunt *ipsam Dei Verbi Divinitatem esse passam ac transmutatam in carnem, ex Divinitate & humanitate factam unam naturam, Domini idiomata diversis naturis non adsignanda*, aliaque plura ea ipsa, ob quæ Ariani & Eunomiani à Synodo Nicena & Constantinopolitana; Apollinarius autem, Vitalis & Timotheus fuêre damnati à Damaso Papa. In Capitibus illis aiunt apertâ fronte impietatem prædicari, atque ità Rufum, unàque vastissimam Illyrici Diœcesim, cujus ille Apostolicus Vicarius, tentant circumscribere in suum errorem & gregem. Hæc est illa Epistola, de qua subnotatio ad Encyclicas Factionis literas: *Per Epistolam, quæ subiungitur, Rufum Episcopum, ut eis auxiliaretur, rogârunt.* Et Theodoretus, Cyri Episcopus & Factionis ad Principem Legatus, scribit Alexandro Hierapolitano Episcopo, suo Metropolitæ. *Pientissimo nostro Regi*, jam ad meliorem sensum deducto, mandantique fieri pacem, *cum iuramento suasimus, quod impossibile sit*

F. 450. 463.

sit nobis Cyrillum & Memnonem conciliari, & quod fieri nequeat, ut alijs eorum Collegis *communicemus, qui non anteà eiecerint haretica Capitula.* Lucidiùs loquitur ad suos gregales Ephesi agentes. *Quinimò accessus ad* Principem *nobis contigit. Et multùm de hareticis Capitulis disceptavimus, iuravimusq; sapiùs, quod impoßibile sit nobis communicare his, qui diversa sentiunt, si nondùm exploserint Capitula; & quod Cyrillus, etiamsi reiecerit Capitula, à nobis suscipiendus non sit, eò quod ipse tam impia hareseos Haresiarcha sit factus.* Iuxta antiquum Ecclesiæ Canonem, datamque ex illo sententiam damnationis in Memnonem & Cyrillum. Sententiam Theodosius Augustus ex Acacij Berrheensis Episcopi suasu confirmavit, & Ioannes Comes sacrarum largitionum, Ephesum missus, ambos, tamquam hæresiarchas, ob capitula carceribus mancipavit. Antiquus item Canon, superiorem ab inferiori iudicari vetans, ex hæresis caussa permittit etiam damnari: Hocce Canone tutum se in Cyrillum existimabat Ioannes Antiochenus, & capitula esse nedum nunquam ab illo solvendum aut rumpendum.

In adducta ad Rufum Thessalonicensem Epistola addit, non suam solummodò Diœcesim, sed & Bythiniam, Paphlagoniam, Cappadociam secundam, Pisidiam, Thessaliam, Mæsiam, Rhodopen, *aliosque quam plurimos diversarum Provinciarum* Capitulis adversari. *Italos quoque certum est novitatem istam nequaquam laturos esse. Nam Martinus sanctißimus Mediolanensium Episcopus ad nos scripsit, librumq; beati Ambrosii de Dominica Incarnatione ad piißimum Imperatorem misit, qui hareticis illis Capitulis contraria docet.* Quod ipsum repetit in secunda petitione missa ad Principem ex civitate Chalcedonensi. Quod namque Orientales Episcopi Aquileiensem, Mediolanensem, & Ravennalem Italiæ Metropolitas fuerint in partem suam adversùs Capitula seducere conati, testatur Theodoretus in literis ad Domnum Patriarcham Antiochenum: At solus Mediolanensis fuit ab illis circumventus. Epist. 112.

Quin immò etiam post factam pacem inter Cyrillum & Ioannem, eorumque Synodos, ad Marim Persam Episcopum scribit Ibas Metropolita Edessenus. *Cyrillus volens Nestorij libros destruere, lapsus est, & in dogma Apollinaris inventus est incidisse. Conscripsit enim & ipse similiter illi, quia ipse Deus Verbum factus est homo, tamquam non sit differentia inter templum & inhabitantem in eo. Conscripsit enim duodecim Capitula, quia una est natura Deitatis & humanitatis Domini nostri Iesu Christi, & quia non oportet, sicut dicit, dividere voces dictas* de eodem Domino. Et infrà. *Deus fidelißimi Principis cor rexit, ut dirigeret sanctißimum Archi-Episcopum Orientis, Dominum Ioannem, ut reconciliaretur Cyrillo. Ab eo enim fuerat Episcopatu depositus. Et postquam literas Imperatoris recepit,* Re-

Reverendißimum Paulum Emesenum direxit Episcopum, scribens post eum veram fidem, & præcipiens ei, quia si huic fidei Cyrillus consenserit, & anathematizaverit eos, qui dicunt, QVIA DEITAS PASSA EST; *vel dicentes*, QVIA UNA NATVRA EST DEITATIS ET HVMANITATIS, *ut communicaret ei. Voluit autem Dominus cor Ægyptij emollire, ut sine fatigatione fidei consentiret, & hanc susciperet, atque omnes, qui absque hac crederent, anathematizaret.* Etiam post initam Ecclesiarum pacem constans adfirmat Capitula esse hæretica, nec illam factam aut fieri potuisse, nisi illis per Cyrillum anathematizatis. Hosce enim articulos, *Deitas est passa*, & *Deitatis ac humanitatis facta est una natura*, Cyrillus anathematizavit, & Capitula sua à pravis, quibus laborabant, suspicionibus neque purgavit, neque ab Orientalibus Episcopis admitti exegit, ideòque visus est fateri lapsum, & modò esse conversus.

Eadem fuit mens Theodoreti. Etenim pacis tractatu pendente, scribit ad Joannem Patriarcham Antiochenum. *Communiter perlegentes Ægyptiacas literas, & examinantes earum subtiliter sensum, invenimus consonantes dictis à nobis, & palàm contrarias duodecim Capitulis, quibus usque ad præsens, ut alienis à pietate, repugnantes permansimus.* Etiamnùm aversabatur *Deum Verbum carnaliter natum, unionem naturalem, ac unionem secundùm hypostasin*, esse ratus *hæreticorum germina Zizaniorum*. Et post firmatam pacem scribit ad Nestorium, in exilio blaterantem, quod Orientales Episcopi, Cathedræ retinendæ cupiditate victi, ac dogma suum priùs prævaricati, Cyrillum & ejus Capitula recepissent. *Nemo persuadeat Tuæ Sanctitati, quod ego Episcopalem Sedem cupiens, tanquam orthodoxas suscepi Ægyptiacas literas: ut enim cum ipsa veritate dicam, sæpiùs eas perlegi, & subtiliter discussi, & hæreticâ illas amaritudine liberatas esse inveni.* Quin immò post latrocinium Ephesinum, & tot suas calamitates scribit ad Joannem Episcopum Germaniciensem. *Quasnam ob cædes & maleficia expulsus ego sum? Barbaris ipsis perspectum est, illos me dogmatum causâ eiecisse. Nam & dominum Domnum*, Joannis in Patriarchatu Antiocheno successorem, *quod Capitula non reciperet, viri optimi deposuerunt, omni laude digna hæc affirmantes, & in his se acquiescere profitentes. Eorum enim professiones ego legi. Me verò velut hæreseos Principem abdicârunt, & alios pariter eandem ob caussam expulerunt.* Persistit Capitula ex Ario, Eunomio, ac Apollinari esse leprosa, & explodenda. Et credit, quod non sine caussa. Ephesinum quippè latrocinium, in quo stabilita Eutychiana impietas, Capitula adsumpserat in palmare fundamentum, protestans se hærere sancti Cyrilli dogmatibus, & eorum adversarios damnans ut hæreticos, eosque inter etiam Domnum Patriarcham, Ibam Edessenum,

num, ac Theodoretum: Et hunc quidem, ut Hæresiarcham & Capitulorum impugnatorum ducem, irreparabiliter, ex laudato jam sæpiùs Canone antiquo. Quocircà etiam Domnus Patriarcha, palàm orthodoxus, damnari à latrocinio maluit, quam Capitulis consentire. Et videtur, quod firmo jure. Eorum enim consensus exigebatur ab Eutychianistis, adeòque illum dare erat palàm labi in dogma Eutychianum.

Eadem fuit mens Maximiani, pro Nestorio in sedem Constantinopolitanam ordinati, plurimisque per Celestinum Pontificem encomijs exornati, de quo ac eius Synodo Liberatus Diaconus. *Scripserunt & Episcopi è Constantinopoli Cyrillo, quia amicitiarum modum & pacem Ecclesiarum sanctarum non aliter fieri conveniret, nisi omnia, quæ ab ipso in caussa scripta sunt Epistolis & tomis & libris, evacuentur.* Et infrà. *Culpârunt Ioannem Antiochenum, cur à Cyrillo non expetierit Capitulorum damnationem.* Gennadium, Anatolij in sede eadem post Concilium Chalcedonense successorem, quis esse nesciat & orthodoxum & sanctum? Eius merita & miracula refert in Collectaneis Theodorus Lector. Eiusdem tamen in Cyrilli Capitula invectivas audiamus à Facundo Episcopo Hermianensi. *Væ mihi à malis: Heu, heu? Vndè enim* L. 2. c. 4. *quisquam in præsenti aliundè sumat exordium? Quales Cyrilli Ægyptij, & quantas blasphemias incurri? Quis verè det capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacbrymarum? Quoniam extendit lingua eius mendacium, & non fidem. Væ malo Alexandria, familiari eius, & proprio iam isti secundo.* Alludit ad Cyrilli patruum & in sede Alexandrina proximum Antecessorem Theophilum, eiusque in sanctum Joannem Chrysostomum violentias: Dicit hunc tentare in ipsam fidem orthodoxam, quod ipse perfecit in innoxiam personam, & pergit. *Omnem supereminentiam blasphemiæ iaculatus est adversùs sanctos Patres, adversùs eorum priores Apostolos, adversùs ipsum Salvatorem in resurrectione meditatus est. Adsumptam quidem humanitatem ex nobis & pro nobis iniuriat; Divinam eius naturam impaßibilem paßionibus subiacere contendit.* Quod sexto Capitulo dicat ipsum Deum Verbum esse passum carne. Impugnat Gennadius & primum Capitulum, quo Deus Verbum adseritur carnaliter natus ex Virgine, & exclamat. *Anathematizaturus te est Deus, Paries dealbate. Iustißimum enim est, te, similiter Ananiæ Iudæorum Principi Sacerdotum linguam adversùs Christi discipulos moventem, similem ab eis indignationem experiri.* Addit Facundus. *Et cætera, quæ in eodem opere, si quis voles, inveniet.* At opus jam pridem amissum est: Eius quædam citat etiam Leontius Monachus Byzantinus.

Etiam Isidorus Pelusiotes, Ecclesiæ Alexandrinæ laudatissimus

Reverendissimum Paulum Emesenum direxit Episcopum, scribens post eum veram fidem, & præcipiens ei, quia si huic fidei Cyrillus consenserit, & anathematizaverit eos, qui dicunt, QUIA DEITAS PASSA EST; *vel dicentes,* QUIA UNA NATURA EST DEITATIS ET HUMANITATIS, *ut communicaret ei. Voluit autem Dominus cor Ægyptij emollire, ut sine fatigatione fidei consentiret, & hanc susciperet, atque omnes, qui absque hac crederent, anathematizaret.* Etiam post initam Ecclesiarum pacem constans adfirmat Capitula esse hæretica, nec illam factam aut fieri potuisse, nisi illis per Cyrillum anathematizatis. Hosce enim articulos, *Deitas est passa,* & *Deitatis ac humanitatis facta est una natura,* Cyrillus anathematizavit, & Capitula sua à pravis, quibus laborabant, suspicionibus neque purgavit, neque ab Orientalibus Episcopis admitti exegit, ideòque visus est fateri lapsum, & modò esse conversus.

Eadem fuit mens Theodoreti. Etenim pacis tractatu pendente, scribit ad Joannem Patriarcham Antiochenum. *Communiter perlegentes Ægyptiacas literas, & examinantes earum subtiliter sensum, invenimus consonantes dictis à nobis, & palàm contrarias duodecim Capitulis, quibus usque ad præsens, ut alienis à pietate, repugnantes permansimus.* Etiamnùm aversabatur *Deum Verbum carnaliter natum, unionem naturalem, ac unionem secundùm hypostasin,* esse ratus *hæreticorum germina Zizaniorum.* Et post firmatam pacem scribit ad Nestorium, in exilio blaterantem, quod Orientales Episcopi, Cathedræ retinendæ cupiditate victi, ac dogma suum priùs prævaricati, Cyrillum & ejus Capitula recepissent. *Nemo persuadeat Tuæ Sanctitati, quod ego Episcopalem Sedem cupiens, tanquam orthodoxas suscepi Ægyptiacas literas: ut enim cum ipsa veritate dicam, sæpiùs eas perlegi, & subtiliter discussi, & hæreticâ illas amaritudine liberatas esse inveni.* Quin immò post latrocinium Ephesinum, & tot suas calamitates scribit ad Joannem Episcopum Germaniciensem. *Quasnam ob cædes & maleficia expulsus ego sum? Barbaris ipsis perspectum est, illos me dogmatum caussâ ejecisse. Nam & dominum Domnum,* Joannis in Patriarchatu Antiocheno successorem, *quod Capitula non reciperet, viri optimi deposuerunt, omni laude digna hæc affirmantes, & in his se acquiescere profitentes. Eorum enim professiones ego legi. Me verò velut hæreseos Principem abdicârunt, & alios pariter eandem ob caussam expulerunt.* Persistit Capitula ex Ario, Eunomio, ac Apollinari esse leprosa, & explodenda. Et credit, quod non sine caussa. Ephesinum quippè latrocinium, in quo stabilita Eutychiana impietas, Capitula adsumpserat in palmare fundamentum, protestans se hærere sancti Cyrilli dogmatibus, & eorum adversarios damnans ut hæreticos, eosque inter etiam Domnum Patriarcham, Ibam Edessenum,

num, ac Theodoretum: Et hunc quidem, ut Hæresiarcham & Capitulorum impugnatorum ducem, irreparabiliter, ex laudato jam sæpiùs Canone antiquo. Quocircà etiam Domnus Patriarcha, palàm orthodoxus, damnari à latrocinio maluit, quam Capitulis consentire. Et videtur, quod firmo jure. Eorum enim consensus exigebatur ab Eutychianistis, adeòque illum dare erat palàm labi in dogma Eutychianum.

Eadem fuit mens Maximiani, pro Nestorio in sedem Constantinopolitanam ordinati, plurimisque per Celestinum Pontificem encomijs exornati, de quo ac eius Synodo Liberatus Diaconus. *Scripserunt & Episcopi è Constantinopoli Cyrillo, quia amicitiarum modum & pacem Ecclesiarum sanctarum non aliter fieri conveniret, nisi omnia, quæ ab ipso in caussa scripta sunt Epistolis & tomis & libris, evacuentur.* Et infrà. *Culpârunt Ioannem Antiochenum, cur à Cyrillo non expetierit Capitulorum damnationem.* Gennadium, Anatolij in sede eadem post Concilium Chalcedonense successorem, quis esse nesciat & orthodoxum & sanctum? Eius merita & miracula refert in Collectaneis Theodorus Lector. Eiusdem tamen in Cyrilli Capitula invectivas audiamus à Facundo Episcopo Hermianensi. *Væ mihi à malis: Heu, heu? Vndè enim quisquam in præsenti aliundè sumat exordium? Quales Cyrilli Ægyptij, & quantas blasphemias incurri? Quis reverà det capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? Quoniam extendit lingua eius mendacium, & non fidem. Væ malo Alexandriæ, familiari eius, & proprio iam isti secundo.* L. 2. c. 4.
Alludit ad Cyrilli patruum & in sede Alexandrina proximum Antecessorem Theophilum, eiusque in sanctum Joannem Chrysostomum violentias: Dicit hunc tentare in ipsam fidem orthodoxam, quod ipse perfecit in innoxiam personam, & pergit. *Omnem supereminentiam blasphemiæ iaculatus est adversùs sanctos Patres, adversùs eorum priores Apostolos, adversùs ipsum Salvatorem in resurrectione meditatus est. Adsumptam quidem humanitatem ex nobis & pro nobis iniuriat; Divinam eius naturam impaßibilem paßionibus subiacere contendit.* Quod sexto Capitulo dicat ipsum Deum Verbum esse passum carne. Impugnat Gennadius & primum Capitulum, quo Deus Verbum adseritur carnaliter natus ex Virgine, & exclamat. *Anathematizaturus te est Deus, Paries dealbate. Iustißimum enim est, te, similiter Ananiæ Iudæorum Principi Sacerdotum linguam adversùs Christi discipulos moventem, similem ab eis indignationem experiri.* Addit Facundus. *Et cætera, quæ in eodem opere, si quis volet, inveniet.* At opus jam pridem amissum est: Eius quædam citat etiam Leontius Monachus Byzantinus.

Etiam Isidorus Pelusiotes, Ecclesiæ Alexandrinæ laudatissimus

atque eruditissimus Presbyter, quem ipse Cyrillus Episcopus Patrem suum dixit, & ut Patrem coluit, damnat Capitula, scribens ad Cyril-
Epist. 310. lum, Ephesinæ Synodo Præsidentẽ *Examini iusto caussas permitte. Multi te quasi per comœdiam irrident ex his, qui collecti sunt in Ephesum, quod privatam iniuriam vindicans, non quæ Christi sunt, orthodoxè requisieris. Dicunt, quod consobrinus Theophili est, & imitatus illius voluntatem. Sicut enim ille insaniam apertam diffudit contra Ioannem nostrum, sic concupis-*
Epist. 370. *cit & ille gloriari.* Eum hortatur, *ut requiescat à contentione, nec ultionem propriam iniuriarum, quæ à mortalibus hominibus debetur, exigat à vivente Ecclesia, & æternam discordiam sub prætextu pietatis ædificet.*

De Joanne item Ecclesiæ Antiochenæ Presbytero scribit in Ca-
Cap. 88. thalogo Gennadius Massiliensis *Impugnat aliquas Cyrilli Alexandrini Episcopi sententias, docens incautè ab illo prolatas adversus Nestorem, quæ nunc fomentum sunt, & robur addunt Timotheanis.* Et apud Photium in
L. 107. Bibliotheca Basilius Cilix, ejusdem Ecclesiæ Presbyter sub Anastasio Augusto & Flaviano secundo Patriarchâ, impugnat libros Joannis Schytopolitani, & Capitula Cyrilli, præsertim duodecimum. Etiam ab Acacio Bertheensi Episcopo, istius sæculi summo luminari, fuisse improbata gloriatur Theodoretus in literis ad Domnum Patriarcham Antiochenum. Ex quibus omnibus liquet Capitula hæc, à tantis viris etiam post Synodum Ephesinam improbata, per illam ac Romanam Ecclesiam probata non fuisse. Alioquin enim firmum est quorumdam
L. 6. c. 5. argumentum, dicentium apud laudatum Facundum de Episcopis Orientalibus: *Quia non tam contra beatum Cyrillum, quàm contra Ephesinam Synodum locuti sunt, qui parùm intelligendo malè de illis iam receptis Capitulis crediderunt.*

Respondeo tamen Capitula esse omninò probata, & per Romanam Ecclesiam, & per Ephesinam Synodum, & quidem in judicio contradictorio. Etenim Joannes Antiochenus, ad illatam illis contumeliam à sancto Cyrillo citatus ad Synodum & Româ missos Legatos Apostolicos, sibi ipsi defuit, comparere non ausus. *Rogavimus illum*, inquit in libro ad Principem Apologetico Cyrillus, *ut iuxta Ecclesiasticas leges in medium prodiret, suos sermones firmaturus, errorisq; nos convinceret. Ipse autem in eam stultitiam, immò verò timiditatem ac desperationem prolapsus est, ut neque ad nos venire, neque sanctam Synodum intueri ausus fuerit*, idcòque synodaliter damnatus. Eundem, dum contumeliæ chartam affixit theatri parietibus, à Deo mota Ephesiorum orthodoxa Plebs palàm irrisit. Aliud dogmatis decretum non fecit Synodus: Sola Capitula sunt Ephesina fides, quam ut Dei Evangelium omnis sub cælo Ecclesia fuit semper venerata. Hìnc pergit Cyrillus.

rillus. *Fidei meæ rectitudini testimonium perhibuit & Romana Ecclesia, & sancta quoque Synodus ex universo orbe congregata.* Esse apud omnes extra Antiochenum Patriarchatum Episcopos summæ auctoritatis, fatetur in laudatis ad Domnum literis ipse Theodoretus. Fuêre & apud quosdam in isto Patriarchatu: Nam Osrhoënorum Clericorum adversùs Ibam Metropolitam famosa rebellio pro magno fundamento habuit, quod ille Capitula damnaret.

Adductarum porrò contradictionum radix est duplex. Primam exponit Facundus Episcopus Hermianensis. *Cyrillus Nestorio respondens, qui unum Christum in duos filios dividebat, necesse non habuit de duabus naturis adversùs eum evidentiùs atque expressiùs disputare. Quin immò, ne quam daret occasionem eius erroris, parcius de naturarum discretione locutus est, ne cùm ipse naturas distingueret, ille duas personas induceret. Sermonem suum magis ad ea, quæ unitatis sunt, coarctabat; sicut è contrario priores Ecclesiæ Doctores, respondentes Apollinari, naturarum diversitatem stultissimè confundenti, in earum distinctionem ampliùs incumbebant. Quare ipse Nestorio repugnans putari non debuit negasse differentiam naturarum, quemadmodùm nec illi repugnantes Apollinari, putandi sunt unitatem negasse personæ. Quia non idem semper ordo est pugnæ vel modus, sed in oppugnatore caussa est, quomodò contraire debeat propugnator.* Nihilominùs quibusdam Basilij, Gregorij Nysseni, aliorumque Patrum adversùs Apollinarim dictis strenuè in errorem suum abusi sunt Nestoriani, ac eiusmodi dicta Diodorum Tharsensem Episcopum, quem ob probatissimam fidem Synodus Constantinopolitana dedit Antiocheno Patriarchatui radicem communionis, diffamârunt tamquam fontem erroris Nestoriani, subjeceruntque eidem periculo, in quo per quintam Synodum perijt Theodorus Mopsuestenus. Sic igitur & sanctus Cyrillus ob sua in Nestorium Capitula apud Orientales Episcopos incurrit de Apollinario suspicionem, immò firmissimam, ex qua damnatus, opinionem. L.6. c 3.

Hujus opinionis radicem alteram edicit idem Facundus. *Hinc creditus est beatus Cyrillus non rectam priùs in suis Capitulis tenuisse sententiam, sed admonitione Orientalium posteà esse correctus, quoniam cùm ipsa unitas Ecclesiarum fieret, non Orientales Patres eius Capitulis subscribere compulsi sunt, sed ipse potiùs expetitus est directæ sibi ab eis confessioni subscribere. Ipsamque Capitulorum suorum retractationem non ideò eum post Ephesinam Synodum fecisse aliqui crediderunt, ut quæ clausa quibusdam fuerant, panderentur, & quæ videbantur obscura, clarescerent; sed potiùs ut pristinum in eis emendaret errorem, quod putabatur, sicut adhuc Eutychiani putant, quod* UNAM IN EIS DIXERIT CHRISTI ESSE NATVRAM. *Hinc* L. 8 c.5.

ergò

ergò contigit, ut conversione beati Cyrilli facta unitas crederetur. Et reverà cui non surreperet ista suspicio (de humanis cordibus loquimur, & humana corda gestamus) cùm nihil Orientales Patres, qui hac Capitula corrigenda iudicaverunt, corrigere cogerentur, beatus autem Cyrillus, non solùm fidei confeßioni, quam, sicut necessarium crediderunt, illi dictaverant, expetitus antè subscriberet, sed etiam ipsa sua Capitula retractaret? Quod Cyrillus Capitula retractârit, palàm hallucinatur Facundus: Ea dumtaxat non purgavit ab erroneis Orientalium suspicionibus, neque ab illis admitti curavit, eorum, licet de se non rectè opinantium, sola de Christo rectâ fide contentus. An rectè, Theologi certant, & adhuc sub judice lis est. Eum in suo ad Justinianum Augustum de tribus Capitulis Constituto laudat Vigilius Pontifex, tamquam amore pacis adimplentem dictum Apostolicum: *Cui aliquid donastis, & ego.* Auferri & præcidi potuerant tot orthodoxorum fratrum pravæ suspiciones & calumniæ, ob quas tandem factum, quod scribit Liberatus Car-
Cap. 9. thaginensis. *Evoptius Ptolomaidis Pentapoleos regionis Episcopus, accipiens exemplar literarum Theodoreti, qui scripserat contra duodecim Capitula Cyrilli, direxit illud Cyrillo, ut responderet ad ea, & sua Capitula exponeret. Quod gratißimè suscipiens Cyrillus fecit interpretationem Capitulorum suorum duodecim addens expositiones, quo videretur plenam pro eis rationem reddere.* Ità dicit firmatam fuisse nuper initam Ecclesiarum pacem. Errantem tamen de Cyrillo opinionem Ibas, Theodoretus, alijque eorum Collegæ semper retinuerunt, Joannes autem Patriarcha Domno
L. 6. c. 4. successori tradidit, rectèque pergit laudatus Facundus. *Contingit nonnunquam inter eiusdem sententiæ viros, ut cùm de rebus ipsis, quæ in quæstione sunt, idem sapiunt, de se tamen invicem aliud suspicentur, cùm à dicente minùs aperitur verbis, quod corde conceptum est, vel ab audientibus minùs inspicitur dicentis intentio. Discernenda est autem impietas, quâ de Deo malè creditur, ab ignorantia, quâ quisque aliter de proximo, tamquam homo de homine, suspicatur.* Hæc tamen Orientalium suspicio, utpotè nullo, nisi dilecto Nestorio, nixa fundamento, culpâ non caruit, nimijs excusationum pigmentis incrustatur à Facundo, Divinaque Justitia super ipsam ac ex ipsa in Ephesina Synodo concitatos motus non dormitavit. Quod Celestinus Pontifex in illis dispensatoriè dissimulavit, latrocinaliter sine misericordia punivit in ipsa Ephesina civitate Dioscorus, Alexandrinus Episcopus, percutiens eos in posteriora, faciensque immissiones, tamquam Angelus malus.

Notanda sunt adducta Facundi verba: *Sicut adhuc Eutychiani putant.* Abutuntur Cyrilli Capitulis, quomodò Augustini verbis

Cal-

Calvinistæ: Tamquam ad lupum tegendum ovinis lanis. Deindè ob rationes suprà ex Hypatio Ephesiorum Episcopo adductas Chalcedonensis Synodus eadem Capitula disertè & expressim non confirmavit. Hinc Gennadius Regiæ civitatis Episcopus, in Orientalium Episcoporum & Joannis Presbyteri Antiocheni suspicionem lapsus est, detestans Capitula, non ut hominis hæretici fœtum, sed ut tunc grassantis, cuius ipse durum flagellum, Eutychianæ ac Apollinaristicæ impietatis fomentum. *Talia*, inquit Facundus, *de Cyrillo Gennadius non scriberet, nisi dicentis intentionem minùs intellexisset. Potuit de Christiana Religione, quæ recta sunt, credens non intellectum beatum Cyrillum rectâ intentione culpare.* Ego dicere malim, quod ad superiùs adducta Ioannis Antiocheni verba ait Gennadius Massiliensis: *Quod valdè inanuter dicit.* Eodem modo Isidorus Pelusiotes nimiùm facilè credidit calumniosis clamoribus Episcoporum Orientalium. Capitula tandem denuò solemnissimè probavit quinta Synodus, famosam Ibæ Edesseni Epistolam & Theodoreti in Cyrillum scripta damnans, quod Capitula ut impia & hæretica impugnassent. Exindè cuncta de illis prava suspicio est facta damnabilis: Quisquis ei indulgere perrexit, anathema incurrit. Etiam sexta Synodus vocat *Capitula Divini Cyrilli.* Quin eadem confirmavit & Synodus Chalcedonensis, adsentiens Legatis Apostolicis, adserentibus omnia Ephesini latrocinij acta esse per sanctum Leonem Pontificem cassata præter damnationem Domni Patriarchæ Antiocheni. Eam & dictus Pontifex & laudata Synodus habuére ratam, quod Domnus Cyrilli Capitula tacendâ scripsisset. Basilius Cilix est responso indignus, quia homo Nestorianus: licet Nestorium damnet, profitetur Diodorum Tharsensem, ac Theodorum Mopsuestenum. De Maximiano Constantinopolitano Episcopo, ac ejus Synodo falli credo Liberatum Carthaginensem. Eam enim rei impossibilis postulationem sibi à solo Ioanne Antiocheno ac eius Synodo factam scribit disertè Cyrillus ad Acacium Melitinæ, & Donatum Nicopoleos Episcopum, veteris Epiri Metropolitam.

L. 2. c. 4.

Act. 10.

Restat argumentum de auctoritate Ephesinæ Synodi per Sedem Apostolicam confirmatæ: Neque enim unum Cyrillum, sed & hanc Orientalis Diœcesis ac illi adhærentes novem aliæ Provinciæ damnârunt erroris. Respondet laudatus Facundus, *Hæc Orientalium, aliorumq; Patrum de Synodo Ephesina suspicio, quâ existimantes eam traditiones paternas esse transgressam, pro ipsa fide, quam communiter tenebant, adversùs eam certabant, mihi similis videtur ei suspicioni, quæ Iesu Nave temporibus orta fuerat in populo Israel, cùm laudabiliter eiusdem populi pars pro Dei cultu solicita adversùs alteram partem æquè solicitam conci-* L. 7. c. 6.

taretur, intentionem eius ignorans. Altare, ad Iordanis ripam à filijs Ruben, Gad, ac mediâ tribu Manasse rectâ mente erectum, reliquæ tribus ut schismaticum accepêre, parati vindicare etiam armis. Historia nota est, pergitque Facundus. *Vides, igitur, quod pro eadem religione, quâ rectè colitur Deus, non solùm dissentire à se invicem, verùm etiam laudabiliter pugnare adversùm se religiosi ac rectissimi possint, dum eos non ratio Divini cultûs, sed alterius alterum latet intentio. Quapropter qui nobis dicunt, si Ephesinam Synodum recepistis, condemnate Provinciæ Orientis & aliarum novem Provinciarum Episcopos, meritò audient, ut si & ipsi filios Ruben & Gad, & dimidiam tribum Manasses recipiunt, condemnent tribum Levi & alias novem tribus, quas cùm fratrum suorum lateret intentio, eos debellare convenerant. Et certè in illo populo erant etiam Prophetæ, nec eis imputat quisquam, quod animorum fratrum suorum prudens consilium non viderint, cùm facilè possit orantibus ex accepta Prophetiæ gratia revelari: Omnes autem Orientales, atque aliarum Provinciarum Antistites, quos Capitulorum beati Cyrilli latuit intentio, ut Ephesinam Synodum pro eorum susceptione culparent, Episcopos dicimus, non Prophetas.* Eleganter pluribus ostendit eos de Synodi non dogmate, sed facto solo atque intentione errasse.

Videtur difficultas non esse evacuata. Etenim de generalis Synodi dogmatico facto atque intentione falli, & paternas Christianæ doctrinæ traditiones ab ipsa violatas existimare est omninò falli in dogmate: Est credere legitimam & ab Apostolica Sede confirmatam Synodum posse in dogmate errare. Respondeo Ephesinam Synodum ab Episcopis Orientalibus judicatam fuisse non legitimam & plenam, sed mancam & variè vitiosam, utpotè factam sine Patriarcha Antiocheno, sine debito examine, per humanos affectus & corruptiones, ad instar Conventus Seleuciensis aut Ariminensis, seu latrocinij Ephesini, in quo sub religionis prætextu & vulnere privatas injurias novimus vindicatas. Eisdem ex suspicionibus olim etiam nos Belgæ & Franci omnes impugnavimus septimam Synodum, existimantes à privata Græcorum Synodo stabilitam sacrarum imaginum latriam, & Sedem Apostolicam circumscriptam. Generalis enim Synodi decreta esse Divina, infallibilia, nulli unquam retractationi obnoxia, omnis sub cælo Ecclesia semper pro regula habuit. Orientalium porrò errorem rursùm dico non fuisse à culpa immunem.

CAPUT

CAPVT VI.

Quomodò dicta Synodi discordia fuerit tandem composita?

DVm Cyrillus & Joannes, Ecclesiæ magna elementa, ità invicem collidunt, Româ adveniunt Arcadius & Projectus Episcopi, nec non Philippus Romanæ Ecclesiæ Presbyter, Celestini Pontificis ac totius Occidentalis Ecclesiæ Legati, habentes literas datas octavo idus Majas. Quare ad diem Pentecostes adesse, ac ipsi Synodum aperire omninò sperârant, verùm navigationis incerta moras injecerant. Advenerunt mense Julio, & sextò idus primam Actionem celebrârunt. Quæstio est, an venerint habituri principalem Præsidentiæ locum, an illam Cyrillo concessuri, futurique eius solummodò adsistentes? Quidam affirmant primùm: Etenim Synodis apud Græcos habitis nunquam Græcum, sed latinum Præsidem dedit semper Ecclesia Romana. Ego tamen probo partem posteriorem. Laudati enim Legati principalem locum dumtaxat tenuêre, quousque in inflicta per Orientales Episcopos contumelia & quasi reatu fuit Cyrillus, in integrum restituto mox cessêre locum, utique ex sui Pontificis mandato. Mennas Constantinopolitanus, & trium Dioeceseon Episcopi in professione facta Vigilio Papæ ad sanctam Ensemiam in civitate Chalcedonensi, disertè dicunt præsedisse Celestinum in Legatis Cyrillo, Arcadio & Projecto Episcopis, & Philippo Presbytero. Quotquot meminerunt nostræ Synodi, uno ore donant Cyrillum primo vicis Apostolicæ loco.

Sexto itàque & quinto Idus Julias celebratæ sunt per laudatos viros secunda & tertia synodalis Actio, & antè omnia ex more lectæ Papales literæ, quasi per prophetiam admodùm congruæ, utpotè mandantes cuncta Apostolicæ Sedis huc usque in Nestorium decreta tandem deduci in executionem, ac apud Ephesios servari breve verbum, à sancto Joanne Apostolo toties ibi deprædicatum, *Diligite alterutrum*. Novis Legatis prælecta & exposita est prima synodalis Actio, atque ab illis probata & confirmata: Nempè Nestorij damnatio, Celestini & Cyrilli ad illum Epistolæ, etiam Epistola duodecim Capitulorum. Facta item de his Relatio ad Principem, postulatâque licentiâ ordinandi novi Episcopi Constantinopolitani, & recedendi ad propria, quod Episcopi plures senio, inopiâ, morbis, morte affligerentur. A novis Legatis novos animos adsumpsit Synodus, utpotè jam veraciter œcumenica, quod illi non tãtùm Apostolica Sedes, sed plena totius Occidentis Synodus per illos & apportatas ab eis lite-

teras adsideret. Cyrillus solius Romanę, hi etiam totius Occidentalis Ecclesiæ vicibus & legatione fungebantur.

In quinta, decimo septimo Kalendas Augusti habita, Actione susceperunt Cyrilli & Memnonis adversùs Joannem Antiochenum querimonias & libellos, postulantes citari virum, coram Sedis Romanæ Vicarijs redditurum rationes suorum in tantos Episcopos & orthodoxa Capitula attentatorum. Acacius Melitinensis Archi Episcopus eam non sententiam aut synodale judicium, sed contumeliam atque convicium ipso Iure nullum clamavit, ideòque Ioannem audiri indignum; Legati tamen ratione, non potentiâ agendum rati citandum curârunt per Archelaum Myndensem in Caria, Paulum Lampensem in Creta, & Petrum Episcopum Parembolarum in Palestina. At nullo fructu. Etenim Ioannes sui copiam facere nolens, domum suam cinxit armato milite, in dictos Episcopos, Cyrilli Capitula, & omnem Synodum insigniter injurioso. Facta tamen est secunda vocatio per alios Episcopos, à militibus & Clericis Antiochenis pejùs tractatos. Tractati fuere tamquam per Ioannem depositi & excommunicati. Tunc Iuvenalis Hierosolymæ Episcopus in Ioannem protulit hanc aureis literis scribi dignam interlocutionem. *Oportebat Ioannem Antiochiæ Episcopum confestim accurrere, ut de illis, quæ ei objiciuntur, se purgaret, ad Apostolicam Sedem magnæ Romæ nobiscum considentem, apud quam maximè mos est ex Apostolico ordine & traditione, ut ipsa sedes Antiochena dirigatur & iudicetur.* Omnium enim Patriarcharum & Primatum Autocephalorum primæ instantiæ ex Apostolico Canone spectant ad Sedem Romanam, eâque potestate usi Legati Apostolici Cyrillum & Memnonem à Joannis sententia non absolverunt, sed ipso jure nullam & vanam declarârunt, juxta consilium Acacij Melitinensis.

Addiderunt & tertiam Ioannis evocationem peremptoriam, adversùm eius attentata & contumaciam criminaliter & definitivè processuri. At pessimè rursùm excepti sunt evocantes Episcopi, à Ioannis præsertim Archi-Diacono, quem non sine caussa depingens Synodus fuisse dicit *raros in barbâ pilos habentem, subpallidum, & staturâ pusillum.*

Sexto decimo Kalendas Augusti apud Actionem quintam strenuè institit pro suis adversùs Ioannem Capitulis Cyrillus, expostulans jus dici, & *adversùm vanas & futiles illius calumnias muniri pias Principis aures, ne per fallaciam capiantur.* Extremo tamen rigore uti noluerunt Legati: Ioannem & ejus Asseclas, exauctorari dignissimos, ab Ecclesiastica dumtaxat communione & alijs deinceps nocendi po-

se-

testate fecerunt alienos, referentes omnia ad Pontificem & Principem, asseverantésque Ioannem in Cyrillum & Memnonem fuisse temerè & vanè nugatum.

Addit Relatio ad Papam. *Perlectis in sancta Synodo commentarijs Actorum in depositione impiorum Pelagianorum & Celestianorum, Celestij, Pelagij, Iuliani, Persidij, Flori, Marcellini, Orontij, & eadem cum illis sentientium, quæ à Pietate tua de ipsis decreta & constituta sunt, iudicavimus & nos solida firmaq; permanere, & idem omnes tecum statuimus, eos pro depositis habentes.* Agnoscit Synodus potestatem suam: unicum suum esse munus, ut Apostolicæ Sedis de grassantibus personis & quæstionibus judicium confirmet. Hinc enim dum deviat Ephesina secunda Synodus, meruit in latrocinium demutari. Porrò Pelagianam hæresim, eiusque tutatrices personas denuò Ephesi damnatas scribunt etiam Gregorius magnus in literis ad Narsetem Comitem, ac in literis ad Eulogium Alexandrinum & Anastasium Patriarcham Antiochenum, Acta antiqua Episcoporum Occidentis apud Photium in Bibliotheca, & sanctus Prosper in carmine de ingratis, & in Chronico, dans caussam, quod adjuvarent cognatum sibi errorem Nestorianum. Rectè advertunt laudata Acta Nestorium de Christo Capite, Pelagium errare de corpore per ipsum redempto. Factum id est ex mandato Celestini Pontificis, qui jam dictos Errones, novâ spe & turbulentiâ gravidos, nôrat Ephesum profectos cum Ioanne Antiocheno. Ità suprema Iuliani à Synodo præsumptio in fumos est exinanita.

L. 5. Ep 14
L. 6. Ep. 31
L. 7. Ep. 81
L. 54.

Hæ synodales turbæ Theodosium Augustum valdè turbârunt, egeruntque ad nova in dies consilia. Etenim ad prima & secunda Acta solas Relationes, ad tertia etiam oculatos testes misit utraque pars: Cyrillus Theopemptum, Danielem, & Potamonem, Episcopos Ægyptios, nec non Ioannem medicum suum domesticum; Ioannes autem Antiochenus Comitem Irenæum, expostulans indici novam Synodum in Regia civitate coram ipso Principe, aut in loco vicino, removeri Episcoporum Provincialium turmam ad solas factiones utilem, & adhiberi solos duos cum quovis Metropolita.

Ad primam Comitis Candidiani Relationem cuncta Cyrilli Acta cassavit Princeps, utpotè præscriptum à sua Sacra Divali ordinem prævaricata, gestaque inimico animo, ante adventum Synodi Orientalis, & sine debito examine; inchoari voluit novam & plenam Synodum, mittens novas Divales literas & Palladium Magistrianum, qui cum Candidiano hæc exequeretur, neminemque anteà Episcopum permitteret exire Epheso, ne quidem ad Comitatum. Verùm Palla-

dius invênit turbata ardere omnia, nullumque modum executionis. Vacuus ergò ad Principem rediijt, onustus querimonijs utriusque partis.

Relationis tertiæ portitor Comes Irenæus potentissimè egit pro suo Nestorio, at nullo successu: Quod ille fateretur apud omnes ob vocem, DEIPARA, contumaciter etiam Ephesi rejectam. Cyrilli item Capitula & Memnonis satellitium fætuêre: Quare post multa tandem consilia omnium horum trium damnationem, ab Acacio Berrheensi Episcopo persuasus, confirmavit Princeps, obtinere volens solam fidem Nicenam & abijci quævis Capitula, Ephesumque mittens Ioannem Comitem sacrarum largitionum, hæc executurum. Comes namque Candidianus à Synodo accusatus de varijs ceciderat in Principis suspiciones. Laudatus Acacius à quinquaginta annis Synodo Constantinopolitanæ adfuerat, annis, eruditione, prudentiâ, rerum gerendarum peritiâ plenus, domi manserat, ideòque à Principe tamquam nulli parti addictus audiebatur.

Porrò Sacra Divalis per Ioannem Comitem missa peccabat in ipso limine: Erat enim utrique parti, tamquam unam Synodum facienti inscripta, Cyrillum & Memnonem ut exauctoratos omittens, damnatos & damnantes æquans & confundens in unum, ideòque eius insinuatio fortes obices est passa. Cyrillus & Memnon intra Episcopale palatium se munierunt, violentiam metuentes, Synodus Ioanni Antiocheno & eius asseclis communicare, Nestorium vel videre, longèque plùs Cyrilli & Memnonis damnationem audire noluit, parique eam impetu aversabatur Factio Ioannis, ad audiendas & servandas literas hilaris & prompta, ideòque illi soli eas Comes prælêgit. Ad pugnam & cædem spectabant omnia ob Cyrillo & Memnoni addictissimam Ephesiorum Plebem. Nec ipsa sibi Factio cohærebat, de qua Cyrillus ad Clerum & populum Constantinopolitanum. *Illud quoque sciatis, cùm fidei expositionem*, Ioanni Comiti exhibendam, *componerent, inter se contendisse, & in ea altercatione etiam nunc versari. Nam alij ex illis sanctæ Virgini* DEIPARAE *appellationem concedunt, alij prorsùs negant, adduntq; paratiores se esse, ut manus suas amputandas præbeant, quam ut huiusmodi voci subscribant.* Erant quippè mixti ex Orthodoxis, Nestorianis, ac Pelagianistis. Immò Comitem de sua innocentia fuisse plenè edoctum, scribit Cyrillus ad suos Constantinopoli Legatos. Nihilominùs ille Principi obediens, & populi seditionem antevertens, Cyrillum, Memnonem, ac Nestorium, tamquam synodicè damnatos, tradidit in vincula: Hunc Comitis Candidiani, illos Iacobi Comitis & quartæ scholæ Præpositi custodiæ & fidei commendans.

Tam-

Tamquam hæreticos, causſâ Capitulorum, tractatos ſcribit Facundus Hermianenſis. Attamen in Synodum eis communicantem nihil auſus fuit Comes, niſi hæc verba relata à Theodoreto in literis ad Alexandrum Epiſcopum Hierapolitanum, ſuum Metropolitam. *Largitionum Comes, ut invenit nonnullos congregari*, utique ad Sacrificij oblationem & alia Divina, *nos autem non congregari, compeſcuit eos dicens*: SI NON FUERITIS PACIFICI, NON CONCEDAM UNI PARTI CONGREGARI. L. 7. c. 4.
Eum pro Ioanne Antiocheno & eius Factione in Synodi communionem recipiendis tentaſſe omnia, ſcribit Cyrillus ad Clerum & populum Conſtantinopolitanum. At perdidit operam. Etenim Synodus *eiuſmodi vocem ne audire quidem ſuſtinuit*, obſiſtens & dicens: *Fieri non poteſt, ut ad hoc veniamus, niſi quod contra leges ab illis factum eſt, diſſolvatur, ac Synodo, tamquam qui deliquerunt, ſupplices accidant, & Neſtorium, illiuſq; dogmata ſcripto anathematizent.* Quare etiam tunc Ioannes Antiochenus ſine Divinis permanſit.

Addit Cyrillus Relationem Comitis reducis ad Principem. *Turbata eſt admodùm ſancta Synodus, ubi accepit magnificentiſſimum Comitem Ioannem non omnia rectè retuliſſe, adeò ut de noſtro quoque exilio, qui illic ſunt, conſilium inirent: Quaſi ſancta Synodus iniuſtam, nefariamque exauctorationem, quam Ioannes, & qui cum ipſo agunt, hæretici moliti ſunt, acceptaverit. En altera igitur facta eſt à ſancta Synodo Relatio.* Exſtat integra cum hac Epigraphe: *Relatio ſanctæ Synodi, quâ Sacra lecta per Ioannem Sacrorum Comitem reſpondetur.* Sacra enim obreptionibus abundabat, ſupponens Cyrillum & Memnonem, non à paucorum Neſtorianorum ac Pelagianiſtarum Factione, ſed à plena orthodoxa Synodo damnatos. Erat media æſtas, ſcribitque Synodus ad Clerum Conſtantinopolitanum. *Necamur æſtibus, cùm aëres ſint graves, & penè quotidie aliquis ſepelitur, ità ut omnes pueri languentes ad propria remittantur.* Quare utraque pars ex hiſce periculis liberari ſupplicavit, evocarique ad urbem Regiam, factum ſuum defenſura, atque anxius Princeps, à Comite Ioanne perſuaſus, tandem indulſit. Orthodoxi orârunt evocari etiam Candidianum Comitem, dicturum cauſſam de violentijs & impoſturis.

Factio legavit Ioannem Antiochenſem, Ioannem Damaſcenum, Himerium Nicomedienſem, Paulum Emiſenum, Macarium Laodicenſem, Apringium Chalcidenſem, Theodoretum Cyrenſem, & Helladium Epiſcopum Ptolomaidis in Phœnicia maritima; orthodoxa Synodus poſtulavit licentiam legandi Cyrilli, cujus rei ipſe cauſſam ſcribit in libro Apologetico ad Principem. *Cùm ex Epheſiorum civitate ad illuſtrem illam urbem devehierentur ij, qui ad hoc à ſancta Synodo de-*

delecti sunt, ut quæ ab illâ acta fuerant, defenderent, ex illorum numero esse cupiebam: ut Maiestatem vestram viderem, & in vestra præsentia contra Episcopum Antiochenum palam ostenderem eum calumniatum esse. Verùm coactus est manere in vinculis tamquam ob hæresim dejectus, ac propediem in Oasin deportandus. Quocircà Legati sunt Arcadius Episcopus & Philippus Presbyter, Romanæ Ecclesiæ Vicarij, Juvenalis Hierosolymitanus, Flavianus Philippensis, Firmus Cæsareensis Cappadocum, Theodotus Ancyranus, Acacius Melitinensis, & Evoptius Episcopus Ptolomaidis Pentapolitanæ.

Utraque Legatio venit Chalcedonem, jussa istic hærere. Schismatica statim triumphum ante victoriam cecinit, ad suos Ephesum scribens literas jactantiâ & mendacio plenissimas, cui meritò data est hæc Epigraphe: *Epistola Schismaticorum intempestivè de victoria gloriantium.* Intra paucos enim dies mutata est rerum facies, de qua ad Principem ipsa factiosa legatio in secunda petitione. *Visum est Maiestati vestræ, ut ad inquirenda dogmata inobedientes* sacris vestris jussionibus, utique orthodoxi, *compellerentur. Hæc ut fierent, nobis exspectantibus, vestra Pietas in civitatem profecta est, & eos quidem, qui de hæresi accusabantur, præcepit, ut in civitatem venirent, sacerdotio fungerentur, & ordinarent; nos verò, qui pro pietate tantum certamen suscepimus, neque ingredi civitatem iussit, ut fidei periclitantis negotium ageremus, neque ad propria remigrare permisit, sed sumus Chalcedone tristes & gementes in Ecclesia, quæ exercetur schismate.*

Hæc verba, *Et ordinarent*, exponit eadem Legatio in literis ad suos in Epheso. *Famâ accepimus, quod ante octo dies, priusquam compareremus (en gloriam pientissimi Regis) dominus Nestorius ab Ephesò dimissus sit, ut eat, quo liberet. Vndè valdè dolumus: Quandoquidem vere ea, quæ illicitè & absque iudicio facta sunt, iam robur habere videntur.* Reverà habebant robur. Etenim meliora edoctus Thedosius orthodoxos Legatos ad Regiam vocavit urbem, ut ipsi ex antiquo Synodi generalis jure in hæretici à se damnati locum ordinarent novum Episcopum: Ordinârunt verò ejusdem Ecclesiæ ex monacho Presbyterum Maximianum. Eum à Synodo, id est, synodalibus Legatis ordinatum testatur etiam Celestinus Pontifex in Synodi confirmatione, addens se, *dum illius capiti verba mystica dicerentur*, omninò interfuisse: Ex quo non vanè possit conijci ab Arcadio Legato datam consecrationem. Hinc intelliges verba Theodoreti de Nestorio ad Alexandrum suum Metropolitam. *De Amico sciat Tua Sanctitas; quod si quando eius fecerimus mentionem vel apud pientissimum Regem, vel apud illustre Consistorium, defectionis notabamur. Tanta sunt eorum, qui intrò sunt, inimicitia.*

Et

Et hoc est molestissimum. Et verba Legatorum ad suos in Ephesо. *De sapientissimo & sanctissimo Episcopo Nestorio sciat vestra Pietas, quod studuerimus quidem sermonem inserere, sed nunc non potuimus, eò quod omnes vel ad ipsum nomen hostiliter afficiantur. Nihilominus curæ nobis erit.* Cæcus Theodoretus non desijt illum palàm prædicare. Porrò Epheso ejectum abijsse Antiochiam ad Ioannis Patriarchæ protectionem & suum sancti Euprepij Monasterium, testatur Evagrius Epiphaniensis.

Hæc item secundæ Petitionis verba de civitate Chalcedonensi, *Quæ exercetur schismate*, largè exponit Theodoretus in literis ad Alexandrum suum Metropolitam. Chalcedonensis Episcopus, Memnonem Ephesinum imitatus, schismaticis clausit omnes Ecclesias, coëgit vivere sine Divinis, adeòque instruxit Principem, ut rogatus illis concedendam ab Episcopo Ecclesiam, responderit ut verus Ecclesiæ Filius: *Ego Episcopo præcipere non possum.* Ex sancto Ambrosio nôrat Ecclesias ad Episcopos, Palatia ad sese pertinere. Et hinc ad Michaëlem Augustum rectè scribit Nicolaus primus Pontifex sacras olim jussiones fuisse jussiones dumtaxat nomine, re ipsâ solas preces. Quin immò dum Principi venienti è suburbano Ruffiniano pro Ecclesia supplicabant factiosi, à populo orthodoxo fermè fuerunt lapidati. Caussam ipsi scribunt ad suos in Epheso. *Omnis populus* Constantinopolitanus *jugiter ad nos venit, orans ut strenuè pro fide pugnemus.* Erat populi fæx seducta à Nestorio, atque eiusmodi leprosis conventiculis civitatem suam pollui nolebat Episcopus Chalcedonensis. Quocircà coacti illi, & quidem ex magna conniventis Principis gratia, permanserunt in nescio cujus domo privata sine oblatione & Scripturarum lectione, convenientes ad solas preces & colloquia de sua religione, atque ità evanuit omnis ante victoriam triumphus. Hac de caussa Ecclesiam Chalcedonensem dicit Theodoretus in schismate exerceri.

Assiduis precibus fatigavére Principem, postulantes Cyrilli Capitula ut hæretica, ipsum & Memnonem haberi ut Hæresiarchas, sua in illos Acta firmari, & restitui Nestorium ut iniquè damnatum. Hæc enim erant eorum mandata. Et omnis spes à laico Principe. Nam dum ille Candidiani Comitis mendaci Relatione circumventus prima Synodi Acta sacrâ jussione cassavit, Ioannes Patriarcha orbem terrarum exclamavit beatum, *cui contigerat talibus subesse sceptris.* At longè aliter orthodoxa Synodus, & per Legatos, & per Clerum Constantinopolitanum contestans Principem, ne Christiana tempora fædaret Cyrilli & Memnonis, ob dogma orthodoxum ab hæreticis exauctoratorum, martyrijs, sed potiùs sacræ Synodo avitam parentum observantiam, obedientiam, & executionem exhiberet. Quid

 Ec-

Ecclesiasticis decretis laicus Princeps debeat, profitetur Justinianus Augustus in Edicto contra Anthymum Trapezuntium, Severum Antiochenum, Petrum Apameensem Episcopum, & Zoaram Pseudo-Monachum, directo ad Mennam Patriarcham Constantinopolitanum. *Quoties Sacerdotum sententia quosdam indignos Sacerdotio de sacris sedibus deposuit, toties imperium eiusdem sententiæ & ordinationis cum Sacerdotum auctoritate fuit.* Orthodoxi igitur Legati rogavêre Principem, ut Cyrillum Capitulis suis coram se adesse, aut certè vinculis exemptum redire in sedem Episcopalem sineret, Synodo, quam Romana & omnis Occidentalis Ecclesia probasset, obsecutus.

Hìnc ille motus utramq; legationē audivit quinquies, adunare conatus: At casso labore. Pertinaciam enim suam factiosa legatio scribit ad suos in Epheso. *Quintò accessus nobis contigit. Et multùm de hæreticis Capitulis disceptavimus. Iuravimus sæpiùs pientißimo Regi, quod impoßibile sit nobis communicare his, qui diversa sentiunt, si nondùm exploserint Capitula; & quod Cyrillus, etiamsi reiecerit Capitula, à nobis suscipiendus non sit, eò quod tam impiæ hæreseos Hæresiarches factus sit.* Pari animo pro Capitulis stetêre Legati orthodoxi. Eos inter Acacius Melitinensis Episcopus non tantùm Capitula, sed & suam, ob quam sciderat vestem Princeps, propositionem, *Deitas est passa*, purgavit, atque ità illuminatus tandem Augustus Synodo paruit, fecitque, quod factiosi scribunt ad suos in Epheso. *Placuit pientißimo Regi post multas adhortationes, ut singuli ad propria redeamus: Ad hæc ut & Ægyptius & Memnon Ephesius in suis locis maneant. Sic enim poterit Ægyptius omnes excæcare muneribus suis. Sic ut ille quidem, cùm innumera fecerit mala, ad thronum suum redeat, iste vir innocens vix ad suam mansionem dimittatur.* Pro magna enim gratia Nestorium in sancti Euprepii Monasterio manere Theodosius indulsit. Celestinus autem Pontifex omninò improbavit, quod Antiochenæ Ecclesiæ & Episcopus & Clerus olerent eandem lepram, ideòque apud Principem institit deportari Hæresiarcham: *Sola enim tales homines decet solitudo.* At non obtinuit: Nestorium enim Antiochiæ ad quatuor annos, muneribus & honoribus impartitum per multos, permansisse scribit Evagrius Epiphaniensis.

Tunc quam maximè vociferari perrexit Factio, quod nuper ad Alexandrum suum Metropolitam scripserat Theodoretus: *Iudices ipsi omnes auro confidunt, & contendunt unam esse naturam Deitatis & humanitatis.* Legenda eiusdem Epistola ad Andream Samosatensem, ad Rufum Thessalonicensem, & ad Joannem Antiochenum Episcopum de morte Cyrilli. Damnatos suos ferre nequijt in throno & ministerio Episcopali, atque ità sperni quartum Canonem Antiochenum.

Addit

Addit Liberatus Carthaginensis. *Et ità Ioannes cum suis Antiochiam profectus est, ubi colligens plurimos Episcopos damnavit iterùm Cyrillum, cùm iam esset Alexandria.* Tunc item factum est quod in famosa Epistola scribit Ibas Metropolita Edessenus *Remansit Orientale Concilium non communicans Episcopis, qui communicaverunt Cyrillo. Et ob hoc multa tristitia inter eos facta est, & in contentione erant Episcopi adversùs Episcopos, & completum est opere, quod scriptum est:* QVIA ERVNT INIMICI DOMESTICI EIVS. *Ex hoc detractiones multæ adversùm nos factæ sunt Paganorum & hæreticorum. Non enim audebat aliquis de civitate ad civitatem, aut ad Provinciam de Provincia proficisci; sed tamquam inimicum suum unusquisque proximum suum persequebatur.* Cap. 6.

Precibus Maximianus Constantinopolitanus Episcopus, jussionibus Pontifex Celestinus assiduè instabat auferri scandalum, atque ità tandem Theodosius Augustus per spectabilem Tribunum & Notarium Aristolaum Joanni Antiocheno misit Sacram, quâ Maximiani ordinationem & Nestorij damnationem recipi, eiusdem errores anathematizari, cum Cyrillo pacem iniri, aut certè Nicomediam, idque sine omni Episcopo cùm paucis ad necessarium servitium Clericis, ad eius coram Principe colloquium accedi jussit, eum interim suspendens ab omni Episcoporum & Clericorum creatione & damnatione, *donec perfecta unio consequatur.* Non absolutè evocatum Nicomediam, sed jussum dumtaxat, *ut vel corpore, vel saltem animi sententiâ coirent*, affirmat libellus S. Cyrillo exhibitus à Paulo Episcopo Emiseno, Legato Ioannis. Aliter Liberatus Diaconus. *Missus est Aristolaus tribunus, Sacram Principis deferens Ioanni & Cyrillo, in qua comminatus est utrisque Nicomediam exilium, nisi pacem haberent ad invicem.* Ad Ioannem emolliendum etiam sancto Symeone Stylitâ & Acacio Berrheensi Episcopo usus est Theodosius, jussitque hæc omnia nequaquam suâ auctoritate, sed tamquam executor decreti Apostolici, quo Celestinus Papa Ioannem Patriarcham ità urgeri mandavit, contumaci minatus Epist. 11. parem cum Nestorio damnationem. Papalis Epistola data est idibus Martijs, sub Consulatu Ætij & Valerij, proximo post Synodum anno, paucis septimanis ante mortem Pontificis, utpotè defuncti octavo idus Apriles: Eratque tum Synodus dudum soluta. Eodem Consule & die datis ad Principem & Maximianum Nestorij successorem Epistolis apponitur in Epigraphe: *Post Synodum.* Ad Synodum igitur post Synodum scripta est Epistola, quod dicti Maximiani, octavo Kalendas Novembres consecrati, Episcopatum confirmet ad eius Relationem, quam etiam solutam noluit Pontifex privare honore responsi.

Ioannes Patriarcha, Acacij Berrheensis Episcopi suasu, duxit obediendum. Nicomediam, & quidem sine Patriarchali comitatu, abire nolens, advocatæ suæ Synodo persuasit damnari cum suis blasphemijs Nestorium, probarique ordinationem Maximiani. Quod namque blasphemum & incorrigibilem Erronem fuerit jam pridem pertæsus, palàmque dixerit deportandum, testatur Evagrius Epiphaniensis. Faciendæ unionis Legatum Alexandriam misit Paulum Emisenum Episcopum, volens ipse, scribit ad Acacium Melitinensem sanctus Cyrillus, *Præscribere pacis leges, & aboleri omnia, quæ vel Epistolis, vel tomis, vel libris evulgaveram*, tenerique solam fidem Nicenam. Responsum suum scribit idem Cyrillus ad Donatum Nicopolitanum Episcopum, veteris Epiri Metropolitam. *Meminit Sanctitas Tua nuper Ephesi quoque eiusmodi ab illis propositas condiciones. Ego ad hæc rescripsi rem illos postulare, quæ fieri planè non possit, eò quod quæcumque scripsimus, rectè scripserimus nihilq; ex eis negare nos posse.* Post plures tandem ultrò citròque literas sublatum est scandalum, stabilita Ecclesiarum pax, Paulus Emisenus ut gratus hospes admissus ad celebranda & populo impartienda Divina, Cyrillus solennem illam pacis Epistolam scripsit, cuius exordium, *lætentur cæli & exultet terra*, unionis decreto in Synodo Florentina præfixit etiam Eugenius quartus. Quæ omnia Xixtus tertius Papa cum gaudio confirmavit.

L.1.c.7.

L.3.Con. Eph. c.35.

Cap.38.

Pergit Cyrillus in literis ad Donatum Nicopolitanum. *Sciat & hoc quoque Tua Sanctitas religiosissimum Episcopum Paulum initio plurimùm institisse Helladij* Tharsensis, *Eutherij* Thyanensis, *Himerij* Nicomediensis, *& Dorothei* Metropolitæ Marcianopolitani *caussâ, obnixèque rogasse, ut quæ contra ipsos decreta erant, abrogarentur. Affirmabat enim pacem Ecclesiarum aliter perfici non posse, nisi id quoque fuisset adiectum. Ego verò respondebam rem ipsum modis omnibus impossibilem conari, eò quod nos istud nunquam essemus permissuri. Manserunt itaque in eodem schismate, in quo nunc etiam perseverant, neque ulla eorum in condicionibus de pace Ecclesiarum propositis facta est mentio.* Dorothei crimen notum est, reliqui haud dubiè & ipsi & Nestorio pertinaces adhæserunt. Eadem de caussa Theodosius Augustus è Metropolitana Tyriorum cathedra extrusit Irenæum, Cyri nuper defuncti successorem, pro quo Theodoretus scripsit vanam Apologiam.

Capitula tamen acceptari Cyrillus non exegit. De Maximiano Constantinopolitano Episcopo, ac eius Synodo falli credo Liberatum Carthaginensem. Eam enim rei impossibilis postulationem sibi à solo Ioanne Antiocheno ac eius Synodo factam scribit disertè Cyrillus ad Acacium Melitinæ, & Donatum Nicopoleos Episcopum.

Ex-

Exindè prodijt occasio plurimis suprà adductis calumnijs, radixque novarum contentionum. Quin immò Nestoriani ubique ebuccinavêre admissam à Cyrillo Orientalium professionem esse suum ipsissimum dogma, secumque jam & Cyrillum sentire. Sub eius nomine finxerunt Epistolam pænitentiæ de suis apud Ephesum Actis, quin & scriptam quasi à Philippo Romanæ Ecclesiæ Presbytero, ac ad Ephesinam Synodum Legato, Epistolam ex nomine Xixti tertij Pontificis, dolentis Nestorij depositionem, eique auxilium quærentis. Esse mendacia ostendit in laudatis ad Acacium Melitinensem literis Cyrillus, & addit. *Xixtus sanctißimus Episcopus scripsit consona sanctæ Synodo, omnia illius gesta confirmavit, & nobiscum sentit.* Attamen Capitulorum per Orientales acceptatio hisce malis nullam irrependi rimam hiare permisisset.

Et hæc est caussa, cur ex Antiocheno sancti Euprepij Monasterio ejectum Nestorium, nudumque & inopem, deportari jusserit Augustus Theodosius, eius bona Ecclesiæ Constantinopolitanæ, libros igni, sequaces addicens cunctis hæreticorum pænis. Sacrum Edictum, Isidoro Prætoriorum Præfecto directum, mandat hominem deportari Petras; Evagrius autem Epiphaniensis ait deportatum Oasin Lybiæ, veram calamitatis domum, ad quam à Constantio Augusto proscribi etiam sanctum Athanasium curavit nequam Factio Eusebiana. Nempè exilij locum ob novam semper in blasphemia pertinaciam sæpè Nestorius mutavit. Exstat lex vetans, ne quis præter Augustalem Præfectum aut Ægypti Ducem deportet in Oasin, nec ultra sex menses aut certè annum istic quis detineatur: Ob insignes loci miserias. Antiochiâ exportandus dixisse fertur: *Sacra Virgo dicatur* Liberat.
DEIPARA, *& ea, quæ fecerunt tristitiam, conquiescant.* At fidem nullibi c.6.
invênit. Eius apud Oasin afflictiones refert laudatus Evagrius. At *earum utilitatem ille perdidit*, utpotè eorum unus, ad quos in libris de Dei civitate sanctus Augustinus: *Miserrimi facti estis, & pessimi permansistis.* Lingua in saniem versa mortuus est, teste Georgio Cedreno, blasphemans: *Hactenùs nobis persuasum non est Mariam esse Dei genitricem.* Ità raptus in sempiternum carcerem blasphemiæ & gehennæ. p.279.

Etiam damnatos Pelagianos tunc à se ablegavit Ioannes Antiochenus. Desperatus ac consilij inops Julianus Romam venit ad Xixti tertij pedes, implorans sancti Apostoli Petri misericordiam quasi pænitens: Verùm sanctus Leo magnus, Ecclesiæ Romanæ tunc Archi-Diaconus ficta judicavit omnia, ideòque divinæ per ipsum hostiliter nimiùm impetitæ gratiæ januam claudendam, penitùsque abijciendum turbulentum hominem persuasit, uti in Chronico scribit

sanctus Prosper, ac ex illo Hermannus Contractus. Abijsse ad siculos dicitur infælix Ex-Episcopus, & ad sustentandam miserabilem vitam prima literarum rudimenta pueros docuisse usque ad mortem, quasi alter Dyonisius Corinthi.

CAPUT VII.

Exponuntur reliqua Synodi Acta.

ALiam Synodi hujus decisionem refert sanctus Leo Pontifex in literis ad Maximum Patriarcham Antiochenum. *Subrependi ocasiones non prætermittit ambitio, & quoties ob incurrentes caussas generalis congregatio facta fuerit Sacerdotum, difficile est, ut cupiditas improborum non aliquid supra mensuram suam moliatur appetere. Sicut etiam in Ephesina Synodo, quæ impium Nestorium cum suo dogmate perculit, Iuvenalis Episcopus ad obtinendum Palæstinæ Provinciæ Principatum credidit se posse sufficere, & insolentes ausus per commentitia scripta firmare. Quod sanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Episcopus meritò perhorrescens scriptis suis mihi,* Romanæ Ecclesiæ tunc Archi-Diacono, *quid prædicta cupiditas ausa sit, indicavit, & sollicitâ prece multùm poposcit, ut nulla illicitis conatibus præberetur assensio.* Addit Orientalium Episcoporum prima petitio ad Principem missa è civitate Chalcedonensi. *E nobis quidam à pientißimo Iuvenali Hierosolymitanorum Episcopo olim ordinati silumus, quamvis pro Canonibus certandum esset, ne videremur gloriæ nostræ caußâ dolere. Et nunc quoque illius studia & præstigias tales per Phœnicen secundam & Arabiam non ignoramus.* Juvenalis, uti scribit Evagrius Epiphaniensis, è Primatiali Ephesiorum Metropoli Hierosolymam translatus, primę Palestinæ jure Metropolitico, per Cyrillum & Ioannem Antecessores invaso, nequaquam fuit contentus: Decem Asiaticæ Diœceseos Provincijs dominari solitus tres Palestinas eripuit Patriarchæ Antiocheno, novum se istic Patriarcham ostentans, tentansque etiam Arabiam & duas Phœnicias, & quidem per præstigias & scripta commentitia. Horum unum miscuit suæ superiùs laudatæ pro Sede Apostolica interlocutioni: *Oportebat Ioannem Reverendißimum Antiochiæ Episcopum confestim accurrere ad Apostolicam Sedem magnæ Romæ nobiscum confidentem, & obedientiam ac honorem deferre Apostolico sanctæ Dei Ecclesiæ Hierosolymorum, apud quem maximè mos est ex Apostolico ordine atque traditione, ut ipsa sedes Antiochena dirigatur & apud eum iudicetur.* Etiam Ioannes Hierosolymæ Antistes sese Episcopum Apostolicum, suamque Sedem jactabat Apostolicam; ast ab illa judicandam aut dirigendam sedem Antiochenam fabula est solius Juvenalis,

Epist. 62. c. 4.

L. 1 c. 10.

nalis, omninò digna nomine præstigiarum, remittendaque, quo & Ioannem remisit sanctus Hieronymus, ad sextum & septimum Canonem Nicenum. Juvenalis, inquam, Ioannem Antiochenum videns extra Synodi & Sedis Apostolicæ gratiam, damnatum à sancto Cyrillo, ac inauditum à Rhegino Cypriorum Metropolita excussum, istâque Provinciâ mutilatum, mutilare voluit & tribus Palestinis in sedem suam transcribendis. At sanctus Cyrillus aliud esse sciens delicta Antistitum, aliud jura sedium, retudit ambitum, usus consilio & auxilio sancti Leonis, ex tunc tenacissimi Canonum Nicenorum. Etiam Autocephaliam Rhegino datam jam dixi nunquam confirmatam à Romana Ecclesia, haud dubiè suasu & operâ eiusdem Leonis.

Quomodò autem obedierit Juvenalis, docet sancti Cyrilli ad Gennadium Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyterum & Archimandritam Epistola, cujus fragmentum recitant S. Ivo Carnotensis Episcopus, & in Decreto Gratianus Monachus. *Dispensationes rerum nonnunquam cogunt parùm quidem à debito foras exire, ut maius aliquid lucrari faciant. Sicut enim ij, qui mare navigant, tempestate urgente, naviq; periclitante anxiati, quadam exonerant, ut cætera salva permaneant; ità & nos, cùm non habemus salvandorum omnium negotiorum certitudinem, despicimus ex eis quædam, ne cæterorum patiamur dispendia. Et hæc scribo cognoscens, quod Pietas Tua tristetur in sanctissimum Proclum Episcopum, eò quod admiserit in communionem Æliensium Hegumenum, quem Ecclesiæ leges Palestinæ Præpositum non noverunt. Igitur ne refugiat Pietas Tua sanctissimi Procli Episcopi communionem. Vna enim cura mihi fuit & Sanctitati eius: Et dispensationis modus nulli displicet sapientum.* Hegumeni seu Episcopi Juvenalis, quod tres Palestinas ex Ephesinæ Synodi decreto contumax nollet restituere Patriarchę Antiocheno, refutatam priùs communionem tandem admisit Proclus Constantinopolitanus Episcopus, Maximiani successor; verùm Gennadius Archimandrita tulit adeò indignè, ut eius communionem refutârit, tamquam polluti à Juvenale prævaricatore, ac per ipsum sanctum Cyrillum decreti Ephesini auctorem debuerit ad illam reduci. A Juvenale, quem versatilem vertumnum fuisse docent acta in in latrocinio Ephesino, novos Ecclesiæ motus metuebant Cyrillus & Proclus, ideòque censuerunt eius contumacem ambitum dispensatoriè tolerandum, de quo in dies crescente Synodi Chalcedonensis judicium infrà edicemus.

Epist. 144. 171. 214. 1. q. 7. c. 16

Quæstio est, an ex Actis synodalibus aliud nihil casârit Romana Ecclesia? Rationem dubitandi dat S Gregorius magnus in literis ad Narsen Comitem. *Ephesinam Synodum perscrutantes, de Adelphio & Saba, & cæteris alijs, qui illic dicuntur esse damnati, omninò nihil invenimus.* L. 5. Ep. 14

Et

Et existimamus, quia sicut Chalcedonensis Synodus in uno loco ab Ecclesia Constantinopolitana est falsata, sic aliquid in Ephesina Synodo factum est. Sola & omnia à se confirmata generalium Synodorum acta Archivis suis inserere solet Romana Ecclesia: Quocircà decretum de Messalianis, quod in illis Gregorius non reperit, certum est non fuisse confirmatum. Et Codex Canonum Ecclesiæ universæ solos sex Ephesinos Canones cum decretis de non alterando Niceno Symbolo & de Ecclesia Cypriorum continet, nihil de Messalianis. Quin immò vetus, à Dyonisio Exiguo collectus, Codex Canonum Ecclesiæ Romanæ nihil penitùs habet ex Ephesinis constitutionibus, nisi solam ad instar appendicis Epistolam duodecim Capitulorum sancti Cyrilli, id est, solum fidei decretum.

Respondeo per Romanam Ecclesiam confirmata fuisse duodecim Cyrilli Capitula, Canonem de Symbolo, & Acta contra Pelagianos. Abundè id liquet ex huc usque dictis. Reliqua sibi ipsis relicta sunt, quomodò dixi suprà de Actis Synodi Constantinopolitanæ. Romana namque Ecclesia, uti scribit frequenter S. Leo agens de confirmatione Ep. 55 c. 1. Synodi Chalcedonensis, ea sola confirmare solet, *propter quæ Synodus congregatur*, & de quibus à Romano Episcopo habet prævíam instructionem, suffragium, & mandatum. Caussam edicit Vigilius Pontifex in suo ad Justinianum Augustum de tribus Capitulis Constituto. *Nostrum* Episcopi in quinta Synodo congregati *debebant definitum de tribus Capitulis sustinere responsum, antiquum & regularem ordinem custodientes, ne ante nostra, id est, Apostolica Sedis promulgationem senten-* Act. 10. *tia quidquam proferre tentârent.* Et Synodus Chalcedonensis: *Missi Apostolici semper in Synodis priùs loqui & confirmare*, id est, articulos sibi per Pontificem delegatos proponere & suo suffragio qualificare *soliti sunt.* Quare Marcus Antonius de Dominis, eiusque satelles frater Paulus ignorantiam suam produnt & malevolentiam, dum Sedem Apostolicam, proponendi jus sibi in Tridentina Synodo adscribentem, arguunt invasæ & usurpatæ potestatis. At verò de solis Nestorio ac Pelagianis judicari per Ephesinam Synodum jusserat Celestinus Pontifex, ideòque illa sola, tamquam verum generalis Synodi vigorem habentia, idem ille & eius successores confirmârunt. Ea autem inter est omninò decretum de non alterando Niceno Symbolo: utpotè factum ad frænandos Nestorianos & quosvis deinceps alios ausus temerarios in avitam tesseram Christianitatis. Reliqua tamen Acta, quod de primo Canone Constantinopolitano ad Leonem Augustum scripsit Evoptius Episcopus Cizicenus, veritas confirmârunt & tempus, & apud latinos & apud Græcos.

DISSER-

DISSERTATIO DE LATROCINIO EPHESINO.

CAPUT PRIMUM.

Exponitur Hæresis Eutychiana, occasio latrocinij.

AD Leonem Augustum scribit sanctus Leo Papa. *Non longo temporis intervallo catholica fides à duobus est hostibus impetita, quorum prior Nestorius, Eutyches secundus emersit*, errore dissimiles ac invicem adversi, pares impietate. Eutyches seipsum in libellis Ephesino latrocinio exhibitis jactat natum ex parentibus orthodoxis, statimque in infantia per sanctum Christianitatis lavacrum & signaculum Deo consecratum: Adultum adversùs Nestorium Episcopum suum strenuè pro avita fide pugnasse dixit in sua adversùs illum Synodo vetustus eius amicus, ac Nestorij post Maximianum & Proclum in sede Constantinopolitana successor, sanctus Flavianus. Eandem ad Synodum dixit eius accusator, Eusebius Dorileensis in Phrygia salutari Episcopus. *Metuo ipsius concussionem. Ego pauper sum, nihil possidens. Minatur mihi exilium. Divitias habet. Designat mihi iam Oasin:* Quò à solo Principe, Augustali Præfecto, aut Ægypti Duce jam suprà dixi potuisse deportari. Eutyches namque erat Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyter, *celeberrimi*, teste Liberato, *Monasterij Hegumenus* sive Archimandrita, habens sub se trecentos Monachos, pecuniâ olim, dignitate & variâ militiâ claros, uti ipsi adserunt in libellis dicto latrocinio exhibitis, adeòque & in Ecclesia & in Palatio ille prævalebat: Præsertim apud Chrysaphium Principis Eunuchum, quem fuisse eius ex sacro fonte filium scribit idem Liberatus. Persuasit ille Theodosio Augusto concedere generalem Synodum, *ut de statu eius, qui anteà honorabilis videbatur, diligentiùs iudicaretur*. Fuisse enim anteà *de humilitatis proposito laudabilem* scribit sanctus Leo Pontifex ad Pulcheriam Augustam. Addit fuisse senem imperitum, *superfluò visum honorabilem, nullo unquam cognoscendæ veritatis studio imbutum, & qui nullâ maturitate cordis ornârit canitiem senectutis*, stultissimâ insultatione ausus incessere, *quod Dominus in Ecclesia neminem utriusque sexus voluit ignorare*. Et in literis ad sanctum Flavianum. *Quam eruditionem de sacris novi & veteris testamenti paginis acquisivit, qui nec ipsius quidem Symboli initia comprehendit? Et quod per totum mundum omnium regeneratorum voce deprômitur, istius adhuc senis cordè non capitur.* Cum Marcione &

Epist. 97. c. 1.

Cap. 11.

S. Leo Epist. 19.
Epist 13.
Epist. 15.

Epist. 13. Valentino blaſphemavit, credens *de Dei maieſtate religioſiùs ſentire.* Eum delirúm ac inſipientem, eius dogma profanum, fatuum, brutamque contentionem vocant Facundus Hermianenſis, & Paulus Apameenſis Epiſcopus, ſecundæ Syriæ Metropolita, in literis ad Juſtinianum Auguſtum, lectis in Synodo Conſtantinopolitana ſub Menna Patriarcha. Euſebius Dorileenſis in libellis ſancto Flaviano ac eius Synodo exhibitis aſſerit fuiſſe *linguæ infrænis & oris inobſerati,* utpotè ad blaſphemias ſuas firmandas *auſum Patres, qui inter Sanctos connumerantur, hæreticos nominare.* Eius verba eidem Synodo referunt illius citatores Ioannes Presbyter & Andræas Diaconus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. *Paratum ſe aſſerebat expoſitioni ſanctorum Patrum, qui in Nicæa & in Epheſo congregati ſunt, conſentire & ſubſcribere expoſitionibus eorum. Si verò aliquid contigit eos in aliquibus dictis aut falli aut errare, hoc neque reprehendere neque ſubſcribere, ſolas autem Scripturas ſcrutari, tamquam firmiores ſanctorum Patrum expoſitionibus.* Hoc enim eſt perpetuum hæreticorum privilegium, in quibus, teſte ſancto Gregorio Nazianzeno, imperitia paſſim eſt mater audaciæ.

Con. Chal. Act. 1. f. 103.

Eius errores compendio refert Liberatus Diaconus Carthaginenſis. *Eutyches prædicabat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum conſubſtantialem non eſſe nobis ſecundùm carnem, ſed de cælo corpus habuiſſe: Rursùmque varians dicebat ante adunationem duas in Chriſto fuiſſe naturas, poſt adunationem verò unam factam,* Erroris occaſio fuit pax inita inter ſanctum Cyrillum & Ioannem Patriarcham Antiochenum, de qua idem Liberatus. *Quidam de Palatio per Eulogium Presbyterum & Apocriſarium Alexandrinæ Eccleſiæ culpaverunt Cyrillum, cur ſuſceperit ab Orientalibus Epiſcopis duarum confeſſionem naturarum, quod Neſtorius dixit & docuit: Sed & Valeriano Iconij & Acatio Melitinenſi Epiſcopis hoc ipſum de Cyrillo videbatur.* Inter diviſas naturas & naturas diſtinctas non diſcreverunt, cum ſancto Athanaſio & ipſo ante pacem Cyrillo dici in Domino voluerunt unicam naturam verbi incarnatam, Orientales Epiſcopos duarum naturarum adſertores doloſè Neſtorianizare, & Cyrillum eas admittentem crediderunt diſpenſatoriè diſſimulaſſe, aut fuiſſe circumſcriptum. Eodem errore, uti ad ſanctum Leonem Papam ſanctus Flavianus ſcribit, laboravit Eutyches, ideòque pacem illam tamquam hæreticas technas, ipſoſque Orientales Epiſcopos tamquam Neſtorianos averſatus eſt, præſertim Ibam Edeſſenum, & Theodoretum Cyrenſem. Verùm enim verò Eccleſiarum pacem ab omni Chriſtianitate laudatam & firmitatam criminari erat paradoxa calumnia, ideòque vela vertens Eutyches poſtmodùm cæpit Orientales Epiſcopos de ipſa violata, deſpretis S. Cyrilli Capitulis, & de reſumpta Neſtoriana

Cap. 11.

Cap. 8.

S. Leo Epiſt. 1. Epiſt. 83. Epiſt. 15.

hæ-

hæresi accusare. Barsumam, Monachorum nequissimum, adesse impetravit Ephesino latrocinio, & vices, inquit Liberatus, agere omnium Monachorum Orientales Episcopos accusantium. C. 13.

Eius itàq; palmaris error adseruit in Christo Domino non esse duas naturas, sed unam dumtaxat Divinam, non simplicem, sed incarnatam. Hinc in Ephesino latrocinio *surrexerunt omnes Ægyptij Episcopi, & Monachi, qui sequebantur Barsumam, & omnis turba, & cœperunt dicere:* EVM, QVI DICIT DVAS NATVRAS, INCIDITE IN DVO; QVI DICIT DVAS NATVRAS, NESTORIANVS EST. Et adversùs Eusebium Dorileensem Episcopum, prædicantem DVAS NATVRAS. *Tolle, incende Eusebium, iste vivus ardeat, iste in duo fiat; sicut partitus est, partiatur. Si quis dicit duo, anathema sit.* Et adversùm omnes generaliter orthodoxos: *Qui dicunt* DVAS NATVRAS, *dividite, interficite, eijcite.* Et ipse Eutyches ad Theophilum & Mamantem, sancti Flaviani Presbyteros & Legatos. *In qua Scriptura iacent* DVAE NATVRAE? *Quis sanctorum Patrum exposuit Deum Verbum habere* DVAS NATVRAS? *Ego de Deitate non disputo, neque dico* DVAS NATVRAS. *Absit.* Et latrocinij Præses Dioscorus perfrictâ fronte effutijt ad Synodum Chalcedonensem. *Manifestè ideò* ab Ephesino latrocinio *damnatus est Flavianus* Constantinopolitanus Episcopus, *quoniam post adunationem* DVAS *dixit* NATVRAS. *Ego autem testimonia habeo sanctorum Patrum, Athanasii, Gregorij, Cyrilli in multis locis, quia non oportet dicere post adunationem* DVAS NATVRAS, *sed unam naturam Dei Verbi incarnatam. Ego cum Patribus eijcior, ego defendo Patrum dogmata, non transgredior in aliquo, & horum testimonia non simpliciter neque transitoriè, sed in libris habeo.* Undè & Basilium Seleuciensem Episcopum, Metropolitam Isaurorum, qui in sancti Flaviani Synodo Eutychetem damnârat ob negatas DVAS NATVRAS, Ephesi coëgit ad hanc palinodiam. *Accuso & reprehendo propriam vocem, quam de* DVABVS NATVRIS *professus sum in gestis habitis apud Regiam civitatem, & adoro unam naturam Deitatis unigeniti inhumanati & incarnati.* Quod à quovis duarum naturarum adsertore adseri crederent & duos Dei filios, scribit Theodoretus ad Monachos Constantinopolitanos.

Con. Chal. Act. 1.

Act. 1.

F. 193.

Erroris fundamentum dat apud Photium in Bibliotheca sanctus Efremius Patriarcha Antiochenus, loquens de Eutychianistis Severianis. *Dicunt* DVAS NATVRAS *in Christo duas personas constituere & hypostases: Natura enim sine persona non est, neque non subsistens.* Naturam & hypostasin, dogma gentilium secuti, non distingui affirmant: Esse id illis palmare fundamentum aït assiduè in Dialogis Theodoretus. Hinc in Ephesino latrocinio clamârunt adversùm orthodoxos: *Anathema* L. 229.

dividenti. Duas diſtinctas naturas exiſtimant non poſſe non eſſe diviſas in duas hypoſtaſes. Hinc item ad relectam interlocutionem, quâ in ſancti Flaviani Synodo Baſilius Seleucienſis ab Eutychete exegerat duarum in Chriſto Domino naturarum UNIONEM SECUNDUM HYPOSTASIN, in Epheſino latrocinio *unus quidam, neſcio quis, proiecit ſeipſum in medium, & dicere cœpit:* QUIA HAEC VOX ECCLESIAM CONTURBAVIT. Et ipſe Eutyches ad Ioannem Presbyterum & Andræam Diaconum, ſancti Flaviani & Synodi eius Legatos, dixit: *Ex duabus naturis unitis* SECUNDUM SUBSISTENTIAM *factum fuiſſe Dominum neq; didici in expoſitionibus Patrum, neq; ſuſcipio, ſi contigerit ab aliquo mihi tale aliquid legi, quia Divinæ Scripturæ meliores ſunt Patrum doctrinis.* Unionē in hypoſtaſi credidit diſtingui non poſſe ab unione in natura.

Notanda ſunt verba Dioſcori, quibus dicit damnatum Flavianum, quod in Domino adfirmârit duas naturas *Poſt adunationem.* Ibi poſuit vim. Quod namque Epheſinum latrocinium everterit naturarum proprietates & differentiam, earumque confuſionem induxerit, dicens, quod nemo hactenùs, eſſe unam Divinitatis & humanitatis naturam, ſcribit Theodoretus ad Euſebium ſcholaſticum & Epiſcopum Sabinianum. Damnatus, inquam, eſt ſanctus Flavianus ob damnatum hanc Eutychetis in ſua Synodo blaſphemam profeſſionem: *Confiteor ex duabus naturis fuiſſe Dominum noſtrum ante adunationem*, POST ADUNATIONEM *verò unam naturam confiteor.* Aliud ab illo neque Flavianus neque Euſebius Dorylecnſis potuit extorquere. Quin Patricio Florentio, urgenti ad duarum naturarum confeſſionem, reſpondit: *Ego legi ſcripta beati Cyrilli, & ſanctorum Patrum, & ſancti Athanaſii, quoniam ex duabus quidem naturis* ANTE ADUNATIONEM, *poſt adunationem autem & incarnationem non iam duas naturas, ſed unam naturam dixerunt.* Ad quæ rectè repoſuit Baſilius Seleucienſis. *Si dixeris*, EX DUABUS NATURIS, POST ADUNATIONEM VERO UNAM, *& non addideris*, INCARNATAM ET INHUMANATAM, *putaberis confuſionem dicere & commixtionem; ſi autem addideris*, INCARNATAM ET INHUMANATAM, *eadem cum Patribus dicis.* Athanaſius quippè & Cyrillus nequaquam ſimpliciter unam in Domino naturam, ſed dixerunt unam naturam incarnatam. Patrum verba truncare eſt antiquum privilegium hæreticorum. Etiam Dioſcorus ad plenam Synodum Chalcedonenſem evomere non erubuit: *Ex duabus naturis ſuſcipio, duas non ſuſcipio,* utique poſt adunationem. Et ad relectas haſce laudati Baſilij voces, *Adoro Dominum poſt incarnationem in duabus naturis cognitum,* Epheſinum omne latrocinium exclamavit: *Impartibilem nemo ſeparet.* Haſce voces, *Ex duabus naturis*, & *In duabus naturis*, diſtinguunt quaſi toto

cælo:

cælo: Est hoc illis palmare principium scribunt ad Symmachum Papam Episcopi Orientales. Post Ep. 9.

* Eorum sensum exponit Facundus Episcopus Hermianensis. *Dicunt, sicut ex duabus naturis, id est, animâ & carne, una composita est humana natura, sic ex Deitate & humanitate una composita est Christi natura: Et ideò* EX DVABVS *quidem, sed non* IN DVABVS NATVRIS *Christum confitentur*. Respondet verò idem Doctor. *Nulla caussa est, cur etiam unusquisque homo in duabus negetur esse naturis, in carne scilicet atque anima. Quæ tamen quia & una ex duabus composita, rectè hominis naturam dici certissimum est. Potuit enim hominis anima in unam naturam cum sua carne componi. De Christi verò* DIVINITATE *inconvertibiliter simplici non sine ingenti blasphemia dicitur, quod in unam naturam cum suscepta humanitate componi potuerit. Deinde considerent, quod sive anima sive caro adunationis suæ caussâ exstiterunt, & non hunc habent naturæ finem singulariter ac separatim consistere; sed ad sui coniunctionem tendunt, & invicem sibi debent quodammodò, ut existant. Nam sicut caro animæ facta est, ità & anima carni, & ipse naturalis earum intentioni finis est pariter esse.* L. 1. c. 6.

Rectè item ad Eutychetem dixit Basilius Seleuciensis: *Putaberis confusionem dicere & commixtionem*. Eum quippè fuisse Apollinaristam, adeòque dogmatisten confusionis inter Domini naturas, ad Synodum Chalcedonensem dixit etiam Diogenes Metropolita Cyzicenus, adstipulanturque Facundus Hermianensis, Liberatus Carthaginensis, & S. Flavianus, eius examinator & damnator, in Relationibus ad Ecclesiã Romanam. Electum ab ipso tertium Apollinaris dogma scribit S. Leo Pontifex ad Leonem Augustum. Quod naturarũ differentiam evertat, & universa Dominicæ dispensationis negotia quasi fermentum misceat, asseverat in Relatione ad Principem Synodus Chalcedonensis. Et uniè tribus suis adversùm Eutychianistas dialogis Theodoretus apposuit hunc titulum: *Deus inconfusus*. Aliter tamen sanctus Gelasius Pontifex in literis ad Episcopos Dardaniæ: Ait ab illo solam Domino adscribi Divinitatis naturam, *suscepta carnis veritate prorsùs abolitâ*, adeòque resuscitari improbum phantasma Marcionis & Manichæi. Quod ipsum scribunt Symmachus Pontifex in literis Apologeticis adversùs libellum famosum Anastasij Augusti, & in literis ad Episcopos Orientales, nec non eius successor Hormisda in literis ad Cæsarium Episcopum Arelatensem, & in literis ad omnes totius Orientis, secundæ præsertim Syriæ, orthodoxos, recitatis in Synodo Constantinopolitanâ sub Menna Patriarcha. Epist. 97. c. 1. Epist. 3. Epist 7. Epist 9. Act 5.

Respondeo hæc conciliari à sancto Leone magno, frequenter iterante, quod scribit in Epistola ad Episcopos Palestinos. *Si ab Apollinaris* Epist. 83.

naris perversitate Eutyches desciscit, ne convincatur Deitatem passibilem sentire atque mortalem, & tamen Verbi incarnati, id est, Verbi & carnis unam audet pronunciare naturam, non dubiè in Manichæi & Marcionis transit insaniam, & Mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum Christum simulatoriè omnia credit egisse, nec humanum in ipso corpus, sed phantasticam corporis speciem oculis apparuisse cernentium. Chamæleontem egit homo versatilis, suique erroris fundum nunquam voluit aut potuit aperire. Etenim in libellis Ephesino latrocinio exhibitis anathematizat omnes usque ad Simonem magum hæreticos, præsertim Valentinum, Manichæum, Apollinarem, de quibus venerat in suspicionem. Et ad verba jam adducta Basilij Seleuciensis, *Putaberis confusionem dicere*, Ephesi à factione latrocinali *tantus factus est plausus, ut omnium orthodoxorum animæ commoverentur.* Et ad Synodum Chalcedonensem dixit Zozon Archi-Episcopus Philippensis *Rogavimus* in Ephesino latrocinio Eutychetem, *ut diceret modum incarnationis & humanæ adsumptionis, si secundùm adsumptionem carnis scit Deum Verbum factum hominem:* At Dioscorus & eius asseclæ *Iusserunt non investigatum dimitti istud, & non susceperunt prosecutionem nostram.* Eutychetis enim dictum modũ rogati extrema vox erat: *Non disputo de natura Dei mei.* Quâ evasione apud Theodoretum in Dialogis assiduè utuntur etiam eius sequaces. Hìnc ergò dubia fuit eius mens. Omnes de Dominicæ incarnationis Sacramento errores adæquatè dividuntur in tres classes: Aut dividunt, aut confundunt, aut phantasma inducunt, ideòque Eutyches aut cum Marcione & Manichæo, aut cum Valentino & Apollinario delirare debuit, quidamque hoc, quidam illud de ipso sunt opinati, quidam de utroque incerti hæserunt.

Omninò tamen videtur cum Apollinario dogmatizasse confusionem. Hìnc solam Nicenam fidem ab illo admitti, reijcique additamenta contra Valentinum & Apollinarium facta per Symbolum Constantinopolitanum, suprà audivimus à testibus varijs, præsertim Diogene Metropolitâ Ciziceno. Docuit Dominum Jesum Christum non solummodò quoad Deitatem, sed & secundùm humanitatem esse Patri consubstantialem, ità asserens definitum à Synodo Nicena, & Chalcedonensem detestans tamquam hujus prævaricatricem, quæ illum quoad humanam naturam & Virgini Matri & nobis omnibus consubstantialem definijsset. Ità de illo in tribus Epistolis scribit sanctus Leo Papa ad Leonem Augustum. Eam verò fuisse fundamentalem Apollinarij blasphemiam scribit Athanasius in literis ad Epictetum Episcopum Corinthiorum. Est, inquam, dogma tertiæ classis Apollinaristarum, asserentium ipsam Verbi Deitatem conversam in car-

Epist 75. 78 79.

carnem, passam, crucifixam, mortuam, à mortuis excitatam. Quod Eutychianistæ *Vnigeniti Divinitati passionem*, mortemque & sepulturam *applicàrint*, & tamen *Divinam naturam impatibilem* nobiscum prædicàrint, adeòque error sibi ipsi non cohæserit, scribit Theodoretus ad Zeugmatis Magistratum, & Episcopum Timotheum. Errori occasionem dedére intellecta pessimè verba Apostoli: *Nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Et Angeli apud Matthæum verba: *Ecce locus, ubi positus erat Dominus*. Nescierunt, quod *unio faciat communia nomina, & tamen eorum naturas non confundat*. Palmare fundamentum fuit, quod *Deo nihil impossibile*: Quod in Epistola ad milites eo turbatos, & in Dialogo, cui Epigraphe, *Deus impassibilis*, de imperitia & blasphemia revincit Theodoretus. Ex eodem principio Petrus Fullo, purus putus Eutychianista, sacro Trisagio addidit, *Qui crucifixus est pro nobis*, scribitque in Collectaneis Theodorus Lector de Alamundaro, Saracenorum Phylarcho, converso ad fidem, tentatoque per Severum Antiochenum Pseudo-Episcopum ad perfidiam Eutychianam. *Fabulam commentus est, quod literas accepisset, quæ Michaëlem Archangelum mortuum significarent. Respondentibus* Episcopis Severi Legatis *esse hoc impossibile: Quomodò igitur, inquit Phylarchus, si duas naturas Christus non habet, nudam crucem Deus pertulit, cùm ne Angelus quidem pati aut mori queat?* Ità novellus Christianus vetustos Episcopos pudefecit. Erroris absurditas peperit correctores seu moderatores Acephalos, à nobis latinis passim dictos Semi-Eutychianos, quorum nugas & veram originem exponunt Facundus Hermianensis, & Liberatus Carthaginensis.

L. 2.

L. 1. c 5.

Addit sancti Flaviani ac eius Synodi Relatio ad sanctum Leonem. *Dicit Eutyches carnem Domini coëssentialem nobis non subsistere, tamquam ex nobis susceptam & coadunatam Dei Verbo secundùm subsistentiam, sed Virginem quidem, quæ eum genuit, secundùm carnem nobis consubstantialem esse, ipsum autem Dominum non suscepisse ex ea carnem consubstantialem nobis, & corpus Domini non esse quidem corpus hominis, humanum verò corpus esse, quod est ex Virgine*. Et in alia Relatione. *Adiecit & aliam impietatem, dicens corpus Domini, quod ex Maria factum est, non esse nostræ substantiæ neque conspersionis, sed humanum quidem illud vocat, non tamen nobis consubstantiale, neque genitrici eius secundùm carnem*. Dominum professus est perfectum hominem, at sine carne nobis consubstantiali. Eius mens erat labyrinthus & aqua sine fundo: Hinc quo sensu Dominicum corpus humanum quidem, at non hominis affirmaret, edicere nunquam voluit, assiduè repetens: *Non disputo de natura Dei mei*. Suspectus fuit cum Valentino errare illud è cælo allatum, & dumtaxat formatum in Virgine, non ex illa; verùm apud

C. 3.

Ioan-

Ioannem Presbyterum & Abcrxam Diaconum, sancti Flaviani &
Act. 1. Synodi eius Legatos, expurgavit se questus *derogationes aliquas adversùs se dictas ab aliquibus, quasi dixerit, quia Deus Verbum carnem suam de cælo deduxerit: Esse se innoxium ab huiusmodi derogatione.* Et libellis suis Ephesino latrocinio exhibitis inseruit: *Anathematizo Valentinum, & eos, qui dicunt carnem Domini de cælo descendisse.* Et Diogeni Cyziceno Episcopo roganti, *Domine Eutyches, undè ergò? Dic:* Nihil respondit, nolens disputare de natura Dei sui. Fatebatur tamen Dominum non tantummodò in Virgine, sed & ex illa incarnatum. Ad quas nugas in Synodo Constantinopolitana rectè dixit Florentius Patricius, homo laicus. *Cùm mater nobis consubstantialis sit, procul dubio & filius consubstantialis est nobis.* Filius namque matri non potest non esse consubstantialis. Et hæc est caussa, cur quomodò Synodum Chalcedonensem, ità & Zenonis Augusti Edictum Enoticon puri Eutychianistæ sint abominati. Eorum unus Ioannes Machiota Episcopus
Cap. 18. Alexandrinus dicit apud Liberatum Carthaginensem: *Imperfectè Edictum se habet, nec ad unitatem sufficit, quod non in anathemate Synodi sit factum.* Synodum enim tacebat solummodò, non damnabat: Quin cum ipsa profitebatur Domini humanitatem esse nobis consubstantialem.

Etiam hæc Eutychetis verba, *Confiteor duas naturas ante adunationem*, sunt professio absurda atque perversa, sanctumque Flavianum
Ep. 10. c. 6. arguit sanctus Leo, quod eam *nulla increpatione reprehenderit, & sermonem nimis insipientem, nimisque blasphemum ità fuisse omissum, quasi nihil, quod offenderet, esset auditum: Cum tam impiè duarum naturarum ante incarnationem unigenitus Dei Filius fuisse dicatur, quam nefariè, postquam Verbum caro factum est, natura in eo singularis adseritur.* Caussam dat in literis ad Julianum Episcopum Coënsem. *Arbitror talia proloquentem*
Epist. 11. *hoc habere persuasum, quod anima, quam Salvator adsumpsit, priùs in cælis sit commorata, quam de Maria Virgine nasceretur, eamque sibi Verbum in utero copulârit. Sed hoc catholicæ mentes, auresque non tolerant, quia nihil secum Dominus de cælo veniens nostræ conditionis exhibuit. Natura quippè nostra non sic adsumpta est, ut priùs creata pòst adsumeretur, sed ut ipsâ adsumptione crearetur.* Animas esse corpore priores est dogma *in Origene meritò damnatum*, eiusque Pontifex suspectum habuit Eutychetem. Forsàn cum Apollinario potiùs animam Domino abnegârit, ideò eius corpus dicens humanum, at non hominis, utpotè quod non ab anima, sed ab ipso Deo Verbo vivificatum non faceret hominem nostræ conspersionis. At quis penetret sensum imperiti hominis, nolentis de Dei sui natura disputare? Quidquid sit, Dioscorum

Alexan-

Alexandrinum Episcopum, eius protectorem, fuisse Origenistam testatur Georgius Cedrenus.

CAPVT II.

Aliquot quaestiones de haeresi Eutychiana.

PRima quaestio est, quomodò Ecclesia damnârit & Apollinarim & Eutychetem ob assertam duarum in Christo Domino naturarũ mixtionem, conversionem, aut temperaturam, quae esse videtur dogma constans Patrum orthodoxorum? Etenim audi Theologiam Marcionis. *Si Deus natus fuisset, & hominem verè induisset, Deus esse desiisset, amittens quod erat, dum fit quod non erat. Ideò nego Deum in hominem verè conversum, ità ut & nasceretur & carne corporaretur, quia qui sine fine est, etiam inconvertibilis sit, necesse est.* Respondet verò Tertullianus in libro de carne Christi. *Planè natura convertibilium eâ lege est, ne permaneant in eo, quod convertitur in eis, & ità non permanendo pereant; dùm perdunt convertendo quod fuerunt. Sed nihil Deo par est: Natura eius ab omnium rerum condicione distat. Si ergò, quae à Deo distant, & à quibus Deus distat, cùm convertuntur, amittunt quod fuerunt; ubi erit diversitas Divinitatis à caeteris rebus, nisi ut contrarium obtineat, id est, ut Deus in omnia converti possit, & qualis est perseverare?* Et infrà in eodem libro probat Valentinianos, quod agnoscant *hominem Deo mixtum*; damnat, quod *negent hominem.* Et in libro Apologetico: *Nascitur homo Deo mistus.* Sanctus item Augustinus in literis ad nobilem virum Volusianum adfirmat & multis probat Christum Dominum esse Dei & hominis mixturam, quomodò homo est mixtura animae & corporis. Quod exemplum etiam sancto Cyrillo est familiare, & Eutychianistae habent pro nobili dogmatis sui fundamento. Et sanctus Maximus Taurinensis Episcopus in quarta homilia de Dominico Natali concionatur ad populum: *Vnigenitus Altissimi carnem, quam sumpsit ab homine, transformavit in Deum.* Et ipse Eutychetis damnator sanctus Leo Pontifex in tertio eiusdem festivitatis sermone: *Non sic natura humana in societatem sui Creatoris est adsumpta, ut ille habitator, & illa habitaculum esset, sed ità, ut natura alteri altera misceretur.* Quâ voce rursùm utitur adversùm Manicheos in quarto sermone de Epiphania. Et in quarto sermone de passione Domini ait Dei Verbi *Divinitatem carnis velamine fuisse temperatam.* Et Presbyter Leporius in libello suae satisfactionis: *Non tamen quia incarnatus dicitur & immixtus, diminutio eius est accipienda substantiae.* Eâdem voce usum sanctum Eulogium Patriarcham Alexandrinum, & quidem in literis Enthronisticis ad Roma-

C. 3.

C. 15.

C. 21.

C. 1.

C. 4.

C. 8.

L. 230. num Pontificem, testatur Photius in Bibliotheca. Antiquos Patres volventi frequenter vox ista occurrit.

Respondeo laudatum Photij locum omninò audiendum. *Eulogius utitur verbo* MISTIONIS *piè quidem, non secundùm insanum Apollinarium, quomodò hâc voce sit utendum testatus; neque secundùm audacem Eutychetem, sed ut lex pietatis permittit: ut qui nosset unum Filium Dominum nostrum Iesum Christum declarare duabus naturis indivisis & inconfusis constare in perfecta humanitate & perfecta Divinitate, ut permixtio secundùm illum confusionem non significet, neque inducat divisionem.* Dominicæ namque incarnationis Sacramentum, ut rectè in libro ad Reginas sanctus Cyrillus, est *sacratissimum ænigma*, cui aptè cum plena præsertim erroris tùm grassantis exclusione edicendo congruum per omnia vocabulum à Patribus non semper potuit adinveniri. Vocabulum *Mixtio* adversùm Christi Domini divisores hæreticos præsertim inservijt; ne autem ad Apollinarium seduceret, adjunxit in laudata ad Volusianum

Epist. 3. Epistola sanctus Augustinus. *Si tamen recedat Auditor à consuetudine corporum, quâ solent duo liquores ità commisceri, ut neuter servet integritatem suam: Quamquam & in ipsis corporibus aëri lux incorrupta misceatur.*

Epist. 145. Quo exemplo in literis ad Monachos Constantinopolitanos utitur etiam Theodoretus. Et sanctus Cyrillus in libris adversùs Ne-

L. 1. c. 3. storium. MIXTIONIS *nomen posuerunt nonnulli etiam sancti Patres: Sed quia metuere te dicis, ne quâ confusio contigisse existimetur ad instar liquidorum, quæ inter se mutuò commiscentur, libero te hoc metu. Non sit illi senserunt: Minimè. Sed eâ voce sunt abusi, cùm summam unionem ostendere studerent.* Et Presbyter Leporius. *Novit Deus sine sui corruptione misceri, & tamen in veritate misceri. Non ergò ad intelligentiam imbecillitatis nostræ, secundùm experimentorum visibilia documenta facientes coniecturam de æqualibus se invicem ingredientibus creaturis, putemus Deum hominemq; commixtum, & tali confusione carnis & verbi quasi aliquod corpus effectum. Absit ità credere, ut conflatili quodam genere duas naturas in unam arbitremur redactas esse substantiam. Huiusmodi enim commixtio est partis utriusque corruptio. Deus enim per infusionem potentiæ suæ misericorditer naturæ mixtus est humanæ, non humana natura est mixta Divinæ.* Hæc namque mixtio est substantialis secundùm hypostasin non tantùm unio, sed & illapsus, quem soli in creaturam Creatori esse possibilem docet communis sensus Theologorum. Rectè tamen ad Lau-

Epist 2. rentium Lignidensem Episcopum scribit sanctus Gelasius Pontifex factam in Domino *non permixionem, non conversionem, non mutationem, sed unitatem.* Et omnis jam pridem canit Ecclesia: *Deus homo factus est neque* Eutychianam *commixtionem passus, neque* Nestorianam *divisionem.*

Eu-

Eutychiana grassatio vocem, *Permixtio*, malè olere fecit, & proscribi ut suspectam, scandalosam, piarum aurium offensivam.

Tertullianus lucidè seipsum exponit in libro adversùs Praxeam. *Quærendum est, quo modo Sermo caro sit factus? Vtrùmne quasi transfiguratus in carne, an carnem indutus? Immò carnem indutus. Cæterùm Deum immutabilem & informabilem credi necesse est, ut æternum. Transfiguratio autem interemptio est pristini. Omne enim, quod transfiguratur in aliud, desinit esse quod fuerat, ac incipit esse quod non erat. Deus autem neque desinit esse, neque aliud potest esse. Sermo autem Deus. Quem si non capit transfigurari, consequens est, ut sic caro factus intelligatur, dùm fit in carne, & manifestatur, & videtur, & contrectatur per carnem: Quia & cætera sic accipi exigunt. Si enim Sermo ex transfiguratione & demutatione substantia caro factus est, una iam erit substantia Iesus ex duabus, ex carne & spiritu mixtura quadam, ut electrum ex auro & argento, & incipit nec aurum esse, id est, spiritus, nec argentum, id est, caro, dùm alterum altero mutatur, & tertium quid efficitur.* Nervosè ostendit *utramque substantiam mansisse in sua proprietate, duplicemq; statum non confusum esse, sed coniunctum in eadem persona.* C. 27.

Quocircà in libro de carne Christi palàm, more suo, abutitur voce, *Conversio*, pro adsumptione. Liquet ex verbis sequentibus. *Angelos conversos in effigiem humanam aliquando legisti & credidisti, & tantam corporis gestasse veritatem, ut & pedes eis laverit Abraham, & manibus ipsorum ereptus sit Sodomitis Loth: Conluctatus quoque homini Angelus toto corporis pondere dimitti desideraverit; adeò detinebatur. Quod ergò Angelis inferioribus Deo licuit, ut conversi in corpulentiam humanam Angeli nihilominùs permanerent, hoc Tu potentiori Deo auferes, quasi non valuerit Christus, verè hominem indutus, Deus perseverare?* Ait Angelos non in speciem, sed in humani corporis veritatem fuisse conversos: Columbam item, in qua apparuit Spiritus sanctus, fuisse non imaginariam, sed omninò veram. Longissimè recedere vult à blasphemijs, in quas imaginariæ in Domino carnis adsertio præcipitavit Marcionem. Quocircà conversio apud ipsum istic non est aliud, quàm transformatio seu transvestitio, quâ Deus Verbum adsumpto naturæ nostræ habitu inventus est homo. Est Tertullianicus vocis abusus. C. 3.

Porrò sanctus Leo Pontifex, dicens Divinitatem carnis velamine fuisse temperatam, loquitur ex sancto Augustino, passim adserente adsumptam à Domino carnem esse originalis nostræ cæcitatis medicinam. Anaxagoram Philosophum quæstioni, *cuius rei caussa natus esset*, respondentem, *Solis & cæli videndi*, meritò ridet Lactantius Firmianus: Muscarum enim & culicum est ista beatitudo. Nobis videndus & ad- L. 3. c. 9.

adorandus est sol longè alius, *lumen verum, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.* Verùm *lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Peccatricis mentis oculus sanandus & mundandus est collyrio, ac ipse justitiæ acerrimus sol medio interim velamine temperandus: Collyrio Divinæ gratiæ, & velamine adsumptæ humanitatis.

Animæ & carnis nostræ exemplo utuntur Patres, ut ostendant diversas in Domino naturas uniri posse in unam hypostasin, manereque integras & inconfusas: Ipsas in unam transire naturam nemo exindè probavit unquam orthodoxus, uti suprà audivimus à Facundo Hermianensi, traditque etiam in literis ad Timotheum Episcopum, & in
Epist. 130. Epist. 21. literis ad Eusebium Scholasticum Theodoretus. Hæc verba sua, *Deus converti potest in omnia,* id est, *in suam Divinam hypostasim adsumere potest omnia,* mitigat ipse Tertullianus, in eiusdem libri capite sequenti
Cap. 4. dicens adsumi non potuisse naturam bestialem: In eius adsumptionem procedere argumenta Marcionis.

Altera quæstio est, quomodò quidam Eutychianistæ adsumptam à Domino humanitatem fassi sint nobis consubstantialem, admiserintque non dumtaxat Zenonis Augusti Edictum Enoticon, sed & ipsam Synodum Chalcedonensem, & dogmaticam Epistolam sancti Leonis Pontificis ad sanctum Flavianum Episcopum Constantinopolitanum? Ità enim de Anthymo, per Agapetum Papam ob hæresin Eutychianam ejecto de sede Constantinopolitana, testantur in sententia & Edicto adversùs illum Petrus Hierosolymæ Episcopus & Augustus Justinianus. Et eos, qui in Chalcedonensi Synodo tria dumtaxat, eaque ad fidem non spectantia, Capitula culpâbant, quis
L. 1. c. 5. nesciat fuisse Acephalos? Respondeo cum Facundo Hermianensi. *Dicunt Acephali, quoniam si & una prædicetur Filij Dei natura, potest accipi eadem una natura secundùm aliquid naturæ Patris esse consubstantialis, & item secundùm aliquid nostræ.* Verùm doli & nugæ sunt ista, adversùm quæ addit Facundus. *Hoc est dicere nec Patris eam naturæ consubstantialem esse nec nostræ. Nam cùm aliquid habere dicitur hæc una Filij Dei natura, quod Patris natura non habeat, non aliud est, quam eam negare consubstantialem & naturæ Patris & nostræ.* Facundè id pergit demonstrare Undè dolosam fuisse Anthymi professionem addiderunt Petrus Episcopus & Princeps Justinianus. Idem dolus peperit nobis varias Eutychianorum scissuras & classes, novissimèque Monothelitas.

Nos orthodoxi Belgæ Lutheranos & Calvinistas voce barbarâ vocamus *Geusios,* deductâ à voce Gallica, *les Geux,* id est, mendicos. Non sine fundamento aut vetusto exemplo. Etenim & Theodoretus Eu-

tychianistas ità vocat, suisque in illos eruditissimis dialogis dedit titulum, *Eranistes*, id est mendicus: Quoniam à varijs prioribus hæresibus infausta sua dogmata emendicârunt. *Quod enim Deum solum Christum Dominum nominant, id Simonis & Cerdonis, & Marcionis & aliorum est, qui execrandæ huic sententiæ sunt affines. Quod verò ex Virgine nativitatem confitentur quidem, sed eam dicunt traiectitiam fuisse, nec Deum Verbum quidquam ex Virgine sumpsisse, ex Valentini & Bardesanis, & his adhærentium prodigiosis dictis hauserunt. Quod autem Christi Domini Divinitatem & humanitatem vocant unam naturam, ex Apollinarij nugis furati sunt. Quod denique Christi Divinitati passionem tribuunt, ex Arij & Eunomij blasphemia compilârunt, ut iure videatur hoc eorum inventum mendicorum vestibus, quas ex diversis pannis consuunt, non dissimile.* Eodem modo Lutheri & Calvini dogma esse consutum possit facilè ostendi. Prolog.

CAPVT III.

Exponitur exordium hæresis Eutychianæ.

Erroribus suis prædicandis viam paravit Eutyches per calumnias & discordias inter Episcopos Ægyptios & Orientales. Hosce, Theodoretum præsertim Cyrensem & Ibam Edessenum, accusavit de damnatis in istum usque diem Capitulis sancti Cyrilli, de violata pace inter eundem Cyrillum & Ioannem Patriarcham Antiochenum, de retenta aut resumpta hæresi Nestoriana, quæ in Domino adfirmat duos filios, duasque naturas. Prima accusatio fuit apud Theodosium Augustum, de qua Theodoretus in literis ad Eusebium Episcopum Ancyranum. *Qui Marcionis, & Valentini, & Manetis, & aliorum Docitarum hæresin hâc nostrâ tempestate renovant, ægrè ferentes hæresim à me suam apertè confutari, Imperatoris aures circumvenire conati sunt, hæreticos nos appellantes, & unum Dominum Iesum Christum incarnatum Deum Verbum in duos filios dividere calumniantes. Sed verbis suis, uti sperabant, non persuaserunt.* Hinc converterunt se ad aliam imposturam, de qua idem Scriptor in literis ad Anatolium Patricium: *Quod Synodos apud Antiochiam assiduè cogeremus, & orthodoxos turbaremus.* Edicit & Synodorum caussam: *Indignantur nonnulli, quod Phœnices Ecclesiarum ruinam lugemus.* Quæ repetit in literis ad Eutrechium Præfectum, & in literis ad Nomum seu Nonium Consulem, ideòque facta hæc sunt anno Domini quadringentesimo quadragesimo quinto, qui scribenti fuit Episcopalis dignitatis vigesimus quintus. Eo igitur tempore Iuvenalis Hierosolymæ Episcopus, à damnato per Synodum Ephesinam ambitu non quiescens, impetravit sacras

Epist. 82.
Epist. 79.
Epist. 80.
Epist. 81.

cras pragmaticas, à Synodi Chalcedonensis septimâ Actione cassatas, quibus non tantùm tres Palęstinæ, sed & Arabia ac duæ Phœniciæ in eius quasi novam Patriarchalem sedem transcribebantur. Erat gravissima Patriarchatus Antiocheni mutilatio atque injuria, ideòque Domnus Patriarcha per assiduas Synodos inibat consilia reparationis. At periculosum est scribere in eum, qui potest proscribere. Etenim Princeps Theodoretum, Synodorum istarum linguam & mentem, tamquam sacris pragmaticis contumacem & Ecclesiæ ac Reipublicæ turbatorem, proscripsit à Synodis, & intra Cyrenses muros circumscripsit, futurum deinceps contentum communione solius suæ Ecclesiæ. Decretum signatum fuit propriâ manu Principis, insinuatum per Rufum Comitem, mandatum executioni à Militum Magistro. Per adversariorum insidias in se inauditum contra omnem juris ordinem emanasse queritur Theodoretus, & ad eius cassationem movit omne imperium: At per Ephesinum latrocinium fuit auctum in damnationis sententiam, quæ mansit usque ad Synodum Chalcedonensem. Lamentabiles eruditissimi Episcopi ad varios literæ sunt omninò legendæ. Ab Eutychete circumscriptum fuisse Principem testatur Liberatus Diaconus Ecclesiæ Carthaginensis.

Licet verò circumscriptæ relegationis decretum nequaquam de Nestoriana lue, sed de sola turbulentia notaret Theodoretum, Eutychiani tamen non desierunt illum ubique de illa diffamare. Eum, omnesque Orientales Episcopos, quod Princeps fidei quæstionibus misceri nollet, detulerunt ad Dioscorum Alexandriæ Episcopum,
Epist. 60. proximum sancti Cyrilli successorem, cujus virtutes nuper prædicârat Theodoretus, ideòque eius tribunal videbatur non subterfugiturus. Et reverà non subterfugit. Exstant eius officiosissimæ ad illum satisfactionis literæ, communiumque ab omnibus Orientalis Diœceseos Episcopis literarum seriem edisserit in literis ad sanctum Flavia-
Epist. 86. num Episcopum Constantinopolitanum. *Rati nos adiutorem ac socium ad ea, quæ contra fidem Apostolicam moventur, habituros. Deo carissimum Alexandriæ Episcopum Dominum Dioscorum, misimus unum è religiosissimis Presbyteris, prudentiâ insignem, Pietati eius suggerentes, nos in eo fœdere, quod sub beata memoria Cyrillo initum est, permanere, scriptamq; ab eo Epistolam amplecti, & beatissimi quoque Athanasii Epistolam, quam ad beatum Epictetum scripsit, libenter suscipere, atque ante hac fidem in Nicæa Bythiniæ à sanctis Patribus expositam: Et hortati sumus, ut eos, qui in his permanere volunt, suadeat permanere.* Adducunt etiam sancti Athanasij laudatam Epistolam, quod eam ab hæreticorum adulterijs expurgatam misisset ad illos ex Ecclesiæ Alexandrinæ integris Archi-

chivis, eiusque dogma admitti exegisset sanctus Cyrillus, uti scribit ipse ad Succensum Episcopum in Isauria Dio-Cæsareensem. Apollinarij nugas ab Eutyche resuscitatas configit Epistola, atque ità per ipsam sperabatur Dioscorus ab illo divellendus.

Quæstio est, undè Orientales Episcopi incurrerint notam violatæ pacis & resumptæ impietatis Nestorianæ? Respondeo eos ipsos id dudum ignorasse. Primam suam suspicionem exponit Theodoretus in literis ad utriusque Ciliciæ Episcopos. *Sunt qui dicant calumniæ ansam eos arripere ex paucis quibusdam, qui apud nos ità sentiunt, atque in duas personas incarnatum Deum Verbum dividunt.* Alteram scribit ad Domnum Patriarcham Antiochenum. *Tametsi duodecim Capitula plures temerè sanxissent, restitimus apud Ephesum, nec priùs illi, qui scripserat hæc, communicavimus, quam ijs, quæ exposueramus, adsentiens consonam his doctrinam accommodavit, nullam Capitum illorum faciens mentionem. Quod sanctitati tuæ facilè fuerit perspicere, si acta perquiri iubeat. Asservantur enim prorsùs cum Synodi subscriptionibus. Exstant autem synodica plusquam quingenta, quæ duodecim Capitum accusationem demonstrant.* Ait calumniæ ansam esse non posse Capitulorum rejectionem, quod illa ipsi neque in Ephesina Synodo, neque in pacis tractatu unquam admiserint, adeòque ob eorum rejectionem vocari nequeant in reatum violatæ pacis. Epist. 8 Epist. 112.

Veram igitur calumniæ caussam aperit Liberatus Carthaginensis. *Nestorij sectatores videntes libros illius,* ab Ephesina Synodo & lege imperiali damnatos, legi non posse sine periculo, *cæperunt Diodori Tharsensis & Theodori Mopsuestem, & aliorum Episcoporum,* qui in Apollinarium Synusiasten scripserant, *volumina circumferre, & simplicissimos quosque decipere cupientes aiebant non sapuisse nova Nestorium, sed antiquam Patrum prosecutum fuisse doctrinam.* Dicti Theodori volumina in Syram, Armeniam, ac Persicam linguam transtulerunt. Tunc Græcorum Episcopi de illius dogmate & persona cæperunt acriter digladiari. Ioannes Patriarcha Antiochenus, omnisque eius Diœcesis stetit pro Theodoro, excepto tamen Rabulâ Edesseno Metropolitâ, de quo Ibas eiusdem Ecclesiæ Episcopus in famosa Epistola ad Marim Persam. *Nostra civitatis tyrannus occasione fidei non solùm nunc viventes insequitur, sed & hos, qui olim ad Deum præcesserunt: Quorum unus est beatus Theodorus.* In quinta Synodo exstant de eadem materia literæ Rabulæ ad sanctum Cyrillum, & sancti Cyrilli ad Rabulam, eumque fuisse Ibæ in Cathedra Edessena Antecessorem testatur jam dictus Liberatus. Omnem ille Osrhoënam Provinciam, præsertim Clerum Metropolitanum movit in Nestorium & eius Magistrum Theodorum, C. 10.

rum, animavitque ad suspectum Ibam fortissimè accusandum & persequendum. Eundem Clerum etiam sibi quasi Nestoriano fuisse adversatum queritur Theodoretus in literis ad Domnum Episcopum Apameensem. Idque ex caussa Theodori. Hoc namque tempore cœpisse videtur nomen, de quo & Facundus Hermianensis graviter queritur, *Theodoriani*. Quid autem pro Theodoro egerit Theodoretus, docent eius Ecclesiastica historia, Epistola ad Irenæum Tyri Metropolitam, & quintæ Synodi Acta. Rectè addit Facundus: *Odium contra Theodorum Eutychiani ab ipso Eutyche patre suo contraxerunt.* Omnium, inquam, harum tragediarum architectus fuit dolosus Eutyches, errorem suum stabiliri non posse videns, nisi doctioribus Ecclesiæ Episcopis in Nestorianismi infamiam traductis.

Epist 87. L.4.c.2. L.7.c.7. Epist.16. L.8 c 5.

Suboritur alia quæstio, an Liberatus Carthaginensis verè dicat Rabulam fuisse Ibæ in Cathedra Edessena Antecessorem? Quod si verum est, Ephesinæ Synodi tempore non Ibas, sed Rabula fuit Episcopus Edessenus. Aliud tamen suadent hæc verba Ibæ in famosa Epistola: *Venimus Ephesum.* Et hæc: *Cognoscentibus nobis.* Quis enim nesciat synodalem cognitionem & suffragium, uti adversùm Dioscori Clericos in Synodo Chalcedonensi clamârunt Episcopi, esse solorum Episcoporum, nequaquam Clericorum? Deindè Epistola ab Iba non adhuc Clerico, sed omninò jam Episcopo est scripta, & tamen lucidè adfirmat eo ipso tempore Rabulam vixisse. Et vox, *Tyrannus*, non canonicum introitum importat, sed adulterinam intrusionem. Sanè Facundus Hermianensis, Liberato coævus, supponit Ibam Synodo Ephesinæ non ut Clericum, sed ut Episcopum adfuisse. Res obscura est, quam velim à peritioribus doceri. Redeamus ad Dioscorum.

Act. 1.

Eius animum iam pridem in Orientales Episcopos exulceratum detegit Theodoretus in literis ad sanctum Flavianum Episcopum Constantinopolitanum. *Vt hoc quoque Sanctitas Tua non ignoret, scito Domine, hanc illum adversùs nos pusillanimitatem gerere, ex quo synodicis vestris sub beata memoria Proclo factis, sanctorum Patrum Regulis inhærentes, assensimus: Ac de hoc nos semel atque iterùm increpasse, quasi & Antiochenorum, ut ait, & Alexandrinorum iura prodiderimus. Horum memor, tempusq; ut ei visum est, nactus inimicitias patefecit.* Synodi Constantinopolitanæ Canon tertius, Regiæ civitatis Episcopo dans secundùm in Ecclesia locum, prodijt Alexandrino & Antiocheno Patriarchis absentibus. Ab illis ut reciperetur, dudùm & multùm laborârunt Episcopi Constantinopolitani, & Domni Antiocheni ac eius Synodi adsensum tandem extorsit Proclus, sancti Ioannis Chrysostomi olim Diaconus & discipulus. Aderat Dioscorus, utpotè sancti Cyrilli Alex-

Epist 86. Liberat. c.10.

Alexandrini Episcopi Archi-Diaconus & Apocrisarius apud Principem, damnavitque & Procli ambitum, & Orientalium præsertim Episcoporum ignaviam, qui non tantùm Alexandrinæ, sed & propriæ Antiochenæ Sedis privilegia in perpetuum prævaricarentur. Rancorem altâ mente repositum transtulit à Proclo etiam in sanctum Flavianum successorem, exspectans diem, in quo justitias judicaret. Hæc est caussa, ob quam in Synodo Chalcedonensi dixit de Ephesino latrocinio Paschasinus, Lilybeti Episcopus & Sedis Apostolicæ Legatus: *Ecce nos, Deo volente, Dominum Anatolium*, Episcopum Constantinopolitanum, *primum habemus, hi quintum posuerunt* eius Antecessorem *beatum Flavianum*. Nempè jam dicta Procli & Domni concordata, tamquam sexto Niceno Canoni adversa, Dioscorus latrocinij Præses, exufflârat. Et rectè. Hoc enim factum eius probavit sanctus Leo Pontifex, Maximo Domni proximo successori mandans, ut sedis suæ Antiochenæ privilegia contra Anatolij ambitum & Canonem Chalcedonensem generosè tueatur, dictaque Antecessoris sui pacta penitùs non attendat.

Delatas itàque sibi Theodoreti & aliorum Orientalium Episcoporum accusationes Domno Patriarchæ remisit Dioscorus, quasi secundùm Canones; at in quos eâ ipsâ horâ est hostiliter grassatus. Rem omnem exponit Theodoretus in laudatis literis ad sanctum Flavianum. *Deo carissimus Episcopus Dioscorus Epistolam ad nos scripsit, quam ab eo scriptam non decuit, qui ab universorum Deo didicerat vocem mendacij non suscipere.* Quin & officiosissimis satisfactionis & expurgationis literis *valere iussis, & calumniantibus aures tradens rem adgressus est, quæ credi nullatenùs queat, nisi testem haberet Ecclesiam. Tulit enim illos, qui nobis anathema dicebant, surgensq́ & acclamans illorum voces confirmavit. Ad hæc aliquos ex Deo carissimis Episcopis in urbem Regiam misit, maiores sperans contra nos tummultus concitandos.* Eos misit acturos cum Eutyche & Chrysaphio Eunucho, Principemque in suum sensum circumscripturos. Pergit Theodoretus. *In illa Regia vrbe congregati beati Patres, cum ijs, qui apud Nicæam convenerant, conspirantes, Diœceses distinxerunt, & sua unicuique Diœcesi adsignârunt, apertè interdicentes ex altera quosdam Diœcesi alteram invadere, sed Alexandriæ Episcopum Ægypti tantummodò res administrare, & sua singulas Diœceses. Hic verò legibus istis acquiescere non vult, sed sursùm ac deorsùm beati Marci sedem obtendit, idq́ cùm liquidò intelligat Megalopolim Antiochiam magni Petri sedem habere.* Rogat à Flaviano per Principem cogi Dioscorum ad observantiam sexti Niceni & secundi Canonis Constantinopolitani, compescique à latrando anathemate in Episcopos Patriarchatus Antio-

Epist. 85. tiocheni. Addidit & literas ad Basilium Seleuciensium in Isauria Metropolitam, agentem tunc Constantinopoli: *Dignetur Pietas tua suam nobis de more benevolentiam exhibere, & mendacio veritatem opponere.* At neque Flavianus neque Basilius quidquam potuit. Advenerat enim, Eutyches & Dioscore, *hora vestra ac potestas tenebrarum.*

CAPUT IV.

Exponuntur Acta Eutychetis adversùs Ibam Metropolitam Edessenum.

IBam fuisse virum doctissimum, utpotè sacris studijs à puero deditum, eiusque persecutionem sua posteriorem adfirmat lucidè Theodoretus. Etenim Berytensis Synodus facta fuit post Consulatum Zenonis & Posthumiani, anno Domini quadringentesimo quadragesimo nono, ideòque cæpisse nequit persecutio, nisi ad summum anno præcedenti. Eius auctorem edicit ipse Ibas in libellis exhibitis Synodo Chalcedonensi: *Iniustitiam ab Eutyche & falsa figmenta passus sum.* Et infrà. *Uranius Himerorum Episcopus, in gratiam Eutychis omnia agens, præparavit ut quidam Clerici accusarent me.* Accusationis capita aperiunt Photius Tyriorum & Eustatius Berytensis Episcopus in sententia synodali Berytensi dicentes de Iba. *Confessus est se credere, sicut continent literæ conventionis factæ inter Ioannem Antiochenæ civitatis Episcopum & Cyrillum Alexandrinorum.* Et in eadem Synodo Maras Ecclesiæ Edessenæ Presbyter, Episcopi sui accusator. *Alloquens dixit:* NON INVIDEO CHRISTO FACTO DEO, IN QUANTUM ENIM IPSE FACTUS EST, ET EGO FACTUS SUM, id est, fieri possum, idque per merita humana. Quocircà etiam Ibas accusatus fuit de violata Ecclesiarum pace, & resumpta hæresi Nestoriana. Accusatores fuére Samuel, Cyrus, Eulogius, & Maras, Ecclesiæ Edessenæ Presbyteri, quibus adhæsére quidam Clerici Ecclesiarum Charrensis & Theodosiopolitanæ. Porrò in laudata Synodo Ibas Samueli dixit in faciem. *Tu quando dixisti,* VITA MORTUA EST, *non tibi dixi repentè: Amice, si quidem hoc dicis, Quia caro Domini vivificans est, & Christus noster vita est, & ego confiteor; si autem de Divinitate dixisti, non recipio.* Ex quibus liquet Samuelem fuisse Theopaschitam, plenumque Eutychianum. Liquet & quo sensu cantet etiamnum Ecclesia: *In ligno quando mortua vita fuit.*

Epist. 111. 132.

Act. 9.

Prima adversùs Metropolitam instantia secundùm Canones spectat privativè ad Patriarcham, ideòque & in Ibam facta est coram Domno Antiocheno. Vicina erat Paschalis festivitas: Hanc pacificè peragi volens Domnus Clericos ab excommunicatione absolutos remisit

misit Edessam, postmodùm cum Iba ad judicium redituros. Halce inducias ad suam precem factas asserit Theodoretus, ideòque miratur dictos Clericos etiam sibi esse adversarios. Quin & illi ab Uranio Himerorum Episcopo seducti Domnum habuére suspectum, adiére Principem, impetrâruntque sacram delegationem ad ipsum Uranium, Photium Tyriorum, & Eustatium Berytensem Episcopum, insignem quoque Eutychetis & Dioscori fautorem. Erat contra Nicenos Canones, vetantes judicia peregrina, & de throni sui Apostolici contemptu Domnus graviter est questus, at sine fructu: Nam & ipse apud Eutychetem & eius Palatinos patronos tamquàm Nestorianus fætebat. Uranium *præparasse, ut sibi & prædictis Episcopis iudicium transmitteretur*, affirmat Ibas in precibus factis ad Synodum Chalcedonensem. Damascius itàque Notarius ac Tribunus, ac Eulogius Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus, utramque partem & alias necessarias personas ex Osrhoëna ad Euphratem Provincia deduxerunt in Phœniciam maritimam, factaque est per dictos delegatos Synodus in civitate Berytensi.

Epist 87. 111.

Edessenæ civitatis *Clerus erat nominum ducentorum, plùs minùs, aut etiam ampliùs.* Fuisse namque civitatem amplam, populosam, opulentam testatur in historia monastica Theodoretus. *Consuetudo* erat ibidem *in Ecclesia in die sancto Pascha aut ante diem, dare Episcopum de manu Clericis quædam pro solennitate. Hæc daturus alloquitur primitùs, & sic dat.* Eandem consuetudinem alijs & alijs diebus fuisse olim in Romana Ecclesia testantur Ioannes Diaconus in vita Gregorij magni, & varijs in locis liber Pontificalis, in Constantinopolitana Codinus Curopalates, in Apameensi secundę Syrię Metropolitana Clerici eiusdem Ecclesiæ in libellis adversùs Petrum Episcopum suum datis Agapeto Papæ & Synodo Constantinopolitanæ sub Menna Patriarcha, in Messanensi Gregorius magnus in literis ad Felicem Episcopum, & in Cantuariensi Matthæus Paris. Xenia illa à Romanis dicta fuisse *Presbyterium* scribunt in vita Ludovici Grossi Francorum Regis Sugerius sancti Dyonisij Abbas, & Thomas Stubs in gestis Pontificum Eboracensium.

Con Chal. Act. 10. Cap. 8. L. 2. c. 25. L 4. c. 63. Act. 5. L. 1. Epist. 64. A. 1201. C. 21. C. 56.

In hac erogatione accusabatur Ibas coram omni Clero in Christum Deum nostrum blasphemasse, ideòque rei veritas non latebat in obscuro. Adversùs illum, uti in Synodo Chalcedonensi dixit unus judicum Eustatius Berytensis Episcopus, producti fuére *tres, & sex, & duodecim testes*, omnis autem reliquus Clerus & populus exhibitis libellis attestabatur illum innocentem, & ipse Ibas dixit. *Decies millies ego secari patiar, quam dicere hoc verbum. Absit à me hoc vel cogitare.* Ego

nec dixi, & anathematizo, qui dixit. Ego enim nec à dæmone audivi hoc verbum. Quocircà orthodoxæ fidei & pacis inter sanctum Cyrillum & Ioannem Patriarcham Antiochenum initæ professionem fecit Ibas, estque etiam ab inimicis judicibus absolutus, ac remissus in sedem. Verùm non cessisse calumnias docent Acta latrocinij Ephesini.

Fuerunt Ibæ objecta & alia accusationis capita, antiquam Ecclesiæ disciplinam manifestantia, ideòque ex Chalcedonensis Synodi decimâ Actione hìc adponenda & elucidanda.

CAPITVLVM PRIMVM.

CIvitate conferente ad redemptionem captivorum usque ad mille & quingentos solidos, & positis apud custodem sacrorum ministeriorum usque ad sex millia solidorum, & paulò ampliùs, præter redditus, quos suscipit ipsius frater, habens in vasis argenti sacri usque ad libras ducentas, ea vendidit pro mille solidis solùm (sicut nos cognovimus, non direxit) in semetipsum reliqua conferens.

SCHOLION.

PRo captivis adjuvandis Collectam indici per Episcopum est traditio Apostolica. In quavis olim Ecclesia fuit arcæ genus, de
Cap 39. quo Tertullianus in libro Apologetico. *Modicam unusquisque stipem menstruâ die, vel cùm velit, si modò velit, & si modò possit, apponit: Nam nemo compellitur, sed spontè confert. Hæc quasi deposita sunt pietatis. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis, humandisq;, & pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, tamq; domesticis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis, vel in custodijs, dumtaxat ex caussa Dei secta, alumni confessionis suæ sunt.* Quam largam redimendis Numidiæ captivis Collectam fecerit in medijs gentilium omnia nostra in fiscum rapientium persecutionibus Ecclesia Carthaginensis, audire libet à sancto Cypriano in
Epist. 60. literis ad Januarium eiusdem Provinciæ Primatem. *Misimus Sestertium centum millia nummum, quæ istic in Ecclesia, cui de Domini indulgentia præsumus, Cleri & plebis apud nos consistentis collatione collecta sunt: Quæ vos illic pro vestra diligentia dispensabitis. Et optamus quidem nihil tale de*

cate-

cætero fieri, & fratres nostros Domini maiestate protectos ab eiusmodi periculis incolumes reservari: Si tamen ad explorandam animi nostri charitatem, & examinandam nostri pectoris fidem tale aliquid acciderit, nolite cunctari nunciare hæc nobis literis vestris, pro certo habentes Ecclesiam nostram & Fraternitatem universam, ne hæc ultrà fiant, exorare; si facta fuerint, libenter & largiter subsidia præstare. Adeò in casus futuros non se excusat. Etiam gentiles & hostes Persas ex justa Romanorum captivitate redemit Acacius Amidenus in Mesopotamia Archi-Episcopus, additque Socrates, pietatem Regi ipsorum adeò placuisse, ut à Theodosio Augusto postulârit sibi transmitti Acacium videndum & honorandum. L. 7. c. 21. Clodoveo Francorum Regi, ut redimendis captivis etiam paternas opes profunderet, suasit sanctus Remigius. Epist. 2. Et de Ludovico Pio Augusto scribit in vita Caroli magni Monachus sancti Galli, quod fidelibus apud Saracenos captivis dederit in singulos per omnem Germaniam boves & mansos unum denarium fiscalem. C. 14.

Frigescente charitate pietas ad solos fermè Clericos & Monachos transijt, plurimùmque ab illa sanctum Salvium Albigensem Episcopum, L. 7. c. 1. & sanctum Eparchum Monachum Engolismensem laudat sanctus Gregorius Episcopus Turonensis. L. 6. c 8. Laudatur & sanctus Nicetius Lugdunensis, sanctus Germanus Parisiensis, & super omnes sanctus Paulinus Nolensis Episcopus, pro liberando viduæ filio post effusum pro alijs omne aurum dans Wandalis Arianis semetipsum. Sanctus Gregorius magnus non tantùm homines liberos, sed & ipsos pauperum dominorum servos redêmit à Longobardis, L. 2 Ep. 32. quosdamque Firmanæ civitatis Clericos & laicos Ecclesiasticâ pecuniâ redemptos exemit ab omni onere restitutionis, L. 5. Ep. 34. L. 7. Iudit. 2. quoniam leges & Canones permittunt Ecclesiæ substantiam captivis impendi. Epist. 14. Et hinc pauperibus Episcopis, ut captivis ad emendicanda redemptionis pretia dent literas formatas, Judit. 3. apud Jacobum Sirmondum mandat tertia Synodus Lugdunensis. Epist. 17. Erat miserabile miseriæ levamen. Quare Valerianus Presbyter pro ipsis captivis mendicabat, C. 3. ad ipsos in regiones longinquas acquisita deferens, eumque commendat plurimùm laudatus Gregorius magnus. L. 2 Indit. 11. Ep. 16. Eius exemplum peperit Ecclesiæ sanctam Divinæ Trinitatis regularem familiam, cui titulus, *Ordo de redemptione captivorum*. Eius pietatem magnum Belgij Chronicon describit. F. 211. Quocircà hæc in Ibam accusatio, si vera, fuit omninò justa.

CAPITV-

CAPITVLVM II.

Rursùm calicem gemmatum magni pretij, oblatum nostræ Ecclesiæ à sancto viro ante annos undecim, inter vasa sanctæ Ecclesiæ non reposuit, & nescimus quid factum sit de eo.

SCHOLION.

Etiam in medijs persecutionibus fuisse Ecclesijs aureos, argenteos, gemmatos, cælatos calices liquet ex Prudentio, inducente debacchantem tyrannum in hæc verba adversùs sanctum Laurentium Romanæ Ecclesiæ Archi-Diaconum. *Hunc esse vestris orgijs moremq; & artem, proditum est, hanc disciplinam fœderis, libent ut in auro Antistites: Argenteis ferunt fumare sacrum sanguinem.* Quod namque sanctus Laurentius non solummodò signatum Ecclesiæ Aurum, sed & initia-
L. 2. c. 28. ta aurea vasa diviserit in pauperes, testatur sanctus Ambrosius in libris officiorum. Adeò vetustus est ritus Ecclesiæ quædam vasa initiandi. Eorundem vasorum cupiditatem fuisse gentilium Principum Procuratoribus frequentem ansam movendæ in nos persecutionis af-
L. 8. c. 22. firmat Eusebius Cæsareensis. Et hìnc inductum à Diocletiano Augusto crimen traditionis non solos sacros codices, sed sacra etiam vasa ab Episcopis & Clericis extorquebat. Etenim in literis ad Gene-
Epist. 165. rosum sanctus Augustinus refert Acta publica, in quibus Paulus Constantinensis Episcopus scribitur tradidisse *instrumenta Dominica, Capitulatam argenteam, & argenteam lucernam.* Et in libris adversùs Cresconium Donatistam adducit Brevem, seu catalogum rerum tunc à Donatistis traditarum, easque inter sunt tres aurei & sex calices ar-
L 3. c. 29. gentei. Et Optatus Milevitanus Episcopus ait de eadem persecutio-
L. 1. ne: *Erant ex auro & argento quam plurima ornamenta.* Et ex antiquis cryptis, in quibus olim fideles egére Divina, effodi consuevisse varia ministeria argentea testatur in libro de gloria Martyrum sanctus Gre-
Cap. 38. gorius Turonensis. Et de Felice Regij thesauri Quæstore, misso à Juliano Augusto Apostatâ ad diripienda sacra vasa Ecclesiæ Antio-
L. 3. c. 11. chenæ, scribit in Ecclesiastica historia Theodoretus. *Felix sacrorum vasorum magnificentiam conspicatus*, ECCE, *inquit*, QVAM SVMPTVOSIS VASIS FILIO MARIAE MINISTRETVR. Simili magnificentiâ omnes passim Ecclesias abundasse, possit facilè ostendi. Hìnc inter eminentiores eius dignitates erat *Custos sacrorum vasorum.*

Cap. 7. Obstare videtur Tertullianus in libro de pudicitia. *Procedant ipsæ pictu-*

pictura calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius. Romana namque, adversùs quam pugnat homo devius, Ecclesia in calicibus suis Dominum Salvatorem pingebat in specie boni Pastoris errantem ovem in humeris ad gregem & pascua reportantis. Ubi vox, *Pictura*, ostendit calices vitreos fuisse. Hìnc pergit Tertullianus: *Ego eius Pastoris Scripturas haurio, qui frangi non potest.* Innuit pictum in Romanis calicibus Pastorem fuisse fragilem, quia nempè in vitro. Et de Zephyrino Papa, in quem scribit Tertullianus, dicit liber Pontificalis. *Fecit constitutum de omni Ecclesia, ut patenas vitreas ministri ante Sacerdotes portarent, dum Episcopus Missam celebraret.* Et de sancto Donato Aretino Episcopo habet Martyrologium Romanum: *Fractum à Paganis calicem*, quod utique vitreus esset, *orando instauravit.* Aug 8.
Et de antiquo, Apostolicisque temporibus vicino hæretico & mago Marco sanctus Irenæus Episcopus Lugdunensis. *Pro calice vino mixto fingens se gratias agere, & in multum extendens sermonem invocationis, purpureum & rubrum apparere facit, ut putetur eâ gratiâ ab ijs, quæ sunt super omnia, sanguinem suum stillare in illius calicem per invocationem eius, & valdè concupiscere præsentes ex illo gustare poculo, ut & in eos stillet, quæ per magum hunc vocatur gratia.* Eius calices fuisse ex vitro albo sanctus Epiphanius testatur. Hìnc enim vini de albo in rubrum colorem transmutatio cunctis statim apparebat. Ex quo vides Eucharisticæ transubstantiationis fidem, quam suis miraculo evidentem volebat hic perversus, esse vetustissimam. Et Cyprianus Gallus ait in vita sancti Cæsarij Episcopi Arelatensis: *An non in vitro habetur sanguis Christi?* Et sanctus Hieronymus in literis ad Rusticum Monachum laudat sanctum Exuperium Episcopum Tholosanum, quod *corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portaret in vitro.* Et in literis ad Nepotianum dicit vasa aurea ad antiquum spectare testamentum & præcessisse in figura, modò autem gloriam omnem filiæ Regis pauperis esse ab intùs. Et apud Gratianum rogatus sanctus Bonifacius, Episcopus Moguntinus & Francorum Apostolus, si liceret in vasis ligneis Sacramenta conficere, respondit: *Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc è contrario lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus.* Et Armenij, Colchi, atque Hiberi usque ad posteriora Ecclesiæ sæcula usi fuerunt ligneis, luteis, ac vitreis calicibus, utique ex Canone & more antiquo.

[Margin notes: L. 1. c. 9. — Hæres. 34. — Epist 4. — Epist. 2. — Dist. 1. de Consecrat. c. 44.]

Fateor sacros calices olim fuisse vitreos in quibusdam Ecclesijs, attamen sine lege. Etenim calicem, in quo Dominus Jesus Eucharistiam confecit, fuisse argenteum, & suo adhuc tempore custoditum apud Hierosolymam, adfirmat in libro de locis sacris venerabilis Beda. C. 2.

da.

da. Et liber Pontificalis dicit de Urbano primo, Zephyrini post Calixtum successore. *Hic fecit ministeria sacrata omnia argentea.* Eumque Romanæ Ecclesiæ morem aliæ passim omnes cæperunt imitari. Sanè quod S. Exuperius vitro & vimine usus sit, non in Ecclesiæ Gallicanæ consuetudinem, sed referendum est in extremas istorum temporum ex barbarica incursione miserias, quæ omne Ecclesiæ aurum, uti adfirmat ibidem laudatus Hieronymus, coëgerant in pauperes erogari. Duravit hinc indè inopia usque ad tempora Caroli magni, cujus in dandis sacris vasis munificentiam prędicant antiqui Francorum Scriptores. Hinc eius tempore statuit Synodus Rhemensis. *De ære aut aurichalco non fiat calix, quia ob vini virtutem parit æruginem, quæ vomitum provocat. Nullus in ligneo aut vitreo calice præsumat missam cantare.* Mandat calicem fieri ex auro, argento, aut certè apud pauperes Ecclesias ex stanno. Quod ipsum statuit Synodus Triburiensis. Quin immò Richardus, sancti Thomæ Martyris in cathedra Cantuariensi proximus Successor, in Synodo per Rogerum Hovedensem relata promulgavit hunc Canonem. *Ne consecretur Eucharistia, nisi in calice aureo aut argenteo: Et ne stanneum calicem Episcopus amodò benedicat.* Modificavit Successor Hubertus in Synodo Eboracensi: *Cum calice argenteo, ubi facultas suppetit, Sacramentum Eucharistiæ conficiatur.* Nempè Richardi Regis apud Germanos nupera captivitas in summam inopiam dejecerat Ecclesias Anglicanas. Et hinc sui temporis Episcopos & Clericos graviter arguit sanctus Petrus Damiani, quod Ecclesiasticis divitijs ad vana abusi de stanneis aut similis metalli calicibus, & quidem egregiè sordidis, Domino ministrarent. De Colchis, Iberis, atque Armenijs scribit magnum Belgij chronicon. *In*

A. 1202. f. 110. *partibus Asiæ maioris versus Mesopotamiam & Armeniam quidam Ionas vir venerabilis erat Patriarcha in civitate Susis, in cuius Ionæ manibus, dum Missam celebraret more gentis suæ, hoc est, secundùm consuetudinem Syrianorum, tale fertur accidisse miraculum, ut panis ille magnus Fermentatus, undè fiebat sacrificium, in parvam & pulchram hostiam ad morem sacrificij latinorum converteretur, & calix ligneus destrueretur cum cochlearibus, reperto vero sanguine in argenteo calice: Vndè plures Syrianorum Ecclesiæ, Armenij, Georgiani, & Iacobitæ ad consuetudinem sanctæ Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ de die in diem per hoc miraculum cæperunt converti.* Addit de Innocentio tertio laudatissimo Pontifice: *Dedit universis*

F. 211. *Ecclesiis Romæ unam libram argenti pro singulis calicibus earum non habentium calices argenteos, tali pacto ut vendere eos non possent.* Generaliter Græcos omnes in auro, argento, aut certè stanno celebrare jussit

Const. 14. Innocentius quartus. Et sanctæ Brigidæ Brixiensis Presbyterum, quod

quod calicem non habens in scypho ligneo celebrasset, apud Gregorium nonum deponi mandat Honorius tertius. Neque his adversatur sanctus Hieronymus in literis ad Nepotianum: Quarumdam Ecclesiarum excessum damnat, nullatenùs mediocritatem. L.3.tit 41. c.14.

Quantum porrò in Ecclesia crimen semper fuerit abuti sacro calice, liquet ex Eusebianorum in sanctum Athanasium tragedijs: Præcipua enim in ipsum calumnia fuit, quod sacrum poculum fregisset. *Opus est*, inquit sanctus Ambrosius, *Vt de Ecclesia mystici poculi forma non exeat, ne ad usus nefarios sacri calicis ministerium transferatur.* Venafranæ Ecclesiæ Clericos, qui calicem vendiderant, in perpetuam pænitentiam relegavit Gregorius magnus; Rainerium Aurelianensem Episcopum etiam deposuit Gregorius septimus. Et præcipua caussa, quam justificandæ suæ in Rothaldum Suessionensem Episcopum crudelitati prætexuit Hincmarus Metropolita Remensis, fuit aureus gemmatus calix per ipsum oppignoratus. Et Divina in Regem Balthazarem vindicta etiam in novo testamento percussit varios: Exemplum insigne refert Theodoretus. Quocircà & hæc in Ibam accusatio, si vera, fuit longè justissima. L.2. offici. c. 28. L.1.Ep.66 L.5. Ep.20 Epist.17. L.3.c.11. 12.

CAPITVLVM III.

Adhuc & de Ordinationibus accipit.

SCHOLION.

AB adsumendis àd Ecclesiasticos Ordines fieri oblationes varias est consuetudo antiquissima. Prima fiebat ipsi Ecclesiæ, ad cujus titulum & tabulam quis consecrabatur. Etenim de Marcione à Romana Ecclesia in Clerum adsumpto scribit Tertullianus in libro Præscriptionum, & in quarto libro adversùs ipsum. *Cum ducentis Sestertijs, quæ Ecclesiæ intulerat, in perpetuum discidium est relegatus.* Damnati Erronis substantiam noluit Ecclesia retinere. Et de sancto Ambrosio scribit Paulinus Presbyter, quod & aurum & possessiones suas dederit Ecclesiæ Mediolanensi, sorori tamen suæ relinquens usumfructum ad redimendos captivos. Et omnis illa de ordinando nobili viro Piniano inter Ecclesias Hipponensem & Tagastensem contentio fundabatur in simili oblatione: Utraque enim ejus patrimonium ambiebat, adeò ut eis mater illius Albina impingeret *turpissimum pecuniæ appetitum.* Hìc item hæsit quæstio inter Augustinum & Alipium de patrimonio Honorati è Tagastensi Monacho Presbyteri Thianensis. Videtur quippè Honoratus, Augustinum imitatus, non exspectasse C. 30. C. 4. August. Epist. 225. Epist. 229.

Clericatum, sed in monachatus susceptione effudisse sua in Ecclesiam originalem. Exempla plura refert Augustinus in sermone secundo de communi vita Clericorum. Et hasce oblationes probat Justinianus Augustus in lege ad Petrum Officiorum magistrum, rigidissimè damnans omnem simoniam, & addens. *Si quis Episcoporum sive ante sive post Ordinationem voluerit proprias res, aut partem earum Ecclesiæ offerre, cuius sacerdotium accepit, non prohibemus, sed omni laude dignum iudicamus: Quoniam hoc non est emptio, sed oblatio.*

Novell. 123 c. 2.

Eodem respicit septimæ Synodi Canon quintus. *Eos, qui gloriantur se per dationem auri ordinatos in Ecclesia, & in hac maligna consuetudine, quæ alienat à Deo & omni sacerdotio, sperant, & ex hoc impudenti facie & non operto ore exprobrabilibus verbis eos, qui ob virtutem vitæ à sancto Spiritu electi & constituti sine datione auri sunt, inhonorant; primò quidem novissimum gradum accipere sui Ordinis definimus, quod si permanserint, per Epitimium corrigantur.* Quidam damnari existimant sacræ Ordinationis simoniam: At certum est falli. Damnatur sola divitum Clericorum temeritas, qui ob donatam Ecclesiæ substantiam pauperibus ad vitæ merita promotis volebant præferri & dominari. Quod ipsum in Monachis vitium graviter damnat Regula sancti Augustini. Et huc forsitàn respicit lex Constantini magni in Codice Theodosiano. *Nullum deinceps instructum idoneis facultatibus, atque obeundis publicè muneribus opportunum, ad Clericorum nomen obsequiumq; confugere; sed eos de cætero in cæterorum dumtaxat locum Clericorum surrogari, qui fortunâ tenues, neque muneribus civilibus teneantur obstricti.* Undè & pauperes, probè tamen institutos, præsertim parari & promoveri ad Clerum suadet in secunda Synodo Mediolanensi sanctus Carolus Borromæus. Et apud Gratianum Alexander secundus Pontifex mandat Clero & populo Lucensi, ut deinceps non ditiores, à quibus plura exspectent suæ Ecclesiæ, sed meliores eligant in Clerum. Nam & Dominus ad Apostolatum adsumpsit pauperes, & Evangelicæ legis laus est, quod pauperes à Domino evangelizati cæteris evangelizent.

L. 3.

Decret. 27 28. 29 30.

1. q 3. c 9.

Notanda sunt verba Justiniani Augusti: *Quoniam hoc non est emptio, sed oblatio.* Nullum quippè pactum, nulla exactio aut sponsio potest hìc intervenire. Sanctum Joannem Eleëmosynarium, Patriarcham Alexandrinum, apud Laurentium Surium rectè laudat Leontius Neapolitanus Episcopus, quod quempiam promisso grandi granorum pro pauperibus cumulo postulantem Diaconatum rejecerit ut simoniacum. Et sanctus Gregorius magnus in literis ad Syagrium Augustodunensem Episcopum damnat simoniæ Episcopos & populos Gallicanos, quod promissâ aut exactâ ad alendos pauperes aut exstruenda

Die 13. Jan.

L. 7 indict. 2. ep. 112.

mo-

monasteria ac Xenodochia pecuniâ Ecclesiasticos Ordines darent aut acciperent. Quod ipsum apud Gratianum scribit Alexander secundus ad Clerum & populum Lucensem. Et sanctus Augustinus Hipponensium pauperum, nobilem virum Pinianum postulantium ad Presbyteratum, cupiditatem dicit non fuisse culpabilem, quod ab eius redundantia suæ inopiæ supplementum sperarent solummodò, non expostularent. Et Artaldum Ecclesiæ Elatensis Electum Narbonensis Metropolita consecrare noluit, quod omnia bona Ecclesiæ donanda statim à facta electione jurasset: Credebat Metropolita electionem prævia promissione procuratam. Et Decano Belluacensi roganti, an is, qui bona sua omnia dederat Ecclesiæ eo pacto, ut ea postmodùm pro Præbenda haberet adsumptus in Canonicum, esset à simonia alienus, respondit innocentius tertius non esse, causâ exactionis & pacti.

1. q. 3. c. 9.

Epist. 225.

Apud Grat. 8. q. 3. c. 2.

Altera oblatio fiebat ipsi Episcopo, Metropolitæ, Primati, aut Patriarchæ ordinanti. Etenim Eusebius, Ancyræ Episcopus & primæ Galatiæ Metropolita, trium Diœceseon Metropolitas deinceps à Constantinopolitano Episcopo ordinandos consentiens dixit ad Synodum Chalcedonensem. *Rogo autem, ut civitates pro Ordinationibus non solvant. Si enim non in civitatibus ipsis hi, qui eliguntur à civitate, ordinantur à Synodo Provinciæ comprobati, solvuntur substantiæ* Ecclesiarum. *Et hoc probatum habeo, qui pro eo, qui ante me fuit, multa reddidi debita*: Quæ ille contraxerat ad Patriarchæ Constantinopolitano solvenda jura Ordinationis. Theodotus ille fuit Nestorij in Synodo Ephesina accusator. Eandem praxim viguisse in Romana Ecclesia fatetur sanctus Gregorius magnus. Viguit item in omni Italia, Sicilia, Sardinia, Illyrico, Africa, Hispania, Gallia, Germania, adeò ut Arnoldus Abbas Lubecensis in Chronico Slavorum testetur Hartuicum Archi-Episcopum Bremensem, deductum ad inopiam vixisse ex solo Cathedratico, id est, juribus & Xenijs Episcopalium Consecrationum.

Act. 16.

L. 4. Ep. 44

L. 4. c. 11.

Hæc porrò Xenia Justinianus Augustus, quem sanctus Gregorius magnus & alij Scriptores imitantur, in lege ad Petrum Officiorum Magistrum, & in lege ad Mennam Patriarcham rectè vocat *consuetudines*: Utpotè nullo Canone aut lege, sed solo contra Canones & leges usu in Ecclesiam intrusas. Eas dividit in tres: Cathedraticam, Enthronisticam, & Insinuativam. Errant, qui eas putant esse unam ac eandem. Cathedratica consuetudo, quam Gregorius magnus *Pastelli* seu *Pastellaticam*, Innocentius tertius *Electuariam* vocat, est pensio Episcopo, Metropolitæ, aut Patriarchæ solvi consueta in signum subjectionis & honorem Cathedræ, ad eiusdem Cathedræ, id est,

Novel. 123

Novell 56

 Epis-

Episcopalis, Metropolitici, aut Patriarchalis officij onera sustentanda. Apud varios solvi consuevit tempore vario: In confirmatione, consecratione, Pallij donatione, Synodo, ideòque apud quosdam dicta est etiam *Synodaticum.* A Romanis usque ad eius proscriptorem Gregorium magnum dicebatur Pastellum, quod ad instar modici pastus esset quid modicum & vile. Fuisse vocabulum à nova per ambitionem simulatione inventum testatur idem Gregorius. Fuit & alia, non Episcopo, sed Ecclesiæ Clericis pendi solita veri Pastelli seu convivij consuetudo, quam à quibusvis non Clericorum solummodò, sed & Monachorum initationibus ut simoniacam frequenter proscripsère & generales Synodi & Romani Pontifices; verùm Belgica nostra infirmitas etiamnum hodie ad sæva disciplinæ damna retentat. Eam fugiens sanctus Andræas Corsinus, Carmelitanæ familiæ & Fæsulanæ Ecclesiæ decus, primam Missam Deo in sylva obtulit, meruitque à Deipara apparente divinitùs audire: *Servus meus es tu, quia ego elegi te, & in te glorabor.* Enthronistica consuetudo est munus pro Episcoporum inthronizatione aut Clericorum introductione donari consuetum introducenti; insinuativa autem est munus à novo Clerico dari solitum eiusdem Ecclesiæ Conclericis in sua insinuatione seu admissione, gratiâ ineundæ amicitiæ & societatis, quod per omnem ferè Occidentem olim fuit convivium sive Pastellum. At hæ duæ consuetudines non spectant ad Capitulum præsens.

Ibas ergò in Synodo Berytensi accusatus fuit non de simonia, sed de sola Cathedratici in dandis sacris Ordinationibus consuetudine: Et quidem non de extorta aut exacta, sed dumtaxàt de accepta. Nihilominùs Episcopi judices dixerunt ad accusatores. *Quando redargutio Capituli sequitur animæ periculum ferens, superfluum judicamus inquisitionem fieri cæterorum. Quæ igitur manifestè interdicta sunt & Canonibus & legibus, & sunt apertè odiosa Deum timentibus, hæc eligite primùm, & his instate. Videntur autem nobis hæc esse principalia. Primum quidem rectæ esse oportere fidei, qui Sacerdotio fungitur. Deindè, esse eum totius luxuriæ liberum: Sed nec prodere pietatē, maximè pecuniarum causâ.* Hoc tertium videtur omninò esse præsens Capitulum, ideòque quæritur, an sacræ Ordinationis Cathedraticum accipere sit reverà proditio pietatis, crimen omnibus Deum timentibus odiosum, damnatum per leges & Canones, se solo sufficiens ad Episcopi dejectionem? Quæri id potest & de simplici acceptione Cathedratici, & de exactione.

L. 3. ep. 25 Quoad primum pro parte negativa facit auctoritas sancti Gregorij magni, qui Januario Calaritano Episcopo ac Sardorum Metropolitæ rigidè vetans quid accipi de Clericorum Ordinationibus addit: Nisi

quid-

uidpiam suâ sponte offerre voluerint. Et in Romana sua Synodo duris-
mè quidem damnat Pastelli exactionem, adjungit tamen de simplici
cceptione. *Is autem, qui ordinatus fuerit, si non ex placito, neque exa-* L. 4. Ep. 45
tus, neque petitus, post acceptas chartas & Pallium aliquid cuilibet ex Cle-
gratia tantummodò causâ dare voluerit, hoc accipi nullo pacto prohibe-
us. Et omnes antiquæ Synodi, hasce consuetudines de simonia dam-
antes, damnant solam exactionem: Spontaneæ oblationis receptio-
em plures disertè permittunt.

Pro parte tamen affirmativa definit Synodus Tridentina. *Quoniam* Sess. 25. c. 1
b Ecclesiastico Ordine omnis avaritia suspicio abesse debet, nihil pro colla- de Refor.
one quorumcumque Ordinum, etiam Clericatus tonsuræ, nec pro literis
missoriis aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de caussa
tiam spontè oblàtum Episcopi & alij Ordinum Collatores, aut eorum Mi-
istri quovis prætextu recipiant. Neque id statuit sine antiquo exemplo.
mita ta est secundam Synodum Bracarensem: *Episcopi de Ordinatione* C. 3.
lericorum munera nulla accipiant. Et secundam Barchinonensem, at-
ue octavam Toletanam, vetantes aliquid accipi etiam *sub oblationis*
omine. Tertia Bracarensis accipientibus infligit pœnas inflictas simo-
iacis à Canone Chalcedonensi. Hi, inquam, sanctissimi Hispaniarum
piscopi servari mandant in Sacramento Ecclesiasticæ Ordinationis,
uod in Baptismo Canon quadragesimus octavus Eliberinus: *Emen-*
ri placuit, ut hi, qui baptizantur, ut fieri solebat, nummos in Concham
on mittant, ne Sacerdos, quod gratis accepit, pretio distrahere videatur.
ec desunt similes Canones Ecclesiarum Italicæ, Africanæ, Illyri-
anæ, & Gallicanæ, atque ità etiam spontè oblatum Cathedraticum
cipere videtur esse iniquitas simoniæ.

Respondeo hanc quæstionem in Synodo Basileensi eruditè solvi à
omino Cardinali Juliano Cæsarino. Ad Eugenij quarti Pontificis Epist. 5.
egatos dicit ex Domini mandato nemini incutiendum scandalum,
xta Apostolum non tantùm à malo, sed & à mali specie abstinen-
um, & addit. *Nonnè & gratis offerre, & eleëmosynam dare, pium est &*
us charitatis? Sed quoniam tempore Baptismi nummos projicere in Con-
am, speciem prætendebat mali, emendari & aboleri talem consuetudinem
sit Ecclesia: Utique non tamquam naturali aut Divinæ legi adver-
m, sed ut suspectam, scandalosam, piorumque ac infirmorum ocu-
rum offensivam. Hinc dicit Canon: *Ne pretio distrahere videatur,* id
, ab infirmis, licet errantibus, existimetur. Undè & Gregorius
agnus spontè oblatum recipi merè permittit, nequaquam probat.
tenim Xenia à Joanne primæ Justinianæ Episcopo Primate in Ar-
i-Episcopalis confirmationis & Pallij postulatione spontè oblata L. 4. Ep. 8.

& missa adeò rejecit, ut eius Legati offerre ipsa coacti fuerint sancto Petro Apostolo, nullius integri fidelis oblationem refutanti. Xenia
L.1.ep.64 sibi à Felice Messinensi Episcopo transmissa recepit quidem, nolens offerentem contristare; at vendi jussit, pretiumque Felici remisit. Re-
L.5.ep.19 cepit tamen, at invitus, à Dominico Episcopo Carthaginensi. Porrò illa, quæ permittit accipi, esse debent modica, *quæ accipientis ani-*
L.5.tit.3. c 18. *mum allicere, inclinare, movere, pervertere non soleant*, uti scribit Innocentius tertius Pontifex ad Archi-Episcopum Strigoniensem. Hinc Ordinatori ab Episcopo Electo offerri permittit *Electuarium de vino aut alijs huiusmodi, quæ modici pretij fuerunt. Romana Ecclesia interpretari non consuevit accipientem in his delinquere, vel donantem.* Etiam equum à dicti Archi-Episcopi fratre donatũ Cardinali Legato in impartitione Pallij excusat ab omni scabie, quod ille esset quid modicum respectu dantis atque accipientis. Nihilominùs sanctum Hugonem Lincolniensem Episcopum rectè laudat Henricus Cnightonus, quod Epis-
L. 2. A.1208. copatum cedere maluerit, quam Archi-Diacono inthronizanti donare equum: Eum quippè Archi-Diaconus exigebat.

Et hinc fit locus alteri quæstioni, an dictas consuetudines in Ecclesiasticorum Ordinum donatione exigere sit simonia? Pro parte adfirmativa facit Philippus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presby-
Act 16. ter, Eusebio Ancyræ Episcopo postulanti, *ut civitates pro Ordinationibus* Episcoporum suorum deinceps Patriarchæ Constantinopolitano *non solvant*, respondens: *Ex Regula hoc interemptum est, hæc Regulis & legibus interempta sunt, Altaria munda sunt*, utique à lepra simoniæ eiusmodi per Canones & leges damnatæ. Et apud Cassiodorum Athalaricus Gothorum Rex in Edicto ad Joannem secundum Pontificem rigidè tamquam Canonum executor mandat omnibus Patriarchis, ne quid exigant ab Episcopis consecrandis. Et Gregorius magnus decreto suo, quo sacræ Ordinationis & dati Pallij Pastellum proscripsit, adjungit: *Si quis hinc aliquid commodi exigere vel deferre fortè præsumpserit, in districto Dei omnipotentis examine reatui subiacebit.* Et S. Bonifacio Francorum Apostolo, Ecclesiam Romanam arguenti de eiusmodi Pastello, ideòque nuper postulata Ecclesiæ Gallicanæ Pallia non prosequenti, respondit Zacharias Pontifex esse mendacissimam calumniam, eiusmodi exactiones esse prævaricationem Canonum & apertam simoniam, Romanamque Ecclesiam esse ab illa adeò alienam, ut nec pro charta quid exigat aut pro Scriptura. Ecclesia olim Mediolanensis consuetudinaliter *de Subdiaconatu duodecim nummos, de Diaconatu decem & octo, de Presbyteratu suscipiendo viginti quatuor, quasi per præfixam condicionis Regulam*, exigebat. Item quid de Episcoporum conse-

consecrationibus & benedictionibus Abbatum. Verùm Guido Archi-Episcopus in manibus Petri Damiani Ostiensis, & Anselmi Lucensis Episcopi, per Romanam Ecclesiam jussus est abjurare, & abjuravit tamquam lethalem, pestiferam, damnatam simoniæ hæresim, uti multis refert Laudatus Petrus Damiani. Episcopus Morinensis ab Abbate sancti Bertini solebat pro benedictionis Xenio exigere cappam sericam, Palafredum, Pastellum aut aliam consuetudinem: At tamquam simoniam proscripsit Innocentius tertius. Innumeri Canones ità censent de eiusmodi exactionibus. Opusc. 5. L. 1. Ep. 204.

Partem tamen negativam firmat Justinianus Augustus in lege ad Petrum Officiorum Magistrum. Licèt namque in Clericorum ordinatione Cathedraticam consuetudinem vetet ab ipso ordinante Episcopo, permittit tamen exigi ab eius ministris, & quidem tantam, quæ æquare possit unius anni proventum. Etiam à Patriarchis, Primatibus, ac Metropolitis exigi permittit de Episcopis consecratis, eximens solos pauperes Episcopos, quorum Ecclesiæ in redditu habeant minùs, quàm duas libras auri. A quibusdam exigi sinit etiam viginti auri libras, quæ juxta Eustachium Gothofredum faciunt aureos nostros mille quadringentos quadraginta. Adeò non sine caussa Eusebius Ancyræ Episcopus in Synodo Chalcedonensi questus est per Cathedraticas Patriarchæ Constantinopolitani consuetudines solvi seu dissipari substantiam Ecclesiarum, quarum Episcopi ab illo consecrabantur. Quin in lege ad Mennam Patriarcham idem Justinianus consuetudines insinuativas, quas proscribit à cunctis Ecclesijs, confirmat in magna Constantinopolitana. Et Isaaci Comneni Augusti Novella constitutio de consuetudinibus, quæ pro ordinatione dantur, *statuit, ut etiam in ordinatione Sacerdotum & Canonico vetus forma auctoritatem obtineat, & nihil in ordinatione Episcopus, qui ordinat, ampliùs accipiat, quàm præstantioris moneta septem aureos nummos dumtaxat: Vnum scilicet, quando facit simplicem Papam sive Lectorem; tres quando ordinat Diaconum, alios tres quando Sacerdotem sive Presbyterum perficit.* Canonicum est ordinarium tributum, verumque Cathedraticum, Episcopo à singulis oppidis & vicis pendi consuetum. Simplex Papa est idem, quod apud nos primæ tonsuræ Clericus: Nam & Belgica nostra lingua omnem Clericum vocat Papam.

Et ab hac Græcorum Theologia etiam latini non abhorrent. Etenim Calixti secundi & Innocentij secundi Pontificum decretis, hujusmodi Cathedraticas consuetudines ut simoniacas damnantibus, potenter se objecit sanctus Lanfrancus Cantuariensis Archi-Episcopus, adferens illas non Sacramentorum, sed subjectionis titulo pendi: Sancti

cti Augustini namque monasterium monasterio Cathedrali quotannis in cœna Domini duos arietes, certamque panis & vini mensuram solvebat. Longam litem refert in suis Annalibus Guilielmus Thorne.
A. 1143. 1144. Et Rogerus Hovedensis inter varia Theodini & Alberti Cardinalium, Alexandri tertij Legatorum, synodalia apud Abrincas decreta refert etiam proscriptas aliquid in Sacramentis exigendi consuetudines, & addit: *Nihil profectum est, quia Episcopi Normandiæ decretum illud recipere noluerunt.*
p. 531. Et Joannes Salisburgensis Archi-Episcopus sub Martino quinto Pontifice post damnatam synodaliter omnem in Sacramentis simoniam adjungit: *Ex post verò antiquas & laudabiles Ecclesiarum consuetudines piâ fidelium devotione pro Ministrorum sustentatione introductas non intendimus prohibere, ad quas etiam observandas superioris Officij laici Ecclesiasticâ possint censurâ compelli.*
Cap. 8.

Respondeo hasce in sacra Ordinatione exactiones ità fieri posse, ut non sint hæresis simoniæ. Quis enim nesciat Episcopis, Metropolitis, Primatibus, Patriarchis deberi à subditis Clericis ac Episcopis canonicum seu verum Cathedraticum? Episcopo enim, licet divisam portionem habenti, antiqui Canones insuper adsignant quartam omnium Presbyteralium portionum. Etiam participem volunt de oblationibus & primitijs omnium Ecclesiarum. Cur igitur hanc quartam aut eius partem exigere nequeat in Ordinatione? Attamen latina Ecclesia exactiones istiusmodi semper tamquam sordes habuit & damnavit, licèt forsàn à vera simonia immunes: Damnavit tamquam suspectas, periculosas, scandalosas, piorumq; ac infirmorum oculorum offensivas. Abundè liquet ex huc usq; dictis. Certè simoniaca hęresis, quã ex Gallia ejecit Gregorius magnus, ex parte non erat aliud, quàm quædam inopum Episcoporum exactiones ad alendam miserabilem plebem. Neque obest S. Lanfranci animositas. Ei enim tandem cessit, eiusque causâ ipsum arguit laudatus Guilielmus Thorne, quod simoniam ex alienis Ecclesijs generosè profligans foverit in propria. Eadem est ratio Episcoporum Normandiæ: Eorum quippè præsumptionem damnavit postmodùm Alexander tertius in Synodo Lateranensi. Salisburgensis Synodus non de Ecclesiastica Ordinatione, sed de Parochialibus Sacramentis loquitur, quæ non spectant ad hunc locum. Et hinc credo à Synodo Berytensi per pietatis proditionem pecuniarum causâ factam non intelligi præsens Capitulum, sed alia Ecclesiasticæ substantiæ dissipationem objicientia: Hocce enim Capitulum adfirmat Ibam dumtaxàt accepisse, non exegisse.

CAPITVLVM IV.

Abrahamius quidam Diaconus nostri Cleri fuit. Hic Ioanne quodam malefico deprehenso, cuius amicus rat & conscius, coram reverendissimo Episcopo nostro & mni Clero convocato ad audientiam Abrahami Diaconi, ionstratum est eodem confitente conscium esse, ut pœnam ustinuerit excommunicationis, & omnibus odio fuerit, & mnium insectationi patuerit multo tempore. Post hæc (nesimus quomodò persuasus) satisfactione ab eo nullatenùs proveniente, tentavit eum Batenorum civitatis ordinare Episcoum: & prohibitus ab eo, qui tunc Archi-Diaconus erat, inignatus est. Et hunc quidem, qui morti erat obnoxius, apud emetipsum decrevit esse Episcopum. Illum verò, qui turbam ncitaverat civitatis, & dixit justum non esse hoc fieri, removit de proprio loco, & excommunicavit, & expulit ab Ecclesia. Et quia de Episcopo ei non processit, compulsus est um facere Xenodochum. Et retinet chartam magicarum ncantationum reverendissimus Episcopus noster, qui debuit d judicem Provinciæ hunc, qui itá execrabilis est, offerre ecundùm consuetudinem legum.

SCHOLION.

Etiam sanctus Joannes Chrysostomus in Synodo ad Quercum accusatus fuit, postulatusque ad exauctorationem, non tantùm uod Antonium sepulchrorum violatorem convictum, & Heraclitem furem manifestum in Episcopos, sed & quod Serapionem accuatum & adhuc caussam dicentem in Presbyterum consecrasset. Etiam Theodoretus pessimè audijt, quod à Phœniciæ Episcopis rogatus renæum bigamum ordinasset Metropolitam Tyriorum. Tantum in Ecclesia crimen semper fuit personas inhabiles ad Ecclesiæ gradus vehere. Præsertim præstigiatores aut eorum conscios. Etenim Eleu- Epist. 110.

 sium

Socrat. l.2.c.33. lium Cyzicenum Episcopum dejecit Synodus Seleuciensis, quod *Heraclium, Herculis Tyrij Sacerdotem, & præstigijs magicis conspersum baptizasset, & ad gradum Diaconatus extulisset.* Dejecit & Basilium Ancy-
Zozom. l.4.c.23. ræ Episcopum, quod *circulatorem ab Ecclesia non segregasset.* Eum debuerat non tantùm Ecclesiâ eijcere, sed & *Provinciæ Iudici offerre secundùm consuetudinem legum.* Cur *offerre* potiùs, quàm *deferre* dicat nostrum Capitulum, aperit Adrianus primus Pontifex in Capitulis
Cap.49. traditis Angilramno Episcopo Metensi. *Delatori aut lingua capuletur, aut convicto caput amputetur. Delatores autem sunt, qui invidiâ produnt alios.* Et hìnc Delatores gravissimè punit Canon Eliberinus. Nam &
Cap.73. gentiles Romani passim in spectaculis clamabant ad Principem: *Delatores ad Leonem.*

Cur Abrahamio Diacono in Episcopum consecrando intercesserit Edessenus Archi-Diaconus, liquet ex sexagesimo Canone Arabico, mandante omnes ad Ecclesiasticum Ordinem promovendos examinari per Archi-Diaconum, neminemque sine eius licentia promoveri. Quæ potestas Archi-Diacono Ecclesiæ Metropolitanæ fuit etiam in promovendos ad Episcopatum. Quin immò de Ecclesiæ Antiochenæ Archi-Diacono, hæresi Arianâ infecto, scribit Hermias Zozome-
L.4.c.27. nus. *Dicitur*, dum Meletius Patriarcha fidem orthodoxam populo prædicaret, *accurrisse, & manu admotâ eius os obturasse.* Quare videtur Archi-Diaconus quibuscumque Episcopi excessibus potuisse intercedere. Hìnc enim Edessenus Archi-Diaconus laudatur adversùs Ibam incendisse turbam civitatis, arguiturque Ibas, quod illum idcircò gradu & communione privârit.

CAPITVLVM V.

Valentium nomine quemdam virum (de quo omnes, qui in eodem vico habitant, clamaverunt & in scriptis & sine scriptura, tanquam adulterum, & masculorum concubitorem) ordinavit Presbyterum, & procuratorem, in custodiam retrudens, & judici tradens hos, qui clamaverunt; & hæc innotescentibus ei literis Deo amantissimi Archi-Episcopi Domni.

S C H O L I O N.

ACcuſatur hìc major Ibæ in pravis hominibus ad ſacros gradus evehendi inſolentia. Videns namque fidelis Edeſſæ populus ab llo ſperni Archi-Diaconi interceſſionem, adversùs Valentij promoionem obtinuit interdictum Domni Patriarchæ Antiocheni. Aſt & lud accuſatur Ibas ſpreviſſe, zeloſoſque laicos eius obſervantiam exoſtulantes publico judici tradidiſſe carcerandos. Nec mireris hunc icorum zelum. Eo enim tempore ſine populi teſtimonio & conenſu ordinare non poterat Epiſcopus: Undè & in Synodo ad Querum accuſatus fuit ſanctus Joannes Chryſoſtomus, *Quod ſine teſtibus ultos ordinaſſet.*

Porrò ob ordinatum naturæ in propria uxore adulterum Seleuienſis etiam Synodus dejecit Baſilium Epiſcopum Ancyranum. Ete- Zozom. im Apoſtolicus Canon mandat Epiſcopum, Presbyterum, ac Dia- l.4.c.23. onum eſſe ſine crimine, præſertim illo, quo corpus noſtrum, ſacronćto Chriſtianæ Regenerationis Sacramento conſecratum Dei temlum, fædatur ac profanatur. Et hìnc ſtatuit Synodus Eliberina. *ubdiaconum eum ordinari non debere, qui in adoleſcentia ſua fuerit ma- atus, eò quod poſtmodùm per ſurreptionem ad altiorem gradum non ſit romovendus: Si autem aliqui ſunt in præteritum ordinati, amoveantur.* Cap.30. uæ diſciplina multis ſæculis in Eccleſia obtinuit.

CAPITVLVM VI.

QVia ordinavit Danielem filium ſui fratris Epiſcopum Paganorum civitatis; cui oporteret ſanctum Spiritum deſſe, cuius poſſent opera adducere, & perſuadere, ut vel unc ad cognitionem veritatis accederent; iſte illic ordinavit quietum, & juvenem exiſtentem, & luxurioſiſſimum. Neque enim ſtatuit, aut paſſus eſt aliquando latere, ſed penè mper in noſtram adveniebat civitatem propter Challoam uamdam maritatam, circumducens eam per loca diverſa, & delitijs cum ea deditus.

S C H O L I O N.

EEccleſiaſticas dignitates nepotibus aut alijs conſanguineis conferri ab Epiſcopo, res eſt adiaphora. Etenim objectantibus, quod

Hincmarum nepotem gratiâ propinquitatis ordinasset Laudunensem Episcopum, rectè respondit Hincmarus Metropolita Rhemensis. *Nolunt attendere mihi hoc reputantes, quia non impedit ad quempiam ordinandum carnis propinquitas, si ordinandus fuerit electus & petitus secundùm Ecclesiasticas Regulas. Nam & Dominum, à quo & per quem cæpit Episcopatus, carne sibi propinquos legimus ordinasse Apostolos.* Et sanctum Marcum Evangelistam & Alexandriæ Patriarcham fuisse sancti Petri ex sacro fonte filium testantur in Petro liber Pontificalis & Nicolaus primus Pontifex in rescripto ad consulta Bulgarorum. Fuisse & eius ex sorore nepotem, Nicephorus Calixtus. Eiusdem nepotem fuisse sanctum Martialem Lemovicensem Episcopum scribit sanctus Petrus Damiani. Addit sanctum Maurum Cæsenæ Episcopum promotum à patruo Pontifice Romano. Et sanctus Eusebius Samosatensis Episcopus in Clerum suum adsumpsit Antiochum è sorore nepotem, cujus merita, ob quæ avunculo successit in cathedram, prædicat in historia Ecclesiastica Theodoretus. Etiam sanctus Cyrillus Alexandrinus fuit patrui Theophili Clericus & successor. Et sanctus Sinicius secundus Remensium Episcopus Episcopatum Suessionensem dedit nepoti Divitiano: Sanctus Remigius erectum à se Episcopatum Laudunensem Genebaudo, marito suæ neptis. Quis ignorat sanctum Carolum Borromæum nepotem Pij quarti Pontificis? Esse Patriarchæ nepotem est apud Armenios singularis Ecclesiastica dignitas. Undè Synodo Sisensi, relatæ per Clementem Galanum, Jacobus nescio cujus civitatis Episcopus subscribit hoc modo: *Iacobus nepos domni Gregorij Patriarchæ, Episcopus* N.

Epist. 33. c.41. — Cap.72. — L.2.c.43. — Serm 16. — l.de vita S. Maur.c.1. — L.4.c.14. — Flodoard. l.1.c 3. — L.1.c.14.

Verùm in hac promotione imitandus est Benedictus duodecimus Pontifex, de quo magnum Belgij chronicon. *Vix nepotem suum Archi-Episcopum Arelatensem effecit: Alios vel non habuit, vel nescivit.* Caussam dedit apud Albertum Argentinensem in vita sancti Bertholdi: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* Quam enim caro & sanguis in evehendis consanguineis cæcutire & cespitare faciant etiam eruditos & laudabiles Episcopos, ostendit hæc, si tamen vera, accusatio Ibæ. Et quidem ad Eufraten fuisse tum adhuc multam idololatriam, liquet ex Theodoreto in Historia monastica. Quare Paganorum civitati non luxuriosus Juvenis, sed quis Gregorius Thaumaturgus fuerat ordinandus. Adventium Metensem Episcopum, ut nepoti Episcopatum Treverensem emereretur, favisse Carolo calvo Francorũ Regi ad invadendum, Ludovico Augusto nepoti debitum, regnum Lothariense, scribit Abbas Regino. Adversùs eundem Carolum cum Ludovico eius fratre Germaniæ Rege conspirasse Wenilonem Senonensem

F. 298. — Cap. 17. — A. 869.

em Archi-Episcopum, ut Tortoldo Diacono, suo propinquo, obtineret Episcopatum Bajocensem, adserit Synodus Tullensis apud Saponarias. Et Albericum Marsicanum Episcopum unà cum filio, cui cesserat cathedram, pessimè perijsse refert sanctus Petrus Damiani. L.4.Ep.9.
Quis nescit Hincmari Laudunensis à patruo Remensi donatum Episcopatum fuisse infælicissimum? Etiam Genebaudi per sanctum Remigium promotio non caruit miserijs. Et Rusticum ex fratre nepotem, creatum à se Diaconum Cardinalem, adeò contumacem sensit Vigilius Pontifex, ut tandem exauctorârit. Meritò à cunctis laudatur Clemens quartus, quod nepotem, tribus gaudentem Sacerdotijs, jusserit uno esse contentum.

CAPITVLVM VII.

QVia omnes Ecclesiasticos reditus, multos existentes & in infinitam tendentes quantitatem, confert suo fratri, vel consobrinis. Et rogamus, ut rationem faciat coram vestra Sanctitate.

CAPITVLVM VIII.

QVia hæreditates & munera, & quæ undecumque offeruntur, & cruces positas aureas & argenteas, collecta dirigit fratri suo, vel consobrinis.

CAPITVLVM IX.

QVia quæ ex definita mensura in expensas captivorum eroganda fuerant, in domos suorum erogat cognatorum.

SCHOLION.

LIcèt forsàn non Apostolicus, antiquus tamen est & laudatissimus Canon. *Omnium rerum Ecclesiasticarum Episcopus curam gerat, & eas administret tamquam Deo intuente. Ne liceat autem ex eis aliquid sibi vindicare, vel proprijs cognatis, quæ Dei sunt, largiri. Si autem sint pauperes, ut pauperibus suppeditet, sed non eorum prætextu vendat, quæ sunt Ecclesiæ.* Quod ipsum statuit septimæ Synodi Canon duodecimus. Exponit sanctus Ambrosius in libris Officiorum. *Est etiam illa probanda liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas. Melius est enim, ut ipse subvenias tuis, quibus pudor est ab alijs sumptum deposcere, aut alicui subsidium postulare necessitati; non tamen ut illi* C.39. L.1.c.30.

ditiores eo fieri velint, quod tu potes conferre inopibus. Caussa enim præstat, non gratia. Neque enim propterea te Deo dicasti, ut tuos divites facias, sed ut vitam tibi perpetuam fructu boni operis acquiras, & pretio miserationis peccata redimas. Putant se parùm poscere? Pretium tuum quærunt, vitæ tuæ fructum adimere contendunt, & se iustè facere putant. Et accusat, quod eum divitem non feceris, cùm te ille velit æterna vitæ fraudare mercede? Et
Cap. 31. de sancto Augustino scribit Possidius Episcopus Calamensis. *Nec suos consanguineos, vel in proposito*, id est, monasticâ professione, *vel extra constitutos, in sua vita vel morte vulgi more tractavit. Quibus, dum adhuc superesset, id si opus fuit, quod & cæteris erogavit, non ut divitias haberent, sed ut aut non, aut minùs egerent.* In eos, qui sese, ut consanguineos ditent, sacris Altaribus ingerunt, horrendè invehitur sanctus Pe-
L.4. Ep.14 trus Damiani. Eòque cogunt principia sancti Augustini in libris adversùs Epistolam Parmeniani. Videatur Epistola trigesima quinta Eginardi, & nonagesima quinta sancti Lupi Abbatis Ferrariensis.

Porrò consanguineorum ex Ecclesiastica substantia incrassandorum morem pessimum D. Cardinalis Cæsar Baronius natum existimat ex exemplo sancti Cyrilli Patriarchæ Alexandrini: Nam & Sancti habuêre quandoque suas infirmitates & rugas. Ast malum esse antiquius ostendit Canon vigesimus quintus Antiochenus. Ut ut sit, de sancto Cyrillo avunculo suo dicit Athanasius, Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyter, in libellis adversùs successorem eius Dioscorum exhibitis sancto Leoni Pontifici & Synodo Chalcedonensi. *Hic moriturus testamentum condens bonoravit eum, quicumque ille post eum fuisset ordinatus Archi-Episcopus, plurimis & magnis legatis de propria sua substantia, coniurans eum in scriptis per venerabilia & terribilia mysteria, ut ipsius foveret genus, & nullum eis laborem incuteret.* Ità successorem vincire credidit ad Ecclesiasticam substantiam à suis hæredibus non repetendam. Dico, *Ecclesiasticam*: Si namque solam propriam eis adscripsisset Cyrillus, nullus erat à successore metus, nullis erat opus adiurationibus aut legatis. Quomodò autem hos hæredes tractârit Dioscorus, docent tertia Actio Synodi Chalcedonensis, & Liberatus Diaconus
Cap. 10. Carthaginensis in Breviario. *Opprimens Cyrilli hæredes, & per calumnias auferens ab eis multas pecunias, dedit eas sine fœnore atropolis & cauponibus civitatis, ut mundissimum panem & pretiosissimum vinum viliori pretio populis exhiberent.* Alexandriæ enim cuncta annonæ providentia spectabat ad Patriarcham. Sancti Proterij, qui Dioscoro successit, hæredes fuisse eodem modo exceptos ab intruso successore & homicida Timotheo Æluro, scribunt ad Anatolium Constantinopolitanum

num orthodoxi Ægyptiorum Episcopi, in literis exstantibus post Synodum Chalcedonensem. Herivæi Antecessoris ditatos nepotes excussit etiam Seulfus Remensis Episcopus, enatasque indè Ecclesiæ calamitates enarrat Flodoardus. Quæ mala, ditando nepotes, universæ Angliæ inflixerit Guilielmus Elyensis Episcopus, Richardi primi Regis apud Syros Christo militantis Vicarius, referunt Anglicani Scriptores. Sub Ludovico item Pio Augusto grassatum malum inter Francorum Episcopos graviter lamentatur chronicon Thegani Etiam Gerardum Engolismensem Episcopum hoc vitio in Petri Leonis schisma profecisse testatur Arnulfus Archi-Diaconus Ecclesiæ Sagiensis. Et scandali in Leonem tertium Pontificem attentati auctores fuisse nepotes Antecessoris Adriani primi scribunt magnum Belgij chronicon & Guilielmus Malmesberiensis.

Epist. 3.
L. 4. c. 18. 19. 35.
F. 49.
F. 25.

Porrò aureas cruces, aliaque Ecclesiarum ornamenta in consanguineos profundere est crimen enorme. Eius caussâ Natalem Salonitanum Archi-Episcopum Romam evocavit Gregorius magnus, Rudolfum Moguntinum fuisse exauctoratum scribit magnum Belgij chronicon: Dunelmensem Episcopum, dum Archi-Diaconum huius criminis reum non vindicat, punitum divinitùs Symeon Monachus Dunelmensis.

L. 2. Epist. 14 15.
F. 193.
L. 3. c. 23. 24.

Meritò igitur laudatur à Flodoardo Hincmarus Remensis, quod Bernardo Comiti Tholosano, propinquo suo, Ecclesiæ Remensis apud Aquitanos bona in præstariam postulanti responderit se nec posse nec audere ob sancti Remigij prohibentis testamentum. Ludovico tertio Francorum Regi, omnes eius consanguineos honorare spondenti, dummodò Odoacro, homini indigno confirmaret Episcopatum Belluacensem, verè episcopaliter respondit idem Hincmarus: *In Episcopali ministerio carnalem propinquum non recognosco.* Et Benedictus duodecimus, laudatissimus Pontifex, accedentes consanguineos agnovit, ut Jacobus, non ut Pontifex, qui nullos consanguineos habeat, eisque non dedit aliud, nisi necessarias itineris impensas. Anteà enim vocabatur Jacobus de Furno, Monachus Cistertiensis. Hæc refert magnum Belgij chronicon, addens de laudatissimo item Pontifice Gregorio undecimo. *Adeò à cognatis suis apud Avenionem fatigabatur, ut exiens de terra & cognatione sua Romam proficisceretur.* Opulentis enim Episcopis & Clericis cognati tamquam sanguisugæ solent incubare. Et hinc Ecclesiarum bona ab Episcoporum consanguineis regi aut administrari vetat Canon Antiochenus. Ab eorum administratione cognatos Hugonis secundi, Abbatis sancti Augustini Cantuariensis, ejecit Innocentius secundus, imitatus Gregorium mag-

L. 3. c. 26.
Epist. 12. c. 9. 10.
F. 298.
F. 319.
C. 25.
Guiliel. Thor. A. 1139.

magnum, à quo Joannis quarti Patriarchæ Constantinopolitani ne-
L.1.Ep 91. pos è Palatio Patriarchali ejectus est, ob caussas in ejus literis omninò videndas.

Hìc igitur carnis & sanguinis amor est tertium crimen, quod in Synodo Berytensi Episcopi judices dixerunt esse pietatis proditionem factam ob pecunias, caussam sufficientem ad damnandum Episcopum, ideòque ante omnia voluerunt ab accusatoribus in Ibam probari.

CAPITVLVM X.

QVia dum memoria fieret sanctorum Martyrum, non est datum vinum ad sacrificium altaris, ad sanctificationem, & populi distributionem, nisi admodum exiguum, & vitiosum, ac lutosum, & quasi eo tempore vindemiatum: Vt ex hoc cogerentur, qui deputati fuerant ministrare, de tabernis omninò vitiosi comparare sex sextarios, qui nec sufficerent:Ità ut his, qui sanctum corpus distribuebant, innueret ut ingrederentur, quia sanguis non inveniretur; illis bibentibus, & tunc ac semper habentibus diversum & mirabile vinum. Et hæc acta sunt conscio & admonito eo, qui potestatem ministeriorum habebat: cui & dictum est ut & ipse admoneret Episcopum cum fiducia. Et cùm nihil fecisset, illo tempore coacti sumus nos & ipsum reverendissimum Episcopum rursùs admonere. Et cùm didicisset, haud permotus est, sed contempsit, ità ut multi nostræ civitatis hinc scandalizarentur.

SCHOLION.

HInc patet decretum sub Julij primi Pontificis nomine vulgatum, quod uvarum grana consecrari vetat, permittens necessitatis caussâ exprimi in calicem, esse antiquæ traditioni conforme. Nam & hìc accusatur Ibas vinum recenter vindemiatum in sacrificio citra necessitatem usurpasse aut permisisse. Etiamnum hodie frequenter meliora gulæ ad mensam prophanam, Deo ad Divinam damus vina

vilio-

viliores, neque tamen, quod pejùs, punimur aut accusamur. Ex hoc item Capitulo patet panis & vini in altari sanctificationem esse verum sacrificium.

CAPITVLVM XI.

Quia Nestorianus est, & beatum Cyrillum Episcopum appellat hæreticum.

SCHOLION.

Accusatur Ibas fuisse Nestorianus ob effutitam blasphemiam jam suprà memoratam, *Non invideo Christo facto Deo*; & beatum Cyrillum appellasse hæreticum in Epistola ad Marim Persam ob duodecim Capitula jam abundè discussa.

CAPITVLVM XII.

Quia Episcopus Daniel quosdam ex suâ maximè intemperantiâ Clericos ordinavit.

SCHOLION.

Apostolica lex est: *Nemini citò manus imposueris, ne fortè communices peccatis alienis.* Quisquis Episcopali Cathedræ imponit indignum, contagio fit particeps omnibus illius operibus tenebrosis. Antonij Fussalensis Episcopi excessus adeò suos existimavit S. Augustinus, ut Episcopatum in Celestini Pontificis manus deponere cogitârit, volens judicare seipsum, ne à Domino judicaretur. Et adversùs objectantes Hincmari Laudunensis promotionem laborat omni conatu Hincmarus Metropolita Remensis, ut ostendat se innocuè errasse. Hìnc ergò & Edesseni Clerici imponunt Ibæ Metropolitæ omnia delicta Episcopi Danielis.

CAPITVLVM XIII.

Pirozo Presbytero benè testante & sua propria disponente, & res, quas habuit, relinquente Ecclesijs redditus nullos habentibus, accensus noster Episcopus Ibas cautionem eius se habere dixit mille ducentorum solidorum: Et id signifi-

nificavit ei, volens eius infringere voluntatem, & eum per tristitiam perimere.

SCHOLION.

EPiscopos & Clericos de patrimonialibus aut acquisitis legitimè proprijs bonis ex arbitrio testari aut legare semper permisit Ecclesia: Etiam hæredes suos, dummodò orthodoxos, intestatis in eadem succedere. Etiamnum enim legimus sancti Gregorij magni Pontificis, Gregorij Nazianzeni, Remigij Remensis Episcopi, aliorumque id genus de patrimonialibus testamenta. Et statuit tertia Synodus Carthaginensis. *Episcopi vel Clerici in eos, qui Catholici Christiani non sunt, etiamsi consanguinei fuerint, nec per donationes, nec per testamentum suum aliquid conferant.* Et alius Canon in Codice Ecclesiæ Africanæ. *Constitutum est, ut si quis Episcopus hæredes extraneos à consanguinitate sua, vel hæreticos etiam consanguineos aut Paganos Ecclesiæ prætulerit, saltem post mortem ei anathema dicatur, atque eius nomen inter Dei Sacerdotes nullo modo recitetur. Nec excusari poßit, si intestatus discesserit, quia utique debuit, factus Episcopus, rei suæ ordinationem congruam suæ profeßioni nequaquam differre.* Et Synodus Agathensis. *De rebus Episcopi proprijs vel acquisitis, vel quidquid Episcopus de proprio suo habet, hæredibus suis, si voluerit, derelinquat.* Et de Joannis Ravennatis Episcopi testamento scribit ad Marinianum successorem S. Gregorius magnus. *Si quid de proprijs rebus, quas ante Episcopatum habuit, quod quidem priùs Ecclesiæ suæ non contulit, fieri voluit vel decrevit, firmum per omnia robur obtinere necesse est: Nec quisquam Ecclesiasticorum id contra rationem tentet quâlibet excusatione convellere.* Quam Regulam idem Pontifex tradit frequenter in suis Epistolis, utique ex novella lege Justiniani Augusti scripta ad Petrum Præfectum Prętoriorum. Quin immò Agathensis & Epaonensis Synodi etiam de Ecclesiastica proprietate legare Clerico permittunt, dummodò de sua tantumdem refundat Ecclesiæ. Et hinc Athanasius Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter Cyrillum avunculum, plenè purgare volens, dicit *de propria substantia* fuisse testatum. Sanctissimè igitur Clericus etiam alienas Ecclesias potest scribere hæredes sui patrimonij, adeòque Ibæ in Pyrozi Presbyteri testamentum machinatio, si vera, fuit iniquissima.

Cap. 13. Cap. 81. Cap. 51. L. 5. Ep. 1. Novel. 131 Cap 13. Cap. 51. Cap. 17.

CAPI-

CAPITVLVM XIV.

DAniele autem Episcopo testante & relinquente, quam habuit, locupletem facultatem, & prædia ex ecclesiasticis rebus, nepotibus suæ amicæ & ipsi Challoæ, neque indignatus est, neque increpavit eum.

CAPITVLVM XV.

QVia Challoa amica Danielis Episcopi, quæ priùs nihil habuit, multis rebus Ecclesiasticis abutens, quæ apud ipsam sunt, ducentos & trecentos solidos fœneratur: ut ex hoc manifestum fiat, undè sit harum rerum collectio.

CAPITVLVM XVI.

ABrahamus fuit quidam Diaconus. Hic apantita erat nostræ Ecclesiæ, diversis negotiabatur temporibus: primitùs pauper, & nihil ferè habens, ex nostra Ecclesia multas & innumeras res habuit, quæ pro veritate erant nostræ Ecclesiæ. Suadet huic Daniel Episcopus, ut sub scripto testamento, in eum suam transmitteret hæreditatem, iurans ei hæc se post eius mortem pauperibus erogare, hoc enim & testamento continetur. Et postquam hæc Daniel est adeptus, non solùm (sicut oportebat, & sicut iuraverat) non disposuit, sed luxuriæ suæ servivit: Challoæ enim mulieri dedit.

SCHOLION.

DE rebus ex Ecclesiastica militia acquisitis in consanguineas, aut alias profanas personas vel caussas testari aut legare fuit in Ecclesia semper grande crimen. Hinc Gregorius magnus & plures Synodi Episcoporum & Clericorum testamenta mandant sedulò inspici, num nihil Ecclesiasticæ substantiæ involvant; inspici item Ecclesiæ ra-

rationes, an nullum in rebus suis à vivo sit passa damnum: Rigidè illud jubent plenè deduci ex hæreditate. Quæ omnia Justinianus Augustus
Cap. 33. in adducta lege confirmat. Quin immò Agathensis Synodus Episcopum non habentem consanguineos, si Ecclesiam damnificârit, privat potestate disponendi de rebus proprijs, easque quasi ab intestato integrè in damnificatam Ecclesiam transmittit. Adversùs Episcopi Antisiodorensis, qui carnali nepoti in Episcopatu acquisita legârat, ex-
Epist 276 clamat sanctus Bernardus: *Quis vel sæcularissimus hoc dixerit testamentum Sacerdotis?* Eugenium tertium Pontificem hortatur, ut casset omnia, & in Ecclesiam revolvat. Grassari tunc cæpit illa testandi iniquitas, ideóq; in illam statuit Alexandri tertij Synodus Lateranensis. *Quamvis in antiquis Canonibus constet id esse inhibitum, nos etiam nihilominùs inhibemus. Indemnitati itàque Ecclesiarum providere volentes, sive intestati decesserint, sive alijs conferre voluerint* Episcopi & Clerici, *penes Ecclesias eadem bona præcipimus remanere.* Quod decretum non solummodò de immobilibus, sed & de bonis mobilibus intelligendum esse declarat adversùm pravos illius interpretes in literis ad Electum & Capitu-
L. 3. tit. 26. lum Casianense. Intelligi de bonis non tantùm ex Ecclesia, sed &
c. 12. quâvis *Ecclesiæ consideratione* acquisitis scribit ad Episcopum Vigilien-
Cap 9. sem. Disponere ergò non possunt Episcopi & Clerici, nisi *de his, quæ paternæ successionis aut cognationis intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum aut amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam pervenerunt ad ipsos.* Adde & de acquisitis *per doctrinam.* Etità servatum fuisse usque ad tempora Innocentij tertij, liquet ex ejus literis ad
L. 2. Epist. Gimmundum Militem Alatrinum. Absit, ut etiamnum non obligent
194. isti Canones: Nemo se seducat, Deus non irridetur.

Quin immò nec in pias caussas de Ecclesiastica substantia disponere Episcopis aut Clericis antiqui Canones permittunt. Etenim suas ad Episcopum Vigiliensem literas Alexander tertius concludit in hæc verba: *De his, quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de iure possunt facere testamentum.* Utique jure antiquorum Canonum, quos lau-
Novell. dat idem Pontifex in decreto suo Lateranensi. Quod ipsum disertè
131. c. 16. dicit antiquos Canones exequens Justinianus Augustus in lege ad Petrum Præfectum Prætoriorum. Et hìnc Legatum, quod fundato à se juxta sancti Apollinaris Ecclesiam monasterio fecerat de Ecclesiastica substantia Joannes Ravennæ Episcopus, esse contra leges & Canones,
L. 5. Ep. 1. ideòque caducum, fatetur in literis ad ejus successorem Marinianum
18. S. Gregorius magnus. Quod nec Ecclesiæ servos possit Episcopus te-
C. 1. 2. stamento manumittere adfirmant prima Synodus Hispalensis & quar-
Cap. 67. ta Toletana. Rationē dat laudatus Gregorius in literis ad Gregorium

Scho-

ScholasticumDefensorem. *Sacris Canonum legibus esse noscitur definitum, ut in his, quæ Antistes Episcopatus tempore acquisierit, non alius, nisi sola succedat Ecclesia.* Quidam Episcopos & Clericos credunt acquisitæ ex Ecclesia substantiæ esse dumtaxat ab antiquis Canonibus datos dispensatores, non dominos, ideòque de illa per ultimam voluntatem non posse disponere. Ego id dubium fateor: Dico substantiam illam esse quasi fideicommissum, ideòque sive testatus sive intestatus discesserit Clericus, integram remanere apud Ecclesiam, uti audivimus à Canone Lateranensi. Et hinc Episcopum, quem monasterio à se fundato legare posse negat sanctus Gregorius, aliquid inter vivos donare permittit tertia Synodus Toletana, probata & exposita per Innocentium tertium in literis ad Episcopum sancti Andreæ. Hinc item ad Electum & Capitulum Casranense scribit Alexander tertius. *Licèt mobilia per Ecclesiam acquisita de iure in alios pro morientis arbitrio transferri non possint; consuetudinis tamen est non improbanda, ut de his pauperibus & religiosis locis, & illis, qui viventi servierant, sive consanguinei sint, sive alij, aliqua iuxta servitij meritum conferantur.* Utique manu adhuc vivâ: Aut certè ad defuncti preces à successore, uti statuunt Synodus Ilerdensis, & Valentina Hispana. Quare laudatus Pontifex Rogerio Eboracensi Archi-Episcopo concedens apud Mattheum Paris, ut eius Clerici possent calida adhuc in extremis manu Ecclesiasticam suam substantiam in pias caussas diffundere, at nullâ ratione testari, ad nodùm modicè recessit à Canonibus antiquis. Hinc etiam intellige verba Possidij de sancto Augustino: *Testamentum nullum fecit, quia undè faceret, pauper Christi non habuit*, omni patrimonio jam pridem effuso in Ecclesiam Tagastensem. Et hosce Canones Italiæ Episcopi etiamnum sanctissimè servant. Eosdem respiciunt Edesseni Clerici, accusantes Danielem Episcopum, non tantùm quod Ecclesiasticas res nepotibus suis legasset, sed etiam quod Abrahamium Diaconum ad testandum in pauperes induxisset: Res enim ejus *pro veritate erant Ecclesiæ Edessenæ.*

L. 4. Ep. 24. — C. 4. — L. 3. tit. 24. c. 9. — C. 16. — C. 2. — A. 1181. — C. 31.

CAPITULUM XVII.

QVia à paganis incidentibus in peccatum sacrificiorum, accipiens Daniel Episcopus sportulam, remittit crimen, negotians & hinc sibimet lucrum.

CAPI-

CAPITVLVM XVIII.

Q*Via & Ecclesiæ Edessenæ è prædio Lafargarita silvas cædentes, portaverunt ad prædia Challoæ amicæ Danielis Episcopi, & ædificaverunt quæ voluerunt.*

SCHOLION.

IDolorum templa, & sacrilega cujusvis generis sacra, etiam occulta, clausit & interdixit Constantinus Augustus. Et quia eadem non tantùm Julianus Apostata, sed & Valens Augustus Arianus aperuerat ac permiserat, fana & simulacra omnia destruxit Theodosius senior, sacra quævis, licèt secretissima, damnans pœnâ capitali, laudata frequenter à sancto Augustino. Multos nihilominùs post annos ad Januarium Calaritanum Episcopum, Sardiniæ Metropolitam, scribit
L.3. Ep.26 sanctus Gregorius magnus. *Accidit aliud valdè lugendum: Quia ipsos rusticos, quos habet Ecclesia tua, nunc usque in infidelitate remanere negligentia Fraternitatis vestræ permisit. Vndè necesse est, vos per omnia in eorum conversionem vigilare. Nam si cuiuslibet Episcopi in Sardinia insula Paganum rusticum invenire potuero, in eumdem Episcopum fortiter vindicabo. Iam verò si rusticus tantæ fuerit perfidiæ & obstinationis inventus, ut ad Dominum Deum venire minimè consentiat, tanto pensionis onere gravandus est, ut ipsâ exactionis suæ pœnâ compellatur ad rectitudinem festinare.* Quæ pensio omninò peperit hunc fructum. Pergit Pontifex in literis ad
L.4 E.33. Constantinam Augustam. *Dum in Sardinia multos esse gentilium cognovissem, eosq; adhuc prava gentilitatis more idolorum sacrificiis deservire, & eiusdem insulæ Sacerdotes ad prædicandum Redemptorem nostrum torpentes existerent, unum illuc ex Italiæ Episcopis*, Cyriacum nomine, *misi, qui multos gentilium ad fidem Domino cooperante convertit. Sed quidam rem mihi sacrilegam nunciavit: Quia hi, qui idolis immolant, iudici præmium persolvunt, ut eis hoc facere liceat. Quorum quidam, dum baptizati essent, & immolare iam idolis desivissent, adhuc ab eodem insulæ iudice etiam post Baptisma præmium illud exigitur, quod dare priùs pro idolorum immolatione consueverunt.* Hoc ergò ipsum fuit crimen Episcopi Danielis. Ità
Cap. 58. judaizandi redemptiones pecuniarias damnat quarta Toletana Synodus: Et Richaredum Regem ab illis alienum laudat admodùm Gre-
L.7 c.3. gorius magnus. Socrates graviter arguit Theodosium Synadorum Episcopum, Phrygiæ Pacatanæ Metropolitam, quod Macedonianos persequeretur, *non studiò rectæ fidei, sed turpis quæstus aviditati inserviens, ut ex illis pecuniam cogeret.* Guilielmum Rufum Angliæ Regem, ejusque successorem Henricum primum, tamquam omnis disciplinæ eversores,

sores culpant Scriptores Anglicani, quod flagitiosis Clericis venderent licentiam impunè retinendi sive concubinas sive uxores. Sordes illas Ecclesiastico interdicto vindicavit Radulfus Cicestrensis Episcopus, ideòque inter Episcopos unus à Regibus timebatur. Easdem à cunctis Angliæ Archi-Diaconis ejurari coëgit S. Anselmus Primas Cantuariensis. Episcopum Messiensem, quod adulteros & alios criminosos *promisso munere vel oblato se redimentes in errore dimitteret*, ab Episcopali officio suspendit Innocentius tertius. Est fœdissima scabies, quam etiam gentiles fuêre detestati. L.3.Ep 113

CAPVT IV.

Exponitur prima Eutychianæ impietatis & personæ damnatio, facta per sanctum Flavianum Episcopum Constantinopolitanum in Synodo Constantinopolitana.

POst Orientales Episcopos in violatæ pacis & resumptæ Nestorianæ hæresis opinionem deductos, firmatamque discordiam inter Dioscorum Alexandrinum Episcopum & Ecclesiam Constantinopolitanā, cæpit Eutyches *per disputationes & catecheses ad se convenientium* virus palàm profundere, etiam coram Eusebio Doryleensi Episcopo, quem pro fide orthodoxa fuisse ipso igne ferventiorem verè dixit in hac Synodo S. Flavianus. Imperitum senem sępiùs convenit Eusebius, docuit, monuit, corrigere conatus; at nihil retulit, nisi majores quodidie blasphemias, & in sanctos Ecclesiæ Patres ac semetipsum contumelias, vocatus cum illis hæreticus Nestorianus. Volvebatur Zenonis & Posthumiani consulatus, Christi Domini annus quadringentesimus quadragesimus octavus & in sextum Idus Novembres laudatus Flavianus indixerat ex Episcopis per variam occasionem in Regia civitate repertis Synodum non ignobilem ad dirimendam caussam inter Florentium Sardensem Episcopum, Lydiæ Metropolitam, & Joannem & Cossinium illius Comprovinciales. Ex quo vides etiam sanctum Flavianum Diœcesi Asiaticæ fuisse dominatum.

Erat reverà Synodus non ignobilis. Aderant enim insignes scientiâ & vitâ Metropolitæ, Episcopi plusquam triginta, eosque inter etiam ipse Eusebius, qui pietatis zelo seipsum ex judice in Eutychetis accusatorem demutavit & ad talionem inscripsit, cum adjuratione postulans firmatum jam in blasphemia hæreticum, qui populum scandalizare & corrumpere in dies pergeret, quantocyus evocari ad pœnam aut satisfactionem. Obstupuit de amico & sene Archimandrita Flavianus, dolensque, quod nullis inducijs acquiesceret Eusebius, ad Synodum coëgit.

Primi

Primi citatores fuére Joannes Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyter ac Defensor, & Andreas Diaconus: At nihil profecerunt. Etenim *Eutyches occurrere & satisfacere penitùs abnegavit, dicens hoc apud se esse decretum & definitione quâdam ab initio teneri, ut nusquam egrediatur à sua fraternitate, quodammodò tamquam in sepulchro degere in monasterio:* Idq; cum juramento, uti in quinta hujus Synodi Actione asseruit accusator Eusebius. Etiam suas in Christum Dominum blasphemias iteravit, addens Eusebium esse suum derogatorem & inimicum.

Secundæ evocationi, per Mamam & Theophilum Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyteros factæ, respondit eodem modo reclamans ad corpus ægrum, effætum, clausumque monasterio tamquam sepulchro. Attamen vice suâ direxit Abrahamium, Presbyterum & Archimandritam, cui reposuit meritò sanctus Flavianus: *Quomodò est possibile, altero accusato, pro eo alterum dicere?* Etenim & Canones & leges criminali judicio sisti mandant ipsum reum, excluduntque Procuratorem. Affectu plusquam paterno Eutychen ad Synodum, resipiscentiam, & satisfactionem invitavit laudatus Præses, plenam spondens lapsus veniam atque oblivionem. Verùm longè alias fovebat ille & exequebatur cogitationes, de quibus ad Synodum Eusebius accusator. *Comperi, quia Eutyches Presbyter & Archimandrita volumen seu tomum direxit per monasteria, & ad seditionem excitat monachos,* eorum subscriptiones expostulans, Synodum de hæresi Nestoriana & spretis sancti Cyrilli capitulis accusans, dicensque. *His diebus tomum ad te directurus est Archi-Episcopus, ut subscribas: Ne persuadearis ab eo. Si nunc mihi conspirare nolueritis, & humiliaverit me Episcopus, postmodùm & vos adorietur.* Per Constantinum & Eleusinium monasterij sui Diaconos hæc misit, adfirmans contineri solam fidem Nicenam & Capitula S. Cyrilli: Nec dumtaxat ad Regiæ, sed & ad Chalcedonensis civitatis monasteria. Martinus Presbyter & sancti Dyonisij Archimandrita reposuit: *Non est meum subscribere, sed Episcoporum tantùm; Ecclesiæ filij sumus, & unum Patrem post Deum habemus Archi-Episcopum.* Et Faustus Archimandrita: *Date nobis ad inspiciendum, ne fortè aliquod additamentum habeat.* Nihilominùs & varij fuerunt in conjurationem seducti, credentes à Synodo resuscitari hæresin Nestorianam.

Quare tandem decreta est tertia & peremptoria citatio per Memnonem Presbyterum & sacrorum vasorum custodem, Epiphanium Presbyterum, & Germanum Diaconum, quibus hæc Eutyches respondit. *Direxi reverendum Presbyterum & Archimandritam Abrahamium ad sanctissimum & beatissimum Archi-Episcopum nostrum, nec non &* ad

ad sanctum Concilium, quatenùs ex persona mea consentiat omnibus, quæ dicta sunt à sanctis Patribus in Nicæa & in Epheso congregatis, & omnibus, quæ à beato Cyrillo. Eò quod in infirmitate constitutus sum, hac de caussa direxi Presbyterum & Archimandritam Abrahamium. Peto supplicari domno Archi-Episcopo & sanctæ Synodo, quatenùs inducias mihi tribuant præsentis septimanæ, & secundâ feriâ, volente Deo, satisfacio & domno & sanctæ Synodo. Denuò proclamat ad sancti Cyrilli Capitula, quæ norat à quibusdam in hac Synodo Episcopis non recipi, eosque inter sperabat esse & Flavianum, utpotè Domno Antiocheno, Theodoreto Cyrensi, alijsque Orientalis Diœceseos Episcopis amicum. Assiduè intitulatur Presbyter & Archimandrita: Ecclesiastici enim gradus titulum omittere erat apud antiquos professa contumelia. Hinc adversùs Joannem Hierosolymæ Episcopum, qui Presbyteri titulum intermiserat, exclamat sanctus Hieronymus: *Ego Misellus, dùm in solitudine delitesco, à tanto Pontifice repentè truncatus Presbyteri nomen amisi.* Et Crodogangus Metensis Episcopus statuit in Regula Canonicorum. *Nulli liceat alium puro nomine appellare, sed secundùm constitutionem sanctæ Sedis Apostolicæ vocet eum nomen suum, priùs addito & ministerij sui gradu, qualiscumque fuerit.*

Epist 61. c 15.

C. 2.

Promissa per Eutychen feria secunda incidit in diem vigesimam secundam Novembris. Qualiter ille ad Synodum venerit, audiamus à Joanne Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbytero & Defensore. *Occurrit Reverendus Presbyter & Archimandrita Eutyches cum magna multitudine militum, & monachorum, & Præfectianorum Apparitorum sublimissimæ potestatis Præfectorum Prætorio, & non aliter eum volunt dimittere, ut ingrediatur in vestrum sanctum Concilium, nisi eis promiserimus restituere eius personam. Est verò paritèr & magnus mirandissimus Silentiarius & ipse unà cum ipso præ foribus, cupiens ingredi, utpotè directus à pijssimo & amante Christum Imperatore nostro.* Ejusmodi Regiam protectionem quasi adversùs Nestorianæ Synodi violentias Eutycheti procurârat Chrysaphius Eunuchus. Porrò de Silentiarijs scribit Procopius in libris de Bello Persico. *Romani ad ea, quæ quietis sunt in palatio, ministrum Silentiarium vocant*: A silentio curando. Eorum Princeps erat magnus Silentiarius, prius *Clarissimi*, deindè *Spectabilis* titulo honoratus. Dictus, inquam, magnus Silentiarius admissus in Synodum exhibuit ac legit hanc sacram Divalem. *Nos pacem cogitamus sanctarum Ecclesiarum & Catholicæ fidei, & custodiri volumus rectam & Deo inspirante prædicatam fidem à sanctis Patribus nostris, qui in Nicæa congregati sunt, & ab his, qui Ephesi interfuerunt damnationi Nestorij,* id est, Capitula sancti Cyrilli. *Hoc ergò volumus, ne scandalum in*

L. 20.

prædicta Catholica fide immittatur. Et quoniam scimus magnificentissimum Patricium Florentium esse fidelem, & testimonijs probatum in recta fide, volumus ipsum interesse audientia Synodi, quoniam sermo de fide est. Chrysaphij opus erat Divalis ista, ideòque Synodum facit spretæ Ephesinæ fidei & resuscitati Nestorij suspectam. Et licèt Principem aut ejus Vicarium in sola generali Synodo ad audiendas fidei disputationes admittat Canon, Silentiario tamen respondit sanctus Flavianus. *Domnum Florentium esse omnes scimus, & testificationibus probatum in Catholica fide, & volumus eum interesse:* Dispensatoriè ob Principis reverentiam. Nam & sanctus Leo Pontifex hoc ipso tempore ad suam contra Manichæos Synodum admisit nobiles Romanos. Nec desunt alia exempla. Pergit sanctus Flavianus. *Dignare, fili Silentiarie, fatigari ad Florentium Patricium.* Hic nempè, licèt sacrâ jussione fultus, non nisi de Episcoporum licentia est ausus ingredi Synodum: Sacra jussio erant meræ ad Synodum preces.

Epist 93. c.16.

Adsidente igitur Patricio, discussus ab Episcopis Eutyches duas in Domino naturas post adunationem, eumque secundùm carnem matri & nobis consubstantialem confiteri pertinacissimè noluit, ideòque omnis in illum Synodus Anathema clamavit. Roganti sancto Flaviano ab eadem, quid pœnæ mereretur, respondit Seleucus Amasenus Episcopus, Metropolita Helenoponti: *Dignus est quidem damnatione iste, in vestra tamen Sanctitatis humanitate solùm consistit.* Nempè Constantinopolitani Episcopi in suis Patriarchalibus Synodis eum ipsum sibi arrogabant auctoritatis apicem, quem esse Romano Pontifici scribit Felix tertius in literis ad civitatis Constantinopolitanæ & Bithyniæ Presbyteros & Archimandritas. *Quoties intra Italiam propter Ecclesiasticas caussas, præcipuè fidei, colliguntur Domini Sacerdotes, consuetudo retinetur, ut successor Præsulum Sedis Apostolicæ ex persona cunctorum totius Italiæ Sacerdotum, iuxta solicitudinem sibi omnium Ecclesiarum competentem, cuncta constituat.* Et Ejusmodi Synodorum Acta ad ejus solius nomen solere edi, liquet ex subscriptionibus quartæ Romanæ Synodi sub Symmacho Papa. Adeò, quod quidam blaterant, illa non est usurpatio Innocentij tertij aut proximorum ejus Antecessorum. Undè & formam hanc in Florentina Synodo etiam Græci tandem persuasi admiserunt. Hæc Felicis tertij verba, *Secundùm solicitudinem omnium Ecclesiarum sibi competentem*, ostendunt id esse privilegium Pontificis Romani. Eo interim usus etiam sanctus Flavianus hanc solus sententiam edidit in Eutychetem. *Per omnia Eutyches quondam Presbyter & Archimandrita & ex his, quæ anteà acta sunt, & nunc proprijs eius confessionibus, Valentini & Apollinaris perversitate repertus est agro-*

ægrotare, & eorum blasphemias incommutabiliter sequi, qui nec nostram reverens persuasionem atque doctrinam rectis voluit consentire dogmatibus: Unde lachrymantes & gementes perfectam eius perditionem, decrevimus per Dominum nostrum Iesum Christum ab eo blasphematum, extraneum eum esse ab omni officio sacerdotali, & nostrâ communione, & Primatu Monasterij, scientibus hoc omnibus, qui posteà colloquentur ei, & ad eum convenerint, quoniam rei erunt pœnæ excommunicationis, ut qui non declinaverint eius confabulationes. Antiquitùs enim nulla erat excommunicatio minor, sed quivis excommunicato communicans incurrebat idem penitùs vinculum, quomodò nunc communicans in crimine. Et hanc sententiam omnes Episcopi, nec non & Patricius Florentius probárunt & confirmârunt.

At ipse Eutyches nequaquàm acquievit. Omnem Synodum non tantummodò Nestorianæ perfidiæ, sed & usurpatæ potestatis accusavit. Caussam dat in libellis Ephesino latrocinio oblatis: *Quod collecta esset ex diversis Episcopis, qui tunc pro privatis caussis in urbe degebant Regia.* Exponunt gloriosissimi Judices rogantes Synodum Chalcedonensem: *An Synodum appellare oporteat conventum Episcoporum, qui in Regia civitate diversantur?* Ejusmodi namque Episcopi passim sunt diversarum Provinciarum & Diœceseon, nullum à suis Metropolitis aut Ecclesijs ad occurrentes in Regia civitate caussas mandatum habent, ideòque veram Synodum videntur non posse conflare. Respondet verò, & rectè, Tryphon Episcopus Insulæ Chy: *Synodus appellatur, & conveniunt, & laborantes aliquâ oppressione sua iura nanciscuntur.* Et Anatolius Episcopus Constantinopolitanus de facta ejusmodi Synodo etiam accusatus. *Tenuit pridem consuetudo, ut qui in magna hac civitate morantur sanctissimi Episcopi, cùm eos temporis occasio vocat, de emergentibus quibusdam Ecclesiasticis causis conveniant, ac singula definiant, responsoq; eos dignentur, qui precantur aliquid. Nihil ergò à me factum est, quod novitati sit affine: Nec qui ex consuetudine consederant sanctissimi, qui in civitate erant, Episcopi novam formam protulerunt.* Eandem consuetudinem viguisse etiam Romæ, Antiochiæ, & Alexandriæ, docent multa exempla. Act. 4.

Quæstio est, an à sententia Romam Eutyches appellârit? Constanter id ipse semper adfirmavit. Et ejus monachus ac Diaconus Constantinus dixit in secunda Synodo Constantinopolitana sancti Flaviani. *Eutyches, dùm legeretur damnatio, appellavit sanctum Concilium sanctissimi Episcopi Romani, & Alexandrini, & Hierosolymitani, & Thessalonicensis.* Omittit Antiochenum, quod illum haberet Nestorianum ob spreta sancti Cyrilli Capitula, & violatam illius pacem. At verò Floren-

rentius Patricius negavit Eutychetem appellasse. *Turba, inquit, facta est, & dissoluto conventu dixit ad me silenter Eutyches, appellans Romanum, & Ægyptium, & Hierosolymitanum Concilium. Et ego arbitratus indecens esse latere hoc sanctissimum & reverendissimum Archi-Episcopum Flavianum, abscedens dixi ei.* Et Basilius Episcopus Seleucienfis. *Scio, quia dixit religiosus Archimandrita Eutyches*, SI PRAECEPERINT MIHI PATRES ROMANVS ET ALEXANDRINVS DICERE duas naturas, DICO HOC IPSVM. *Hoc autem non quasi appellans dixit, sed dicens:* NON SVM AVSVS DICERE PROPTER PATRES. Et ipse sanctus Flavianus. *Non audivi ego ab illo, sed à magnificentissimo Patricio, discedente me in superius hospitium post solutam Synodum.* Quod ipsum alij omnes Episcopi sunt attestati. Et hinc appellatio non fuit inserta Actis. Appellandi fiduciam fecit Epistola, data hoc ipso anno ante Synodum Kalendis
Epist. 6. lendis Junijs, quâ illum sanctus Leo Pontifex ad strenuè contra Nestorianos certandum animârat: Sanctum namque Flavianum & omnem istic Ecclesiam de errore illo, quomodò apud Dioscorum, ità & apud Papam accusârat.

Ejus post Synodum mendacia & petulantias scribit idem Pontifex
Epist. 7. ad Theodosium Augustum. *Quid in Constantinopolitana Ecclesia perturbationis acciderit, quod ità fratrem & Coepiscopum nostrum Flavianum potuerit commovere, ut Eutychen Presbyterum communione privaret, nondùm potuimus evidenter cognoscere. Quamvis enim prædictus Presbyter ad Sedem Apostolicam per libellum doloris sui querimoniam miserit, breviter tamen aliqua prælibavit, adserens se Nicenæ fidei constituta servantem frustrà fidei*
Epist. 8. *diversitate culpatum.* Et in literis ad sanctum Flavianum. *Accepimus libellum Eutychetis Presbyteri, qui se queritur accusante Eusebio Episcopo immeritò communione privatum, maximè cùm evocatum se adfuisse testetur, nec sui præsentiam denegasse, adeò ut in ipso iudicio libellum appellationis suæ se asserat obtulisse, nec tamen fuisse susceptum, quâ ratione compulsus sit, ut contestatorios libellos in Constantinopolitana urbe proponeret.* Tantas cievit turbas unus monachus, qui se in monasterio, quasi in sepulchro, degere gloriabatur. Eique à Chrysaphio Eunucho delusus Princeps, non tantùm in civitate Regia, sed & apud Pontificem potenter adstipulabatur. Etiam apud sanctum Petrum Chrysologum Ravennæ Metropolitam effutijt ille sua mendacia, in cujus literis responsorijs notanda sunt hæc verba: *Nos pro studio pacis & fidei, extra consensum Romanæ civitatis Episcopi caussas fidei audire non possumus.* Quod nempè ille etiam in plena sua Patriarchali Synodo sit solus fidei Judex. Et quoniam Flavianus, nescio qua de caussa contra antiquum Canonem & morem, Synodi suæ Acta Romam non retulerat, hærebat Pontifex,
man-

mandans statim referri, unàque mitti aptam relationi exponendæ personam. Paruit Flavianus: Atque ità instructus Pontifex ejus in Eutychetem judicium confirmavit per auream illam Epistolam, Synodi postmodùm Chalcedonensis directricem columnam, tot Eutychianorum insultibus arietatam, quam, uti ad Histriæ Episcopos scribit Pelagius secundus, passim vocamus *Tomum sancti Papæ Leonis.* Solet enim, uti scribit sanctus Cyprianus, *veritas post mendacia Romam navigare.* Epist 5. Epist. 55.

Verùm contumax hæretici Eutychetis spiritus neque tunc acquievit. Etiam sanctum Leonem accusavit Nestorianæ hæresis, ab ejus judicio tamquam Nestoriano appellavit ad generalem Ecclesiæ Synodum ex rebelli Eusebianæ factionis adversùs Sedem Apostolicam privilegio, atque ità unius monachi per Dioscori Alexandrini Patriarchæ malevolentiam armata imperitia cæpit omnem Romanam Rempublicam & universam sub cælo Ecclesiam tragicè arietare. Audaciam exhorruit sanctus Leo Pontifex, inclamans *rem, de qua agebatur*, utpotè etiam pueris notam ex primis Christianæ fidei elementis, *nequaquam synodali indigere tractatu; tamen*, scribit ad Theodosium Augustum, *meum studium commodans, ut Clementiæ vestræ statutis* & importunis sacris jussionibus *aliquatenùs pareatur*, Synodum indulsi. Caussam edicit in alia ad eundem Epistola. *Literis Clementiæ vestræ, quas dudùm ad beati Petri Apostoli Sedem pro catholicæ fidei amore misistis, tantam fiduciam sumpsimus defendendæ per vos veritatis & pacis, ut in caussa tam simplici, tamque munita nihil putaremus posse existere, quod noceret.* Sacræ igitur jussiones etiam peccatoris oleo Græcum in morem fuerunt pigmentatæ, atque ità prudentissimum Pontificem ad concedendam Synodum circumscripserunt. Eas ex sancti Flaviani odio finxére Dioscorus Patriarcha, Eudoxia Augusta, & Chrysaphius Eunuchus, quos omnes ex alia & alia caussa fuisse illi infensos scribit Nicephorus Calixtus. Offensi Dioscori caussam suprà audivimus à Theodoreto. Hi ipsi Synodum, quam ex caussis in ipsa Regia civitate desiderabat fieri Leo Pontifex, Ephesi maluerunt, quo sanctus Flavianus à suis ovibus & amicis remotus posset faciliùs opprimi. L. 1. Con. Chal. Epist. 16. Epist. 17. Epist. 19. L. 14 c. 47 L. 1 Con. Chalced. Epist. 21.

Eusebianam hanc appellandi audaciam Eutyches norat apud Romanam & omnem Ecclesiam pessimè fætere, ideòque quasi solum Flaviani judicium accusans dixit Pontificem circumscriptum per falsas illius suggestiones, utpotè cujus Notarij Acta synodalia Romam missa fallassent. Quare Theodosio Augusto, in quo illi per Eunuchum spes omnis, obtulit novas preces, de quibus Liberatus Carthaginensis in Breviario. *Eutyches obtulit preces Imperatori, questus de falsitate gestorum,* C. 12.

rum, quasi aliqua à Notariis superaddita fuissent, aliqua verò dicta nec gestis inserta. Et postulavit, ut sub praesentia Thalassii Caesareensis in Cappadocia Primatis *Episcopi*, qui Flaviani Synodo non adfuerat, *& Florentii Patricii, rursùm in Palatio, Flaviano occurrente, ipsum congregaretur concilium, & ex interrogatione personarum veritas panderetur. Annuit Imperator fieri, & easdem preces manu suâ ità subscripsit:* DEPONANT APVD REVERENDISSIMOS EPISCOPOS, NON SOLVM QVI DVDVM CONVENERVNT, VERVM ETIAM ET APVD REVERENDISSIMVM THALASSIVM, VT OMNIBVS HIS PRAESENTIBVS, QVAE SVPPLICATIO LOQVITVR, NEGOTII VERITAS INQVIRATVR. *Cùmq; concilium congregaretur, Eutyches absens factus ad vicem suam misit Constantinum Diaconum ad Concilium, ut pro eo respondens examinantibus indicibus gestorum falsitas deprehenderetur. Sed discussis gestis, instantibus Notariis Episcoporum Deum timentibus, cùm Eutychetі aliqui faverent pro tempore, nihil falsitatis inveniri potuit.* Haec est secunda sub laudato Flaviano Synodus, facta Asterio & Protogene Consulibus, anno Domini quadringentesimo quadragesimo nono, cujus lucida & accurata acta, quomodò & primae, habes in prima Actione Synodi Chalcedonensis.

Cap. 13. Pergit Liberatus Diaconus. *Postquam ergò nihil probatum est Notariis de falsitate gestorum, Eutyches petit Dioscorum Alexandrinum Episcopum, ut quaereret quae de illo acta sunt, & caussam examinaret. Agebat apud Principem fieri generalem Synodum, ut probaretur iudicium Flaviani. Scripsit ergò Dioscorus Imperatori, quia aliam Synodum generalem fieri oportet, & ut fieret, persuasit Eutyches.* Secreta huc usque inter Eutychem & Dioscorum conjurationis orgia tunc patere caeperunt: Apparuit Eutychem ex Dioscori consilio à Romani Pontificis judicio ad Synodum provocasse. Liberatus istud factum putat post secundam S. Flaviani Synodum: At certum est labi. Etenim in secunda illa Synodo ad Florentium Patricium dicit Meliphtongus Episcopus Juliopolitanus: *Piissimus Imperator universalem praecepit fieri Synodum, & necesse est maiores caussas in illud reservare concilium.* Et Eusebius Dorylensis ad eandem Synodum: *Coniuro vos per sanctam & consubstantialem Trinitatem, futuro Concilio universali, secundùm sanctionem Christi amicorum Principum, hoc negotium reservari.* Non ergò post, sed ante hanc Synodum postulavit & obtinuit appellans Eutyches generale Concilium, atque in hac secunda Synodo parare sibi arma tentavit, quibus sanctus Flavianus non tantummodò de Nestoriana haeresi damnaretur, sed & de crimine falsi. Ejusmodi passim machinis haereses stabiliuntur.

CAPVT

CAPVT V.

Ephesini latrocinij Præses, Episcopi, Comes, tempus.

Celebrata fuit hæc infælicissima Synodus Asterio & Protogene Consulibus, anno Domini quadringentesimo quadragesimo nono, sextò Idus Augusti. Indicta erat in Kalendas Augusti, verùm temporis angustiam caussatus Leo Pontifex differri voluit in diem dictum. Ad eandem à Principe invitatus rescripsit. *Ne piissimi Principis dispositioni, quâ Episcopale Concilium voluit congregari, nostra videretur præsentia defuisse, fratres meos Iulianum Episcopum* Coënsem, *& Renatum Presbyterum* sancti Clementis, *& filium meum Hilarum Diaconum misi, qui vicem præsentiæ meæ implere sufficerent.* Et in literis alijs. *Quod* Principis *Pietas etiam me credidit debere interesse Concilio; etiamsi secundùm aliquod præsens exigeretur exemplum, nunc tamen nequaquam posset impleri: Quia rerum præsentium nimis incerta condicio à tantæ urbis populis me abesse non sineret, & in desperationem quamdam animi tumultuantium mitterentur, si per occasionem caussæ Ecclesiasticæ viderer patriam & Apostolicam Sedem velle deserere.* Attila enim Hunnorum Rex Italiæ imminebat. Julianum Coënsem Prosperi Chronicon malè permutat in Julium Episcopum Puteolanum. L. I Con. Chal. Epist. 11.

Invitatus fuit & Dioscorus Patriarcha Alexandrinus cum decem suæ Diœceseos Metropolitis, & totidem provincialibus Episcopis, *sermone & virtute ornatis*, per ipsum deligendis, additque secunda ad ipsum Sacra Epistola: *Auctoritatem & primatum tuæ præbemus Beatitudini.* Ex quo Nicephorus Calixtus Synodi Præsidentiam credit ipsi à Principe collatam. Favere videtur Julianus Hypæpensis Episcopus, in Synodo Chalcedonensi dicens ad Paschasinum Lilybeti Episcopum, sancti Leonis Papæ Legatum: *In Ephesia Metropoli Primatum habebat Dioscorus, nunc vestra Sanctitas primatum tenet sanctissimi Leonis.* Et Theodoretus in literis ad Domnum Patriarcham Antiochenum: *Quid præsidens Concilio Dioscorus non aget?* L. 14. c. 57. Act. 3. Epist. 112.

Respondeo illum fuisse Synodi Præsidem, verùm ex violenta invasione, nequaquam ex delegatione Principis. Absit, ut Theodosius Augustus se ab Eunucho seduci permiserit ad Romanum Episcopum à Præsidentia excludendum. Etenim sacris ejus ad Dioscorum Epistolis additur hæc subnotatio: *Eodem tenore scriptum est etiam Iuvenali reverendissimo Episcopo Hierosolymorum.* Et ipse Dioscorus in Synodo Chalcedonensi dixit ad gloriosissimos Judices: *Comperit vestra Clementia, quia non mihi soli sanctissimus noster Imperator commisit iudicium, sed & beatissimo Iuvenali & sanctissimo Episcopo Thalassio* Cæsareensium Act. 1.

in

in Cappadocia Primati *auctoritatem Synodi dedit.* Et ipse Juvenalis: *Hæc eadem & mihi scripta sunt.* Et adversùs Dioscorum, invadentem Synodi Præsidentiam vigore sacræ Divalis, dixit, interpretante eum Florentio Lydiæ Episcopo, Julianus Coensis Episcopus, Legatus sancti Leonis. *Eodem tenore à piissimis & Christianissimis Imperatoribus sanctissimus noster Papa Romanæ Ecclesiæ præpositus Leo vocatus est.* Julianus, homo Græcus, ad Græcos latinè per interpretem loquitur propter vices & majestatem Ecclesiæ Romanæ. Etiam Hilarus Diaconus protestatus est. *Gloriosissimi & Christianissimi Imperatores charitatem circa fidem Catholicam & affectum tenentes, beatissimum Episcopum nostrum Leonem, Apostolicæ Sedis Præsulem, ut huic venerabili & sancto Concilio adesset, dirigentes venerabiles Epistolas supplicârunt.* Ex quo vides sacras ad Romanum Pontificem jussiones fuisse jussiones solo nomine, reverà autem supplices preces. Pergit Hilarus. *Papa nos direxit, non dubitans se in nobis adesse, quos præcipuè cognoscit, omnia, quæ ad fidei Catholicæ synceritatem, & quæ ad sancti Petri Apostoli pertinent reverentiam, agere*: Hoc est, Synodo præsidere. Et Lucentius Esculanus Episcopus, ejusdem sancti Pontificis Legatus, adversùs Dioscorum dixit ad Synodum Chalcedonensem. *Iudicii sui necesse est eum dare rationem, quia cùm personam iudicandi non haberet, præsumpsit & ausus est Synodum facere*; id est, Synodo generali præsidere, *sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est.* Et hinc inter crimina, ob quæ damnavit Dioscorum, adducit laudata Chalcedonensis Synodus: Quod Ephesi *Primatum præsumpsisset.*

Dioscorus ergò violenter invasit Synodi præsidentiam, idque *per suas divitias*, uti in libellis adversùs illum Synodo Chalcedonensi exhibitis affirmat Eusebius Dorylensis. Fundavit se in sacris Divalibus literis pessimè intellectis, Eutychetis à sancti Leonis judicio appellatione, nec non fuco illo, de quo Hæresiarcha Eutyches dixit ad hanc Synodum. *Directi religiosissimi viri à sanctissimo & Dei amantissimo Leone Archi-Episcopo Romanæ Ecclesiæ in sanctam vestram Synodum, suspecti mihi facti sunt. Manserunt enim apud religiosissimum Flavianum Episcopum, & pransi sunt apud eum, & munerati sunt, & omne obsequium eis præbuit. Postulo ergò Sanctitatem vestram, si quid ab eis iniustè factum fuerit contra me, id præiudicium mihi non generare.* More suo mentitus est nequam senex de muneribus. Quis enim nesciat sanctitatem Hilari Diaconi, posteà Papæ? Quomodò apud Græcos agere consueti sint Romani Legati, docet instructio, quam suis dedit Pontifex Hormisda: *Ne vel victualia præsumatis accipere, nisi tantùm subvectionem, si caussa poposcerit, & hospitalitatem, ne credant se fastidiosè despectos.* Quod Eu-

tychianæ

tychianæ appellationis causâ nequiverit à præsidentia excludi Romanus Episcopus, ostendi suprà adversùm similes Nestorij nugas.

Hìnc intelliges literas Valentiniani tertij Augusti ad Theodosium Augustum. *A Romano Episcopo rogatus sum scribere vestra Mansuetudini de fide, qua dicitur perturbata, quam nos à nostris maioribus traditam debemus cum omni competenti devotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis beato Apostolo Petro intemeratam & in nostris temporibus conservare: quatenùs beatißimus Romanæ civitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotij super omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide & Sacerdotibus iudicare.* Etenim sanctus Leo Pontifex questus fuerat se in Legatis suis fuisse à Dioscoro sub appellationis Eutychianæ fuco detrusum de Ephesinæ Synodi præsidentia contra Apostolicos & Divinos Canones, postulans aliam generalem Synodum, in qua restitutus in integrum de ipso Dioscoro & læsa per ipsum fide ex sancti Apostoli Petri privilegio judicaturus præsideret. L 1 Con. Chalced. Epist. 25.

Occurrunt tres quæstiones. Prima est, quomodò ad Synodum Chalcedonensem dixerit Dioscorus judicij Ephesini auctoritatem non sibi soli, sed etiam Juvenali & Thalassio fuisse à Principe commissam? Quomodò ibidem dixerint gloriosissimi judices: *Dioscorus Alexandriæ, Iuvenalis Hierosolymorum, Thalaßius Cæsareæ Cappadociæ, Eusebius Ancyræ, Eustatius Beryti, & Basilius Seleuciæ Isauriæ Episcopus potestatem & principatum Synodi tenuerunt?* Respondeo ex sacra Divali ad Dioscorum. *Reverendißimus Archi-Episcopus Hierosolymorum Iuvenalis, & beatißimus Archi-Episcopus Thalaßius, & omnis talis fervens amator & æmulator orthodoxæ fidei, consentanei erunt tuæ Sanctitati, radianti per Dei gratiam honestate vitæ & catholicâ fide.* Quomodò in prima, ità in hac secunda Ephesina Synodo omnes Patriarchas & autocephalos Primates præsidere, neminemque dominari voluerat Thedosius Augustus, atque nupera ejus Pragmatica Ecclesiam Hierosolymitanam jusserat tribus Palestinis, Arabiæ, & omni Phœniciæ patriarchaliter præesse. Porrò à gloriosissimis judicibus enumerati Episcopi singularem Dioscoro operam in latrocinio præstiterunt, ideòque dicuntur ejus Primates & Principes fuisse.

Altera quæstio est, quomodò dicant latrocinij Acta: *Residentibus reverendißimis & sanctißimis Episcopis, Dioscoro Alexandriæ, & Iuliano Episcopo agente vices & tenente locum sanctißimi & beatißimi Episcopi Romanæ Ecclesiæ Leonis?* Quomodò Hilarum Diaconum ponant ultimo loco post omnes Episcopos? Quis enim credat Romanos Legatos in Dioscori præsidentiam tandem consensisse? Respondeo cum Episcopis Orientalibus, adversùm illa verba clamantibus in Synodo Chal-

cedonensi: *Eiectus est, nullus suscepit nomen Leonis.* Mendacia igitur & imaginaria, quomodò pòst Photius funesti schismatis auctor, fingi curavit Acta synodalia, & ad deludendam plebem adscribi etiam Legatos Romanos, quasi & ipsi in ejus præsidentiam & latrocinales tragædias consensissent. Hìnc & adversùm hæc Actorum verba, *Et Iuvenale Hierosolymorum, & Domno Antiocheno, & Flaviano Constantinopolitano*, exclamârunt laudati Episcopi. *Flavianus ut adiudicatus ingressus est: Hac manifesta calumnia. Flavianus in proprio loco non sedit: Constantinopolitanum Episcopum quare quintum posuerunt?* Arguunt latrocinium, quod nupera inter Constantinopolitanam & Antiochenam Ecclesias à Proclo & Domno Episcopis de servando tertio Canone Constantinopolitano inita concordata spernens abjecerit Flavianum à secundo loco in quintum. Immò quod mentiatur & de quinto: Etenim Flavianus, non ut Iudex, sed ob Eutychetis appellationem ut reus aut accusator est per sacram Divalem citatus & à Dioscoro admissus ad Synodum, ideòque nullus illi datus locus. Quâ porrò viâ Dioscorus mendacia Acta conflârit, Synodo Chalcedonensi aperuit Theodorus Claudiopolitanus in Isauria Episcopus. *Deducat Notarios suos Dioscorus: Eijciens enim omnium Notarios, suos fecit scribere.* Et Stephanus Episcopus Ephesiorum. *Excipiebant Notarij mei: Venerunt Notarij Reverendißimi Episcopi Dioscori, & deleverunt tabulas eorum, & digitos eorum serè fregerunt, volētes tollere & thecas eorum.* In generali enim Synodo quisque Episcopus unum ad minùs Notarium habebat. Clamare Orientales Episcopi debuerant etiam adversùs tertium locum Juvenalis ante Domnum Antiochenum, quem ob dicta concordata etiam proprio subdito postposuit Dioscorus, utique ad preces Juvenalis, in prima Ephesina Synodo non confusi garrire de Apostolico Canone, mandante Antiochenum Episcopum, quomodò à Romano, ità à Hierosolymitano dirigi & judicari. Ejusmodi præstigijs ambitiosos Episcopos in suam factionem Dioscorus seducebat. Nam Thalassius erat nuper à Proclo sancti Flaviani Antecessore contra Canones ex laico ordinatus Cæsareensium Episcopus, ideòque columna non penitùs immobilis.

Tertia quæstio est, quomodò Theodosius Augustus Dioscorum invitârit ad Synodum cum decem Metropolitis suæ Diœceseos, in qua fuerunt solæ sex Provinciæ? Etenim juxta Nicenos Canones eadem Provincia habere nequijt plures Metropolitas. Respondeo alios esse potestate, alios solo nomine & honore Metropolitas, & uni Provinciæ potuisse esse hujusmodi plures. Bythinia enim præter Nicomediensem habuit Nicenum & Chalcedonensem.

Neque

Neque tantùm Juvenalis & Thalaſſius, ſed *omnes*, inquit Liberatus Diaconus, *Metropolitani Epiſcopi cum ſuis Concilys* fuére ad Synodum invitati. Notanda tamen eſt laudata ſuperiùs ad Sacram Dioſcoro directam ſubnotatio: *Eodem tenore ſcriptum eſt Iuvenali reverendiſsimo Epiſcopo Hieroſolymorum.* Notandum eſt omitti Domnum Antiochenum. Cauſſa videtur colligi ex Sacra ad Barſumam Archimandritam directa. *Noſtram Pietatem latere non potuit, in quali ſint certamine conſtituti per Orientem religioſiſsimi & ſanctiſsimi Archimandritæ, pro fide catholica laborantes, & quoſdam Epiſcopos in civitatibus Orientis conſtitutos Neſtorianæ hæreſeos participes averſantes, collaborante etiam orthodoxo populo eiſdem religioſiſsimis Archimandritis.* Et de horum Epiſcoporum doctiſſimo Theodoreto Cyrenſi ait Sacra Divalis ad Dioſcorum. *Ante hæc Theodoretum Epiſcopum Cyri civitatis præcepimus in ſanctam Synodum minimè convenire, donec de eo, quæ placuerint, Synodus ſancta conſtituat: Averſati eum, quia auſus eſt proferre contraria his, quæ conſcripſit de fide ſanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinæ quondam civitatis Epiſcopus.* Quoſdam Neſtorij ſectatores conaturos, ut omninò adſit Synodo, mandat per Dioſcorum compeſci. Addit Liberatus Diaconus: *Ibam Edeſſenum Epiſcopum, ne Synodo adeſſet, per filium ſuum Chryſaphium in multas manſiones Eutyches iam relegârat exilio.* Et hìnc quidam exiſtimant Domnum etiam Antiochenum Patriarcham, omneſque ejus Epiſcopos, tamquam reos ſpretorum Capitulorum ſancti Cyrilli, & pacis violatores atque hæreſeos Neſtorianæ reſuſcitatores fuiſſe etiam à Synodo per Principem excluſos. Cap. 12.

At illos falli liquet ex literis Theodoreti ad Irenæum Tyri Metropolitam. *Non modò non ſedatur Eccleſiæ procella, ſed faſtigiatur, ut ità dicam, & in cacumen attollitur. Venerunt autem & qui Synodum convocant, & evocatorias literas tùm alijs quibuſdam Metropolitanis, tùm noſtro* Hierapolitano *reddiderunt. Literarum porrò exemplum ad te miſi.* Et ex literis ad Domnum Patriarcham Antiochenum. *Ceſſaſſe triſtia ſperavimus, cùm indicaſſent nobis quidam exſtinctam eſſe victoris Imperatoris puſillanimitatem, factamq; inter ipſum & Deo cariſsimum Epiſcopum Flavianum reconciliationem, ac Synodi quidem convocationem deſiiſſe, Eccleſiarum verò pacem rediiſſe. Sed quæ modò à Sanctitate tua ſcripta ſunt, graviter nos contriſtârunt. Nihil enim boni ex coacta Synodo exſpectare licet, niſi miſericors Dominus, ſolitâ utens providentiâ, turbulentorum dæmonum machinas deſtruat. Infelix anima mea ſuſpirat, lugetque, nihil exſpectans boni. Neque enim inſitum in duodecim capitibus venenum nôrunt, qui aliarum ſunt Diœceſeon; ſed eius, qui illa ſcripſit, claritatem attendentes, nihil ſiniſtrum ſuſpicantur. Et qui eius ſedi ſucceſsit, omnia, opinor movet, ut al-* Epiſt. 16. Epiſt. 112.

terâ Synodo illa confirmet. Pleno mentis impetu suadet impediendam capitulorum in hac Synodo approbationem, & pergit. *Ex Dei amantissimis Episcopis eos considerare oportet Sanctitatem tuam, qui eiusdem sunt sententiæ, eosq; profectionis comites adhibere: Atque ex reverendissimis Clericis eos, qui tuendæ pietatis zelo præditi sunt, ut ne à domesticis ipsis proditi vel facere aliquid cogamur, quod Deo universorum displiceat, vel soli relicti ab hostibus capi facilè possimus. Hæc ego procul positus, dolens ac lugens scribo, & communem Dominum obtestor, ut tristem hanc nubem dissolvat, & puram nobis serenitatem largiatur.* Utrumque Dioscori oculum existimavit in sola Capitula vigilare, nimiumque satagit humanam providentiam Synodo commiscere: Etiam in alia Dioscorus collimabat. Constat interim Domnum ac ejus Metropolitas omninò fuisse ad Synodum invitatos. Quomodò non invitatus Domnus Synodum accedere præsumpsisset? De Iba Edesseno, quem plenè absolverat Synodus Berytensis, Liberatus fallitur: Ejus prima damnatio, ex qua natæ tot calamitates, fuit hujus latrocinij opus.

Hæc Theodoreti verba, *Cessasse tristia speravimus*, lucem accipiunt ex sacra Divali ad Synodum. *Quoniam beatissimus Episcopus Flavianus aliqua de sancta fide movere voluit adversùs reverendissimum Archimandritam Eutychem, & Concilium congregans aliqua capit agere; nos quidem sæpiùs dirigentes ad eumdem beatissimum Episcopum, voluimus, quæ mota est, conturbationem compescere, persuasi sufficere nobis traditam à sanctis Patribus in Nicena Synodo Catholicam fidem: Quam & sancta Synodus, quæ in Epheso facta est, confirmavit.* Addit Sacra Divalis ad Dioscorum. *Eos, qui aliquid per additamentum aliquod aut imminutionem conati sunt dicere, præter quæ sunt exposita de fide Catholica à sanctis Patribus, qui in Nicæa, & postmodùm qui in Epheso congregati sunt, nullam omninò fiduciam in sancta Synodo habere patimur.* Quis non videat profanas hasce Sacras compositas esse à nequissimo Eutychianista? Admittunt sola Cyrilli Capitula & Symbolum Nicenum, facta per Synodum Constantinopolitanam additamenta damnant, quod fuisse Eutychetis palmare principium dixit in Synodo Chalcedonensi Diogenes Metropolita Cyzicenus. Eidem fundamento omnem hujus latrocinij machinam Dioscorus superædificavit. Undè Dorotheus Archimandrita, alijque monachi Eutychianistæ, abluere illum jam damnatum conati, dixêre
Act. 4. ad Synodum Chalcedonensem. *Permaneo in fide sanctorum Patrum trecentorum decem & octo, qui apud Nicæam convenerunt, & in Constituto eorum, qui apud Ephesum Nestorium damnaverunt: Et sic credo, & præter hanc non novi aliam fidem.* Ut ergò hoc ipsum etiam admitteret, & cum damnato Eutychete in pacem & communionem rescissâ suâ Synodo

rediret S. Flavianus, sæpiùs egit ab Eunucho seductus Princeps Theodosius, pendenteque hoc tractatu sparsa est restauranda pax extra generalem Synodum: Verùm Flavianus noluit esse tantus prævaricator. Hìnc tandem coijt Synodus, atque ad illam Episcopus iste sanctissimus, tamquam reus ac monachi accusator, est accedere compulsus.

Qualis porrò fuerit, quem in sua Sacra adeò extollit idem Princeps, Archimandrita Barsumas, tradit in Synodo Chalcedonensi laudatus Metropolita Cyzicenus. *Barsumas in Ephesino latrocinio occidit beatum Flavianum. Ipse instabat & dicebat:* OCCIDE. Et Basilius Metropolita Seleuciensis: *Surrexerunt omnes Ægyptij Episcopi, & monachi, qui sequebantur Barsumam, & omnis turba, & cœperunt dicere:* EVM, QVI DICIT DVAS NATVRAS, IN DVO INCIDITE, NESTORIANVS EST. Et omnes Episcopi Orientales. *Omnem Syriam Barsumas evertit: Duxit super nos mille monachos. Homicidam Barsumam mitte foras; homicidam in arenam: Anathema Barsumæ, Barsumam in exilium.* Et Liberatus Diaconus: *Dioscorus secum habebat fortißimos milites Reipublicæ, cum monachis Barsumæ.* Barsumas ergò Eutycheti & Dioscoro adhæsit, Orientales Episcopos tamquam Nestorianos aversatus est conatus expellere de sedibus, ab eorum communione se rebellis separavit, & delusam plebem abstraxit, factioni suæ adjunxit plurimos monachos, atque ità omnem Syriam turbulentijs implevit. Hæc sunt merita, ob quæ illum Princeps voluit omnium Orientalium Archimandritarum Vicarium *consedere sanctæ Synodo, & cum alijs sanctis Patribus & Episcopis, quæ sunt Domino placita, ordinare.* Quare errorem continent hæc Liberati verba: *Imperator jußit Barsumam Archimandritam interesse Concilio, & vices agere omnium monachorum Orientales Episcopos accusantium.* Nequaquam accusatoris, sed judicis inter Episcopos locum dedit illi Augustus contra antiquum morem & Canonem: Olim enim nequaquam generalibus, sed solis Provinciarum aut Diœceseon Synodis, & quidem degratia, fuerunt Archimandritæ suffragati. Quin immò ex antiquo Canone monachus accusare non potest, nequidem de fide: *Quia mortua,* scribit ad Italiæ Episcopos Pelagius secundus, *in talibus est vox eius.* Undè in Synodo Constantinopolitana sub Menna Patriarcha dicit secundæ Syriæ Clerus in libellis adversùs Petrum Apameensem Episcopum, suum Metropolitam: *Quod monachi non deponant,* sive accusent, *hanc consuetudinem superiùs obtinuerunt, sed sufficiat solùm in ipsorum acclamationibus.*

Act 4.
Act. 1.
C. 12.
C. 12.
Epist 2.
Act 5.

Hujus Synodi Episcopos Basilius Seleuciensis Metropolita ad Synodum Chalcedonensem dixit fuisse centum viginti aut triginta. Act. 1.

Ejus

Epist. 138. Ejus suffraganeus Theodorus Claudiopolitanus in Isauria Episcopus
139. 140. fuisse centum triginta quinque. Eos Theodoretus in literis ad Anato-
Epist. 113. lium Patricium, in literis ad Asparem Consulem, & in literis ad Vincomalum Magistrum scribit fuisse homines turbulentos, collectitios, solitos tumultuari. Addit in literis ad sanctum Leonem Papam: *Per eos, quos Sanctitas tua Ephesum misit, tempestatis exitum sperabamus.* Ab alijs namque Episcopis nihil erat spei.

Principis in Synodo Legatus & Vicarius fuit Elpidius sacri Consistorij Comes, cui adjunctus fuit Eulogius tribunus & Notarius Prætorianus, qui Ibam Edessæ Episcopum ex Osrhoëna nuper Provincia in primam Phœniciam deduxerat ad Synodum Berytensem: Homo, uti & Comes Elpidius, Dioscoro, Eutycheti, & Chrysaphio Eunucho obnoxius. Iis sacra Divalis auctoritatem fecit *nullum fieri tumultum permittere, sed & si quem videritis conturbationibus & tumultui studentem ad læsionem sanctæ fidei, hunc custodiæ mancipare, & ad nostram perferre notitiam, & caussam quidem ordine provenire, interesse autem iudicio, & dare operam, celerem & circumspectam probationem à sancta Synodo fieri, & nobis cognitam facere; his, qui pridem Eutychetis religiosissimi Archimandritæ iudices exstiterunt, præsentibus quidem & tacentibus, nullum tamen iudicantium habentibus locum, sed communem omnium aliorum sanctorum Patrum sententiam exspectantibus, quoniam ea, quæ dudùm ab ipsis iudicata sunt, nunc retractantur.* Ex hisce præsertim verbis animatus Dioscorus Romanos Legatos Synodi præsidentiâ exclusit. Exclusit & suffragio Basilium Seleuciensem, Eusebium Ancyranum, aliosque Episcopos omnes, qui unà cum sancto Flaviano damnârant Eutychetem in Synodo Constantinopolitana. At Basilius suffragium redêmit hâc, licèt per tyrannicos terrores extortâ, infami tamen & sacrilegâ palidoniâ. *Accuso & reprehendo propriam vocem, quam* DE DVABVS NATVRIS *professus sum in gestis habitis apud Regiam civitatem, & adoro unam naturam Deitatis unigeniti inhumanati & incarnati.* Idque contra propriam conscientiam, quâ
F. 155. priùs Dioscoro dixerat: *Noli Domine, noli solvere totius mundi opinionem.* Eodem modo redemit Seleucus Metropolita Amasenus. Ex adducta Sacra item vides Elpidium & Eulogium discutiendæ fidei non potuisse misceri, sed fuisse meros auditores. Etiam Proclo Asiæ Proconsuli mandavit Augustus omnem eisdem præberi adsistentiam: Et hinc Dioscoro milites non defuerunt.

CAPUT VI.

Exponuntur Acta latrocinij Ephesini.

QVid Dioscorus animo volutaret, statim patuit in ipso Episcoporum in civitatem Ephesinam ingressu, de quo ad Synodum Chalcedonensem dixit Stephanus Episcopus Ephesiorum. *Omnes Clericos beati Flaviani in Ephesiorum Metropolim venientes ut Episcopus suscepi, & communicavi eis, & omnem affectum eis ostendi. Cùm in communionem suscepissem Elpidium Presbyterum, & alios Diacones, & Eusebium Episcopum, supervenerunt mihi in Episcopio Elpidius* Comes *& Eulogius* Tribunus, *& milites, & monachi Eutychetis usque trecenti numero, & voluerunt me interficere dicentes:* QVIA ADVERSARIOS IMPERATORIS SVSCEPISTI, ADVERSARIVS IMPERATORIS ES. *Dico:* XENODOCHVS SVM, IN NVLLO COMMVNICO CAVSSAE; EGO EXCOMMVNICARE NON POTVI COMMVNICATORES VENIENTES. *Et ità ex necessitate omnia facta sunt.* Stephanus sub Memnone Ephesiorum Episcopo adhuc Clericus septuaginta lectorum Xenodochium Ephesi exstruxerat, hìnc suam in dictos viros hospitalitatem à factionis nota purgare studens apud Dioscorum dicit se semper fuisse Xenodochum, seu in quosvis advenas hospitalem. Act. I.

Post Synodi præsidentiam à Dioscoro invasam Legati Apostolici, finem videre cupientes, permanserunt Ephesi: Quin & quibusdam Actis fuêre suffragati. Factâ adversùs præsidentiæ invasionem protestatione, mox post lectam sacram Divalem ad intrusum Præsidem dixit Hilarus Diaconus: *Papa perpetua Sanctißima Sedis per nos ad vestram Beatitudinem congruas sanctorum Patrum Concilio direxit Epistolas, quas suscipi & recenseri præcipite.* Apostolicæ enim ad Synodum literæ, tamquam illius columna & Pharos, statim post sacras Divales fuêre semper lectæ, omniumque Episcoporum acclamationibus & suffragijs comprobatæ. Undè & Dioscorus, antiquum Synodorum morem & legem palàm prævaricari erubescens præcepit legi, legendasque porrexit Joanni Presbytero & Primicerio Notariorum. Verùm hic illi colludens intercessit alias superesse Principis literas, priùs audiendas, atque ità Hilarus fuit elusus. Attamen non cessavit, quin dixit ad universam Synodum: *Literas ad vos, ò Sanctißimi, destinavit Apostolica Sedes, quas, si jusseritis recitari, cognoscetis esse consonas veritati.* Et denuò ad Dioscorum, legi mandantem Acta Synodi Constantinopolitanæ sub sancto Flaviano: *Sanctißimus Episcopus Romanæ Ecclesiæ transmisit Epistolam, eam legi iubete.* At tunc intercessit ipse Hæ-

Hæresiarcha Eutyches Romanos Legatos ob recepta à Flaviano munera esse sibi suspectos, reposuitque etiam illi colludens Dioscorus: *Consequens & rationabile est prius* Acta Constantinopolitana *relegi, & ità* Epistolam *beatissimi* Episcopi *Romani*. Et hinc seipsum de contumacia purgare tentans dixit ad Synodum Chalcedonensem: *Secundò interlocutus sum recitari* Epistolam *reverendissimi* Episcopi *Romani*. Erat verum; verè tamen etiam reddidit Eusebius Dorylœensis: *Mentitur*. Dolosis enim labijs fuerat de Epistola Dioscorus locutus. Ad eamdem Synodum addidit Ætius Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archi-Diaconus. *Neque suscepta est Epistola, neque lecta. Et septies iuravit Dioscorus coram omnibus facere eam recitari, & non est lecta. Et pejeravit, quia iuravit*. Et Theodorus Claudiopolitanus in Isauria Episcopus: *Quia iuravit, omnes scimus*. Epistolam, quod duas naturas prædicaret in Domino, Nestorianam Dioscorus & Eutyches crediderc: Hinc tot rebellionis motibus ab eorum sequacibus per multos annos fuit arietata. Eam tamen palàm refutari non permisit antiqua lex Synodorum. Ejusmodi Epistola est Romani Episcopi suffragium, sine quo esse non posse veram generalem Synodum, & ante quod in ipsa nullum Episcopum decidere aut suffragari posse, jam superiùs ostendi. Malignas Dioscori machinas penitùs subvertisset Epistola, acclamaturis omnibus Episcopis, quod postmodùm acclamaverunt in Synodo Chalcedonensi: *Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides; hæc in Epheso cur lecta non sunt?* Hincmarum Remensem Episcopum, literas Apostolicas occultantem, Nicolaus primus Pontifex fædâ notâ inussit, vocans secundum Dioscorum: Hæc namque occultatio est unum è criminibus, ob quæ Dioscorum damnavit Synodus Chalcedonensis. Ob solam criminis dissimulationem etiam Juvenalis ac Thalassius fuère periclitati.

Post Divales itàque literas legi jussit Dioscorus sancti Flaviani Acta synodalia contra Eutychen. Caussam edixit ad Synodum Chalcedonensem Theodorus Episcopus Claudiopolitanus: *Iussum est à Do-*
Act. 1. *mino orbis terræ, ut Synodus de Flaviano priùs iudicaret*. Judicare verò non poterat, nisi ex Actis. Addit & aliam caussam à Dioscori malignitate intentam. *Dioscorus & Iuvenalis, quibus præceperat Dominus orbis terræ, sicut orthodoxis, diiudicare de fide, meditantes apud semetipsos dolosa consilia, nos simpliciter sedentes introduxerunt, quomodò homines iudices ignorantes caussam. Et legebatur quidem Actorum series, & laudabatur beatæ memoriæ Flavianus. Cùm laudaretur autem, nos tacebamus, sicut benè gestis, quæ acta sunt. Post hæc verò, ut nos exterrerent, exclamaverunt, de vicina hæresi Nestoriana infamantes nos*: IN DVO SEPARATE EOS, QVI

DI-

DICVNT DVAS NATVRAS; QVI DICVNT DVAS, DIVIDITE, INTERFICITE, EIICITE. *Vt terrore hæresis Nestorianæ, non sicut Catholici iudicaremur, sed ut hæretici damnaremur.* Dioscorus ergò Flaviani Acta etiam laudavit; at dolosissimè: Ut Episcopos illis suffragantes ante inchoatum judicium nosceret, & ad duarum in Domino naturarum ejurationem cogeret, aut tamquam Nestorianos suffragio privaret. Hìnc pergit Theodorus: *Quadraginta duo iussi sumus tacere.* Tunc quomodò Basilius Seleuciensis, ità Seleucus Amazenus Episcopus, Helenoponti Metropolita, suffragium redemit hâc fœdâ palinodiâ. *Reprehendo vocem meam, quam dixi in gloriosissima Constantinopoli, habentem, quia oportet in duabus naturis Dominum nostrum Iesum Christum post adunationem prædicari, anathematizans eos, qui in duas naturas, vel in duas substantias, aut in duas personas post adunationem dividunt Dominum nostrum Iesum Christum.* Palinodia sibi ipsi non cohæret: Aliud namque est Dominum nostrum esse in duabus naturis, aliud dividi in duas naturas. Ejusmodi æquivocationibus miserabiles Episcopi sunt conati satisfacere Dioscoro, ne tamquam hæretici damnati perderent suos baptizatos. Addit Acacius Ariarathiæ Episcopus: *Compulsi, violenter habiti, multa mala perpessi, per potentiam oppressi sumus. Vsque ad vesperam enim tenuerunt nos, recludentes in Ecclesia: Et ægrotantes nos neque quiescere permiserunt, neque recedere, ut aliquantulùm recolligeremur, sed milites nobis cum fustibus & gladijs imposuerunt.*

Quid porrò de Flaviani Synodo factum vellet Dioscorus ab hisce Episcopis, docent hæc ejus ad illos verba. *Pijssimus & Christianissimus Imperator noster pro aliquibus, quæ emerserunt, iussit hanc congregari Synodum, non ut fidem nostram exponamus, quam exposuerunt iam Patres nostri; sed ut inquiramus, quæ emerserunt, si conveniant sanctorum Patrum statutis. Oportet ergò ea, quæ contigerunt, primitùs inquirere, & nos probare, si consonantia sint statutis à sanctis Patribus: Aut vultis fidem sanctorum Patrum innovare?* Per sanctorum Patrum statuta intellexit fidem Nicenam ac Ephesinam, & addidit. *Si quis præter ea aut inquirit, aut discutit, aut retractat, anathema sit. Si sanctus Spiritus consedit cum Patribus, & ordinavit quæ ordinata sunt, qui retractat ea, Spiritus cassat gratiam.* Exclusa volebat Synodi Constantinopolitanæ ad Nicenum Symbolum contra Apollinarium additamenta, Eutychisque dogma non discuti, sed Niceno Symbolo dumtaxàt quovis dolo aut fuco conquadrari. Nôrat esse verissimum: *Nosse hæreses est confutasse.* Et quidem ejus hisce technis adclamavit factiosa turba: *Omnes hæc dicimus, magnus fidei custos Dioscorus Archi-Episcopus.* Meliores Episcopi apud Synodum postmodùm Chalcedonensem prote-

ſtati ſunt ſe non acclamaſſe, & ſynodalia Dioſcori Acta de mendacio culpârunt.

Conformem libellum adversùs ſanctum Flavianum ac ejus Synodum exhibuit Eutyches, totus ſuadens dogma ſuum eſſe Nicenæ & Epheſinæ fidei conſonum, atque ità poſtulans ut orthodoxus abſolvi ab omnibus Flaviani ſententijs, ipſumque ut Neſtorianum & iniquum judicem damnari. Hic eſt ille libellus, adversùs quem in Synodo Chalcedonenſi dixit Diogenes Epiſcopus Cyzicenus. *Dolosè propoſuit Synodum, quæ in Nicæa facta eſt; accepit namque additamenta à ſanctis Patribus* in Synodo Conſtantinopolitana: *Hæc prætermiſit Eutyches, ſicut Apollinariſta.* Eidem libello reſpondit in hoc latrocinio impetitus per ipſum ſanctus Flavianus: *Eutyches accuſatorem habuit Euſebium, iubete eum adeſſe.* Aſt interceſſit Comes Elpidius. *Sacratiſſimus Imperator implens ipſe primus ordinem legum præcepit eos, qui dudùm iudices fuerunt, in loco eorum eſſe, qui iudicandi ſunt, neque habere tempus docendi. Ad ea ergò, quæ nunc à religioſiſſimo Archi-Epiſcopo Flaviano dicta ſunt, & hoc doceo, quia accuſator ſuam accuſationem implevit, &, ut arbitratus eſt, vicit, & iudex accuſatoris cauſſam iam in ſemetipſum tranſtulit, ſicut & in publicis ſententijs cuſtoditur. Nunc igitur vos conveniſtis, ut eos, qui iudicaverant, iudicetis, non ut iterùm accuſatoris perſonam ſuſcipiatis, & perturbationis rursùs initium alterum fiat.* Atque ità excluſus eſt, qui hæreſeos convincere Eutychen poterat, Euſebius, ſanctuſque Flavianus coactus ad ſortem accuſatoris, idque juxta leges, de quibus in Synodo Chalcedonenſi rectè dixerunt glorioſiſſimi Judices: *In iudicio fidei non eſt iſta defenſio.* Etenim in fidei cauſſa primus accuſator etiam in appellationis judicio opus ſuum debet proſequi. Culpatus eſt Comes Elpidius, quod contra Canones juſſiſſet; culpatus Dioſcorus, quod ejuſmodi juſſionibus paruiſſet.

Et quidem ſanctum Flavianum nec loqui ad accuſandum permiſit, interloquens ad Eutychetis libellum: *Dicant ſinguli præſentes ſanctiſſimi Epiſcopi, quomodò ſciunt Archimandritam Eutychen credere, & quid de eo ordinant.* Primus verò definivit, ante Domnum Patriarcham ſuum ſedere & loqui præſumens, Juvenalis Hieroſolymitanus. *Cùm frequenter confiteatur, eò quod ſequatur expoſitionem fidei, quæ in Nicæa habita eſt, & ea, quæ priùs in magno Concilio apud Epheſum geſta ſunt, orthodoxum ſummè eum eſſe in his, quæ locutus, comperi. Et ego autem decerno & volo eum in ſuo monaſterio degere, & in proprio gradu.* Unanimi ſuffragio Epiſcopi omnes fœdiſſimum hæreticum tamquam orthodoxum, & malè à ſancto Flaviano damnatum pleniſſimè reſtituerunt in Presbyteratus gradum & monaſterij præfecturam. Eodem tenore ad ſimilem

lem libellum & professionem hæreticum ejus monasterium absolverunt à sententia positi per S.Flavianum interdicti. Quare in collatione Constantinopolitana imponunt Severiani Eutychetem pœnitentem fuisse absolutum. Meritò Synodus Chalcedonensis dicit Dioscorum similia cum Eutyche sapuisse: Meritò has ejus sententias affirmat esse prævaricationem quinti Niceni Canonis, vetantis damnatum regulariter à proprio Episcopo recipi in communionem. Act.3.

Exindè Dioscorus legi jussit atque innovavit Canonem Ephesinum de non alterando Niceno Symbolo. Rectèque tunc ad laterales collegas dixit Marinianus Episcopus Synnadensis, Metropolita Phrygiæ Pacatianæ: *Regula ista propter nihil aliud legitur, nisi ut Flavianus Episcopus damnetur.* Etenim tunc odia sua complens ille definijt in sanctum Flavianum & Eusebium Doryleensem. *Apparent omnia penè renovantes & immutantes Flavianus quondam Constantinopolitanæ urbis Episcopus, & Eusebius Dorylai, & scandali & conturbationis facti occasio sanctissimis Ecclesiis, & ubique Catholicis populis: Certum est hos ex semetipsis synodicis olim à sanctis Patribus definitis damnationibus subiacere. Vndè & nos, quæ eorum sunt, confirmantes, memoratos Flavianum & Eusebium ab omni sacerdotali & episcopali dignitate iudicamus esse alienos.* Eos damnat, quod Ephesinum Canonem prævaricati recepissent Constantinopolitana Niceni Symboli additamenta, atque ex illis Eutychen alter accusasset, alter damnasset. Volebat ab Ephesino Canone per Nicenum Symbolum intelligi solum propriè Nicenum, & additamenta jam dicta damnari. Sic & ipse Eutyches in suo ad hanc Synodum libello sanctum Flavianum accusat recepti ejusdem additamenti. Ambos malitia excæcârat. Quis enim nesciat ab Ephesino Canone per Symbolum Nicenum intelligi etiam Constantinopolitanum? Quis unquam audivit Constantinopolitana additamenta per illum Canonem proscripta? Et hinc forsàn ad Synodum Chalcedonensem de dicto Eutychetis libello dixit Eusebius Doryleensis: *Mentitur, non est talis definitio, non est regula hoc præcipiens*, sive vetans laudata additamenta. Ephesinus quippè Canon nequaquam jam legitimè adposita, sed sola adponenda additamenta vetat: Quin immò futurarum generalium Synodorum auctoritatem non potuit circumscribere.

Quam verò tyrannicè Flavianum tractârit Dioscorus, Synodo Chalcedonensi exponit Theodorus Episcopus Claudiopolitanus. Act.1.f.61 *Obtulerunt nobis puras chartas Dioscorus & Iuvenalis, multitudinem habentes seditiosorum hominum, clamantium, & conturbantium, & commoventium Synodum.* Et Basilius Episcopus Seleuciensis. *Post damnationem beati Flaviani omnibus nobis tristibus effectis, & aliquantis quidem nolen-*

lentibus emittere vocem cooperâtis ſuffragij, *aliquantis autem fugientibus, exurgens Dioſcorus, & ſtans in alto, deſignabat & dicebat*: VIDETE, QVI NON VVLT SVBSCRIBERE, AD ME, ſeu contra me, HABET. Euſebius Ancyræ Epiſcopus, *quia parùm diſtulit vocem, periclitatus eſt & ipſe damnari.* Oneſiphorus Iconienſis, Marinianus Synnadenſis, & Nunechius Laodicenſis tenuerunt pedes ejus, dicentes. *Quia & tu Presbyteros habes, non debet propter Presbyterum damnari Epiſcopus. Nihil dignum damnatione egit. Si autem & reprehenſione dignus eſt, reprehendatur.* Etiam Nicolaus primus Pontifex Hincmarum Remenſem Metropolitam arguit, quod Rothaldum Sueſſionenſem Epiſcopum ob damnatum Presbyterum dejeciſſet. At de throno exurgens & ſtans ſuper ſcabellum ſuum Dioſcorus repoſuit: *Seditionem mihi movetis? Da Comites*: Pergit Marinianus Synnadenſis. *Ingreſſi ſunt Comites, introduxerunt Proconſulem cum multitudine magna & catenis: Poſt hoc unuſquiſque noſtrum ſubſcripſit.* Et Baſilius Seleucienſis. *Irruebant in Eccleſiam milites cum armis, inſtabant monachi, qui cum Barſuma, & Parabalani, & multitudo alia grandis.* Parabalani ſunt ſervi publicorum balneorum. Tunc itàque Barſumas monachus, teſte Diogene Cyziceno Epiſcopo, clamabat militibus permixtus: *Occide*, atque ità occidit beatum Flavianum. Quare meritò Euſebius Doryleenſis apud Synodum Chalcedonenſem ex tot prævaricatoribus Epiſcopis accuſavit ſolum Dioſcorum.

Porrò damnatus ſanctus Flavianus dixit Dioſcoro: *Appello à te*, utique ad ſedem Romanam. Et ad eundem Hilarus Diaconus: *Contradicitur*, id eſt, appellatur. Flavianum enim per Legatos Romanos
Cap. 12. appellaſſe libello Sedem Apoſtolicam teſtatur Liberatus Carthaginenſis. Confirmat ſanctus Leo Pontifex in literis ad Theodoſium
L. 1 Con. Chal Epiſt. 18. Auguſtum: *Legati noſtri fideliter reclamârunt, & eiſdem libellum appellationis Flavianus Epiſcopus dedit.* Edicit & alium dictæ vocis, *Contra-*
Epiſt. 19. *dicitur*, ſenſum. *Noſtri ab Apoſtolica Sede directi ad conſentiendum nullâ potuerunt oppreſſione compelli, conſtanterq; ut decuit, fuerunt proteſtati nequaquam id, quod conſtituebatur, Sedem Apoſtolicam recepturam.* Quàm verò hæc non curârit contumax Dioſcori ſpiritus, refert Hila-
Epiſt. 24. rus Diaconus in literis ad Pulcheriam Auguſtam. *Poſteàquam iniuſta Dioſcori voluntati atque ſententia communicare non potui, ad aliud Concilium*, id eſt, aliam ſynodalem ſeſſionem, *terroribus atque inſidijs me evocare conatus eſt, quatenùs me, quod abſit, aut ſeductionibus faceret conſentire ad condemnandum ſanctiſſimum Flavianum Epiſcopum, aut reſiſtentem teneret, ut mihi non eſſet licentia ad Pietatem veſtram Conſtantinopolim percurrere, aut ad Romanam Eccleſiam remeare. Verumtamen confidens*

de

de auxilio Christi, quod attinet ad damnationem reverendissimi ac sanctissimi viri, innocentem me integrumq́ servavi, licèt nulla flagella, nulla tormenta me poßint facere eius consentire sententiæ; sed omnibus derelictis exindè disceßi, per incognitâ & invia loca Romam veniens, ut reverendißimo Papa omnium, quæ in Epheso gesta sunt, idoneus nunciator existerem. Eum inter multa vitæ pericula reclamasse atque fugisse, scribit sanctus Prosper in Chronico. Ob positas insidias ausus non fuit per Constantinopolim transire. Eâdem apud Ephesum constantiâ egisse, ac indè fugisse Renatum Presbyterum, Thedoretus testatur. Julianus Coënsis Episcopus Constantinopolim abijt, Augustam Pulcheriam, in qua omnis spes humana, informaturus. Etiam fuisse alios Episcopos, ne impijs subscriptionibus captivas manus darent, asserit S. Leo in literis ad Theodosium Augustum. Thalassius Cæsareensis Synodo Chalcedonensi dixit plura mala à se impedita. Epist. 115. Epist. 19.

Appellantem Flavianum quomodò Dioscorus tractârit, scribit idem Pontifex in literis ad Theodoretum. *Quam mensuram sceleris prætermisit, cui nec hoc sufficere potuit, quod nec vivis parcendo nec mortuis, etiam in sanguine innocentis & Catholici Sacerdotis pollutas iam pridem, abdicatâ charitate atque approbatâ falsitate, manus intinxit?* Et infrà: *Sanctæ memoriæ Flaviano vitam præsentis sæculi est molitus auferre.* Quod sanctum Flavianum *calcibus verberârit*, testatur Evagrius Epiphaniensis. Addit Comes Marcellinus in Chronico: *Flavianus Episcopus secunda apud Ephesum Synodo, vi Dioscori Alexandrini Episcopi & Saturnini* Chrysaphij *Spadonis, in Epipam exulat.* Inter ducentium militum manus gloriosè in via defunctum testatur sanctus Prosper in Chronico. Et Liberatus Diaconus: *Cæsus Flavianus, & multis iniurijs affectus, dolore plagarum migravit ad Dominum.* Tantùm potuit unius Eunuchi avaritia, de qua laudatus Evagrius. *Flavianus fallacijs Chrysaphij abdicatus fuit, quod aurum pro eius ad Episcopatum ordinatione postulanti sacra Ecclesiæ vasa, quò eum pudore suffunderet, misisset.* Eadem de caussa tot calamitates à Gullielmo secundo Anglorum Rege passus est sanctus Anselmus Episcopus Cantuariensis. Adeò antiqua est Palatinorum Procerum ac ipsorum Regum ad Episcoporum electiones concurrentium simonia. Meritò Synodus Chalcedonensis unanimi omnium Episcoporum acclamatione canonizavit sanctum Flavianum, Episcopumque ab Episcopo, quasi à fratre fratrem trucidatum appellavit *Secundum Abel* Et ad hasce tragædias Andreas & Eufratas, Diaconi Constantinopolitani, fuère cooperati, quos proprij Episcopi fuisse accusatores, scribit S. Leo Pontifex ad Julianum Coënsem Episcopum, & Anatolium Flaviani successorem. Epist. 63. c. 45. L. 2. c. 2. C. 22. L. 2. c. 2. Epist. 59. 71.

Etiam Sedem Apostolicam appellavit, Romamque fugit, Flaviani sortem ac Oasin timens, Eusebius Dorylеensis: Item pro se ac Flaviano Episcopo suo appellavêre Clerici Constantinopolitani. Hinc enim
Epist. 39. Leo Pontifex scribit ad Pulcheriam Augustam. *Quia novimus, quantùm piæ solicitudinis Catholicis Sacerdotibus Mansuetudo vestra dignetur impendere, indicandum esse curavimus fratrem & Coëpiscopum nostrum Eusebium nobiscum degere, & nostræ communionis esse consortem, cuius commendamus Ecclesiam, quam dicitur vastare, qui illi iniustè asseritur subrogatus: Illud etiam à vestra Pietate poscentes, ut Constantinopolitanos Clericos, qui sanctæ memoriæ Flaviano fidelibus officijs adhæsêre, eâ, quâ debetis,* Regiæ protectionis *gratiâ foveatis.* Et hosce appellationum libellos Renatus ac Hilarus Legati Romam portârant, exstatque laudati Pontificis Epistola, quâ sanctum Flavianum in tantis angustijs solatur, & auxilia spondet.

De reliquis post suorum Legatorum fugam latrocinij Actis hæc
Epist. 47. Pontifex ad Synodum Chalcedonensem. *Plurimi Episcopi, qui hæresin non receperunt, sedibus suis fuêre pulsi, & in exilia deportati, atque in locum superstitum alij substituti.* Omnium primò dejectus fuit Theodoretus Cyrensis, inauditus, non citatus, absens ultra triginta quinque mansiones, ac extra Synodum intra suam civitatem exilio circumscriptus. Damnationis caussa fuit impugnatio Capitulorum sancti Cyrilli etiam post initam pacem, uti scribit ipse ad Sporacium. Hinc creditus est duos Dei filios, seu duas in Christo Domino personas cum
Epist. 140. Nestorio errare. Episcopali domo, omni substātiâ, ac ipsâ civitate mox
Epist. 123. ejectus est, vivere coactus de eleemosyna amicorū collegarum, quorum unus fuit Uranius Episcopus Emesenus. Hinc per Anatolium Patri-
Epist. 119. cium Principi supplicat aut appellationem suam prosecuturus Romam accedere, aut certè redire ad suum, in quo olim monachum professus, monasterium, distans centum millibus à civitate Cyrensi: Gratiani enim Augusti lex exauctoratum Episcopum, ne turbas ciere posset, ad centum à sua civitate millia proscribebat. Romam ergò omninò appellavit etiam Theodoretus, scribitque ad sanctum Leonem
Epist. 113. Papam: *Ne ad vos contenderem, Regiarum literarum vincula retinuerunt.* Et hic in Ecclesia est primus Regiæ potestatis adversùs Romanam appellationem obex: Opus Dioscori, Eutychetis, ac Chrysaphij Eu-
C. 12. nuchi. Quod tamen Theodoretus Romam tandem accesserit, testatur Liberatus Carthaginensis. Legendæ appellantis Epistolæ, insigniter
Epist. 116. prædicantes Romanæ Ecclesiæ supremum Primatum. Suadet Pontifici, *ut Apostolicâ auctoritate utatur*, & universum Ephesinum latrocinium *ad suum Concilium advolare præcipiat.* Nam & universam Syno-

 dum

dum Constantinopolitanam Damasus Pontifex Romam evocavit. Tanta Romano Episcopo fuit semper auctoritas etiam in Synodum Ecclesiæ generalem.

Secundus dejectus Episcopus fuit Ibas Metropolita Edessenus, propter famosam Epistolam scriptam ad Marim Persidis Episcopum, injuriosam in sanctum Cyrillum & Capitula ejus, nec non ob suprà memoratam blasphemiam: *Non invideo Christo facto Deo, quia possum & ego fieri.* Damnatus est absens, inauditus, Synodo adesse non permissus. *Eutyches*, inquit ipse ad Synodum Chalcedonensem, *adversùs me pro fide quædam falsa confinxit, nec me in Synodum interesse permisit, per quadraginta mansiones per diversos ad invicem succedentes ordines direxit me, viginti ampliùs carceres mutavi, cùm essem in carcere in Antiochia in ordine Comitis.* Fuisse Synodo exclusum à Chrysaphio Eunucho testatur etiam Liberatus Diaconus. Evagrius Epiphaniensis addit damnatum & ejus supra memoratum nepotem Danielem Carrorum Episcopum ob crimina illi imposita atque discussa in Synodo Berytensi. Act. 9. C. 12. L. 1. c. 10.

Quartus damnatus fuit Sabinianus Episcopus Perrhensis in Provincia Eufratesia, quod Athanasio per Domnum Patriarcham Antiochenum dejecto esset superordinatus. Domnum oderat Dioscorus, atque ità adversùs illum ad hoc latrocinium provocavit Athanasius, Episcopatúmque, licèt legitimè dejectus, remisso ad suum monasterium Sabiniano, recuperavit. Exstat Theodoreti ad Sabinianum Epistola consolatoria, eum graviter arguens, quod recipiendi Episcopatus cupiditate cogitaret Eutychianæ factioni accedere, confiterique unam naturam Deitatis in Domino atque humanitatis. At mutasse cogitationes docet ejus appellatio ad Leonem Papam & Synodum Chalcedonensem. Epist. 126. Act. 14.

Evagrius Epiphaniensis addit dejectos etiam Aquilinum Bibli, Irenæum Tyri, ac Sophronium Episcopum Constantinopolitanum. Est mendum. Sophronius enim non Constantinopolitanus, sed Constantiensis fuit Episcopus, Cypriorum Metropolita, qui unà cum Joanne Germaniciensi Episcopo Nestorium anathematizavit Chalcedone, ità redditus Episcopatui, atque ità probabile est ambos ab hoc latrocinio fuisse dejectos. Irenæum Tyri Episcopum alij dejectum malunt jussione Principis ante latrocinium. L. 1. c. 10. Act 8.

Omnium ultimò dejectus fuit Domnus Patriarcha Antiochenus, de quo Liberatus Carthaginensis. *Post omnes Dioscorus deposuit & Domnum Antiochenum, remanentem ab orthodoxorum depositione, quia particeps factus Dioscori in depositione orthodoxorum & Eutychetis absolutione. Depositus est autem dolo Dioscori sic. Postquam consensit in omnibus* C. 12.

Dios-

Dioscoro, datis in medio eius Epistolis, quas ad ipsum Dioscorum Antiochenus Domnus contra Duodecim Capitula Cyrilli scripserat, eò quod essent obscura, damnavit ægrotum, & absentem illâ die. Dioscorus altâ mente tenebat repostum Domni cum Proclo Regiæ nuper civitatis Episcopo concordatum de servando tertio Canone Constantinopolitano, ideòque illum mitigare sperans Domnus locum cessit Juvenali Hierosolymitano, cunctisque Dioscori facinoribus contra conscientiam suam est patrocinatus. Astu dissimulavit Dioscorus, nolens sibi deesse auctoritatem Patriarchæ Antiocheni ac Diœceseos Orientalis. Omnibus itàque peractis, protulit jam dictas Domni literas, atque ità tamquam primæ Ephesinæ Synodi & initæ cum Cyrillo pacis prævaricatorem, hæresisque Nestorianæ resuscitatorem, & quidem
L.14.c.47 ægrum & absentem, percutiens in posteriora, damnavit. Errat Nicephorus Calixtus damnatum ob revocatum de sancto Flaviano suffra-
Collat.6. gium: Damnatum ob caussas jam dictas testatur in literis ad Sporatium etiam Theodoretus. Et quinta Synodus: *Chalcedonensis Synodus Domnum Antiochiæ Episcopum, eò quod scripsit taceri debere duodecim Capitula sanctæ memoriæ Cyrilli, & post mortem damnavit, cum confirmasset condemnationem eius* factam à latrocinio Ephesino, *& suscepisset Maximi ordinationem. Igitur propter duodecim Capitula Domnus damnatus est.* Errat damnatum Chalcedone post mortem: Fuisse superstitem Actio decima docet. Prolatæ porrò à Dioscoro literæ fuerunt il-
Epist. 112. læ, quas ex Theodoreti suasu Domnus scripserat, & probari per Synodum sperârat.

Addit Liberatus Diaconus. *Pro Flaviano ordinatus est Anatolius Dia-*
Epist.39. *conus* Ecclesiæ Alexandrinæ, *qui fuit Constantinopoli Apocrisarius Dioscori, & pro Domno Antiocheno ordinatus est Maximus, & pro Iba Nonnus, & pro Sabiniano Athanasius, pro Theodoreto autem ac Eusebio nullus.* Generalis enim Synodus semper auctoritatem habuit pro dejectis à se Episcopis alios eligendi & ordinandi. Fallitur verò Liberatus pro Sabiniano ordinatum Athanasium: Fuit enim ille in sedem restitutus. Et Eusebio fuisse quempiam superordinatum suadent adducta superiùs verba sancti Leonis: *Qui illi iniustè asseritur subrogatus.* Anatolium Diaconum suum promovit Dioscorus, ut Ecclesiæ Alexandrinæ adversùs Constantinopolitanam privilegia per illum repararet, everteretque tertium Canonem Constantinopolitanum. At quam deceptus fuerit, docebunt Acta in Synodo Chalcedonensi.

CAPVT VII.

Romanæ Ecclesiæ Iudicium de Actis latrocinij Ephesini.

QVid de hisce omnibus judicârit sanctus Leo Pontifex, edixêre ad Synodum Chalcedonensem Paschasinus Lilybeti, Julianus Coënsis, Lucentius Esculanus Episcopus, & Bonifacius Presbyter, Legati ejusdem Pontificis, *Synodus proferri non potest, in qua illa nefaria delicta relecta sunt, & ob hoc ad lectionem videntur esse superflua ea, quæ ibi sunt acta. Si ergò & à beatissimo & Apostolico Ramanæ urbis Episcopo omnia, quæ ibi gesta sunt, vana sunt habita, claret, quia & sanctissimus Episcopus Antiochenæ civitatis extra hæc est, quem post hæc beatissimus Episcopus in propria communione suscepit. Necessarium est enim, ut rursùs Christianissimum Principem adeamus, quatenùs illud Concilium sacrâ & piâ lege neque nominari præcipiat.* Et Anatolius Episcopus Constantinopolitanus. *Definimus nihil horum valere, quæ in illa, quæ Synodus dicitur, sunt confecta, nisi illud circa sanctissimum Maximum, magnæ Antiochenæ civitatis Episcopum: Quoniam & sanctissimus Leo Romanus Archi-Episcopus in communionem eum recipiens præesse eum Antiochensium iudicavit Ecclesiæ. Quam formam sequens & ipse approbavi; & omne præsens sanctum Concilium.* Auditis Renato Presbytero ac Hilaro Diacono, Legatis suis, totius Italiæ Synodum coëgit sanctus Leo, omniaque Dioscori Acta, exceptis Domni Antiocheni dejectione & Maximi successoris ordinatione, cassavit, jubens *tumultuosum & miserabilem conventum*, non Episcopalem Synodum aut Ecclesiasticum Concilium appellari, sed *latrocinium Ephesinum*. In literis ad Clerum & populum Constantinopolitanum ait illic læsam & fidem & justitiam. In literis ad Anatolium ejusdem civitatis Episcopum fuisse *scelestissimum iudicium, in quo Dioscorus suam malevolentiam, imperitiam Iuvenalis ostendit.* Et in literis ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem. *Magnum facinus Alexandrino Episcopo auctore vel executore commissum est, ut dùm in fratrem nostrum Flavianum veteres æmulationes & odia privata desæviunt, nec innocentiæ probatissimi Sacerdotis, nec Christianæ fidei parceretur.* Undè Dioscorum, Juvenalem, Eustatium Berytensem Episcopum, aliosque latrocinij Principes communione privavit, eorum nomina rigidissimè vetans inscribi sacris tabulis, aut ad sacrificium recitari.

Act. 10.

L. 1. Con. Chal.

Epist 28.

Epist 23.

Epist. 46.

Epist 29.

Ep. 40. c. 1

Ante omnia cassavit Pontifex Eutychiani erroris & personæ approbationem, sancti Flaviani damnationem, & superordinationem Anatolij. Episcopi enim Severiani, in Constantinopolitana collatio-

ne dicentes Eutychen erroris pænituisse atque ità fuisse receptum à Dioscoro, delirant potiùs, quàm errant. Adversùs Anatolij promotionem scribit Pontifex ad Clerum & populum Constantinopolitanum. *Quisquis incolumi atque superstite Flaviano Episcopo vestro, Sacerdotium eius fuerit ausus invadere, nunquam in communione nostra habebitur Episcopus, nec inter Episcopos poterit numerari.* Et ad Pulcheriam Augustam. *Flavianus Episcopus in nostra omnium communione persistit, atque hoc, quod factum est, sine consideratione iustitiæ, & contra omnem Canonum disciplinam, ratum haberi ratio nulla permittit.* Eodem tenore scripsit ad orthodoxos Constantinopoli Archimandritas. Undè illi obediens Constantinopolitanus Clerus & populus Flaviano tamquam Episcopo suo publicè acclamavit, & acclamationum exempla Romam misit. Quin post Flaviani mortem ad nullas Theodosij Augusti preces Anatolij Episcopatum confirmare voluit Pontifex ex causis mox dicendis. Dispensatoriè tandem recepit ad Martiani Augusti & Augustæ Pulcheriæ preces, mandans sancti Flaviani, tamquam iniquè damnati, reliquias ad ejus cathedralem Ecclesiam honorificè deportari. Quod est omninò factum.

Epist. 21.

Epist. 26.

Ep. 33. 40.

Cassavit item Eusebij Dorylensis, Theodoreti, ac aliorum Episcoporum iniquam damnationem; Theodoretumque & Eusebium, quod Romam accessissent, reddidit Episcopatui. Hinc in Synodo Chalcedonensi dixerunt Gloriosissimi Judices. *Ingrediatur & reverendissimus Episcopus Theodoretus, ut sit particeps Synodi, quia & restituit ei Episcopatum sanctissimus Archi-Episcopus Leo, & sacratissimus ac piissimus Imperator* Martianus, Apostolicæ restitutionis executor, *sanxit eum adesse sanctæ Synodo*, cassatis omnibus in eum à Theodosio Augusto decretis. Eamque restitutionem, licèt multis tamquam adversùs Nestorij magistrum & Capitulorum sancti Cyrilli damnatorem reclamantibus, omnis laudata Synodus tandem confirmavit. Eusebius Romæ hæsit, suam ac jam defuncti sancti Flaviani appellationem prosequens, mansitque usque ad Synodum Chalcedonensem, gaudens plenâ Episcopali communione.

Act. 1.

Act. 8.

Ab illo motus sanctus Leo Pontifex scripsit ad Theodosium Augustum. *Omnes Mansuetudini vestræ cum gemitibus & lacrymis supplicant Sacerdotes, ut quia & nostri Legati reclamârunt, & eisdem libellum appellationis Flavianus Episcopus dedit, generalem Synodum iubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offensiones ità aut repellat aut mitiget, ne aliquid ultra sit vel in fide dubium, vel in charitate divisum, convenientibus atque Orientalium Provinciarum Episcopis, quorum si qui superati minis atque iniurijs à veritatis tramite deviârunt, salutaribus remedijs in integrum revocen-*

L. 1. Con. Chalced. Epist. 19.

vocentur; ipsiq;, quorum caussa est durior, si consiliis melioribus acquiescant, ab Ecclesiæ unitate non excidant. Quam autem post appellationem interpositam hoc necessariò postuletur, Canonum Nicææ habitorum decreta testantur, quæ à totius mundi Sacerdotibus sunt constituta, quæque subter adnexa sunt. Adnexus autem fuit quartus Canon Sardicensis. Ait tantùm Flaviani ac Eusebij Episcoporum appellationi deferendum, quantum uni monacho appellanti fuerat delatum. Novam Synodum vult fieri in Italia ex suasu Theodoreti, & ob Romani Pontificis potentiam in tali Synodo, laudatam superiùs à Felice tertio. Voluit & huic appellationi donari effectum suspensivum, reponique omnia in statum, qui fuerat ante latrocinium. Ad emolliendum Theodosium, possessum à malevolo Eunucho, adhibuit mediatores Valentinianum tertium Augustum, Augustas Pulcheriam, Gallam Placidiam, ac Liciniam Eudoxiam; at ille respondit Ephesi acta omnia secundùm Canones *cum multa libertate & integra veritate*, & indignos Sacerdotio ritè remotos, præsertim Flavianum, auctorem & Principem læsibilis novitatis & contentionis. Frivolam esse dixit ejus appellationem.

Addit Liberatus Diaconus. *Soluto illo Concilio, & ad suas sedes reversis Episcopis, scissio facta est inter eos, qualis anteà nunquam contigerat. Ægyptij, Thraces, & Palestini Episcopi Dioscorum sequebantur; Orientales, Pontici, & Asiani sanctæ memoriæ Flavianum. Quod schisma permansit usque ad obitum Theodosii Principis.* Et hinc illum, uti ad Dardaniæ Episcopos scribit sanctus Gelasius, *Liberè tunc coarguit Papa Leo*, nec ad ejus preces Anatolij Episcopatum unquam confirmare voluit: Confirmavit potiùs ad preces, qui huic appellationi novam Synodum dederat, Martiani Augusti. C. 12.

Porrò Domni Antiocheni dejectionem, licèt latrocinalitèr factam, quod caussæ subsisterent, meritò Pontifex adprobavit. Quis non videat spontè impensum omnibus Dioscori facinoribus suffragium esse justam caussam exauctorationis? Etiam Ecclesiæ suæ privilegia, sextumque Nicenum Canonem Juvenali Hierosolymitano prodidit, & sancti Cyrilli Capitula pertinax damnavit Domnus, atque ità omninò dignus fuit in Dioscori manibus derelinqui. Ex quo patet Apostolicæ Sedis suprema supra generalem Synodum potestas, de qua Gelasius Pontifex in literis ad Dardaniæ Episcopos. *Sanctæ memoriæ Flavianum, Pontificum congregatione damnatum, quoniam sola Sedes Apostolica non consensit, absolvit, potiùsq;, qui illic receptus fuerat, Dioscorum, secundæ Sedis Præsulem, suâ auctoritate damnavit, & impiam Synodum non consentiendo submovit, ac pro veritate, ut Synodus Chalcedonensis fieret, sola decrevit, in qua Pontificibus innumeris, qui latrocinio cor-* Epist. 13.

nos sanctæ Synodi quondam in Epheso factæ, cuius Præsides fuerunt beatissimæ memoriæ Celestinus Romanorum, & Cyrillus Alexandrinorum, & præfulgere quidem rectæ & immaculatæ fidei expositionem Sanctorum, & beatissimorum trecentorum decem & octo Patrum, qui in Nicæa temporibus piæ memoriæ Constantini Imperatoris congregati sunt: Servari autem & ea, quæ apud Constantinopolim à sanctissimis centum quinquaginta Patribus decreta sunt, ad expellendas quidem hæreses, quæ eo tempore germinaverant, & ad confirmationem eiusdem Catholicæ & Apostolicæ nostræ fidei.

Sufficeret quidem ad plenam cognitionem, & confirmationem pietatis hoc sapiens & salutare divinæ gratiæ Symbolum. De Patre enim & Filio & Spiritu sancto perfectionem docet, ac Domini nostri inhumanationem fideliter accipientibus repræsentat. Sed quoniam hi, qui veritatis reprobare prædicationem conantur, per proprias hæreses novas voces genuerunt: Alij quidem mysterium dispensationis Domini, quæ propter nos facta est, corrumpere præsumentes; & vocem Theotocos de Virgine dici denegantes: Alij autem confusionem & mixtionem introducentes, & unam naturam esse carnis & Divinitatis stultè confingentes, & passibilem unigeniti Divinam naturam per confusionem prodigiosè dicentes: Propter hoc illis omnem machinationem contra veritatem volens claudere præsens nunc sancta & magna & universalis Synodus, prædicationem hanc ab initio immobilem docens, decrevit ante omnia; fidem integram & intemeratam permanere trecentorum decem & octo sanctorum Patrum:

trum: *Et confirmat doctrinam, quæ de substantia Spiritus sancti à Patribus centum quinquaginta posteà congregatis in Regia civitate tradita est propter illos, qui Spiritui sancto repugnabant, quam illi omnibus notam fecerunt, non quasi aliquid deesset prioribus adijcientes, sed suum de sancto Spiritu intellectum contra illos, qui dominationem eius respuere tentaverunt, Scripturarum testimonijs declarãtes: Propter illos autem, qui dispensationis mysterium corrumpere conantur, & purum hominem esse genitum ex sancta Virgine Maria impudenter delirant, Epistolas Synodicas beatissimi Cyrilli Alexandrinæ Ecclesiæ Præsulis ad Nestorium, & ad Orientales, congruenter habentes suscepit, ad convincendas Nestorij vesanias, & ad interpretationem eorum, qui salutaris Symboli pio zelo nosse desiderant intellectum: Quibus etiam & Epistolam magnæ & senioris urbis Romæ Præsulis beatissimi & sanctissimi Archi-Episcopi Leonis, quæ scripta est ad sanctæ memoriæ Archi-Episcopum Flavianum ad perimendam Eutychis malam intelligentiam, utpotè & magni illius Petri confessioni congruentem, & communem quandam columnam existentem adversùs perversè sentientes, ad confirmationem rectorum dogmatum congruenter aptavit. His namque, qui in duos filios dispensationis Divinæ mysterium discerpere nituntur, repugnat: Et illis, qui passibilem Deitatem unigeniti ausi sunt dicere, à sacro cætu expellit: Et his, qui in duabus Christi naturis temperamentum aut confusionem opinantur, resistit: Et eos, qui cælestem aut alterius esse substantiæ, quam ex nobis assumpsit, servi formam delirantes dicunt, abigit: Et qui duas quidem ante unionem naturas*

Do-

Domini fabulantur, unam verò poſt unitionem confingunt, condemnat. Sequentes igitur ſanctos Patres, unum eumdemque confiteri Filium & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum conſonanter omnes docemus, eumdem perfectum in Deitate, & eumdem perfectum in humanitate, Deum verum & hominem verum eumdem ex anima rationali & corpore, conſubſtantialem Patri ſecundùm Deitatem, conſubſtantialem nobis eumdem ſecundùm humanitatem, per omnia nobis ſimilem abſque peccato: Ante ſæcula quidem de Patre genitum ſecundùm Deitatem, in noviſſimis autem diebus eumdem propter nos & propter noſtram ſalutem ex Maria Virgine Dei genitrice ſecundùm humanitatem, unum, eumdemque Chriſtum, Filium, Dominum, unigenitum, in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indiviſè, inſeparabiliter agnoſcendum: Nuſquam ſublatâ differentiâ naturarum propter unitionem, magiſque ſalvâ proprietate utriuſque naturæ, & in unam perſonam, atque ſubſiſtentiam concurrente: non in duas perſonas partitum, aut diviſum, ſed unum, eumdemque Filium, & unigenitum, Deum Verbum, Dominum Ieſum Chriſtum, ſicut antè Prophetæ de eo, & ipſe nos Ieſus Chriſtus erudivit, & Patrum nobis Symbolum tradidit. His igitur cum omni undique exacta cura & diligentia à nobis diſpoſitis, definivit ſancta, & univerſalis Synodus, alteram fidem nulli licere proferre, aut conſcribere, vel componere, aut ſentire, aut alios docere. Eos autem, qui audent componere fidem alteram, aut proferre, aut docere, aut tradere alterum Symbolum volentibus ad agnitionem veritatis converti vel ex gentilitate, vel ex Iudaiſmo, vel ex hæreſi quacumque

que

que: Hos, si Episcopi fuerint aut Clerici, alienos esse Episcopos ab Episcopatu, & Clericos à Clero; si verò Monachi aut laici fuerint, anathematizari eos.

S C H O L I O N.

QVoniam Eutyches & Dioscorus omnes errori suo adversantes de hæresi Nestoriana sunt criminati, proclamantes ad sola sancti Cyrilli Capitula & Symbolum Nicenum, reijcientesque Constantinopolitanum, hæc Synodus non solummodò, adversùs quam specialiter congregata, Eutychianam hæresin, sed & Nestorianam damnat, singulariterque prædicat ac in dogma recipit Symbolum Constantinopolitanum, tamquam *sapiens, salutare, ad plenam pietatis cognitionem & confirmationem sufficiens, de Patre & Filio & Spiritu sancto perfectionem docens, ac Domini nostri inhumanationem fideliter accipientibus repræsentans.* In Regulam recipit etiam Synodicas sancti Cyrilli ad Nestorium & ad Orientales Episcopos scriptas Epistolas: Nempè Epistolam pacis ad Joannem Patriarcham Antiochenum ac ejus Synodum, & secundam Epistolam ad Nestorium, priùs ab Ephesina Synodo probatas, omissâ Epistolâ duodecim Capitulorum. Eam prætermisit, nec sibi legi jussit. Caussam fuisse æquivocam acceptionem vocis *Subsistentia* seu *Hypostasis*, suprà audivimus ab Hypatio Ephesiorum Episcopo in Collatione Constantinopolitana cum Episcopis Severianis. Sese enim à damnatis Eutychianis de Nestorianismo pertinacissimè infamandam prævidit hæc præsens Synodus, ideòque omnem criminationibus ansam submovens noluit orthodoxam & ab omni Ecclesia receptam Epistolam disertè in ipso fidei suæ decreto confirmare.

Præsertim confirmavit dogmaticam sancti Leonis ad sanctum Flavianum, quâ factam ab illo Eutychianæ doctrinæ & personæ damnationem stabilivit, Epistolam, à Dioscoro suppressam in Ephesino latrocinio, eamque vocat *communem columnam* adversùs omnes de Act. 2. Dominicæ incarnationis Sacramento malè sentientes. De eadem ad universam Synodum dixit Cecropius Episcopus Sebastopolitanus: *Forma data est à sanctissimo Archi-Episcopo Romanæ urbis, & sequimur eum, & Epistolæ ejus omnes subscripsimus.* Et post lectum Nicenum Symbolum exclamârunt Episcopi omnes: *Papa Leo sic credit, Papa Leo sic interpretatus est.* Et post lectum Symbolum Constantinopolitanum, ac Epistolas sancti Cyrilli: *Leo sic credit, omnes sic credimus.* Et

post

post lectam ipsam laudatam Epistolam: *Petrus per Leonem ità locutus est; omnes ità credimus, sicut Leo, ità credimus.* Et Relatio synodalis ad Marcianum Augustum. *Impenetrabilem in omni errore propugnatorem Deus providit, & Romanæ Ecclesiæ Papam ad victoriam præparavit, doctrinis eum veritatis per omnia accingens.* Hanc ejus Epistolam ornat insigni adversùs Eutychianas criminationes apologiâ. Et Relatio ad ipsum Pontificem: *Vocis beati Petri es omnibus constitutus interpres.* L.3 Con. Et Marcianus Augustus in literis ad Præfectos Prætoriorum & urbis Chal. Constantinopolitanæ. *Chalcedonensis Synodus, auctoritate beatissimi Leo-* Epist. 11. *nis Episcopi æternæ urbis Romæ, religionis fundamenta constituit.* Et Synodus Constantinopolitana sub Menna Patriarcha. *Epistola sanctæ me-* Act.1. *moriæ Leonis, qui fuit illuminator & columna Ecclesiæ.* Et in sexta Synodo generali ad Constantinum Augustum dixêre Legati Romani: Act.2. *Beati Leonis sermonem sancta quarta Synodus firmamentum orthodoxæ fidei inscripsit, & damnationem universæ hæresis.* Et sanctus Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus in literis ad Sergium Constantinopolitanum Episcopum, probatis per eandem Synodum. *Rectæ fidei propugnatrix, à Deo condonata, atque à Deo inspirata Epistola magni & præclari Leonis, sanctissimi Romanæ Ecclesiæ, immò omnium, quæ sub cœlo sunt, luminaris, quam & firmamentum rectæ fidei appello.* Plurima ejus sunt istiusmodi Encomia. Legantur Epistolæ Theodoreti ad Leonem Papam, ad Renatum Presbyterum, ac Anatolium Patricium. Eandem Epist. 113. 116. 121. Epistolam ipse in Græcum transtulit, ac in Synodo Chalcedonensi asseruit contra ejus criminatores Eutychianos, atque ità plenam Sedis Apostolicæ gratiam recepit. Hinc Ecclesiæ Alexandrinæ Apocrisarij illum apud Legatos Anastasij secundi Pontificis ad Anastasium Augustum accusârunt infidæ translationis, dicentes exindè Epistolam apud se & alios Eutychianos venisse in suspicionem erroris Nestoriani.

Notanda sunt verba: *In duabus naturis inconcussè, immutabiliter, indivisè, inseparabiliter agnoscendum.* Perperàm quidam codices legunt, *Ex duabus naturis.* Hic enim est primus hujus definitionis à quibusdam Episcopis prolatus conceptus, adversùs quem Legati Apostolici fuerunt protestati, dixeruntque gloriosissimi Judices. *Dioscorus dice-* Act.5. *bat propter hoc se damnasse Flavianum, quia* DVAS NATVRAS *aiebat esse; definitio autem,* EX NATVRIS, *habet.* Et infrà. *Dioscorus dicebat,* QVOD EX DVABVS NATVRIS EST, SVSCIPIO, DVAS NON SVSCIPIO. *Sanctissimus autem Archi-Episcopus Leo dicit duas naturas esse in Christo unitas inconfusè, inconvertibiliter, & indivisibiliter. Quem igitur sequimini, sanctissimum Leonem, an Dioscorum?* Et acclamavêre Episcopi: *Vt Leo*

sic credimus. Episcopos fidei definitionem à sancti Leonis Epistola quovis modo dissonam fabricare conatos Legati Apostolici & gloriosissimi Judices minati sunt Romam mittere, de fide discutiendos. Voces, *Ex duabus naturis*, sunt æquivocæ, ab Eutychete & Dioscoro usurpatæ, faciles aptari in eorum virus, ideòque hæc nostra Synodus omninò scripsit: *In duabus naturis*, post adunationem manentibus integris ac inconfusis.

Tandem Ephesinum Canonem de non alterando Niceno seu Constantinopolitano Symbolo innovat definitio, utique adversùm quosdam Episcopos, qui clamârant: *Sancta Maria Theotocos scribatur, & in Symbolo sic addatur.* Omnem criminandi ansam voluit subtractam Eutychianistis.

CANONES

CONCILIJ CHALCEDONENSIS.

CANON PRIMVS.

Regulas sanctorum Patrum, per singula nunc usque Concilia constitutas, proprium robur obtinere decrevimus.

SCHOLION.

Canon confirmat Codicem Canonum Ecclesiæ universæ, omnesque in ipso contentos Canones: Nicenos, Ancyranos, Neo-Cæsareenses, Gangrenses, Antiochenos, Laodicenses, Constantinopolitanos, ac Ephesinos. Antiquum exemplar, ex bibliotheca Regis Christianissimi adductũ à Petro de Marca Episcopo Tholosano, collectum & editum adfirmat à Stephano Ephesiorum Episcopo circa tempora Theodosij Augusti senioris: Forsàn ab illo, qui latrocinio Ephesino & huic Synodo interfuit, ac de Episcopatu disputavit cum Bassiano Potuit Juvenis collegisse Codicem. Prima sanè collectio finiebat in Canonibus Constantinopolitanis, ideòque facta videtur ante Synodum Ephesinam. Postmodùm accesserunt Canones Ephesini & Chalcedonenses. Porrò vox, *Ecclesia universa*, restringi debet ad Ecclesias Orientales. Quod namque Romana & omnis latina Ecclesia

clesia alium habuerit Codicem, liquet ex Canonibus Sardicensibus & Antiochenis: Hos illa eò usque abjecit tamquam dolosas Eusebianorum in sanctum Athanasium insidias, istos semper admisit, ideòque uti nequijt Codice, in quo deessent. Et inter Paschasinum Lilybeti Episcopum, & sancti Leonis Pontificis Legatum, ac inter Ætium Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archi-Diaconum in hac Synodo de sexti Niceni Canonis exordio mota quæstio ostendit Ecclesijs illis fuisse Codices disparatos. Act. 16.

CANON II.

SI quis Episcopus per pecunias fecerit ordinationem, & sub pretio redegerit gratiam, quæ non potest vendi, ordinaveritq́ per pecunias Episcopum, aut Chorepiscopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, vel quemlibet ex his qui connumerantur in Clero, aut promoverit per pecunias dispensatorem, aut defensorem, vel mansionarium, vel quemquam omninò qui subjectus est regulæ, pro suo turpissimo lucri commodo: Is qui hoc attentasse probatus fuerit, proprij gradus periculo subiacebit: & qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione, vel promotione per negotiationem facta proficiat, sed sit alienus à dignitate, vel sollicitudine, quam pecunijs acquisivit. Si quis verò mediator tam turpibus & nefandis datis vel acceptis extiterit, & ipse si quidem Clericus fuerit, proprio gradu decidat: si verò laicus aut monachus, anathematizetur.

SCHOLION.

DAmnat ac punit omnem Simoniam commissam non dumtaxàt in donatione sacrorum Ordinum, sed & in promotione ad officia Ecclesiastica Dispensatoris seu Oeconomi, Defensoris, aut Mansionarij, quem secunda horum Canonum editio vocat Paramonarium. Ejusdem meminit Glossa Epistolæ Gregorij noni ad Patriarcham Antiochenum, exponens quid sint istius Ecclesiæ Canonici, quid Assisij. *Assisios Pontifex vocat beneficiatos, qui non sunt Canonici, qui servire* L. 3. tit. 4. c. 16.

 de-

debent Ecclesiæ, nec vocantur ad omnes tractatus cum Canonicis, & dicuntur Assisii, quasi assidui. In multis Ecclesiis sunt plures tales, qui Mansionarij
L.3.c.58. *dicuntur.* Et Joannes Diaconus in vita sancti Gregorij magni dicit, quod Lateranensis Ecclesiæ Mansionarius Basilicam aperiat & claudat, luminaria paret, accendat, & exstinguat. Et ipse sanctus Grego-
L.3.Ep.30 rius in literis ad Constantinam Augustam scribit Monachos & Mansionarios Ecclesiæ sancti Laurentij extra muros in ejusdem sancti corpore, quod circa thecam quædam meliorari oporteret, effodiendo laborasse. Eos liber Pontificalis vocat Cubicularios, dicens de sancto Leone magno Pontifice, quod sanctorum Apostolorum Petri & Pauli sepulchris adhibuerit custodes, eosque appellârit Cubicularios. Et Epiphanius Tyriorum Metropolita in literis ad Synodum Constantinopolitanam sub Menna Patriarcha facit mentionem de Joanne Paramonario Ecclesiæ sanctæ Dei genitricis. Et in literis ad eandem Synodum Clerus Apameensis accusat Petrum suum Episcopum, quod mercantias faciat ordinando Presbyteros, qui statuant *Paramonarios & Hospitalarios necessaria alimenta pauperum ubique dispilantes.*
L.46 c.2. Et Justinianus Augustus in Codice sub titulo de Episcopis & Clericis Paramonarios adnumerat Oeconomis, Xenodochis, Nosocomis, Orphanotrophis, alijsque piarum actionum Administratoribus per Episcopos constitutis. Ubi ad vocem, *Paramonarios*, notat Dionysius Gothofredus: *Hi erant villici, sive Actores possessionum, ex eorum genere, qui res Ecclesiasticas administrant.* Eadem est mens Jacobi Cujacij. Quocircà Oeconomus & Paramonarius distinguuntur tamquam genus & species: Oeconomus est totius Ecclesiasticæ substantiæ Rector universalis; Paramonarius est Rector unius villæ, seu mansionis, ideòque dictus Mansionarius. Mansio enim apud Romani Juris peritos sunt diversoria ad itinerantium nocturna hospitia, dissita passim ad unam diætam. Hinc toties in literis suis queritur Theodoretus Cyri Episcopus se ab Ephesino latrocinio damnatum fuisse absentem
Epist.140. plusquam ad triginta quinque mansiones. Et Ibas Metropolita Edes-
Act.10. senus dixit ad hanc nostram Synodum: *Eutyches per quadraginta mansiones direxit me.* Et Capitulare secundum Ludovici pij Imperatoris
Cap.17. meminit locorum, in quibus *via & Mansionatici* fuerunt ordinati à Patre suo Carolo magno. Et hinc descendunt vocabula barbara, in antiquis Francorum & Germanorum scriptoribus frequentia, *Mansus* & *Mansuarius.* Quocircà Ecclesiasticum Mansionarium credo olim fuisse varium juxta variam Ecclesiæ mansionem. Alius propè Ecclesiam ad illam servandam, mundandam, ornandam, ad alendos hospites & pauperes, ad peragenda Divina officia; alius in ejus *villis* &

pos-

possessionibus manebat. Et omnes hosce Mansionarios Canon vetat pretio promoveri. Erant enim *subiecti Regulæ*, seu Clerici: Antiquus enim Canon nullum laicum ad Ecclesiasticæ substantiæ gubernamen admittit. Ex quo vides non tantùm in Divinis, sed & in humanis Ecclesiæ rebus committi simoniam: Et quidem à mediatoribus. Quid fuerint Ecclesiastici olim Defensores, dicam loco magis opportuno.

CANON III.

PErvênit ad sanctam Synodum, quod quidam, qui in Clero videntur allecti, propter lucra turpia conductores alienarum possessionum fiant, & sæcularia negotia sub cura sua suscipiant, Dei quidem ministerium parvi-pendentes, sæcularium verò discurrentes domos, & propter avaritiam patrimoniorum sollicitudinem sumentes. Decrevit itàque sanctum hoc magnumq; Concilium, nullum deinceps, non Episcopum, non Clericum, vel Monachum, aut possessiones conducere, aut negotijs sæcularibus se immiscere, præter pupillorum (si fortè leges imponant) inexcusabilem curam, aut civitatis Episcopus Ecclesiasticarum rerum sollicitudinem habere præcipiat, aut orphanorum, & viduarum, earum quæ sine ulla provisione sunt, ac personarum, quæ maximè Ecclesiastico indigent adjutorio, & propter timorem Domini caussa deposcat. Si quis autem de cætero transgredi hæc statuta tentaverit, qui est hujusmodi, ecclesiasticis increpationibus subjacebit.

SCHOLION.

CAnon Apostolicus est: *Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus.* Exponit sanctus Cyprianus in literis ad Clerum & populum Furnitanum. *Quod cùm de omnibus dictum sit, quantò magis molestijs & laqueis sæcularibus obligari non debent, qui Divinis rebus & spiritualibus occupati ab Ecclesia recedere, & ad terrenos & sæculares actus vacare non possunt.* Hìnc pergit. *Iam pridem in Concilio Episcoporum statutum est, ne quis de Clericis & Dei ministris tutorem vel curatorem testa-* Epist. 66.

 mento

mento suo constituat, quando singuli Divino Sacerdotio honorati, & in Clerico ministerio constituti, non nisi Altari & sacrificijs deservire, & precibus atque orationibus vacare debeant. Quod Episcopi Antecessores nostri religiosè considerantes, & salubriter providentes censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Neque enim apud Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes & Ministros voluit avocare. Undè Victorem, civem Furnitanum, qui Faustinum Presbyterum filijs suis scripserat testamento hæredem, omnibus Ecclesiæ suffragijs privavit. An Africanus hic Canon etiam legitimis & necessarijs tutelis vetuerit implicari Clericos, ignoro: Sanè permittit noster Chalcedonensis: *Si fortè leges imponant.* Justinianus Augustus in lege novella ad Petrum officiorum Magi-

Novel.123 c.5. strum directa Episcopis ac monachis vetat quamvis, Presbyteris, Diaconis, ac Subdiaconis imponi permittit legitimam tutelam aut curam jure cognationis aut agnationis, quam tamen debeant spontaneè suscipere, adeòque possint refutare. Sic & quarta Aurelianensis

C.13. Synodus Episcopos, Presbyteros, atque Diaconos ab omni actione publicâ aut administratione excusat, *Quia quod lex sæculi etiam Paganis Sacerdotibus & Ministris antè præstiterat, iustum est, ut erga Christianos specialiter conservetur.* Eandem legem confirmat Leo Sapiens Au-

Novel.46. gustus, permittens tamen ut & Clerici & monachi possint esse tutores seu executores testamentorum. Paucis enim diebus fit illa tuitio & executio, atque ità horum silentium, ac illorum ministerium modicè

C.16. inquietat. Eandem solis Episcopis interdicit quarta Synodus Carthaginensis. Eodem modo sæcularium possessionum conductiones & negotiorum procurationes plurimi Canones ac leges Episcopis, Clericis, ac monachis interdicunt.

Noster tamen Canon de Episcopi licentia permittit curam rerum sæcularium spectantium ad Ecclesias, viduas, orphanos, & quasvis miserabiles personas, egentes Ecclesiastico auxilio aut defensione. Ità

L.1.Ep.13 ad Dominicum Centumcellensem Episcopum scribit Gregorius magnus: *Officij sacerdotalis est, ut viduis ac maritali regimine desolatis impartiri solatia debeatis, ut undè in hoc mundo humanâ conditione privantur,*

Epist.62. *Sacerdotali tuitione possint remedia reperire.* Et in literis ad Januarium Calaritanum Archi-Episcopum: *Pastoralis regiminis necessitate compellimur, ut orphanorum viduarumq; caussis solertius, quàm curis cæteris*

C.23. *insistamus.* Ità Caroli magni & Ludovici pij Capitularia, & Synodus Vernensis statuunt, ut viduarum & orphanorum caussas ante quasvis alias audiant Comites & Judices, idque in eleemosyna Domini Regis.

gis. Eorum contra iniquos Judices & quoſvis potentes patrocinium
Eccleſiæ imponit ſecunda Synodus Matiſconenſis, eoſdem judiciali- C.12.
ter conveniri vetans coram ſolo laico Judice: Mandat Epiſcopum
conjudicem adeſſe. Secunda Aquiſgranenſis eorum protectionem
ipſi Principi imponit. Et Childericum Francorum Regem, quod L.1.c.3.
exoſas haberet cauſſas pauperum, graviſſimè culpat ſanctus Gregorius
Epiſcopus Turonenſis. Ex adverſo Cæleſtinus quartus, quod Cardi- L.6.c.46.
nalis eas Gregorio nono Pontifici referret, divinitùs factus eſt ejus
ſucceſſor, ut teſtatur compilatio Hiſtorica incerti Auctoris inter
Scriptores rerum Germanicarum. Eoſdem ab Epiſcopis protegen- A.1244.
dos, eorumque oppreſſores Domino Regi deferendos jubet quarta
Synodus Toletana. Opprimentium oblationem recipi vetat quarta C.32.
Carthaginenſis. Eorum afflictione Deum impelli ad clades regnis
immittendas ſcribit Hincmarus Remenſis, mandans ſic ordinari Pa- Epiſt.15.
latium, ut ſemper adſint, qui deſolatorum, orbatorum, ære alieno c.14.
oppreſſorum, injuſtis calumnijs ſuffocatorum, maximèque viduarum Epiſt.14.
& orphanorum preces ad pias aures Principis poſſint perferre. Man- c.25.
dat item ſacroſancta Synodus Tridentina Epiſcopis, *ut pauperum ac*
aliarum miſerabilium perſonarum curam paternam gerant, utique juxta Seſſ.23.
juramentum, quo in ſua conſecratione profitentur omnibus miſera- c.1.
bilibus perſonis ſeſe præbere affabiles & benignos. Adjungit tamen
quarta Carthaginenſis: *Vt Epiſcopus gubernationem viduarum & pupil-*
lorum non per ſeipſum, ſed per Archi-Presbyterum aut Archi-Diaconum C. 17.
agat. Et etiam hodie apud pleraſque Eccleſias eſt Defenſor, Advoca-
tus, ſeu Procurator pauperum, multis privilegijs ornatus.

CANON IV.

QVi verè & ſincerè ſingularem ſectantur vitam, competenter honorentur. Quoniam verò quidam utentes habitu monachali, Eccleſiaſtica negotia, civiliaque conturbant, circumeuntes indifferenter urbes, nec non & monaſteria ſibi inſtituere tentantes: placuit nullum quidem uſquam ædificare, aut conſtituere monaſterium, vel oratorij domum, præter conſcientiam civitatis Epiſcopi. Monachos verò per unamquamque civitatem aut regionem ſubiectos eſſe Epiſcopo, & quietem diligere, & intentos eſſe tantummodò ieiunio

&

& orationi, in locis, quibus renunciaverunt sæculo, permanentes, nec Ecclesiasticis verò nec sæcularibus negotiis communicent, vel in aliquo sint molesti, propria monasteria deserentes: nisi fortè his præcipiatur propter opus necessarium ab Episcopo civitatis. Nullum verò recipere in monasteriis servum, ut sit cum eis monachi obtentu, præter sui domini conscientiam. Transgredientem verò hanc definitionem nostram, excommunicatum esse decernimus, ne nomen Dei blasphemetur. Verumtamen Episcopum convenit civitatis, competentem monasteriorum providentiam gerere.

SCHOLION.

MOnasticam professionem esse cælestem Philosophiam, vitam Angelicam, arcanamque & Divinam, cælo delapsam, inter Ecclesiastica ornamenta lapidem & florem pretiosissimum, nova cum Deo post Baptismum pacta, hominis immolationem in Dei holocaustum, ideòque monasteria esse cæli scalas, Ecclesiæ portus, Dei paradisos, animarumque vivaria passim sancti Patres testantur. Quare hujus vitæ veros & synceros sectatores Canon meritò mandat competenter honorari. Compescit verò eos, qui nuper cum Eutyche & Barsuma conspirantes omnem Orientalem Ecclesiam horrendè perturbârant, & à quibus graviora non sine caussis metuebat. Quis enim ignoret barbaricos motus à monachis Eutychianistis post hanc Synodum concitatos Alexandriæ, Hierosolymis, per omnem Palestinam atque Ægyptum? Eis compescendis Canon varia statuit.

Primò, ut nullum deinceps fiat novum monasterium sine licentia Episcopi. Est antiquus, at qui apud Orientales in dissuetudinem abierat, Canon. Etenim hâc Synodo dudùm prior sanctus Augustinus nullum in Africa monasterium constituit, nisi de licentia Episcoporum. Quod ipsum rigidè confirmavit Synodus Tridentina. Caussam scribit sanctus Ivo Carnotensis Episcopus in literis ad Goffredum Abbatem Vindocinensem. *Omnis traditio religionis novitate ac raritate viget & floret; antiquitate & numerositate, nisi districtè ligetur & servetur, frigescit ac vilescit.* Gentis multiplicatio lætitiæ magnificationem quandoque subnervat. Quocircà non nisi sub Episcopali oculo & examine congruit monasteria multiplicari.

Epist. 41.

Addit

Addit Canon: *Vel Oratorij domum.* Exponit quinta Synodus Carthaginensis. *Placuit, ut altaria, quæ paßim per agros aut vias, tamquam memoriæ mortuorum, constituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Episcopis, qui eisdem locis præsunt, si fieri potest, evertantur. Si autem ob tumultus populares non sinitur, Plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent, ut qui rectè sapiunt, nullâ ibi superstitione devincti teneantur. Et omninò nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ reliquiæ sint, aut ubi origo alicuius habitationis, vel possessionis, vel paßionis, fidelißimâ origine traditur. Nam quæ per somnia & per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubique constituuntur Altaria, omninò reprobentur.* Hìnc ad novorum erectionem meritò Canon requirit examen ac judicium Episcopale. Potiùs tamen nova monasteriola, quam superstitionem voluit cohibere. Quod namque ad ejusmodi per Orientem Altaria, Oratoria, seu Capellas consueverint monachi nidificare, liquet ex quinta hujus Synodi Actione, ubi adversùm quosdam monachos Eutychianistas, usurpantes Archimandritæ nomen, dixére Archimandritę Constantinopolitani. *Carrosus & Dorotheus Archimandritæ sunt. Elpidius monumentorum Procopiensium custos est. Eutychius de Basilica Celestina est, monasterium non habet. Theodorus in monumentis habitat. Hypsius in monumentis habitat, habens duo vel tria nomina in Xylocirco. Callinicus habet decem nomina in memoria in Xylocirco. Paulus de Bythinia est, habitans solitariè in monumento. Gaudentius in monumentis habitat: Habet quinque nomina in Philippianis. Rogamus aliquos mitti, ut ambulent & videant monasteria eorum, & discant, si habent monasteria, an deludant, & noceant honoribus Archimandritarum, & amodò debent accipere disciplinam, ut non se dicant Archimandritas, qui in monumentis habitant,* id est, in memorijs Martyrum, in Oratorijs Forensibus, aut Capellis. Ità Exuperantium Episcopum, qui in aliena Diœcesi sine Episcopi istius licentia Oratorium construxerat, tamquam antiqui moris prævaricatorem graviter arguit, lociqúe Episcopo ipsum Oratorium donat Gregorius magnus. (L. 11. Ep. 21.) Et apud Flodoardum in Ecclesiæ Remensis Historia Hincmarus ejusdem sedis Metropolita Adelardo Turonensi Archi-Episcopo dat licentiam exstruendi in suę Diœceseos villa Oratorij, (L. 3 c. 21.) *eâ condicione, ut antiqua villæ ipsius Ecclesia, vel eiusdem Presbyter nullum privilegij sui detrimentum propter hoc patiatur.* Neque dumtaxàt nova Oratoria, sed & novæ Basilicæ solent excitare contentiones. Etenim Donatistas arguit Optatus Milevitanus Episcopus, quod novas sine caussa Basilicas, unàque lites exstruxissent. Nota est post sancti Thomæ cædem nata miseranda lis inter Archi-Episcopum Can-

tuarienſem & monachos Cathedrales ob novam Baſilicam Cantuarienſem, exſtincta tandem per Innocentium tertium. Sunt tamen cauſſæ, ex quibus nova etiam in campis aut pagis Oratoria permittantur. Mauritium enim ſancti Lauromari Bleſenſis Abbatem, qui de ſua licentia in Ulcha villa Capellam exſtruxerat, *ad quam remoti à matrice Eccleſia Parochiani ſuis temporibus debitas oblationes reddituri poſſent convenire*, laudat, & ab omni monaſterij Vindocinenſis de dictis oblationibus impetitione abſolvit ſanctus Ivo Epiſcopus Carnotenſis.

Epiſt. 172.

Noſter hic Canon etiam Actione ſextâ editus fuit ad preces Martiani Auguſti, eaque editio addit: *Monaſterium aut Oratorij domum placuit non ædificari in poſſeſſione præter voluntatem Domini poſſeſſionis.* Quod additamentum à religioſa muliere Theodoſia in erigendo apud Sardos monaſterio ſequitur & ſervari mandat ſanctus Gregorius magnus in literis ad Januarium Epiſcopum Calaritanum.

L. 2. Ep. 8. 10.

Deindè mandat Canon cujuſque civitatis aut territorij monachos proprio Epiſcopo ſubeſſe: Adversùm Barſumæ aſſeclas, qui Syriæ Epiſcopis obedientiam denegârant, ſeſeque ſeparârant ab eorum communione. Adeò pridem cæperunt monachi ad exemptionem adſpirare. Nam & Theophilum Alexandrinum Patriarcham laudat ſanctus Hieronymus: *Non quæris monachos tibi habere ſubiectos, & ideò magis ſubiectos habes.* Adversùm Epiſcoporum exceſſus eis libertatem dare cæpit ad ſancti Fulgentij preces Bonifacius Archi Epiſcopus Carthaginenſis, cujus Synodus exſtat integra in Bibliotheca vaticana. Plenæ exemptionis primum donatorem alij eſſe volunt Deuſdedit Pontificem, alij ſanctum Gregorium. Nam & hic confirmavit plenam exemptionem Eccleſiæ Thebanæ à poteſtate Metropolitæ Lariſſeni, datam à ſuo Anteceſſore Pelagio ſecundo. Gregorium Mutinenſem Epiſcopum à Joannis Metropolitæ Ravennatis poteſtate Simplicius Pontifex exemit. Papienſem ac Turritanam Eccleſias ab ipſo Petro Apoſtolico donatas hâc gratiâ quidam affirmant.

Epiſt 62. c. 1.

L. 2. Ep. 46

Epiſt 2.

Tertiò mandat Canon monachos vivere in quiete, jejunio, oratione. Etenim, uti in libellis Epheſino latrocinio exhibitis dixit ipſe Eutyches, monachorum eſt *in ſilentio abſque ullo negotio degere, & abſque ulla conturbatione perſiſtere.* Et perfectum volens monachum oſtendere dixit ad ſancti Flaviani Legatos vivere ſe in monaſterio, quaſi in ſepulchro. Et ad Romanam Eccleſiam, quæ Eugenium tertium è monaſterio ad Papatum evexerat, exclamat ſanctus Bernardus. *Parcat vobis Deus, quid feciſtis? Sepultum hominem revocaſtis ad homines: Fugitantem curas & turbas curis denuò implicuiſtis, & immiſcuiſtis turbis.*

Epiſt. 236.

Sta-

Statum namque monasticum Ecclesiæ Patres passim vocant *tranquilla silentia*, lamentanturque sese ex illis jactatos in sæculi clamores & alti maris fremitus, id est, curas Episcopales. Legendæ sunt querimoniæ Gregorij magni, deplorantis se per Episcopatum longè à conditoris facie expulsum. L. 1. Ep. 5. Monachus est pænitentis species, cujus unicum munus est peccata sua plangere & purgare, quod fit potissimùm jejunio & oratione. Ad sanctum Paulinum monachum scribit sanctus Hieronymus. *Obsecro te, ut multitudines hominum, & officia, & salutationes, & convivia, veluti quasdam catenas fugias voluptatum. Sit utilis & vespertinus cibus, olera & legumina*, id est, omni die in ejusmodi cibo jejuna: *Interdùm pisciculos pro summis ducas delicijs. Qui Christum desiderat, & illo pane vescitur, non quærit magnoperè, de quam pretiosis cibis stercus conficiat.* Et de seipso scribit ad Asellam: *Ego fabâ ventrem impleo.* Vinum junioribus interdicit ut venenum. Et Ordinem Cisterciensem tamquàm splendidissimam Ecclesiæ lucernam laudat Stephanus Tornacensis Episcopus, *Quod tanta sit in cibo parsimonia, ut duobus tantùm pulmentis utatur, quæ aut ager ex leguminibus, aut ex oleribus hortus afferat.* Epist. 1.

Quartò mandat Canon, ut monachi nec Ecclesiasticis, nec sæcularibus negotijs communicent. Exponit sanctus Leo Pontifex in literis ad Maximum Patriarcham Antiochenum. *Illud quoque Dilectionem tuam convenit præcavere, ut præter eos, qui sunt Domini Sacerdotes, nullus sibi jus docendi aut prædicandi audeat vindicare, sive ille sit monachus, sive laicus, qui alicuius scientiæ nomine glorietur. Quia etsi optandum est, ut omnes Ecclesiæ filij, quæ recta & sana sunt, sapiant, non tamen permittendũ est, ut quisquam extra Sacerdotalem Ordinem constitutus gradum sibi Prædicatoris assumat, cùm in Ecclesia Dei omnia ordinata esse conveniat, ut in uno Christi corpore & excellentiora membra suum officium impleant, & inferiora superioribus non resultent.* Et in literis ad Julianum Coënsem Episcopum, suum Constantinopoli Legatum. *Miramur fratrem Thalaßium, Cæsareensem in Cappadocia Primatem Episcopum, quod Georgio nescio cui, qui præsumendo illicita & propositum monachi & nomen amisit, scribendi vel prædicandi aliquam permiserit facultatem.* In literis ad Theodoretum Cyri Episcopum adfirmat editum Canonem adversùs improbitatem quorumdam monachorum regionis Orientalis, per quos, Barsumâ duce, turbata fuerat universa Syria. Eandem audaciam damnat Martianus Augustus in monachis Palestinis, adhærentibus impio Theodosio, invasori Episcopatus Hierosolymitani. Hausêre illam ab ipso Eutyche, quem per catecheses & disputationes effutijsse ac disseminasse virus suprà audivimus ab Eusebio Dorylеensi. Adversùs

Ep. 61. c. 4. Epist. 82. Ep. 63. c. 6 L. 3 Con. Chal. Epist. 9.

versùs similem Priscillianistarum insolentiám, ut nullus monachus aut laicus nomen sibi Doctoris adsumat, statuerunt priores Synodi Hispanicæ.

Quintò mandat Canon, ut monachi in locis, in quibus renunciaverunt sæculo, permaneant, neque monasteria sua deserant. Statuitur adversùs Barsumam, de quo in hac Synodo clamârunt Episcopi Orientales: *Omnem Syriam Barsumas evertit, duxit super nos mille monachos*, utique ad nos eijciendos de sedibus, istosque nobis superordinandos. Est fundamentalis & antiquus monasticæ institutionis Canon, de quo sanctus Hieronymus in literis ad Rusticum monachum:
Epist. 4. *Si te Clericatus titillat desiderium, ità age & vive in monasterio, ut Clericus esse merearis.* Desiderium & ambitum illum esse monachismi pestem Patres passim adfirmant. Et Aurelium Carthaginensem Episcopum, quod ambitiosos monasteriorum desertores in Clerum adsu-
Epist. 70. meret, graviter sanctus Augustinus monuit, eamque temeritatem per Canonem ab omni Africana Ecclesia eliminari curavit sanctus Augustinus. Neque enim malus monachus possit esse bonus Clericus. Verùm quam non profecerit Canon adversùm Eutychianistas, docet Timothei Æluri & Theodosij, impijssimorum cum suis asseclis monachorum, plùsquàm barbarica grassatio in Alexandrinam ac Hierosolymitanam Ecclesias, earumque Patriarchales Diœceses.

Attamen non solùm Clericatus ambitum aut sedium Episcopalium invasionem, sed omnem penitùs civilium atque Ecclesiasticorum negotiorum tractatum monachis Canon interdicit. Et meritò. Ad Haimericum enim Romanæ Ecclesiæ Cancellarium scribit S. Bernardus.
Epist. 40. *Gravor interesse caussis, quarum mea non interesse cognosco. Gravor, sed trahor. Indicantur, si placet, clamosis ac importunis ranis de cavernis non egredi, sed suis contentas esse paludibus. Non audiantur in Concilijs, in Palatijs non inveniantur. Ad caussas, ad negotia nulla necessitas, nulla trahere possit auctoritas. Sic forsitàn possit vester amicus declinare præsumptionis notam. Nam noxam undè contrahere potuerim, ignoro: Cùm sciam consilium mihi esse & propositum, nunquam, si caussa dumtaxat Ordinis nostri non fuerit, exire de monasterio, nisi Apostolicæ Sedis Legato, aut proprio vocante Episcopo, quibus contradicere nostræ humilitati fas non est, nisi ex quocumque superioris auctoritatis privilegio.* Ejusmodi ambitiosos negotiorum monachos meritò vocat ranas importunas & clamosas. Et Joannem ac Benedictum, sancti Romualdi monachos, plurimùm in illius vita laudat sanctus Petrus Damiani, quod Busclavo Sclavorum Regi, à quo Romam ob fidei negotia missi rogabantur unà Regni coronam à Se-
C. 28 29. de Apostolica petere & reportare, responderint: *Nos in sacro Ordine*

po-

positi sumus, tractare nobis sæcularia negotia minimè licet. Et ità *relinquentes Regem ad cellam suam redierunt.*

Addit Canon: *Nisi fortè præcipiatur propter opus necessarium ab Episcopo civitatis.* Exponit sanctus Augustinus in literis ad Eudoxium Abbatem monachorum insulæ Caprariæ. *Exhortamur, ut propositum vestrum custodiatis, & usque in finem perseveretis: Ac si quam operam vestram mater Ecclesia desiderârit, nec elatione avidâ suscipiatis, nec blandiente desidiâ respuatis, sed miti corde Deo obtemperetis. Nec vestrum otium necessitatibus Ecclesiæ præponatis, cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodò nasceremini, non inveniretis.* Et hinc ad Rusticum monachum scribit sanctus Hieronymus: *Numquam de manu & oculis recedat liber; ama scientiam Scripturarum.* Hoc enim est sic degere in monasterio, ut Clericus esse non ambias, sed merearis. Legenda est sancti Athanasij Epistola, quâ Dracontium monachum hortatur & quasi cogit ad suscipiendum Episcopatum, ostendens illum proposito monastico non adversari. Plures ille ad evertendam Arianam rabiem doctos monachos Episcopatui imposuit & omni Clero, ejusque exemplum alij etiam Patriarchæ, & Metropolitæ, & Episcopi sunt fælicissimè æmulati. Quia tamen quidam monasteria exhauriebant, addidere posteriores Canones monachum ab Episcopis non posse adsumi in Clerum sine licentia Abbatis.

Epist. 81.

Epist. 4.

Etiam docendi & scribendi licentiam monachis dare semper potuit Episcopus. Quod enim Symeon Stylites etiam post hunc Canonem quotidie doceret è columna populum, scribit & laudat in historia monastica Theodoretus. Thalassium Cæsareensem arguit sanctus Leo magnus, non quod simpliciter monacho, sed quod monacho Eutychianistæ similem licentiam dedisset. Etiam sanctus Antonius, Afraates, Julianus, monasterio adversùm Arianos egressi, populum confortârunt & docuerunt. Numquam tamen ad solenniter in Ecclesiastico conventu prædicandum potuit admitti monachus: Quod dum quidam etiam ad monachos sacris Ordinibus insignitos extendunt, damnari meruerunt à Bonifacio quarto Pontifice, de quibus suo loco.

C. 2.

Sextò tandem vetat Canon servos sine Domini licentia ad monasteria recipi, ne Domini Dei nomen blasphemetur. Caussam dat sanctus Gelasius Pontifex in literis ad Lucaniæ, Brutij, & Siciliæ Episcopos. *Generalis querela vitanda præsumptio est, quâ propemodùm caussantur universi, passim servos & Originarios, dominorum iura possessionemque fugientes, sub religiosæ conversationis obtentu ad monasteria se conferre: Quæ modis omnibus est amovenda pernicies, ne per Christiani nominis institutum aut aliena pervadi, aut publica videatur disciplina subverti.* Ser-

Epist. 9.

vus enim nequaquàm sui, sed alieni dominij & juris est, adeòque sui dominium nequit per professionem in monasterium transferre. Vana, injuriosa, irrita est ejusmodi professio, ideòque professos dominis restitui mandat Pontifex, *nisi scripto eos absolvant, aut legitimâ transactione concedant, quoniam magnis studijs secundùm Apostolum præcavendum est, ne fides & disciplina Domini blasphemetur.* Suspecta est servorum conversio, ideòque dudùm ante professionem probandos in laico habitu, statuit Romana Synodus sancti Gregorij magni. Et collapsam apud nos Christianitatem reparans Carolus magnus suasit Episcopis non solos Ecclesiarum servos, sed potiùs liberos homines Clero & monasterijs imponi. Et data à domino licentia est strictissimè interpretanda. Hìnc Chrysanto Spoletano Episcopo scribit laudatus Gregorius servum eâ lege, ut in monasterio permaneat, manumissum non posse adsumi ad Clerum, dominoque, si assumatur, restituendum. Etiam illum, qui propter culpam in monasterio commissam pœnitentiæ subijcitur ac monasterio expellitur, recidere in servitutem priorem scribit ad Cyprianum Diaconum. Quæ omnia confirmant leges Justiniani. At Belgium nostrum & omnis Gallia jam pridem ignorat servile jugum, exstinctum à Ludovico undecimo Francorum Rege: Quin Brabantus aër etiam extraneis servis libertatem impartit, possuntque illi pro hac ad istum provocare.

L. 4. Ep. 44.

L. 7. Ep. 70.

L. 4. Ep. 27.

Addit tandem Canon, ut Episcopus gerat competentem providentiam monasteriorum: utique more sancti Joannis Chrysostomi Episcopi Constantinopolitani, quem laudat Hermias Zozomenus, quod *solicitè procuraret, ut monachi necessaria haberent, & à nemine læderentur.* Eandem virtutem in Theophilo Alexandriæ Patriarcha prædicat sanctus Hieronymus. Paschasium & omnes generaliter Campaniæ Episcopos durè arguit sanctus Gregorius magnus, quod neque monasterijs neque pauperibus impenderent dilectionis studium aut opem defensionis. Arguit & Joannem Scyllitanum Episcopum, quod Xenia acciperet à monasterijs, erga quæ se largam potiùs debet Sacerdotalis munificentia demonstrare. Arguendi & illi Episcopi & Clerici, tamquàm hujus Canonis prævaricatores, qui data monachis per Sedem Apostolicam privilegia quovis prætextu non verentur truncare. Et hunc omnem Canonem innovat & laudat Synodus Barchinonensis.

L. 8. c. 9.

Ep. 62. c. 1.

L. 11. Ep. 31. 35.

L. 7. Ep. 33

CANON

CANON V.

DE his, qui transmigrant de civitate in civitatem, Episcopis aut Clericis, placuit Canones, qui de hac re à sanctis Patribus statuti sunt, habeant propriam firmitatem.

SCHOLION.

NVllis unquam repagulis apud Græcos sisti potuit translatio præsertim Episcoporum. Quare denuò, licèt non Sardicensem, tamen Nicenum Canonem & Apostolicam traditionem hæc Synodus innovat & confirmat, haud dubiè adversùs Juvenalem, traslatum Ephesо Hierosolymam, ac in utraque Ephesina nec non hâc Synodo machinatum mira contra Patriarchatus Antiocheni privilegia & sextum Canonem Nicenum.

CANON VI.

NVllum absolutè ordinari debere Presbyterum aut Diaconum, nec quemlibet in gradu Ecclesiastico, nisi specialiter in Ecclesia civitatis, aut pagi, aut in martyrio, aut monasterio, qui ordinandus est, pronuntietur. Qui verò absolutè ordinantur, decrevit sancta Synodus irritam haberi hujuscemodi manus impositionem, & nusquam posse ministrare ad Ordinantis injuriam.

SCHOLION.

ORdinari absolutè est ordinari sine titulo, seu sine inscriptione & affixione ad certam Ecclesiam, certumque ejus ministerium. Titulum hunc nomine vario olim expressit antiquitas. Primò, Nicena Synodus vocat esse in *Regula* seu *Canone*. Ità Arvernensis Synodus C. 15. quosdam Presbyteros ac Diaconos dicit neque in civitatibus, neque in Parochijs esse *Canonicos*, sed habitare in villulis, ac Oratorijs deservire. Et tertia Aurelianensis Clericum Episcopo contumacem mandat C. 11. non haberi inter *Canonicos*. Et secunda Turonensis statuit, ut Vicanus Presbyter semper secum habeat unum lectorem suorum *Canonicorum*.

Cap. 19. *corum.* Exponit laudata Aurelianensis, jubens contumacem Clericum privari *Canonicis* stipendijs & muneribus. Esse itàque in Regula seu Canone est vigore ministerij Ecclesiastici habere jus ad stipendia & munera, quæ cuique ministranti Canon præscribit. Proindè hodiernæ vocis, *Canonicus*, significatio differt plurimùm ab illa antiqua.

Alterum tituli vocabulum fuit esse in tabula Clericorum. Ità sanctus Augustinus in secundo sermone de communi vita Clericorum exclamat adversùm Clericos proprietarios; *Delebo eos de tabula Clericorum.* Varias quippè sacras tabulas, ad sacrificium recitari consuetas, habuit olim Ecclesia, alias pro Episcopis loci, alias pro Metropolitis, alias pro Patriarchis, alias pro Romanis Pontificibus, alias pro amicis Episcopis extraneis, alias pro Clericis, alias pro laicis, alias pro vivis, alias pro defunctis. De inscribendis in has, aut radendis nominibus legimus contentiones plurimas: Radi enim erat aut deponi à clericatu aut communione etiam laicâ privari. Hoc in puncto olim hæsit omne schisma Acacianum. Proindè esse in vivorum Clericorum tabula erat esse in numero Clericorum, quos ad sua ministeria Ecclesia ordinârat & sustentabat. Undè & tabula illa dicebatur *Matricula*, utpotè alimentans more matris.

Tertium vocabulum fuit esse *Clericum Cardinalem.* Ità in Collatione Carthaginensi Petilianus Donatistarum Episcopus Constan-

L.1.c.165. tinensis *Cardinales atque authenticos Episcopos* opponit *imaginibus*, id est, Episcopis ad non veram civitatem, quæ est unicus consecrationis Episcopalis titulus, contra Canonem Sardicensem ordinatos. Et sanctus Gregorius magnus scribit Martino de Tamitana apud Corsos

L.1.Ep.77 Ecclesia ad Aleriensem Episcopo translato: *In Ecclesia Aleriensi Cardinalem te constituimus.* Et Agnello Episcopo translato de Ecclesia

L.2.Ep.52 Fundensi ad Terracinensem: *Te auctoritate nostrâ Terracinensi Ecclesiæ Cardinalem constituimus Sacerdotem.* Et infrà. *Liberam habebis, quippè ut Sacerdos proprius, modis omnibus facultatem.* Et Leontio Urbinati Episcopo, cui Castorij Ariminensis Episcopi infirmi delegat visitan-

Epist.63. dam Ecclesiam: *Præter Ordinationes Clericorum cætera omnia tanquam Cardinalem & proprium te volumus agere Sacerdotem.* Et Fortunato Episcopo Neapolitano, postulanti Gratianum Venafranæ Ecclesiæ

L.5.Ep.11. Diaconum concedi suæ Ecclesiæ incardinandum: *Concedimus licentiam Diaconum illum Ecclesia tua constituere Cardinalem*, id est, de Venafrana transferre ad Neapolitanam. Et ex ipso scribit Zacharias Pontifex in

Ep 9.c.15. privatis Oratorijs erigi non posse baptisterium, nec institui *Presbyterum Cardinalem.* Et Capitula per Adrianum primum Pontificem An-

C.72. gilramno Metensi Episcopo tradita faciunt mentionem *Presbyteri in*

Cardi-

Cardine constituti, & *Diaconi Cardinarij constituti urbis Romæ*. Et Adrianus secundus Arctardum Nannetensem Episcopum, à Nortmannis expulsum, ad Caroli calvi Regis preces permisit *cardinari* in Ecclesiam primò vacaturam, tandemque constituit Archi-Episcopum *Cardinalem* Turonensem. Eodem modo Joannes octavus Frotarium Burdigala Biturigas transtulit, isti Ecclesiæ *incardinans*, constituensque Episcopum *Cardinalem*. Et literis ad Basilium Augustum, quibus Photij Constantinopolitani Episcopi intrusionem dispensatoriè tandem purgavit, adjungit, ut deinceps nullus laicus adsumatur in Patriarcham, sed de solis *Cardinalibus Presbyteris aut Diaconibus Ecclesiæ Patriarchalis*. Et Urbanus secundus in literis ad Clerum & populum Atrebatensem, relatis per Ferreolum Locrium in Chronico Belgico: *Volumus & præcipimus, ut Cardinalem Episcopum vobis & Ecclesiæ vestræ incardinare studeatis*. Exponit laudatus Locrius. *Cameracensibus post Gerardi secundi obitum de assumendo Episcopo variè disceptantibus, Vrbanus secundus Pontifex eisdem infensus, quod Henrico quarto Imperatori, Ecclesiæ Romanæ proscripto hosti, faverent, Atrebatibus peculiarem annuit Episcopum, misso isto diplomate*. Electus fuit Lambertus, Ecclesiæ Morinensis Clericus, ad quem exstat Epistola sancti Ivonis Episcopi Carnotensis. Et ipse sanctus Ivo Wulgrino Parisiensium Archi-Diacono scribit Presbytero legitimè incardinato alium sine adulterio non posse superponi. Et Nicolaus primus Pontifex in literis ad Michaëlem Augustum, lectis in quarta Actione Synodi octavæ, laudat *Cardinem Ecclesiæ Constantinopolitanæ*. Porrò Ecclesiæ Cardo aliud non est, quàm Ecclesiæ Clerus, quod in ipso tamquàm Cardine omnis fidelis populus pendeat & volvatur. Et quidem Ecclesiarum tituli aut Diaconiæ unicum olim habebant Presbyterum aut Diaconum, etiam Ecclesiæ ipsius Romanæ. Eos jam pridem Divina gratia abundantissimè multiplicavit: Hìnc non singuli, sed solus earum Primas vocari cæpit *Cardinalis*. Et hoc in sola ferè Romana Ecclesia, cui Gregorius septimus nomen *Papa*, populorum consensus reservavit titulum *Cardinalis*, quod ab ejus Primoribus Presbyteris ac Diaconis pendeat ac regatur corpus Ecclesiæ universæ. Dico, *Ferè*: Etenim in suis canonicis titulum retinuit Ecclesia Mediolanensis.

Epist. 26. 27. 28.

A. 1094.

Epist. 33.

Epist 131.

Nullum autem Episcopum aut Clericum absolutè, sed ad certum titulum aut Cardinem ordinari est omninò Canon Apostolicus. Etenim Tito Cretensium Metropolitæ mandat Apostolus, ut constituat Episcopos, Presbyteros, aliosque Ministros, non vagé & liberè, sed per civitates, aliaque loca certa & fixa. Et Asiæ Episcopos hortatur idem Apostolus, ut attendant gregi seu populo, in quo illos Spiritus

ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. Ex quo vides Clericorum ad certos titulos & loca affixionem eſſe dictatum Spiritus ſancti. Quod ſanctus Marcus Evangeliſta omnem Ægyptum in Epiſcopatus ac parochias diviſerit, & quovis in agro Eccleſiam ad celebranda
L.2.c.16. Divina erexerit, teſtatur ex Philone Judæo Euſebius Epiſcopus Cæſareenſis. Quod ſemper in civitatibus Epiſcopi, Presbyteri ac Diaconi Eccleſias in agris rexerint, liquet ex literis Synodi Antiochenæ
L.7.c.24. adversùs Paulum Samoſatenſem. Quod univerſum mundum ità dividere cæperint ipſi Apoſtoli, tradit ſanctus Baſilius ad verſum Pſal-
C. 6. mi, *Convallem tabernaculorum dimetiar*, eamque expoſitionem laudant
Epiſt.33. Synodus Troslejana, & Hìncmarus Remenſis. Et hìnc non ſolum-
c. 13. modò Epiſcopatus, ſed & inferior Clericatus eſſe dicitur ſpirituale cum Eccleſia conjugium, quo *Eccleſiis, uti uxoribus proprijs ſacramenta-*
Epiſt.1. *liter alligari* etiam Clericos rectè ſcribit Stephanus Epiſcopus Tornacenſis. Errant, qui hocce matrimonium putant eſſe inventum novellum. Etenim Alexandrina pro ſancto Athanaſio adversùm Euſebianos Synodus, in literis ad omnes ſub cælo Epiſcopos orthodoxos, ſcribit Epiſcoporum traſlationem eſſe adulterium, contrarium Canoni Apoſtolico: *Alligatus es uxori, noli quærere ſolutionem*. Canonem hunc ait non minùs de Eccleſia & Epiſcopatu, uxore ſpirituali, quam de carnali intelligendum. Adeò antiquus eſt legalis argumentationis locus à matrimonio carnali ad ſpirituale. Et in Collatione Carthaginenſi
L.1.c.185. Petilianus Conſtantinenſis Donatiſtarum Epiſcopus, Epheſinæ Sy-
215. nodi decretum de Euſtatio Pamphyliorum Metropolita, & hujus Synodi Canon decimus quintus mentionem faciunt de Cathedris aut
Epiſt.45. Eccleſijs viduatis: At verò viduitas, uti rectè advertit Hincmarus,
c.16. conjugium ſupponit.

Obijci poſſunt ſanctus Paulus Apoſtolus, alijque ejus Collegæ, quos conſtat ad nullam ſpecialiter Eccleſiam ordinatos, nulli tamquàm Cardinales ſeu proprios Epiſcopos alligatos. Eâdem libertate ſe ordinatum Presbyterum à ſancto Paulino Patriarcha Antiocheno
Epiſt 61. ſcribit & gloriatur Hieronymus. Paulini ſucceſſor Flavianus eodem
c.16. modo ordinavit Macedonium Anachoretam, laudatum in hiſtoria monaſtica à Theodoreto. Quocircà prudenter accipienda ſunt hæc
Cap.13. verba Pelagij ſecundi Pontificis in literis ad Eliam Metropolitam
Cap 21. Aquilejenſem: *Hieronymus Eccleſiæ noſtræ Presbyter*. Et verba Adriani primi in literis ad Conſtantinum & Irenen Auguſtos, lectis in ſecunda Actione Synodi ſeptimæ: *De ſermone beati Hieronymi Presbyteri Hieroſolymitani*. Ex Pelagij verbis ortam exiſtimo opinionem de Romano ſancti Hieronymi Cardinalatu. Etiam ſe à Lampio Barchino-
nenſi

nensi Episcopo absolutè *dedicatum in Sacerdotium tantùm Domini, non etiam in Ecclesiæ locum* seu titulum scribit sanctus Paulinus Nolensis Episcopus ad Severum. Epist. 6. Olim item Episcopos absolutè ordinatos testatur Hermias Zozomenus, enumerans insigniores sub Constantio Augusto monachos Provinciæ Osrhoenæ. L. 6. c. 24. *Adde his Barsen & Eulogium, qui ambo post creabantur Episcopi, non urbis alicuius, sed honoris caussâ, qui veluti vitæ piæ antè actæ compensatio illis in proprijs monasterijs deferebatur. Ad quem modum Lazarus quoque fuit Episcopus.* Quin immò medijs sæculis sanctum Bonifacium Francorum Apostolum à Gregorio secundo fuisse sine Cardinali sede ordinatum Episcopum, ac demùm post viginti annos à Zacharia Pontifice sedi Moguntinæ incardinatum scribit Hincmarus in literis adversùm vices Apostolicas Ansegisi Archi-Episcopi Senonensis. Epist. 44. c. 20. Eodem modo ad sancti Gregorij jussum ab Episcopo Arelatensi ordinatus fuit sanctus Augustinus Anglorum Apostolus, uti rectè notat idem Hincmarus in literis de translatione Episcoporum adversùs Arctardum Nannetensem. Epist. 45. c. 8. Item apud Hispanos Egila à Walchario Legato Adriani primi. Nec desunt alia exempla, quæ evincere videntur ordinationem absolutam nequaquàm adversari Canoni Apostolico.

Respondeo aliud esse ordinari Episcopum sine Cardinali sede, aliud sine Cardinali titulo: Sine illa, non sine hoc fuit Apostolus Paulus ordinatus. Ordinatus fuit ad missionem seu Apostolatum gentium. Eadem est ratio plerorumque aliorum Apostolorum, sancti Augustini, sancti Bonifacij, ac Egilæ, quem ad missionem fuisse ordinatum disertè apud Franciscum du Chesne scribit Adrianus primus. Epist. 97. 96. Et Hibernorum olim Episcopi erant monachi in claustro, ad nullam civitatem ordinati, sed ad solam missionem juxta nutum Abbatis. Etiamnum hodie Romana Ecclesia Episcopos & Clericos ità ordinat: Spiritus sanctus impartitâ conversionis gratiâ docet, in quam civitatem postmodùm oporteat illos incardinari. Porrò Barsis, Eulogij, Lazari, Hieronymi, Paulini, ac Macedonij ordinatio deviârunt à regula per temporis abusum, cujus effrænem grassationem cohibuit tandem Canon noster, quem Carolus magnus, lapsam apud nos Christianitatem reparans, restituit in Capitulari Aquisgranensi: C. 25. *Vt nullus absolutè ordinetur, & sine pronunciatione & stabilitate loci, ad quem ordinatur.* Et Synodus Francofordiensis: C. 28. *Vt non absolutè ordinentur.* Quod ipsum statuit Synodus Meldensis. C. 52. Et Hincmarus Laudunensis Episcopus Hincmaro Metropolitæ Remensi, à quo de hujus nostri Canonis prævaricatione accusabatur, respondit. *Scio me non aliter unquam ordinasse.* F. 344. *Quod si fecissem, irrita haberetur manus impositio, nec ministrare ordinatus* ad

Sess. 23. c. 16. *ad meam posset iniuriam.* Et sacrosancta Synodus Tridentina *vestigijs sexti Canonis Concilij Chalcedonensis inhærendo statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ aut pio loco, pro cuius necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus.* Cap. 6. Ità Hispaniæ Valentina Synodus rem disciplinæ penitùs necessariam statuit, ut Episcopus nullum ordinet, nisi qui se spoponderit fore localem. Et sine certo titulo vagantes Clericos compesci ab Episcopis, & ad certam Ecclesiam aut monasterium cogi mandat Cap. 53. quarta Toletana. Primus apud nos absolutè ordinare ausus, *quod priùs nunquam in more habuerat vel in illa vel in alia civitate Ecclesia*, fuit, teste F. 157. magno Belgij Chronico, Alexander Leodiensis Episcopus, ab Innocentio secundo dejectus in Synodo Pisana. Grassari tunc pedetentim cœpit ista prævaricatio, nec per Alexandrum tertium Pontificem in Synodo Lateranensi plenè eradicari valuit, de qua istic plura.

Porrò Canon noster enumerat quatuor titulos, ad quos Episcopi deinceps possint ordinare. Primus est Ecclesia civitatis, sive Cathedralis. Secundus est Ecclesia Pagi, seu parochia forensis. Tertius est martyrium seu Capella, de Episcopi consensu legitimè exstructa juxta Canonem quartum. Huic tamen videntur quædam obstare. Etenim L. 2, Ep. 9. Castorio Ariminensi Episcopo permittens Gregorius magnus, ut sanctæ Crucis Oratorium intra civitatem ab illustri fæmina Timothea exstructum consecret, adjungit: *Ità ut in eodem loco nec futuris temporibus Baptisterium constituatur, nec Presbyterum constituas Cardinalem. Et si Missas fortè voluerit fieri sibi, à Dilectione tua Presbyterum noverit postu-* L. 7. Indict. 2. Ep. 72. Epist. 86. *landum* Quod ipsum de alijs Oratorijs scribit ad Passivum Firmanum, & ad Benenatum Episcopum Fundaritanum, & Zacharias Pontifex confirmat.

Respondeo eundem sanctum Gregorium aliter statuere in literis ad dictum Passivum de Oratorio, quod in Castro suo Apretiensi An- L. 10. Epist. 12. nio Comes condiderat. *Presbyterum te illic constituere volumus Cardinalem, ut quoties præfatus conditor fieri sibi Missas fortassè voluerit, vel fidelium concursus exegerit, nihil sit, quod ad Missarum Sacra exhibenda solennia valeat impedire.* Et in literis ad Anthemium Subdiaconum, Apostolici in Campania patrimonij rectorem, laudat Amandum L. 8. Ep. 18 Oratorij sancti Severini in Castro Luculano Presbyterum, electum Episcopum Surentinum. Quæ in speciem adversa conciliat Canon vigesimus quintus Epaonensis, mandans villarum Oratorijs non ordinari proprios seu Cardinales Clericos, nisi eis anteà competens victus & vestitus deputetur. Et Synodus Arvernensis admittit Clericos Cap. 15. neque in civitatibus neque in parochijs canonicos, sed per villas Oratorijs

torijs

torijs deservientes. Et Meldensis admittit ordinari ad Capellam, quæ habeat proprias decimas. Et sanctus Leo magnus Anatolium Constantinopolitanum Episcopum arguens, quod Ætium Archi-Diaconum in Cæmeterij Presbyterum ordinans quasi exilio condemnasset, non arguit, quod merè ad Cæmeterium, sed quod virum adeò eminentem ad illud ordinasset, ac ordinando dejecisset. Romana enim Ecclesia ad Cæmeteria semper ordinavit. Proindè sanctus Gregorius illis solis Oratorijs vetat dari Cardinalem Presbyterum, quibus deest illius sustentandi copia, aut aliud quodvis obviat impedimentum. Quare etiamnum hodiè quævis Ecclesia ordinat ad dotatas Capellas. Epist. 57.

Quartus titulus est monasterium. Porrò modis varijs potest quis ad monasterium ordinari. Primò, tamquàm Clericus uni monasterio per Episcopum præficiendus. Etenim sanctus Augustinus in Regula & quibusdam Epistolis distinguit monasterij Præpositum, & monasterij Presbyterum, dicens hunc esse majoris auctoritatis: Erat enim Clericus Ecclesiæ Cathedralis, monasterio per Episcopum cum varia potestate præfectus. Et Hermias Zozomenus scribit Arsenium Episcopum Meletianum, Eusebianæ Factionis histrionem, latuisse *apud Prinen, monasterij cuiusdam Presbyterum.* Et sanctus Gelasius Pontifex in literis ad Lucaniæ, Brutij, ac Siciliæ Episcopos ait monasterijs Episcopos, Presbyteros, ac Diaconos præesse: Quemque juxta potestatem sui Ordinis. Etiam Zozomenus meminit de Heraclide Diacono monachorum ad Scetim. Et Liberatus Diaconus dicit Joannem Thalajam ex Ecclesiæ Alexandrinæ Oeconomio factum fuisse Presbyterum monasterij Tabennesiotis. Et sanctus Gregorius magnus Ecclesiam sancti Pancratij Clericis ablatam dedit Monachis eâ lege, ut Presbyterum sæcularem intra claustrum alerent, qui diebus Dominicis ministraret populo solennia Missarum. Ab illo monachos excommunicari potuisse scribit ad Chrysantum Episcopum Spoletanum. L. 2. c. 22. Epist. 9. L. 8 c. 6. C. 16. L. 3. Ep. 18 L. 7. Epist. 70.

Secundò potest quis ordinari ad monasterium tamquàm Clericus multis monasterijs præficiendus. Etenim Socrates ait Marothonium Episcopum Nicomediensem, dum Ecclesiæ Constantinopolitanæ sub Macedonio Episcopo erat Diaconus, omnia virorum ac mulierum monasteria procurasse. Hermias Zozomenus addit procurasse ea præsertim, *quæ erant in egestate.* Erat itàque magnus Ecclesiæ Sacellarius, Crucigerorum Diaconorum unus, de quo Symeon Archi-Episcopus Thessalonicensis in libro de sacris ordinationibus. *Magnus Sacellarius sacrorum monasteriorum curam gerit, & in ijs bonum ordinem procurat, & quæ ad ea spectant, pro viribus inquirit.* Et antiqua notitia L. 2. c. 30. L. 4. c. 19. C. 13.

 Offi-

Officiorum sanctæ & magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, *Magno Sacellario solicitudo monasteriorum virilium Episcopatus demandatur. Habet sibi ministrantem Chartularium. Census & expensas monasteriorum examinat, & in vitam disciplinamq; monachorum inquirit, & de his ter unoquoque anno ad Episcopum refert.* Codinus Curopalates adserit etiam mulierum monasterijs præfuisse. Et quarta hujus Synodi Actio laudat
Cap. 75. Alexandrum Presbyterum & Circuitorem, seu visitatorem monasteriorum. Hujusmodi Præfectos Canon Arabicus vocat *Monarchas.*

Ad utrumque hunc monasterij titulum olim Ecclesia ordinavit
Epist. 15. etiam Episcopos. Etenim Marcianus Augustus in literis adversùs Pseudomonachi Theodosij turbulentias, exstantibus post Synodum Chalcedonensem, laudat Macarium Episcopum, Archimandritas, & monachos montis Sina, in quo constat nullos sæculares vixisse. Et Stylianus Neo-Cæsareensis apud Eufratem Episcopus in literis ad Ecclesiam Constantinopolitanam, exstantibus post Synodum octavam. *Photius Santabarenum*, impijssimum magum, *Euchaitarum Episcopum creavit, cœnobiaq; illustria alijs in Provincijs sita, alijsq; Episcopis subiecta, ipsis eripuit, & Santabareno tradidit, ità ut Euchaitarum Ecclesiæ iungerentur, suosq; Episcopos à Santabareno initiatos acciperent.* Ecce illustria monasteria non Presbyterum, sed Episcopum habebant, solitum, Chorepiscoporum more, consecrari ab Episcopo civitatis. Et Adrianus primus Pontifex, monasterio sancti Dyonisij confirmans privilegia à Stephano secundo concessa, hæc dicit. *Promulgamus, ut penitùs liceat ibidem habere Episcopum, sicut à priscis temporibus & usque hactenùs fuit.* Videndus apud Jacobum Sirmondum contextus integer, exponens istius Episcopi potestatem, electionem, consecrationem. Datus fuit Monasterio ob Episcopi Parisiensis adversùs illius exemptionem recalcitrationes.

Tertiò quis tamquàm sæcularis Clericus ordinari potest ad monasterium, attamen non ad ejus præfecturam, sed simplex ministerium, aut certè ad solam præfecturam Altarium ejus, seu Ecclesiarum Parochialium. Ità Symeon Dunelmensis ait Ecclesię Dunelmensi pręter ca-
A. 1121. thedrales monachos fuisse etiam sæculares canonicos ad regenda istorum Altaria, vice suâ domum redeuntes ad facienda Divina. Et Sy-
Cap 27. nodus Francofordiensis statuit, ne Abbatum Clericos quis recipiat aut retineat; & sexta Parisiensis, ne Abbates recipiant Clericos Episcoporum. Et ex Episcopi Sancto-Dyonisiani officijs unum erat consecrare Clericos Parochiarum spectantium ad Abbatiam. Et Lom-
L. 3. tit. 35. bardiæ ac Marchiæ Trevisanæ Abbatibus interdicit Honorius ter-
c. 8. tius, ne deinceps sæculares Clericos admittant ad præbendas, & usque

què huc admissi locum & vocem non habeant in choro, Capitulo, refectorio, aut claustro. Ejusmodi Clericorum meminit & Decretum Celestini tertij. Eos, quod monachorum plures essent laici, ad sui Altaris ministerium assumebant Abbates. L. 5 tit. 33. c. 21.

Quartò potest quis tamquàm monachus ordinari ad sacrum monasterij Ministerium. Ità Hermias Zozomenus laudat Dioscorum & Eulogium monasteriorum suorum Patres & Presbyteros. Laudat & Macarium Cellinorum, & Moysen monachum monasteriorum in Sceti. Et sanctus Epiphanius in literis ad Joannem Hierosolymæ Episcopum ait Paulinianum monachum, sancti Hieronymi fratrem, à se ordinatum Presbyterum ad Divina Cænobij Bethleemitici ministeria, quod Hieronymus & Vincentius Presbyteri *propter verecundiam & humilitatem nollent debita nomini suo exercere sacrificia.* Laudat item Gregorium Abbatem & monasterij Presbyterum, addens & se ante Episcopatum eodem munere perfunctum. Et sanctus Gregorius magnus Victori Episcopo Panormitano mandat, ut sancti Hermæ monasterio monachum à fratribus eligendum consecret in Presbyterum ad celebranda Missarum solennia: Eumque vetat alteri extra monasterium titulo aut ministerio admoveri. Et in literis ad Desiderium Galliæ Episcopum laudat Pancratium monachum, suique monasterij Diaconum. Et ejusmodi Presbyteros ac Diaconos fuisse dumtaxàt secundam post Patrem, licèt merè laicum, monasterij personam, liquet ex monastica historia Theodoreti. Legenda est apud Gratianum Epistola Pelagij Pontificis, quâ ab illatis in monasterij Presbyterum injurijs nescio quem Parochum compescit. Ex hac regula permittit Paulus quintus, ut in quavis domo fratrum Joannis Dei queat unus promoveri ad Presbyteratum, ministraturum alijs Ecclesiastica Sacramenta. L. 6 c. 28. L. 6. c. 29. 31. Epist. 60. c. 1. C. 2. L. 5. Ep. 41. L. 7. Ep. 126. L. 10. Epist 39. C. 4.

Quintò denique potest quis ordinari ad monasterium tamquàm simplex monachus, quod hodie dicimus ordinari ad titulum monasticæ professionis. Ità enim à sancto Epiphanio audivimus Hieronymum & Vincentium fuisse quidem in monasterio Presbyteros, noluisse tamen *debita nomini suo sacrificia exercere*, id est, noluisse esse monasterij Presbyteros. Ità Barses, Eulogius, & Lazarus fuêre Episcopi sine omni onere. Et de Nitriæ monachis scribit ad Eustochium sanctus Hieronymus: *Multos Sacerdotalis & Leviticus sublimat gradus.* Et in Constantinopolitano Eutychetis monasterio unicus Presbyter, plures fuerunt Diaconi & Subdiaconi. Erant solo honore Clerici, neque spectabant ad Hierarchiam Ecclesiasticam, cui inserit sola Divinorum præfectura. Et ex his vides hujusmodi ordinationem esse admo- Ep. 27. c. 7.

modùm antiquam. Eam ob Eutychetis & Barsumæ insolentias quidam Episcopi volebant abrogatam, redactosque omnes monachos in primævum statum laicalem; at Synodus, nolens paucorum delicto gravari totum genus, eandem confirmavit. Et exindè cæperunt monasteria Clericis abundare. Addidit tandem Clemens quintus in Synodo Viennensi. *Ad ampliationem Divini cultus statuimus, quod monachi quilibet ad monitionem Abbatis se faciant ad omnes sacros Ordines, excusatione legitimâ cessante, promoveri.* Post ablatum per divitias opus manuum cæperunt monachi ab otio invadi, ideòque sacro saltem ministerio adversùs illud muniendos Pontifex judicavit.

L. 3. tit. 10. c. 1.

CANON VII.

QVi semel in Clero deputati sunt, aut monachorum vitam expetiverunt, statuimus neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam: aut hoc tentantes, & non agentes pænitentiam, quominùs redeant ad hoc, quod propter Deum primitùs elegerunt, anathematizari.

SCHOLION.

Epist. 92. c. 12.

EXponit sanctus Leo magnus in literis ad Rusticum Metropolitam Narbonensem. *Propositum monachi proprio arbitrio aut voluntate susceptum deseri non potest absque peccato: Quod enim quis vovit Deo, debet reddere.* Etenim monachi Apostatæ suos semper repererunt defensores, adeò ut sanctus Augustinus de suis Clericis, professæ vitæ communis desertoribus, dicat in primo sermone de communi vita Clericorum. *Ego ei non aufero Clericatum. Quantum sit periculum, ante oculos posui: faciat, quod vult. Novi enim, quod si aliquam hoc facientem degradare voluero, non ei deerunt patroni, non ei deerunt suffragatores, & hic & apud Episcopos, qui dicant: Quid mali fecit? Non potest tecum tolerare istam vitam: Extra Episcopatum vult manere, & vivere de proprio, ideò non debet perdere Clericatum.* Et ad Dominicum Carthaginensem Episcopum scribit Gregorius magnus. *Queritur Cumquodeus Abbas, quia si quando monachos sub regulari voluerit disciplina restringere, monasterium temerè deserant, & licitè quocumque voluerint, vagantes existant. A quibusdam Episcopis illos asserit defensari.* Ejusdem Pontificis tempore Venantius monachus ad Italiæ Cancellariatum apostatavit. Alij item ad nuptias & militare cingulum lapsi sunt, eodemque de flagitio que-

C. 4. (beside "Clericorum")

L. 6. Ep. 33 (beside "copum scribit Gregorius magnus")

L. 1. Ep. 33 (beside "busdam Episcopis")

queritur sexta Synodus Toletana. Ipsum à Carolo magno in monachis Longobardis compesci rogat apud Franciscum du Chesne Adrianus primus. Et sanctus Petrus Damiani scripsit opusculum, cui titulus: *Rhetoricæ declamationis invectio in Episcopum monachos ad sæculum revocantem.* Ejusmodi itàque temerarios ausus compescit Canon, à plurimis postmodùm Synodis confirmatus. Undè & sanctus Augustinus prioris pusillanimitatis pænitens dicit ad populum in secundo sermone de communi vita Clericorum. *Delebo eum de tabula Clericorum. Interpellet contra me mille concilia; naviget contra me, quo voluerit: Sit certè, ubi potuerit, adiuvabit me Deus, ut ubi ego Episcopus sum, illic Clericus esse non poßit.* Atque ità firma persistunt vota monastica adversùm Lutheranos & Calvinistas.

C.6.
Epist. 94.
Opusc. 16.

CANON VIII.

CLerici, qui præficiuntur ptochodochijs, & qui ordinantur in monasterijs & Basilicis Martyrum, sub Episcoporum, qui in unaquaque civitate sunt, secundùm sanctorum Patrum traditiones, potestate permaneant, nec per contumaciam ab Episcopo suo dissiliant. Qui verò audent evertere huiuscemodi formam quocumque modo, nec proprio subijciuntur Episcopo, siquidem Clerici sunt, Canonum correptionibus subjaceant; si verò laici vel monachi fuerint, communione priventur.

SCHOLION.

PTochodochia, seu pauperum hospitalia, aliaque id genus pia loca sunt quintus titulus, ad quem Ecclesia semper Clericos ordinavit. Etenim suprà à Synodo Berytensi audivimus, quod Ibas Edessenus Metropolita Abrahamium Diaconum, quem Episcopum non potuit, Xenodochum ordinârit. Et Hermias Zozomenus scribit de Isidoro Pelusiota, Presbytero Ecclesiæ Alexandrinæ: *Erat peregrinorum & pauperum Præfectus.* Et Evagrius Epiphaniensis de Acacio Episcopo Constantinopolitano: *Orphanorum collegio præfuerat.* Etiam celeberrimo suo apud Cæsareenses Xenodochio Presbyterum præfecit sanctus Basilius. Monachum similibus præfici mandant Arabici Canones. Antonium Subdiaconum, Romani Xenodochij præpositum, lau-

L.8.c.2, 12.
L.2.c.11.
C.70. 75.
L.7.Indi.2.

Epist.27. laudat sanctus Gregorius, scribitque ad Januarium Episcopum Cala-
l.7.Ep.23 ritanum. *Significamus pervenisse ad nos, consuetudinem fuisse, ut Xenodochia, quæ sunt in Calaritanis partibus constituta, apud Episcopum civitatis singulis quibusque temporibus suas subtiliter rationes exponerent, eius videlicet tuitione & solicitudine gubernanda. Quod quia fertur tua hactenùs Charitas neglexisse, hortamur, ut tibi singulis quibusque temporibus rationes suas Xenodochi subtiliter reddant. Atque tales in eis, qui præsint, ordinentur, qui vitâ, moribus, atque industriâ inveniantur esse dignissimi. Religiosi dumtaxat; quos vexare Iudices non habeant potestatem, ne si tales personæ fuerint, quas in suum possunt evocare iudicium, vastandarum rerum debilium, quæ illic reiacent, præbeatur occasio, de quibus rebus summam te curam gerere volumus, ut nulli sine tua licentia, notitiave dentur, ne usque ad direptionem earum ex tua Fraternitatis perveniatur incuria.* Undè &
Sess.7. sacrosancta Tridentina Synodus mandat Episcopis, ut hospitalia quævis,
c.15. etiam Regiæ protectioni supposita, curent benè gubernari juxta
Sess.22.c.8 Concilij Viennensis constitutionem omninò videndam. Passim enim eorum administratores Clerici quæsierunt aut nulli, aut certè potiùs laico Magistratui, quàm Episcopis subesse, eamque temeritatem noster Canon compescit.

Etiam monachi professionis titulo ad nudum Clericatus honorem consecrati fuêre passim conati excutere jugum Episcopale. Hæc enim fuit lis inter sanctum Hieronymum & Joannem Hierosolymæ Episcopum, volentem subijci illum sibi & Regulæ ut Clericum; nolebat verò iste dicens se ad nihil teneri, nisi ad honorem debitum omnibus
Ep.61. Episcopis, quod non ad Presbyteralis dignitatis onus, sed liberè &
c.16. absolutè monachalis professionis titulo esset ordinatus. Eum, ex alio tamen fundamento, defendit & sanctus Epiphanius, aiens esse fratrem
Ep.60.c.1 peregrinum, qui *isti Provinciæ nihil deberet.* Eadem contentio fuit inter Theodorum Arelatensem Episcopum & Faustum Abbatem Lerinensem, volentem & laicos & Clericos monachos æquo & pleno sibi jure subesse. Longam litem decîdit apud Jacobum Sirmondum tertia Synodus Arelatensis: *Rationis & religionis plenum est, ut Clerici ad Ordinationem Episcopi debitâ subiectione respiciant, laica verò omnis monasterij congregatio ad solam ac liberam Abbatis proprij Ordinationem dispositionemq; pertineat.* Sacra igitur Ordinatio monachum, licèt in claustro perseverantem, transferebat in plenam Episcopi potestatem. Et ità sub anterioribus Arelatensibus Episcopis fuerat semper observatum. Quod ipsum pro omni Ecclesia statuit præsens Canon.

CANON

CANON IX.

SI quis Clericus adversùs Clericum habet negotium, non deserat proprium Episcopum, & ad sæcularia percurrat iudicia; sed priùs actio ventiletur apud Episcopum proprium, vel certè consilio ejusdem Episcopi apud quos utræque partes voluerint, iudicium obtinebunt. Si quis autem præter hæc fecerit, Canonicis correptionibus subjacebit. Quod si Clericus habet caussam adversùs Episcopum proprium, vel adversùs alterum, apud Synodum Provinciæ judicetur. Quod si adversùs ejusdem Provinciæ Metropolitanum Episcopus vel Clericus habet querelam, petat aut Primatem Diœceseos, aut sedem Regiæ urbis Constantinopolitanæ & apud ipsam judicetur.

SCHOLION.

LItigantium Clericorum ad laica judicia recursum pessimè semper odit Ecclesia, ideòque lapsam apud nos Christianitatem restaurans Carolus magnus hunc Canonem inseruit Capitulari suo Aquisgranensi. Vult itàque Canon Clericum in prima instantia conveniendum coram Episcopo, Episcopum coram Metropolita in Provinciæ Synodo, Metropolitam coram Diœceseos Primate, aut Episcopo Constantinopolitano, eisdemque gradibus fieri appellationes, nempè ab Episcopo ad Metropolitæ Synodum, ab illa ad Primatem aut Episcopum Constantinopolitanum, cum Comprovincialibus aut advenis Episcopis judicaturum. Episcoporum enim caussas non nisi synodaliter tractari ac finiri Canones antiqui permiserunt.

Quæstio est, quis intelligatur per *Primatem Diœceseos?* Nicolaus primus Pontifex in literis ad Michaëlem Augustum ait intelligi Pontificem Romanum. *Quem*, inquit, *Primatem Diœceseos dixerit sancta Synodus, præter Apostoli primi Vicarium nullus intelligitur: Ipse est enim Primas, qui & primus habetur & summus.* Hìnc addit. *In Canone hic tenor observandus est, ut si videlicet Clericus aut Episcopus adversùs Metropolitanum habet querelam, & tantâ urgetur necessitate, vel si hoc grave non ferat, ubicumque sit positus, Primatem Diœceseos petat; quod si iuxta Con-* Epist. 8.

stantinopolitanam urbem quisquam eorum constitutus sit, & solius Præsulis eius judicio velit esse contentus, petat eandem Regiam urbem. Cùm enim dixisset, PETAT PRIMATEM DIOECESEOS, *præceptum ponit eadem sancta Synodus, regulamq; constituit; cùm verò disiunctivâ oratione addidisset,* AUT SEDEM REGIAE URBIS CONSTANTINOPOLITANAE, *liquet profectò, quia hoc secundùm permissionem indulsit.* Quod ipsum, cum quadam tamen diversitate, scribit in literis ad Carolum Calvum
Ep.40. Francorum Regem, agens de appellatione Romana Rothaldi Episcopi Suessionensis.

Respondeo hanc esse unam è quæstionibus Hincmari Metropolitæ Remensis, adversùs Hincmarum nepotem, Episcopum Laudunensem. Laudunensis jam dictum Canonis commentum invenit, & multis, quod pro Sedis Apostolicæ privilegijs certaret, persuasit. At penitùs verissimè Remensis adfirmat hunc Canonem ad Anatolij Constan-
Epist.33. tinopolitani Episcopi ambitum pertinere, fuisseque proscriptum à
c.23.24. sancto Leone magno. Constantinopolitanum Episcopatum nemo plus quàm Anatolius, licèt ad illum humiliandum à Dioscoro in Ephesino latrocinio promotus, exaltavit. Tres famosas autocephalas Diœceses, Thracicam, Asianam, & Ponticam, illius Antecessores strenuè invaserant ac sibi quasi subjugârant; at violentiâ & injuriâ: Hanc ille in hac Synodo convertere studuit in legitimam possessionem. Quocircà Canon per Diœcesim omninò intelligit jam dictas tres, per Primatem intelligit Heracleensem, Ephesinum, & Cæsareensem, statuitque, ut earum Metropolitæ deinceps judicentur aut apud istos, aut apud Episcopum Constantinopolitanum, eodemque modo adversùm eos aut ad illos aut ad hunc appelletur. Statuit alternativè, quod Primates illos nollet penitùs exauctorare ac redigere in ordinem simplicium Metropolitarum. Huic tamen malo aperuit viam: Per Episcoporum enim Constantinopolitanorum & Principum continuatam violentiam fuêre tandem ad nudum Primatis nomen redacti. Canon verò ipsos Episcopi Constantinopolitani judicio non subijcit: Haud dubiè ob metum sedis Romanæ, ad cujus tribunal ex Apostolica traditione & sexto Canone Niceno privativè spectabant.

Quidam per Diœceseos Primatem intelligi volunt etiam Alexandrinum, Antiochenum, ac Hierosolymitanum Patriarchas, darique Constantinopolitano privilegium, quo etiam adversùs ipsorum Metropolitas apud ipsum agatur & appelletur. Ex hoc enim privilegio Joannes jejunator Patriarcha judicavit Anastasium monachum & Presbyterum Isauriæ spectantis ad Patriarchatum Antiochenum. Et ante

nte hanc nostram Synodum sanctus Flavianus Ibę Edesseni in eodem atriarchatu Episcopi caussam, ad se ab accusatoribus devolutam, deegavit Photio Tyri, Eustatio Beryti, & Uranio Episcopo Himeroum. Et Anatolius inter dictos Photium & Eustatium judicavit, idque Maximo Patriarchâ existente in Regia urbe, caussam novæ Beytensis Metropoleos, retractatam in quarta Actione hujus Synodi.

Respondeo tamen Canonem nequaquàm ità intelligendum. Nulus enim ex illo Constantinopolitanus Episcopus ejusmodi sibi priilegium unquam adsumpsit. Quin immò horum Canonum & Pariarchatus Constantinopolitani magnus vindex Justinianus Augutus in legibus novellis ad Petrum officiorum Magistrum directis diertè statuit adversùm Metropolitas privativè agendum coram prorio Patriarcha. Easque leges, utpotè viridi observantiâ floridas, suo Nomo-Canoni inseruit Photius, consentiuntque Theodorus Balsanon, Joannes Zonaras, Matthæus Blastares, alijque Græcorum canoistę, constanter asseverantes ex uno Patriarchatu non posse apud alium gi aut appellari. Porrò S. Flavianus Ibæ caussam videtur non delegasse, sed factam à Principe delegationem dumtaxàt sustinuisse, & fuisse xecutus. Quidquid sit, fuit contra Canones, & de throni sui Apostoici contemptu questus est Domnus Patriarcha Antiochenus. Etiam Anatolius potestati diffidens sententiam suam à Maximo Antiocheo confirmari petijt, ejusque caussâ contradictiones passus est in Syodo Chalcedonensi. Adeò illa usurpationem non probavit. Judiicandi & ordinandi potestas sunt inseparabiles, ideòque Anatolius otestatem obtinuit eos solos Metropolitas judicandi, quorum ordiandorum potestatem obtinuit à Canone vigesimo octavo: Ea verò st potestas ordinandi solos Metropolitas trium Diœceseon. Anastaium verò illum fuisse non Isauriæ, sed Lycaoniæ, ad Asiaticam spetantis Diœcesin, Presbyterum & monachum, palàm scribit sanctus Gregorius in literis ad eundem Anastasium, & in literis ad Cyriacum Episcopum Constantinopolitanum.

L. 123. c. 22.
L. 137. c. 5.
L. 5. Ep 64

Ex hoc Canone desumptum est decretum Aniceto Pontifici adcriptum: *Si quis Episcoporum proprium Metropolitam suspectum habeat, apud Primatem Diœceseos, aut apud hanc Sedem Apostolicam audiatur.* Et decretum Victori Pontifici adscriptum. *Si quis putaverit se à proprio Metropolitano gravari, apud Patriarcham vel Primatem Diœceseos, vel apud universalis Apostolicæ Ecclesiæ sedem iudicetur.* Prima Julio Pontifici adscripta Epistola ait esse Canonem Nicenum. Nempè veritatem continent istæ antiquorum Pontificum decretales Epistolæ, suppositititiæ tamen sunt, & Canonem nostrum pro Episcopo Constan-

Ep. 1. c. 3.
Ep. 1. c 3.

tinopolitano malè editum verè & rectè accommodant Pontifici Romano.

CANON X.

NOn liceat Clericum conscribi in duabus simul Ecclesiis, & in qua ab initio ordinatus est, & ad quam confugit, quasi ad potiorem, ob inanis gloriæ cupiditatem. Hoc autem facientes revocari debere ad suam Ecclesiam, in qua primitùs ordinati sunt, & ibi tantummodò ministrare. Si verò iam quis translatus est ex alia in aliam Ecclesiam, prioris Ecclesiæ, vel Martyriorum quæ sub ea sunt, aut Ptochodochiorum, aut Xenodochiorum rebus in nullo communicet. Eos verò, qui ausi fuerint post definitionem magnæ & universalis huius Synodi, quidquam ex his, quæ nunc sunt prohibita, perpetrare; decrevit sancta Synodus à proprio gradu excidere.

SCHOLION.

HIc est palmaris Canon adversùs pluralitatem beneficiorum, à plurimis postmodùm Synodis & Romanis Pontificibus innovatus. Septima Synodus generalis ait esse negotiationem & turpe lucrum, ab Ecclesiastica consuetudine penitùs alienum, Apostolico & Evangelico Canoni adversum. Apostolico, juxta quem, *unusquisque in quo est vocatus, in hoc debet manere, & in una locari Ecclesia*; Evangelico, juxta quem *nemo potest duobus dominis inservire*. Quo argumento apud Hemboldum in Sclavorum chronico usus fuit etiam Conrardus Episcopus Lubecensis. Sexta Synodus Parisiensis addit. *In quo facto & Religio Christiana fuscatur, & Sacerdotalis Ordo confunditur, & avaritia Sacerdotum à subditis denotatur, loca Deo dicata cultu sibi debito privantur, & animarum pericula generantur.* Herardi Turonensis ac Isaaci Lingonensis Episcopi Capitula, nec non Synodus Nannetensis, ac Metensis sub Stephano quinto aiunt esse polygamiam, unique Clerico non magis posse esse plures Ecclesias, quam uni viro plures uxores. Innocentius tertius in literis ad Episcopum Herefordensem adducit & hunc Apostolicum Canonem: *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Et ad Comitem Theobaldum, filio suo plures Ecclesiasticas dignitates postulantem scribit S. Bernardus: *Plures in pluribus Ecclesiis habe-*

C. 15. L. 4 c. 6. L. 1. c. 49. C. 49. C. 13. 24. C. 8. L. 4. Ep. 14 Epist. 171.

habere non licet, nisi dispensatoriè ob magnam Ecclesiæ necessitatem aut personarum utilitatem. In literis ad Sugerium sancti Dyonisij Abbatem fieri id dicit *Canonibus invitis.* Et Claromontana Urbani secundi Synodus apud Guilielmum Malmesberiensem statuit: *Quod Clerici in duabus Ecclesiis vel civitatibus prabendas non habeant.* Hunc Canonem respicit sanctus Ivo Carnotensis Episcopus in literis ad Paschalem secundum. *Obsecro per viscera paternæ misericordiæ, ut si aliquis Clericorum Carnotensium aliquâ subreptione à vobis impetrare voluerit, ut ei geminetur honor Ecclesiasticus, non acquiescatis, ne prævaricationi imputetur, & perniciosa consuetudo, quæ abolita fuerat, redintegretur.* Et in alia ad eundem Epistola. *Quod Clericus in duarum civitatum titulari non possit Ecclesiis, tam ex vestris, quàm ex vestrorum Antecessorum comprobamus sententiis,* Et Stephanus Episcopus Tornacensis. *Omnia diebus nostris infirma sunt tempora, & homines seipsos amantes, & quærentes quæ sua sunt, in plurimis Ecclesiis connumerari & intitulari volunt, & in singulis percipere stipendia, quamvis vel tenuitèr non deserviant in una.* Hinc eos, qui *assiduè in Ecclesiis Mansionarij non essent,* multavit parte stipendiorum. Grassanti tunc malo medicinam denuò adhibuit Alexandri tertij in Synodo Lateranensi decretum, innovatum à Gregorio decimo in Synodo Lugdunensi, novissimèque statuit sacrosancta Synodus Tridentina. *Cùm Ecclesiasticus Ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum, sanctè sacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Ecclesiis conscribi.* Sanctissimum decretum integrè videatur & observetur. Audiatur & magnum Belgij chronicon. *Contra pluralitatem beneficiorum facta est Parisiis solemnis illa disputatio, in qua determinatum est per sanctos Doctores, ut nemo sine periculo peccati mortalis tenere possit duo beneficia, quorum alterum suffecerit ad eius sustentationem. Sed quidam aliter opinati fecerunt contrarium, quos Divina Iustitia horribiliter damnavit.* Etiam Robertum Flandriæ Cancellarium, quod plures haberet Præposituras, malè perijsse scribit Radulfus de Diceto. Et Ludovicum sanctum Francorum Regem meritò laudat Guilielmus Nangiacensis, quod nulli beneficium habenti unquam dederit aliud, nisi post illud liberè positum ad suas manus. Clemens quartus Pontifex laudatissimus etiam proprium filium, habentem tres præbendas, ad duas resignandas coëgit. Hæc nostri Canonis verba, *Si quis translatus, &c.* ostendunt prioris relicti aut resignati beneficij pensiones tunc necdum fuisse.

Epist. 78.
L.4.F.130
Ep.274.
Epist 95.
Epist.6.
Sess. 24. c.17.
A.1238.

CANON

CANON XI.

OMnes pauperes & indigentes auxilio, cùm proficiſcuntur, ſub probatione epiſtolijs vel Eccleſiaſticis pacificis tantummodò commendari decrevimus, & non commendatitijs literis, propterea quod commendatitias literas honoratioribus tantummodò perſonis præſtari conveniat.

SCHOLION.

TEſtimoniales, pacificæ, ſeu commendatitiæ fidelium peregrinantium literæ ſunt longè antiquiſſimæ apud Eccleſias. Eas reſpicere creditur Apoſtolus in ſecunda ad Corinthios Epiſtola: *Num egemus, ut nonnulli, commendatitijs Epiſtolis apud vos, an à vobis commendari?* Oſtendit ſe eſſe Eccleſiæ caput & Principem, cujus ſit ejuſmodi literas non accipere, ſed dare. Et hinc Photium Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ intruſum arguit Nicolaus primus Pontifex, quod à Legatis ſuis commendatitias Epiſtolas contra omnem conſuetudinem exegiſſet. (Epiſt. 70.) Eas Tertullianus in libro Præſcriptionum vocat *Hoſpitalitatis conteſſerationem*, quod earum virtute Chriſtianus Chriſtianum hoſpitio exciperet, quomodò hodie ad Obedientiales Prælatorum literas fit inter Religioſos ejuſdem præſertim Ordinis. Utitur antiquâ gentilium Romanorum phraſi, apud quos non tantùm privati, ſed integræ civitates ac populi inibant mutui hoſpitij fœdus & amicitiam, exercendam mediante *hoſpitali teſſerâ*, undè & dicti fœderis prævaricatores dicebantur *teſſeram confregiſſe*. Noſtram teſſeram reſpicit impius Lucianus, inimicâ mente ſcribens de Chriſtiano. *Secundâ peregrinatione ſuſceptâ egreditur vagaturus, ſatis ſibi viatici in Chriſtianis repoſitum eſſe exiſtimans, à quibus quaquaversùm incedebat ſtipatus, in omni agebat rerum abundantia, atque ad hunc modum aliquatenùs alebatur:* Et de Juliano Apoſtata, gentiliſmum noſtris moribus & ritibus fucare conato, ſcribit ſanctus Gregorius Nazianzenus. (Orat 1.) *Conſtituebat etiam diverſoria ædificare, ac domos excipiendis hoſpitibus dicatas, ſimulq́ humanitatem erga pauperes adiungere, cùm aliam, tùm eam, quæ in notis ſive teſſeris Epiſtolaribus conſiſtit, quibus eos, qui inopiâ premuntur, ex gente in gentem tranſmittimus.* Et Hermias Zozomenus. (L. 5. c. 15.) *Dicitur præterea Iulianus imitatus eſſe in primis formulas literarum Epiſcopalium, quibus ſolebant ſe inter ipſos certiores facere de peregrinis, quo proficiſcerentur, & unde veniſ-*

nissent, ut tamquam noti, atque adeò amici propter signi testimonium hospitio exciperentur, diligenterq́; curarentur. Addit de Eunomianis. *Inter ipsos fas non est in orationis communionem venire cum his, qui aliundè advenmunt, nisi literas apportent, quæ ipsos in opinione convenire cum hisce declarent per notas quasdam Epistolis inscriptas, quas alij non intelligunt.* L.7 c.17.

Quomodò Baptiſmum, ità & harum literarum formam Eunomius mutârat: Interim & Eccleſia orthodoxa ſemper fuit uſa notis, quas extranei non caperent. Etenim Gratianus adducit ſecretiſſimam harum literarũ formulam, quaſi univerſę Eccleſiæ à Synodo Nicena impoſitam, *ne aliqua fraus temerè præsumeretur.* Eas omnis antiquitas vocavit literas formatas, quod arcanâ notarum ſpecie formarentur. Prima Synodus Bracarenſis eſſe mandat *signata scripta.* Cabilonenſis ſecunda eſſe literas, in quibus ſint *Episcopi & civitatis nomina plumbo impressa.* Et apud Iacobum Sirmondum tertia Lugdunenſis Captivorum literis mandat inſeri diem datarum, pretium redemptionis & propriam Epiſcopi ſubſcriptionem, quatenù de veritate nullus poſſit ſcrupulus oboriri. Dabàntur enim captivis ad emendicandum pretium redemptionis. Dist.73.

Quocircà hujuſmodi literæ fuerunt variæ: Aliæ Epiſcopis & Clericis, aliæ laicis, aliæ pauperibus, aliæ honoratis dari ſolebant. Errant, qui ſolis pauperibus exiſtimant datas: Nam ſine illis nec ipſos Romanarum Provinciarum Rectores ad Præſidatum ſuum proficiſci, aut illic in communionem recipi permittit prima Synodus Arelatenſis. Aliæ ad ſolam orthodoxæ fidei & communionis teſtimonium, aliæ etiam ad captivitatis, æris alieni, aut cujuſvis neceſſitatis quærenda ſubſidia & ſolatia dabantur. Habuere & varia nomina. Communiſſimum fuit *Epistola formata*, de quo Optatus Epiſcopus Milevitanus: *Nobis totus orbis commercio formatarum in una communionis societate communicat.* Sanctus Auguſtinus vocat *Communicatorias seu formatas,* quærens à Donatiſtis, *utrùm Epistolas communicatorias, quas formatas dicimus, possent, quò vellent, dare.* Erant enim ſignaculum ac medium Catholicæ per omnem Eccleſiam communionis. Antiochena Synodus vocat commendatitias, pacificas, canonicas, quod ſui portatorem commendarent tamquàm hominem ſecundùm Chriſtianos Canones integrum, fultumq́ue Eccleſiaſticâ pace. Sanctus Hieronymus in catalogo vocat *testimonium Epistolæ Ecclesiasticæ.* L. 1. Epist. 163. In Origin.

Noſter Canon agit de ſolis laicorum literis, diſtinguit inter pacificas & commendatitias, & haſce ſolis Honoratis, nequaquàm pauperibus mandat dari: Ne importunâ commendationis prece poſtulata auxilia videretur ab extraneis extorquere. Alij Eccleſiæ Canones &

Patres passim confundunt utrasque literas; quale fuerit ab hac Synodo jussum discrimen, fateor me nescire. Porrò ad hæreticos aut schismaticos scribere hujusmodi literas fuit semper summum crimen, utpotè contagium scabiosæ communionis; æquale crimen fuit orthodoxi Episcopi literas refutare. Etenim inter crimina sancto Ioanni Chrysostomo imposita in Synodo ad Quercum fuit, *Quod communicantes cum Ecclesia monachos, etsi commendatitias literas adferrent, in carcerem conjecisset.*

Dare autem hujusmodi literas fuit solorum Episcoporum. *Presbyteri, qui sunt in agris*, inquit Antiochena Synodus, *Canonicas Epistolas dare non possint; ad solos tantùm vicinos Episcopos literas destinabunt*, quas
Canon 8. Dyonisij Exigui versio vocat *Epistolas simplices*, quibus nempè rusticani Presbyteri subditis suis ab Episcopo rogabant Epistolas formatas. Et apud sanctum Leonem magnum antiqua Epistola ad Germaniæ & Galliæ Episcopos ait generaliter de omnibus Presbyteris, adeò-
Epist.88. que & de Chorepiscopis: *Formatas cuilibet Epistolas mittere non possunt.* Quod tamen hisce, dummodò probati sint, permittit laudatus Canon Antiochenus. Et secunda Synodus Aurelianensis statuit: *Abbates, Martyrarij, Reclusi, vel Presbyteri Epistolia dare non præsumant.* Et secunda Turonensis: *Nullus Clericorum vel laicorum præter Episcopos Epistolia facere præsumat.* Prima Arelatensis etiam Confessoribus interdicit ejusmodi literas, omnesque huc usque ab illis datas circumscribit &
C.25.48. cassat. Eliberina Synodus dat caussam: *Eò quod sub hac nominis gloria passim concutiant simplices.* Nam & de alia Confessorum quorumdam insolentia graviter etiam queritur sanctus Cyprianus. Addit Canon Eliberinus, ut apportatæ per advenas literæ communicatoriæ non per quemvis, sed per solum primæ Cathedræ Episcopum, id est, Metropolitam, discutiantur, probentur, placetentur. Clariùs loquitur Canon Apostolicus, agens de formatis peregrinorum Episcoporum & Clericorum. *Cùm scripta detulerint, discutiantur attentiùs, & ità recipiantur, si prædicatores pietatis exstiterint; sin minùs, nec quæ sunt necessaria, subministrentur eis, & ad communionem nullatenùs admittantur, quia per subreptionem multa subveniunt.* Hìnc olim Romæ nullus advena admittebatur ad sancti Petri Basilicam, nisi priùs literis suis per fidei professionem confirmatis, quod etiam in Pyrrho Constantinopolitano Episcopo fuisse servatum sanctus Maximus Abbas in solenni sua disputatione affirmat. Hìnc item Stephanus primus Pontifex sancti Cypriani Legatos, quod ejus de hæreticorum Baptismo decretis
Epist.75. nollent acquiescere, *nec ad colloquij saltem communis sermonem admisit, præcipiens Fraternitati universæ, ne quis eos in domum suam reciperet, ut ve-*

venientibus non solùm pax & communio, sed & tectum & hospitium negaretur. Addit Eliberina Synodus, *ne fœminæ literas pacificas ad suum solum nomen scriptas recipiant.* Addi debet nomen mariti. Etenim ipsæ aliter nec ad laicos possint scribere. C.81.

Primis itàque Ecclesiæ sæculis ad ejusmodi literas quivis fidelis in quemvis fidelem erat hospitalis. Etenim Petrus Apostolus nos esse mandat *hospitales sine murmuratione.* Et ad Hebræos Apostolus Paulus: *Hospitalitatem nolite oblivisci.* Et ad Thessalonicenses: *De charitate Fraternitatis non necesse habemus vobis scribere.* Loqui de hospitalitatis charitate affirmat sanctus Hieronymus in commentarijs Epistolæ ad Galathas. Et in Epistola ad Timotheum eas solas viduas, quæ maritatæ *hospitio receperint & Sanctorum pedes laverint*, scribit ab Ecclesia honorandas. Et Joannes Apostolus durè damnat Diotrephen Episcopum, quod neque hospitalis esset, neque suos subditos esse sustineret, de quo videndus laudatus Hieronymus in Commentarijs super Epistolam ad Titum. Et Tertullianus hospitalitatis contesserationem esse dicit per omnem Ecclesiam, utpotè fundatam in unius fidei Sacramento. Et uxori suæ dissuadet gentile matrimonium, quod adventanti fratri nullum sub gentili marito possit esse hospitium. Etiam medijs Ecclesiæ sæculis Italos cives unà cum Episcopo ad alendos peregrinos contulisse scribit Gregorius magnus ad Fantinum Defensorem. Et Theodulfus Aurelianensis Episcopus suis mandat in Capitulari, *ut nulli hospitium præbere detrectent*, idque gratis, quoniam pretio facta hospitalitas sit inhumana & crudelis. Carolum magnum Eginardus affirmat fuisse adeò hospitalem, ut peregrinorum numerus non soli palatio, sed & toti regno fuerit onerosus. Neque hæc in Christianis miremur: Legantur, quæ de Romanorum gentilium, Germanorum, & Sclavorum hospitalitate scribunt Ammianus Marcellinus, Cornelius Tacitus, & Presbyter Hemboldus.

[Margin: Ep.1.c.4. — L.1. Præf. — C.1. — L. Præscr. c.20. — L.2.c.4. — C.25. — L.14 c.16 18 19. — c.21.22. — L.1.c.82.]

Episcopum tamen esse singulariter hospitalem mandat Apostolus. *Episcopi domus*, inquit sanctus Hieronymus in Commentarijs super Epistolam ad Titum, *omnium commune debet esse hospitium. Laicus enim unum, aut duos, aut paucos recipiens implebit hospitalitatis officium; Episcopus, nisi omnes receperit, est inhumanus.* Quod ipsum in literis ad Marinianum Ravennæ Episcopum, & in literis ad Anthemium Subdiaconum, Apostolici in Campania Patrimonij Rectorem, scribit Gregorius magnus. De S. Gregorio Nazianzeno refert in ejus vita Gregorius Presbyter, quod ob nimiam paupertatem ac hospitalitatis impotentiã recipere recusârit Episcopatum Zazimorum. Et Ecclesias Palestinas laudat Hermias Zozomenus tamquam hâc virtute exornatas à primis suis

[Margin: C.1. — L.9. Ep. 28.26. — L.5.c.15.]

Cap 90. suis fundatoribus. Et de Wazone Episcopo Leodiensi ait Anselmus ejusdem Ecclesiæ canonicus: *Statuit, ut omnes peregrini sine equis pervenientes sine repulsa reciperentur; qui autem in equis venissent, Episcopali relinquerentur Excellentia.* Et inter articulos, à quibus in Synodo ad Quercum fuit degradari postulatus sanctus Joannes Chrysostomus, erat, *Quod hospitalitatem, solus quotidiè comedens, desereret.* Quam hæc virtus semper viguerit in Romana Ecclesia, ostendit Martinus primus Pontifex, Constantis Augusti proceribus rogantibus, qualiter Pyrrhus Patriarcha Constantinopolitanus fuisset Romæ receptus,
Epist. 16. respondens. *Vos Domini mei nescitis Romanam Ecclesiam: Dico enim vobis, quia quisquis venit illuc miserabilis homo hospitari, omnia ad usum præbentur ei, & nullum immunem suis donis sanctus Petrus repellit venientium illuc, sed panis mundissimus & vina diversa dantur non solùm ei, sed hominibus ei pertinentibus. Si ergò in miserabilibus hominibus hæc fiunt, qui venit honorabilis, sicut Episcopus, quales sumptus debet suscipere?*

Etiam in monasterijs vigere debet eadem virtus. Etenim in præfatione ad librum septimum commentariorum super Ezechielem Prophetam scribit sanctus Hieronymus. *Nulla hora, nullumq; momentum est, in quo non fratrum occurramus turbis, & monasterij solitudinem hospitum frequentiâ commutemus.* Ait se studijs vacare non posse, *nisi lucrativis, immò furtivis noctium horis.* Ejusmodi laudibus monasteriorum
F. 25. scatent antiqua monumenta. Hìnc magnum Belgij Chronicon dicit monasterium Stabulense meritò sic vocari, utpotè quod sit stabulum
F. 153. quorumvis peregrinorum. Eumdem in finem ait Belgica monasteria passim constructa in locis avijs & periculosis. Quod Cluniacenses
L. 5. plura in hospites, quàm in semetipsos soleant expendere, testatur Guilielmus Malmesberiensis. Eandem virtutem in Cistertiensibus
Ep. 1. eminere scribit Stephanus Episcopus Tornacensis.

CANON XII.

PErvenit ad nos, quod quidam præter Ecclesiastica statuta facientes convolârunt ad potestates, & per pragmaticam sacram in duo Provinciam unam diviserunt, ità ut ex hoc facto duo Metropolitani esse videantur in una Provincia. Statuit ergò sancta Synodus de reliquo nihil ab Episcopis tale tentari: Alioquin qui hoc adnisus fuerit, amißioni gradus

pro-

proprij subiacebit. Quæcumque verò civitates iam literis imperialibus Metropolitani nominis honore subnixæ sunt, honore tantummodò perfruantur, & qui Ecclesiam eius gubernat Episcopus, salvis scilicet veræ Metropoli privilegijs suis.

S C H O L I O N.

Ecclesiasticam Hierarchiam ad Romanæ Reipublicæ formam ordinârunt Apostoli, civilem Diœcesin, Provinciam, Metropolim, civitatem, castrum, villam, volentes etiam esse ejusmodi apud Ecclesiam. Hìnc divisa per Principem Provincia, quomodò duos Præsides seu civiles Rectores, ità duos accipiebat Episcopos Metropolitas. Hâc viâ unius Lugdunensis Galliæ in quatuor Provincias sectio Rothomagensem, Turonensem, & Senonensem Episcopos fecit Archi-Episcopos, & sanctus Leo magnus tam Arelatensem, quàm Viennensem civitatem voluit esse Metropolim, quod illæ, licèt intra eandem Provinciam, jure eodem apud Rempublicam ex Constantini Augusti dono fuissent gavisæ. Ità definivit sententiam interlocutoriam Synodi Taurinensis: *Qui Episcopus comprobaverit suam civitatem esse Metropolim, is totius Provinciæ honorem Primatus obtineat.* C. 1. *Eâdem sectionis viâ Remensis Ecclesia profecit in secundæ Belgicæ Metropolim, sedis Treverensis ex filia sororem. Laudatus Constantinus Byzacium, cujus apud sanctum Cyprianum nulla memoria, à Numidia separans statim illic apparere fecit novum Primatem. Divisa per Theodosium Augustum Paphlagonia Episcopum Claudiopolitanum exaltavit in Metropolitam Honoriadis, id est, novæ Provinciæ ità in Honorij filij memoriam perpetuam nuncupatæ. Ast temporis lapsu regula in abusum abijt. Etenim Valens Augustus Arianus, sanctum Basilium humiliare & torquere volens, Cappadociam in duas secuit, Anthymumque Thyanensem Episcopum sub novę Metropoleos fuco in rebellionem movit, alijsque similis vanitatis Episcopis aperuit viam turbandæ per laicam potestatem antiquę Hierarchię. Primus post laudatum Basilium opposuit se Alexander Patriarcha Antiochenus, ad cujus preces rescripsit Innocentius Papa primus. *Quod sciscitaris, utrùm divisis Imperiali iudicio Provincijs, ut duæ metropoles fiant, sic duo Metropolitani Episcopi debeant nominari? Non visum est ad mobilitatem necessitatum mundanarum Dei Ecclesiam commutari, honoresque, aut divisiones perpeti, quas pro suis caussis faciendas duxerit Imperator.* Et hoc decretum ob necdùm eradicatum abusum noster Canon confirmat. Ep 18 c 2

Eum respicit Justinianus Augustus, Helenopontum & Pontum Polemoniacum in unam redigens Provinciam, & addens: *Nihil circa Sacerdotium earum innovamus*. Id est, Amasenum & Neo-Cæsareensem Episcopos volumus juxta antiquam formam manere Metropolitas. Eodem modo tractavit Gangrensem & Claudiopolitanum, Paphlagoniam & Honoriadem reducens in avitam unitatem. Et duas Armenias dividens in quatuor adjungit. *Quæ ad Sacerdotia spectant, ea volumus in pristina manere forma, negotio ipso neque circa jus metropoliticum, neque circa Ordinationes vel mutationem vel novationem suscipiente, sed priùs ordinatis nunc quoque ex ordinatione auctoritatem obtinentibus, & prioribus item Metropolitanis in suo permanentibus ordine, ut quantum ad ipsa nihil penitùs innovetur.* At verò de innovata & in tres divisa per eundem Justinianum Cappadocia dixit ad quintam Synodum Euphranta Episcopus Thyanensis, secundæ istius Provinciæ Metropolita. *Illo tempore sub Thyanensi civitate erat Dobara & Nazianzus, usque ad tempora huius pij Principis. Pijssimus autem Imperator, cum Metropolitana iura dedisset civitati, quæ quondam Mucissos, nunc autem Iustinianopolis nuncupatur, cum alijs civitatibus & Dobara & Nazianzum subiecit ei.* Atque ità & suas leges & hunc Canonem est prævaricatus, hodierniquе Græci Schismatici, eam potestatem suis olim Augustis adscribentes, sunt eorumdem prævaricatores. Mucissi exaltationem largè describit Procopius in opere de ædificijs Justiniani.

Novel. 28. c. 2. — Novel. 31. c. 2. — Collat. 5. — L. 5.

Altera Canonis pars impetit aliam vanitatem, quâ passim Græcorum Episcopi civitatem suam etiam citra Provinciæ divisionem impetrabant à Principe erigi in Metropolim, suamque cathedram in sedem Metropolitanam. Ità Valentinianus tertius Augustus Ravennatem, Berytensem verò Ecclesiam Theodosius junior fecit Metropolitanam, ei subijciens Biblon, Botryn, Tripolim, Orthosiadem, Arcas, & Antaradon, civitates Tyriorum Metropolitæ subtractas. Et hoc ad preces Eustatij Berytensis Episcopi, qui factum suum justificare conatus dixit ad Synodum nostram: *Consuetudo Imperatoris est facere Metropoles.* Nam & Valens Augustus Nicæam Bithyniæ fecit hâc viâ Metropolim.

Act. 4.

Respondeo cum Eustatio Berytensi Episcopo adversùs Photium Tyrium dicente ad hanc Synodum. *Me calumniatus est, quasi studio fecerim; obsecro sanctum & universale Concilium satisfactionem accipere, quod nihil per me actum est. Neque enim ità audax fuissem, ut regulis Patrum adversarer.* Et gloriosissimis judicibus rogantibus, *An è Patrum regulis, an è sacris Principum Pragmaticis hæc caussa esset examinanda,* respondit ipsa Synodus: *Contra regulas nihil Pragmaticum valebit.* Et ro-

rogantibus, *Num liceat è sacro Pragmatico aliena Ecclesiæ iura ab aliis Episcopis averti*, denuò respondit: *Non licet hoc, est præter regulas.* Et infrà. *Vnum iuxta regulas sanctorum Patrum volumus esse Metropolitam: Petimus, ut regulæ sanctorum Patrum teneant.* Et Atticus Nicopolitanus Episcopus, Metropolita veteris Epiri. *Trecentorum decem & octo Patrum regula unum vult Metropolitam in quavis Provincia esse Episcopum: Et supplicamus, ut etiam nunc virtus regularum in omnia & in omnes Provincias valeat, cessantibus omnibus Pragmaticis, quæ ex concursatione & ambitione fiunt, quæque everterunt ea, quæ spiritualiter & secundùm Deum à Patribus sancita sunt.* Utique à quarto Canone Niceno. Undè & ex illo definierunt gloriosissimi Judices. *Photius Episcopus Tyriorum Metropolis omnem potestatem ordinandi in universis civitatibus primæ Phœnices Provinciæ habebit; Eustatius verò Episcopus è sacro Pragmatico typo nihil ampliùs sibi vindicet, quam reliqui Episcopi eiusdem Provinciæ.* Id est, habeat nudum Metropolitæ nomen & honorem, nullam potestatem. Clamavitque omnis Synodus: *Hoc iustum iudicium, hoc Dei iudicium, hæc iusta sententia.*

Notanda sunt verba Eustatij Berytensis: *Nihil per me actum est.* Et Attici Nicopolitani: *Ex concursatione & ambitione fiunt.* Et verba nostri Canonis: *Statuit sancta Synodus de reliquo nihil ab Episcopis tale tentari.* Ostendunt solum Episcoporum ambitum & apud sacras Principis aures importunitatem, non ipsam Principis potestatem frænari & circumscribi, ideòque ejus civitatem, Ecclesiam, aut benè meritum Episcopum honorare volentis proprio motu posse erigi Metropolim tam per quàm citra Provinciæ divisionem. Ità Canonem intelligit in bulla aurea Alexius Comnenus Augustus. Et Eustatius Berytensis dicens ad Synodum: *Consuetudo Imperatoris est facere metropoles.* Utique motu proprio. Et ad solum nomen & honorem. Nam & Valens Augustus Nicæam in Metropolim promovens scripsit ad antiquam Bythiniæ Metropolim Nicomediam. *Circa privilegia civitatis vestræ, quæ olim fuerat, prisca consuetudo servabitur. Neque enim honoris adiectio Nicenorum civitatis ius vestrum lædere poterit, cùm augeatur dignitas Nicomediensium civitatis, quando illa, quæ secundo loco est, Metropolis nomine vocatur.* Exponunt in hac Synodo gloriosissimi Judices. *Auctoritatem Metropolitani inter Ecclesias Provinciæ Bythiniæ Nicomediensis habebit Episcopus, Niceno habente honorem Metropolitani tantummodò, subiacente autem, ad exemplum aliorum Episcoporum Provinciæ, Nicomediensi.* Et Marcianus Augustus civitatem Chalcedonensem ob factam in ipsa Synodum ex more honorare volens dixit ad Patres. *Ad honorem sanctæ Martyris Eufemiæ & vestræ pariter Sanctitatis, Chalcedonensium civitatem,* Act. 6.

tatem, in qua sanctæ fidei Concilium gestum est, Metropolis privilegia habere sancimus, nomine tantùm hanc honorantes, salvâ videlicet Nicomediensium civitati propriâ dignitate. Et hanc Imperialis potestatis limitationem noster Canon confirmat.

Quæstio est, quæ fuerint privilegia Ecclesiarum ac Episcoporum, qui solo honore & nomine erant Metropoles ac Metropolitæ? Respondeo fuisse tria. Primum erat ipsum Metropolitæ nomen. Undè Græci distinxere tres Metropolitarum classes, postremaque continebat hosce nostros, quos sæculis posterioribus dixerunt Archi-Episcopos, commenti hunc dignitatum ordinem: *Patriarcha, Primas, Metropolita, Archi-Episcopus, Episcopus.* Alterum privilegium erat esse suæ Provinciæ Proto-thronum, seu in Provinciæ Synodo habere primum locum post Metropolitam ante quosvis Comprovinciales Collegas, licèt consecrationis ætate seniores. Hìnc Ponticæ Diœceseos Episcopis de Niceno dicentibus, *Præponitur reliquis Provinciæ Episcopis honore solummodò*, reposuit præsens Synodus: *Regulariter docuerunt, benè docuerunt, omnes hæc dicimus.* Tertium denique ejusmodi intra tres autocephalas Diœceses Metropolitarum privilegium erat consecrari à Patriarcha Constantinopolitano, uti in laudata aurea bulla pro Basilæensi & Madytanensi adversùs Heracleensem & Ancyrarum decîdit Alexius Comnenus. Nam & Leo Isaurus, dum Illyricum, Siciliam, & citeriorem Italiam transcripsit Patriarchæ Constantinopolitano, in Calabria & Apulia erexit quosdam solo nomine Metropolitas, quò ad illius manus deberent consecrandi accedere. Quartum, quod quidam adjungunt, exemptionis privilegium Canon noster palàm evertit. Eadem ipsa tria privilegia apud nos latinos habuerunt illi Episcopi, quando, quomodò Syagrium Augustodunensem sanctus Gregorius, Pallij honore Romanus Pontifex quandoque insignivit.

CANON XIII.

PEregrinos Clericos & Lectores in alia civitate, præter commendatitias literas sui Episcopi, nusquam penitùs ministrare debere.

SCHOLION.

QVomodò undecimus de solis laicorum, ità hic Canon agit de de solis Clericorum commendatitijs literis: Et quidem de literis non ad altiorem Ordinem suscipiendum, sed duntaxat ad peregri-

grinandum dari consuetis, de quibus statuit Synodus Laodicensis. *Non oportet Sacerdotem vel Clericum sine literis proficisci Canonicis.* Et C. 41.
Canon Apostolicus: *Nullus peregrinorum Episcoporum, Presbyterorum, aut Diaconorum sine commendatitiis ad communionem suscipiatur Epistolis.* Et prima Synodus Carthaginensis. *Clericus non communicet in aliena* C. 7.
Plebe sine literis Episcopi sui. Nisi hoc observatum fuerit, communio fiet passiva. Nam si cum literis receptus fuerit, & concordia inter Episcopos servatur, & nemo subtilis fugiens alterius communionem ad alterum latenter accedit. Quod sine ejusmodi literis nec ad sacrum Comitatum proficisci potuerint, suprà audivimus à Canone Sardicensi, confirmatque sexta Novella Justiniani Augusti. Et post liberatam per laudatum Augustum à Wandalica servitute Africam scribunt ejus Episcopi ad Joannem secundum Pontificem. *Beatitudini tuæ credimus intimandum, Fratres aliquantos ex nostro Collegio, relictis sine caussa Plebibus suis, ad transmarinas navigare sæpius regiones. Hos diutiùs Ecclesia toleravit, excusante eos violentia temporis mali. Petimus nunc, ut quicumque forsitan Episcopus, aut Presbyter, sive Diaconus, aut cujuslibet inferioris Ordinis Clericus, sine nostra Epistola venerit, & non approbaverit se pro utilitate sanctarum Ecclesiarum fuisse directum, similis hæretico iudicetur: Neque vestrâ communione dignus existat, ut in omnibus & per omnia Beatitudinis vestræ disciplina laudetur.* Respondit verò Joannis successor cui tradita fuit petitio, Agapetus. *Et Canonibus est congruum & disciplinis, & prodesse iudicamus.* Ex caussa enim varia Clericorum vagationes oportet circumcidere. Eos sine Episcoporum commendatione nec ad Dominum Regem pro beneficiis petendis accedere permittit prima Synodus Aurelianensis. Addit secunda Ca- C. 7.
bilonensis. *Presbyteros Romam sive Turonum*, ad sanctorum Apostolorum aut sancti Martini limina *absque licentia Episcopi sui adire penitùs decrevimus inhibendum.* Plurimos habemus ejusmodi Canones, quorum caussam edicit Zozymus Pontifex in Epistola ad universos Galliæ C. 44 45.
Episcopos. *Eâ gratiâ hoc statuimus de literis commendatitiis, quia plures* Epist. 1.
Episcopi, seu Presbyteri, sive Ecclesiastici simulantes, quia nullum documentum formatarum exstat, per quod valeant confutari, in nomen venerationis irrepunt, & indebitam reverentiam promerentur. Videatur Canon secundæ Synodi Cabilonensis, & S. Leonis ad Ravennium Arelatensem Episcopum Epistola adversùs Pseudo-Diaconum Petronianum. C. 45. Epist. 109.

Licèt verò Canon noster de solis Clericis statuat, formatarum tamen necessitas omninò ligavit etiam Episcopos. Liquet ex plerisque jam adductis testimoniis. Et Gallicanis Episcopis sine Vicarii Arelatensis formata nec Romam accedere laudatus Zozymus permittit.

Ep. 4. c 3. tit. De eisdem scribit Hilarus Pontifex: *Ne præter Metropolitarum suorum literas ad quamlibet* extra Gallias *Provinciam audeant proficisci.* Cur
C. 2. addam, *Extra Gallias*, edicit prima Synodus Vasensis. *Placuit Episcopos de Gallicanis Provinciis venientes intra Gallias non discutiendos, sed solùm sufficere, si nullus communionem alicuius interdixerit. Quia inter cohabitantes ac sibi penè invicem notos non tam testimonio indigent probi, quam denotatione & denuntiationibus depravati.* Quocircà fallitur Hincmarus Remensis Metropolita nepotem Hincmarum Laudunensem Episcopum arguens, quod sine suis literis extra secundam Belgicam ad alias
Ep. 33. c. 2. Galliæ Provincias proficiscens laudatum Hilari decretum esset frequenter prævaricatus. Nisi forsàn per literas intelligat simplicem sine scripto licentiam, quam Gallicanis Episcopis etiam intra Gallias extra Provinciam profecturis fuisse necessariam, non est ambigendum. Et
Ep 35 33. c. 2. Hincmari tempore Vasensis Canon potest in dissuetudinem abijsse. Videnda est ejus duplex ad Laudunensem Epistola, adducens plures antiquos Canones pro commendatitijs peregrinantium Episcoporum literis, quos etiam, lapsam apud nos Christianitatem reparans, Capitulari suo Aquisgranensi inseruit Carolus Magnus. Unus est casus, in
L. 7. Indict. 2. Ep. 8. quo illis literis Episcopo non fuit opus, de quo scribit Gregorius magnus ad Episcopos Sardiniæ. *Vbicumque quempiam vestrum ambulare compulerit necessitas, à Metropolitano vestro petere licentiam debeatis, excepto, si contra illum habere vos aliquid caussa contingat, ut ob hoc Sedis Apostolicæ iudicium requiratis.* Attamen in tali, & quovis iniquæ recu-
Ep. 4 c. 3. sationis casu eas intra Gallias Hilarus Papa jussit peti à Vicario Arelatensi.

Episcopus itàque à Metropolita, Metropolita à Patriarcha, Clericus, licet etiam extra Provinciam profecturus, ab Episcopo accipiebat formatas Ità statuit sexta Justiniani Lex novella jam laudata. Excipe tamen potestatem Apostolici Vicarij Arelatensis, citra cujus literas nec Episcopus, nec Clericus extra Gallias poterat abire. Quâ potestate etiam aliarum Diœceseon Primates quidam & Vicarij fuère donati. Ex quo vides Episcoporum potestatem per Sedem Apostolicam posse non tantùm dirigi, sed & aliquâ sui parte truncari. De formata ad sacrum Comitatum profecturis Episcopis & Clericis necessaria singulare quid statuunt suprà elucidati Canones Sardicenses.

Sess. 22. Hunc nostrum innovat Synodus Tridentina. *Singuli Episcopi in suis Diœcesibus interdicant, ne vago & ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat.*
Sess 23. c. 16. Et iterùm. *Nullus Clericus peregrinus sine commendatitijs sui Ordinarij literis ab ullo Episcopo ad Divina celebranda & Sacramenta administranda admittatur.* Est res penitùs necessaria disciplinæ, quam apud nos olim

olim reformans statuit etiam tertia Synodus Turonensis. *Vnusquisque Episcoporum parochiam suam diligenter perscrutari nitatur, ne aliquis Presbyter ab alterius parochia in suam commigrans officium celebrare præsumat sine literis commendatitijs, sicut olim multis in locis actum esse repertum est.* C.13.

Porrò Canon noster Clerico sine commendatitijs venienti non sacrum dumtaxàt ministerium interdicit, sed & adimit illũ hospitis honorem, de quo scribit sanctus Leo magnus ad Dioscorum Episcopum Alexandrinum. *Posidonius*, Ecclesiæ vestræ *Presbyter* & vester ad nos Ep 81.c.2. Legatus, *nostris processionibus atque Ordinationibus frequenter interfuit.* Et Joannes Ravennæ Metropolita in literis ad sanctum Gregorium L.2.Ind.2. Epist. 55. magnum. *Quoties ad Episcopatus ordinationem aut responsa Sacerdotes vel Levitæ Ravennatis Ecclesiæ Romam venerunt, omnes in oculis sanctissimorum vestrorum Decessorum cum mappulis sine aliqua reprehensione procedebant. Quare etiam eo tempore, quo istic à Prædecessore vestro peccator ordinatus sum, cuncti Presbyteri & Diaconi mei in obsequium Domini Papæ mecum procedentes usi sunt.* Et ipse Gregorius in literis responsorijs ad Joannem, *Ne credas, quia ego Ecclesiam tuam in aliquo gravari aut minui* L. 4. Ep.15. *volo: Recordare in Missarum Romanarum solennibus ubi Ravennas Diaconus stabat, & require ubi hodie stat, & cognosces, quia Ecclesiam Ravennatem honorare desidero.* Et in literis ad Eulogium Alexandrinum ac Anastasium Patriarcham Antiochenum. *Decessor meus Pelagius Diaconum*, suum apud Principes in Regia urbe Apocrisarium, cum Joanne L 4. Epist.36. Jejunatore Episcopo Constantinopolitano, nomen *Patriarchæ universalis* adsumente, *Missarum solennia celebrare prohibuit.* Et in literis ad Sabinianum, suum ibidem Apocrisarium & Diaconum: *Cum Ioanne Episcopo procedere ne præsumas.* Epist 39. Quomodò Episcopos ad publicum sacrificium & verbum, ità Clericos hospites loci olim Episcopus honoris caussâ in plenæ communionis testimonium admittebat ac invitabat ad processionem, id est, ad secum in solenni sacrificio procedendum, sibique ministrandum. Erat omninò plenæ communionis testimonium. Hinc enim ad octavam Synodum dixerunt Theophilus Iconiensis, & Zacharias Tauromeniæ Episcopi schismatici, & à Photio intruso Constantinopolitano ad Nicolaum primum Pontificem Act. 4. Legati. *Diximus, & iterùm dicimus, quia ut summi Sacerdotes suscepti sumus à Papa Nicolao, & comministravimus ei, & recepti sumus ab illo.* Quod Baanes Patricius rectè dixit esse idem, quod cum Papa *Sacris operari.* Et de Joanne Lappensi apud Cretenses Episcopo, ab iniquis Pauli Metropolitæ sententijs absoluto, plenèque in gradum reposito, scribit Pontifex Vitalianus: *Fecimus nobiscum ad Missarum solemnia pro-* Epist.1.

cedere. Et de Rothaldo Suessionensi Episcopo similiter ab Hincmari Metropolitæ sententijs per Nicolaum primum Pontificem absoluto dicit Anastasius Bibliothecarius: *Missarum solennia* utique cum Domino Papa *solenniter celebravit.* Et hinc cum excommunicato aut quovis vitioso homine procedere fuit semper in Ecclesia grandissimum crimen. Etenim unum è Zachariæ Anagniensis & Rhodoaldi Portuensis Episcopi, Sedis Apostolicæ Legatorum, criminibus, ob quæ à Nicolao primo Pontifice fuerunt degradati, fuit quod cum Photio invasore sacrosancta mysteria celebrassent. Idem eodem modo

Cap. 18. crimen in Vitale & Miseno Episcopis, suis in caussa Acaciana Legatis, punivit, teste Liberato Diacono, Felix tertius. Et Sebastianum Diaconum Cardinalem dejecit Vigilius Pontifex, quod cum Clericis ab Honorio Salonitano Archi-Episcopo simoniacè ordinatis *acquievisset procedere.*

Quocircà noster Canon Clericum sine literis commendatitijs venientem privari mandat hoc honore processionis. Nec erat pæna mo-

L. 1. offic. c. 18. dica. Etenim sanctus Ambrosius nescio quem malè moratum Clericum *post offensam muneri reddens*, notatum tamen volens, vetuit, ne unquam secum procederet. Et Petrum Ecclesiæ Neapolitanæ Presbyterum, nefandi criminis accusatum, secum procedere vetuit For-

L. 8 ep. 25. 26. tunatus Episcopus, sanctusque Gregorius mandavit definiri caussam, quod innocenti nequiret ea pæna infligi. Et de Nicolao primo Pontifice, Arsenium Hortensem Episcopum ob inductum in Italiam nescio quem novum Episcopalis vestis ornatum punire volente, scri-

L. 4 c. 51. bit in vita Gregorij magni Joannes Diaconus: *Adeò Arsenium aversatus est, ut ei Palatinam processionem vellet adimere*, adeòque longè plus processionem ad sacrosanctum Altare. Nec tantùm Clerico, sed & Episcopo ac Patriarchæ fæda pæna erat ista ademptio. Eam enim Joanni Jejunatori Episcopo Constantinopolitano inflixére Pelagius secundus & Gregorius magnus, & à Legatis Joannis octavi indignissimè accepit Photius, quod cum ipso *nollent consecrare.* Erat quædam truncata communio, & minor excommunicatio.

De eadem scribit Hermias Zozomenus, agens de quatuor monachis Ægyptijs, cognomento Longis, Constantinopolim venientibus

L. 8. c. 13. sine literis commendatitijs Theophili Alexandrini Episcopi, sui Patriarchæ. *Ioannes* Chrysostomus, Constantinopolitanus Episcopus, *viros istos comiter excepit, & in honore habuit, & in Ecclesia preces fundere non*

L. 6. c. 9. *prohibuit; ad mysteriorum verò communionem admittendos non censuit, quod id ante caussam cognitam fas non esset.* Et Socrates. *Ioannes viros honorificè excepit, precumque participes esse permisit, sed communionem mysteriorum*

illis

illis se priùs minimè concessurum dixit, quam eorum caussa cognita & accuratè disceptata esset. Tractavit eos quomodò Consistentes, seu sine oblatione communicantes, non quomodò perfectos. Eis perfectionem seu sacrosanctam Eucharistiam dari vetabat caussa eorum ignorata, nataque ex Episcopalis commendationis defectu suspicio; hospitalitatis tamen lex honorari mandabat, ideòque usque ad receptam ab eorum Episcopo instructionem admitti saltem inter Consistentes. Ità juberi ab antiquo Ecclesiæ Canone dicit meritò Zozomenus. Eos ad Perfectionem admittere fuit gravissima semper in ipsorum Episcopum injuria, cujus vindicandæ ergò in sanctum Joannem Chrysostomum machinari cœpit Theophilus Alexandrinus: *Falsus rumor*, inquit Socrates, *ad aures Theophili perlatus est, Ioannem viros illos ad mysteria admisisse.* Eadem fuit querimonia S. Alexandri Alexandrini Episcopi adversùs Eusebium Nicomediensem de recepto ad mysteriorum perfectionem sine suis literis Ario: Et in istam Eusebij temeritatem emanasse quintum Nicenum Canonem, suo loco ostendi. Porrò longi isti monachi erant laici, ideòque harum literarum defectus etiam laicum advenam suspendebat ab Eucharistia.

Hinc intellige, quid sit communio peregrina, de qua Synodus Regensis, agens de Armentario Ex-Episcopo Ebredunensi. *Cuicumque Episcopo liceat ei unam suarum Parochiarum Ecclesiam cedere, in qua aut Chorepiscopi nomine, aut communione foveatur peregrinâ.* Et Synodus Agathensis. *Contumaces Clerici ab Episcopo corrigantur. Si officium suum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur, ità ut, cùm eos pænitentia correxerit, rescripti in matricula gradum suum dignitatemq; recipiant.* Et iterùm. *Si quis Clericus furtum Ecclesiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur.* Et Synodus Ilerdensis agens de Clerico criminoso: *Vix peregrina ei communio concedatur.* Hoc est, tractetur ut Clericus peregrinus Episcopi sui literis non commendatus, ejusque in Ecclesiastica communione habeat gradum & sortem. Est regula traducta ex Romana Republica: Nam Suetonius Tranquillus in Claudio Augusto meminit de *Reo Peregrinitatis*, & de *Redactione pænali in peregrinitatem.* Romano habitu ea pœna privabat. Licèt verò adducti Canones loquantur omnes de solis Clericis, fuisse tamen & peregrinam laicorum communionem patet abundè ex dictis.

Cap 3.
Cap 2.
C. 16.
L. 5. c. 15. 16.

Notanda sunt verba Synodi Regensis: *Peregrinâ communione foveatur.* Solatium, non pænam important. Distinguenda enim est duplex peregrina communio: Alia in pœnam infligi, alia in pænæ solatium indulgeri consueta. De prima agunt Synodus Agathensis ac Ilerdensis; Regensis de posteriori, mandans ut Armentarius ob alienam potiùs,

tiùs, quam propriam culpam dejectus frui possit gratiâ per octavum Nicenum Canonem Novatianensium Episcopis concessâ, id est, fieri Chorepiscopus, aut gratiâ decimiseptimi Canonis Sardicensis, id est, tractari tamquam Episcopus de sede & civitate sua iniquè expulsus. Hanc peregrinam communionem esse honoris & solatij plenam, ostendi ad laudatum Sardicensem Canonem, videndæque sunt variæ Theodoreti Epistolæ scriptæ in commendationem Cypriani, Afri-
Ep 52.53. cani Episcopi, à Wandalis ejecti. Ejusmodi peregrinos Episcopos esse ad Synodi generalis suffragium invitandos scribit Gelasius Pontifex
Cap 37. ad Episcopos Dardaniæ. Aliam adhuc facultatem eis facit Synodus Trullana.

CANON XIV.

QVoniam in quibusdam Provincijs concessum est Lectoribus & Psalmistis uxores ducere, statuit sancta Synodus non licere cuiquam ex his accipere sectæ alterius uxorem. Qui verò ex hujusmodi conjugio iam filios susceperunt, si quidem præventi sunt, ut ex se geniti apud hæreticos baptizarentur, offerre eos Ecclesiæ Catholicæ communioni conveniet; non baptizatos autem non posse eos ulteriùs apud hæreticos baptizare. Sed neque copulari debet nuptura hæretico, aut Iudæo, vel Pagano, nisi fortè persona orthodoxæ copulanda promittat se ad orthodoxam fidem transferre. Si quis hanc definitionem sanctæ Synodi transgressus fuerit, correptioni canonicæ subiacebit.

SCHOLION.

FIdelis cum gentili conjugium semper damnavit Ecclesia. Statuit enim Synodus Eliberina. *Propter copiam puellarum gentilibus mi-*
Cap. 15. *nimè in matrimonium dandæ sunt virgines Christianæ, ne ætas in flore tumens in adulterio resolvatur animæ.* Et iterùm. *Si qui forte Sacerdotibus*
Cap. 17. *Idolorum filias suas iunxerunt, placuit nec in fine eis dandam communionem.* Et prima Synodus Arelatensis: *De puellis fidelibus, quæ gentili-*
Cap. 12. *bus iunguntur, placuit, ut aliquanto tempore à communione separentur* Et tertia Carthaginensis. *Filij vel filiæ Episcoporum vel quorumlibet Clericorum gentibus matrimonio non iungantur.* Arabici Canones gene-

neraliter id vetant omnium fidelium filiabus, tamquàm sexui fragiliori. Et in libro de monogamia Tertullianus ait omnem fidelem C. 53. 67.
fæminam ex Apostoli mandato debere nubere *in Domino*, id est, 68.
non Ethnico, sed fratri, quoniam etiam *lex vetus adimit conjugia Allo-* C. 11.
phylorum. Et in libro de corona militis. *Ideò non nubimus Ethnicis, ne nos* C. 6.
ad idololatriam usque perducant. Et in libris ad uxorem notat Aposto- C. 19.
lum dicere, non simpliciter *Nubat in Domino*, sed cum addita exclusiva particula, *Tantùm in Domino*, id est, *In nomine Domini, quod est indu-* L. 2. c. 2.
bitatè, Christiano. Quosdam sui temporis Doctores, nobilibus fæminis adulando docentes extraneo nubere esse aut nullum aut minimum delictum, vocat *Consiliarios contra omnem scripturam prævaricatores*. C. 2. 3.
Omnis ille liber istius conjugij maculas & pericula elegantissimè edisserit, omninò legendus. Et inter varia fidelium crimina, quibus horrendam Decij Augusti persecutionem immisit Deus, adducit in sermone de lapsis sanctus Cyprianus: *Iungere cum infidelibus vinculum matrimonij, prostituere gentilibus membra Christi*. Quod in tertio testi- C. 62.
moniorum libro confirmat multis utriusque testamenti auctoritatibus. Id ipsum facit sanctus Ambrosius in literis ad Vigilium Epis- Epist. 24.
copum Tridentinum. Et de loco Apostoli, *Nubat tantum in Domino*, scribit ad Ageruchiam sanctus Hieronymus: *Amputat Ethnicorum con-* Epist. 11.
iugia. Ea improbari ostendit & ab alijs Apostoli locis, nec non à lege vetante arari in bove & asino, ac indui vestem textam ex duobus. Quæ omnia repetit in libris adversùs Jovinianũ. Hispanos item, quod L. 1. c. 4. 5.
filias suas Saracenis jungerent, graviter culpat Adrianus Papa primus. Epist. 96.

Obijci possit sanctus Augustinus, in libris de Adulterinis conjugijs laudata Apostoli verba, *Tantùm in Domino*, ità exponens. *Quod* L. 1. c. 25.
duobus modis accipi potest: Aut Christiana permanens, aut Christiano nubens. Non enim tempore revelati testamenti novi in Evangelio vel ullis Apostolicis literis sine ambiguitate declaratum esse recolo, utrùm Dominus prohibuerit fideles infidelibus iungi. Et Tertullianus de eodem loco agens C. 11.
in libro de monogamia. *Licèt nec hoc*, utique nubere in Domino, *Psychici*, id est, Orthodoxi, *curent*. Quod nempè crederent Evangelicâ lege non interdictum. Undè & Canon noster non quibusvis fidelibus, sed solis fæminis, solisque inter viros Ecclesiæ Lectoribus & Psalmistis ipsum interdicit. Tertia Synodus Carthaginensis solis filijs & filiabus Episcoporum & Clericorum: solis fæminis etiam Eliberina, Arelatensis, Canones Arabici, ac ipse Tertullianus.

Respondeo legendum integrum sancti Augustini contextum. *Quamvis beatissimus Cyprianus undè non dubitet, nec in levibus peccatis constituat iungere cum infidelibus vinculum matrimonij, atque id esse dicat*
pro-

Cap 19. *prostituere gentilibus membra Christi.* Et in libro de fide & operibus. *Beatus Cyprianus etiam illud non tacet & ad malos mores pertinere confirmat iungere cum infidelibus vincula matrimonij, nihil aliud esse asserens, quam prostituere gentilibus membra Christi, quæ nostris temporibus tam non putantur esse peccata, quoniam reverà in novo testamento nihil indè præceptum est, & ideò aut licere creditum est, aut veluti dubium derelictum.* Ea matrimonia omninò existimat esse illicita, aliud malè opinantibus dumtaxat fatetur nullum de illis esse apertum ac irrefragabile novi testamenti positivum præceptum. Adversam opinionem improbat; solummodò non audet damnare. Hìnc item noster & alij adducti Canones solis fæminis, tamquam seduci facilioribus, interdicunt, respicientes potiùs ad naturæ, quam ad Evangelij legem. Et vir fidelis mulierem infidelem sub potestate habet, ideòque ejus solis blandimentis, non imperio potest in periculum impelli. Et antiquus Synodorum & Patrum mos est solos damnare manifestos errores, Doctorum opiniones, licèt suspectas, verè tamen probabiles, suis terminis relinquere, donec dies veritatis illucescat. Undè hodie parem esse utriusque sexus conditionem & legem, eadem incommoda, idem periculum, fatetur omnis Ecclesia. Et certè antiqua, quæ ipsissima naturæ, lex utrique sexui pariformiter interdixit. Sanctus Petrus Damiani in literis ad Damianum Nepotem refert insigne exemplum duarum in Hispania meretricum, quæ mori, quàm Saracenis misceri eligentes ex meretricibus in martyres fæliciter profecerunt. (L. 6. Ep. 21)

Eadem est ratio conjugij fidelis cum Judæo, de quo Synodus Eliberina: *Catholicas puellas nec Iudæis dandas placuit.* (Cap. 16.) Et secunda Synodus Aurelianensis: *Nullus Christianus Iudæam, neque Iudæus Christianam in matrimonio ducat uxorem, quia inter huiusmodi personas illicitas nuptias esse censemus.* (Cap. 19.) Quod ipsum sub pænis gravioribus statuunt Synodus Arvernensis, & tertia Aurelianensis, additque quarta etiam fidelem ancillam tali conjugio non posse fædari. (Cap. 16. Cap. 13. Cap. 31.) Adstipulantur etiam Canones Arabici, tertiaque & quarta Synodus Toletana, mandantes ejusmodi conjugiorum proles omninò baptizari.

Cap. 16. Eliberina Synodus addit de conjugio Catholici cum hæretica. *Hæretici, si se transferre noluerint ad Ecclesiam Catholicam, nec ipsis Catholicas dandas esse puellas.* Et Synodus Laodicena: *Quod non oportet* (cap. 10.) *indifferenter Ecclesiasticos fœdere nuptiarum hæreticis suos filios, filiasque coniungere.* Confirmat Canon trigesimus primus, & addit: *Non oportet eis filios dare vel filias, sed magis accipere, qui se Christianos futuros polliceantur.* Et tertia Synodus Carthaginensis: *Filij vel filiæ Episcoporum vel quorumlibet Clericorum hæreticis vel schismaticis matrimonio non* (cap. 12.)

iun-

iungantur. Statuit de solis Episcoporum & Clericorum filijs & filiabus ob nimiam tunc Donatistarum in Africa multitudinem & potentiam: Generaliter autem & assiduè clamat sanctus Augustinus indignissimè eos, qui domo, mensa, lecto sociantur, dissociari fide, Ecclesiâ, & Altari. Trigesimum primum Canonem Laodicensem Synodus Agathensis facit suum, ejusque caussam dat Synodus Trullana: *Non enim ea, quæ non sunt miscenda, misceri, nec ovem cum lupo, nec peccatorum sortem cum Christi parte coniungi oportet.* Hæreticam conjunctionem æqualiter vetat utrique sexui: Et jure merito. Etenim Valentem Augustum fuisse ab Ariana uxore seductum testatur in Ecclesiastica Historia Theodoretus. C.72. L.4 c.12.

Rectè cum Eliberina, Laodicensi, & Agathensi Synodo addit noster Canon: *Nisi fortè persona orthodoxa copulanda promittat se ad orthodoxam fidem transferre.* Ex hujus enim vetustæ Regulæ præscripto Theodosius Augustus Athenaidem Leontij Sophistæ Atheniensis Paganam filiam ducturus ab Attico Constantinopolitano Episcopo priùs fecit baptizari, appellarique Eudoxiam. Et Crotildis Chilperici Burgundionum Regis filia Christiana, Clodoveo Francorum Regi Pagano nubere coacta, protestata fuit: *Nequit Christiana Pagano nubere; fiat tamen Domini voluntas.* Et Carolus crassus Augustus, teste Sigeberto Gemblacensi, Wilam Lotharij Regis ex Waldrada filiam Godefredo Nortmannorum Pagano Regi dare noluit, nisi priùs initiato Christianis Sacramentis. Et de Soldano Iconiensi scribunt Otto de sancto Blasio & Godofredus Monachus, quod Frederici primi Augusti filiam postulans spoponderit cum omni gente sua fieri Christianus. Et apud Gregorium Turonensem Sigebertus Francorum Rex orthodoxus Brunichildim Gotham Arianam, priusquam duceret, chrismari fecit, plenèque Ecclesiæ reconciliari. Plurima sunt ejusmodi exempla: Quædam fælicissima. Nam & sanctus Thomas ArchiEpiscopus & Martyr Cantuariensis natus & insignem pietatem doctus fuit à matre olim Saracena. Socrat. L.7. c.21. A.884. C.25. A.1173. L.4. c.27. 28.

Quæstio est, an ejusmodi matrimonia per adductos Canones fuerint non tantummodò vetita, sed etiam irritata ac annullata? Respondeo primò, Christiani cum Judæa conjugium fuisse apud Hispanos semper irritum. Ità statuere videtur antiqua Eliberina Synodus hisce verbis: *Nulla potest esse societas fidelis cum infideli.* Quidquid sit, quarta Toletana Synodus ejusmodi conjugium separari mandat, ideòque irritum supponit. Hispania semper à Judæis fuit singulariter infestata, ideòque tali lege fuit illi semper opus. Etiam apud Gallicanam ac omnem latinam Ecclesiam fuisse suo tempore irritum ejusmo- C.16. c.63.

 mo-

Ep. 121. modi conjugium supponit sanctus Ivo Carnutensis Episcopus in literis ad Wulgrinum Archi-Diaconum Parisiensem.

Respondeo secundò, quod etiam hæretici cum orthodoxa matrimonium videatur irritari ab Eliberina Synodo. Nam & de illo dicit: *Nulla potest esse societas fidelis cum infideli.* Ut ut sit, apud alias gentes, licèt illicita, valida tamen fuerunt ejusmodi conjugia usque ad hunc Cap. 72. Canonem Synodi Trullanæ: *Si quid eiusmodi ab ullo ex omnibus factum apparuerit, irritas nuptias existimare, & nefarium coniugium oportet dissolvi.* At illum nunquam recepit Romana Ecclesia, ideòque ejusmodi matrimonia etiamnum apud nos latinos sunt firma.

Respondeo tertiò Christiani cum Pagana conjugium esse jam pridem apud omnes latinas Ecclesias irritum, attamen ex pia consuetudine, non ex Canone. Nullus quippè Canon ipsum cassat, nisi sexagesimus septimus Arabicus, quem constat non esse Nicenum, nec nostris moribus unquam receptum. In hocce conjugium, quam in duo priora semper ob minùs periculum fuit Ecclesia clementior, docetque in supplemento sanctus Thomas etiam ab antiqua lege fuisse vetitum Judæis conjugium cum solis illis gentilibus, à quibus erat singulare Q. 59. ar. 1 & proximum periculum seductionis in Idololatriam. Et semper gentilibus, quàm Judæis aut hæreticis Principibus maluit Ecclesia parêre. Quo præcisè tempore hic dispar cultus cæperit apud nos esse impedimentum dirimens, ignoratur.

Notandum est Canonis exordium: *In quibusdam Provincijs concessum est Lectoribus & Psalmistis uxores ducere.* Omnimò loquitur de Ecclesia Orientali, ideòque varijs in locis erat illa sanctior nobis latinis, solos Episcopos, Presbyteros, & Diaconos ad plenam continentiam tunc passim adstringentibus. Exstat tamen apud nos & Canon tertiæ Cap. 19. Synodi Carthaginensis: *Lectores, cùm ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere aut continentiam profiteri.* Et hínc vides Canonem illum, qui ab omnibus ubique Lectoribus & Psalmistis permittit Can. Apost. 27. post acceptum Ordinem iniri conjugium, nequaquam esse Apostolicum, sed hoc nostro posteriorem, utpotè gradum ad Canonem Trullanum.

Meritò Canon Lectoribus & Psalmistis, *qui ex huiusmodi matrimonio iam filios susceperunt*, mandat, ut eos jam in hæresi baptizatos curent reconciliari Ecclesiæ, neminemque deinceps permittant istic Cap. 13. baptizari. Ità statuit & Synodus Ilerdensis: *Catholicus, qui filios suos in hæresi baptizandos obtulerit, oblatio illius in Ecclesia nullatenùs recipiatur.* Cap. 19. Et tertia Carthaginensis: *Episcopi, Presbyteri, vel Diaconi non ordinentur, priusquam omnes, qui sunt in domo eorum, Christianos Catholicos*

fece-

fecerint. Et sanctus Gregorius magnus in literis ad Columbum Numidiæ Episcopum. *Res ad nos omninò dura, & rectæ fidei inimica pervenit, quia, quod dici nefas est, Catholici homines, & religiosi, quod est deterius, filios, mancipiaq; sua, vel alios, quos in potestate habent, in Donatistarum hæresi baptizari consentiunt.* Fieri id deinceps vetat rigidissimè, addens de Clericis: *Si quis de cætero hoc fieri de suis quálibet excusatione pertulerit, à Clero sit modis omnibus alienus.* Theodosius senior Augustus, Thessalonicæ ex gravi morbo decumbens, ab Acholio Episcopo baptizari noluit, nisi de recta ejus fide & communione certificatus. Et de sancto Ambrosio ad Episcopatum suscipiendum compulso scribit Paulinus Presbyter: *Postulavit se non nisi à Catholico Episcopo baptizari.* Et sanctus Hermenigildus paterno gladio trucidari maluit, quàm pollui Arianâ Eucharistiâ. Et Lucio Ariano Alexandriæ Patriarchæ in Episcopum consecrare paranti dixit Moyses Saracenorum Electus. *Absit, ut tua manus me consecret: Nam tuâ invocatione Spiritus sancti gratia in neminem descendit.* Et Antiochus Samositensium Electus *Ioviani Pergensis Episcopi manum repulit, dixitq; se nullo modo posse ferre dexteram sibi imponi, quæ sacra mysteria per blasphemiam consecrata receperat.* Orthodoxus enim erat Jovianus, solâque Arianâ communione maculosus. Et Rogerus Hovedensis scribit de Conrardo Electo Moguntino: *Noluit ab Octaviano Antipapa consecrari, malens inter Catholicos pauper vivere, quàm inter schismaticos divitijs abundare.* Hæretici namque Ministri manum esse non vivificatricem, sed *suffocatricem*, rectè dicunt orthodoxi monachi in libellis exhibitis Synodo Constantinopolitanæ sub Menna Patriarcha. Etiam in Christi Baptismo hominem suffocat. Quare ipsum nonnisi in extremo necessitatis articulo ab illa posse recipi semper Ecclesia docuit.

L. 5. Ep. 36

Theodor. l. 4. c. 21.

C. 14.

L. 2. f. 568

Act 5. f. 57

CANON XV.

DIaconissam non ordinandam esse ante annum quadragesimum, & hanc cum summo libramine. Si verò suscipiens manus impositionem, & aliquantum temporis in ministerio permanens, semetipsam tradat nuptijs, gratiæ Dei contumeliam faciens, anathematizetur huiusmodi cum eo, qui eidem copulatur.

SCHOLION.

Ep. 1. c. 3. DIaconissarum meminit Apostolus in Epistola ad Timotheum, post enumeratas Episcopo & Diacono necessarias virtutes statim subdens: *Mulieres similiter oportet esse pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus.* Quod eas ob similem Ordinationem & ministerium Diaconis proximè subnectat, Patres passim advertunt. Exindè seducti Montanistæ utramque Ordinationem existimârunt esse pariformiter Ecclesiæ Sacramentum. Pergit in eadem Epistola Apo-
cap. 5. stolus: *Vidua eligatur non minùs sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si Sanctorum pedes lavit, si omne opus bonum subsecuta est.* Errant, qui agi existimant de viduis ad meram castitatis professionem eligendis: Eligunt enim illæ, non eliguntur. Et tantæ paraturæ non est ea professio: & univiratus requisitus est lucidum indicium majoris Sacramenti. Tertullianus in libro de velandis virginibus ait viduitatem hanc non esse rem modicam, sed Ecclesiasticam *Sedem*, ad quam eli-
cap. 9. gendas oporteat esse non dumtaxat *sexaginta annorum & univiras, sed & matres, & quidem educatrices filiorum: Scilicet ut experimentis omnium affectuum structa facilè norint cæteras & consilio & solatio juvare. Adeò nihil virgini ad honorem de loco permissum est.* Hæ namque viduæ in publico Ecclesiæ conventu habent locum longè honoratiorem. Et in
cap. 11. libro de monogamia dicit matrimonium per fideles ab Ecclesia peti,
cap. 13. id est, *ab Episcopo, Presbyteris, Diaconis, & Viduis.* Et in libro de pudicitia ait pœnitentes in Ecclesia *prosterni ante viduas & Presbyteros.* Et in libro Præscriptionum præcipuos Ecclesiæ gradus enumerat hoc or-
cap 3. dine: *Episcopus, Diaconus, vidua, Virgo, Doctor, Martyr.* Vides viduas assiduè Diaconis subnecti, Doctoribus & Martyribus præ-
cap. 40. positas, ideòque spectare ad Clerum. Quocircà rectè Synodus Trullana fæminas illas, quæ ab Apostolo vocantur viduæ, ait à sacris Canonibus vocari Diaconissas. Loquitur ex sancto Basilio in literis Canonicis ad sanctum Amphilochium Episcopum Iconiensem: *Viduam, quæ in viduarum numerum relata est, hoc est, quæ ab Ecclesia in Diaconatum suscepta est, censuit Apostolus nubentem esse despiciendam.* Quarta
cap. 12. Synodus Carthaginensis vocat viduas seu sanctimoniales ad baptizandarum mulierum ministerium electas.

Etiam vox, *Diaconissa*, est longè antiquissima. Etenim Apostolicæ ad Romanos Epistolæ subnotatio, quam nonnulli existimant esse ab ipso Apostolo, sic habet: *Scripta fuit ad Romanos è Corintho per Phœben Diaconam Ecclesiæ Cenchrensis.* Undè in orationibus supra Dia-

co-

conissas, dum ordinantur, fundi consuetis ab Episcopo rogatur Deus, ut eis illam, quam Phœbæ dignatus est, Spiritus sancti & sacri ministerij gratiam largiatur. Ejusdem nominis meminit sanctus Ignatius Martyr in Epistola ad Antiochenos: *Saluto sanctarum portarum custodes Diaconissas.* Cujuscumque sit, antiqua est illa Epistola. Meminerunt item decimus nonus Canon Nicenus, Canones Arabici, Apostolicæ Constitutiones editæ sub nomine Clementis Romani, sanctus Epiphanius, Basilius magnus, Gregorius Nyssenus, prima Synodus Arausicana, Epaonensis, secunda Aurelianensis, Codex Theodosianus, Leges Justiniani Augusti. Apud laudatum Clementem sanctus Bartholomæus Apostolus Diaconissarum originem dicit esse hebraicam, successionem earum mulierum, quas olim Deus sanctis tabernaculi & templi januis custodes præfecit. L. 8 c.

Variæ sunt de illis quæstiones. Prima est, An fuerint reverà sacro Ecclesiæ ritu per manus impositionem consecratæ? Pro parte negativa facit Synodus Laodicensis: *Non oportet eas, quæ dicuntur Presbyteræ vel Præsidentes, Ecclesiis ordinari.* Et Synodus Nicena: *Diaconissæ non habent manus impositionem, & ideò modis omnibus inter laicas deputantur.* Præterea Diaconissæ ex Apostolico mandato debebant esse viduæ: At verò consecrationis ritum sacri Canones sanciunt solis virginibus esse proprium, nulloque modo viduis impendi. Quin immò Ambrosiaster in Commentarijs super Epistolam Apostoli ad Timotheum abijcit hanc Ordinationem ad errores Montani. *Cataphryga,* inquit, *erroris occasionem captantes, propter quod post Diaconos mulieres alloquitur Apostolus, etiam ipsas Diaconas ordinari debere vanâ præsumptione defendunt: Cùm Apostolus mulierem in Ecclesia in silentio esse debere præcipiat, illi è contrà etiam auctoritatem in Ecclesia vindicant ministerij.* Cap. 11. cap. 19.

Respondeo tamen fuisse omninò ordinatas, & apud latinos, & apud Græcos. De latinis testatur Tertullianus in libris ad uxorem. *Disciplina Ecclesiæ & Apostoli præscriptio digamos non sinit præsidere, & viduam adlegi in Ordinationem, nisi univiram non concedit.* Et in fine libri Exhortatorij ad castitatem. *Quanti & quantæ in Ecclesiasticis Ordinibus de continentia censentur, qui Deo nubere maluerunt?* Respicit ad Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & Diaconissas, adeòque omnes affirmat Ecclesiasticis Ordinibus insignitos. Antiquus Ordo Romanus habet Missam peculiarem, variumque ritum ordinandæ Diaconissæ. Quomodò Diaconum, ità & hanc ordinandam mandat inter Missarum solennia, inter Epistolam & Evangelium, ante altare, eique donari annulum, torquem, stolam Diaconalem. Et prima Synodus Arausicana statuit. *Diaconissæ omninò non ordinandæ. Si quæ jam sunt, benedictioni,* L. 1. c. 7. c. 13. c. 26.

cap. 21. *quæ populo impenditur, capita submittant.* Et Synodus Epaonensis. *Viduarum consecrationem, quas Diaconas vocant, ab omni regione nostra penitùs abrogamus: Solam eis pœnitentiæ benedictionem, si converti ambiunt,*
cap. 17. *imponendo.* Et secunda Aurelianensis. *Fœmina, quæ benedictionem Diaconatus hactenùs contra interdicta Canonum acceperunt, si ad conjugium*
cap. 18. *probantur iterùm devolutæ, à communione pellantur.* Et iterùm. *Placuit etiam, ut nulli postmodùm fœminæ Diaconalis benedictio pro conditionis hujus fragilitate credatur.* Ex his clarum est, hanc benedictionem usque ad hosce Canones viguisse in Gallicana Ecclesia, atque ad illam exstirpandam fuisse opus tot repetitis Canonibus.

Eam apud Græcos viguisse testantur noster Canon, Constitutiones Apostolicæ, & Synodus Trullana, vocantes eam χειροτονίαν sive χειροθεσίαν, id est, manus impositionem Ecclesiasticæ Ordinationis impressivam. Et Theosebiam, sancti Gregorij Nysseni Episcopi uxorem, unà cum viro Episcopo factam Diaconissam, sanctus Gregorius
Epist 95. Nazianzenus vocat *verè sanctam Presbyteri conjugem, honore parem, magnu* Diaconalis Ordinationis *mysterijs dignam.* Et in Ecclesiastica
L.3.c.13. Historia Theodoretus laudat quandam fæminam Antiochenam, pietate illustrem, *Diaconatus munere donatam.* Et Hermias Zozomenus
L.8.c 23. laudat Nicaretam nobilissimam virginem, quod nunquam adscendere voluerit ad Diaconissæ dignitatem. Laudat & Olympiadem illustrissimam viduam, quam Nectarius Constantinopolitanus Episcopus
cap. 9. *Diaconam ordinavit.* Eas ordinatas dicit *ad Divinum ministerium.* Et
L.7.c. 16. sanctus Epiphanius scribit ad Joannem Hierosolymæ Episcopum:
Apud Hieron Ep 60 *Nunquam ego ordinavi Diaconissas, & ad alias misi Provincias.* Et adversùs hæresin Collyridianam. *Observandum est, quod Diaconissis solummodò*
Hæres.79. *indiguit Ecclesiasticus Ordo.* Ejusdem Ordinationis meminit Codex Theodosianus, & frequenter Justinianus Augustus.

cap.44. Hinc intelliges Canonem sancti Basilij in literis ad sanctum Amphilochium. *Diaconissa, quæ cum Græco,* id est, gentili, *fornicata est, ad communionem* precum, sive Consistentiam *recipienda est, ad oblationem autem septimo anno admittetur, scilicet si in castitate vitam agat.* Sacra virgo aut vidua à simplici continentiæ voto in mæchiam lapsa ab antiquo Ecclesiæ Canone proscribitur in Fletum, cur igitur Diaconissa privatur solâ oblatione ac Perfectione? Rationem dat idem Basilius
cap. 32. in eisdem literis. *Qui peccatum ad mortem peccant Clerici, de gradu quidem dejiciuntur, à laicorum autem communione non arcentur: Non enim vindicabis idem bis in idipsum.* Id est, pro mortali crimine laicum communione, Clericum solâ degradatione punimus, neque patitur justitia hujus degradationi addi & excommunicationem. Quod ipsum statuit

Canon

Canon vigesimus quintus inter vulgares Apostolicos. At verò Diaconissa est in Clero, atque ità ejus lapsum carnalem sanctus Basilius solâ degradatione censuit esse castigandum.

Nec obsunt Canones in contrarium adducti. Laodicensis nequaquàm de Diaconissarum Ordinatione agit, sed de nescio quarum seniorum mulierum ad nescio quam in Ecclesia Præfecturam electione & citra manus impositionem promotione, quam usque huc usitatam vult eliminari. Etenim vox Græca, καθίστασθαι, nequaquam manus impositionem aut consecrationem, sed simplicem constitutionem importat. Eas mulieres versio nostra latina perperàm vocat Presbyteras. Rectè enim adversùm Collyridianos sanctus Epiphanius: *Nusquam Presbytridas constituit Ecclesia.* Et Canonis Laodiceni græcus textus non habet, πρεσβυτερίδας, sed πρεσβύτιδας, id est, senes, quas aliqui fuisse putant Diaconissarum Præfectas & quasi Archi-Diaconas, easque ab ista Synodo eliminari. Videantur illic Theodorus Balsamon & Joannes Zonaras. Nicenum Canonem suo loco exposui, nostramque expositionem Petrus Arcudius eruditè confirmat. Diaconissarum porrò consecratio à virginum consecratione differebat plurimùm, ideòque viduis poterat omninò impendi. Varios Græcorum Rituales libros, eam distinctissimè exprimentes, nuper publicavit Joannes Morinus. Hæres 79. L. 6. c. 10.

Altera quæstio est, An hæc Ordinatio fuerit verum Ecclesiæ Sacramentum? Partem affirmativam suadere videtur noster præsens Canon, dicens eam conferri per manus impositionem. Et apud Petrum Arcudium Matthæus Blastares dicit conferri per hæc Ordinantis Episcopi verba: *Gratia Divina, quæ infirma sanat & imperfecta perficit, hanc reverendam N. promovet in Diaconam.* At verò eodem ritu promoventur viri, eaque sunt essentiale elementum & verbum Sacramenti Diaconalis. Eidem quoque erant ritus accidentales utriusque Ordinationis, eædemq; fermè precationes, atque ideò addit noster Canon, quod Diaconissa lapsa irroget contumeliam Divinæ gratiæ, utique ex Ordinationis opere operato susceptæ. Neque refert Petri Arcudij responsio: *Ex quibusdam antiquis, seu potiùs apocryphis Euchologijs loquitur Blastarius, & quod de forma,* DIVINA GRATIA, ETC. *dicit, erroneum esse iudico, hæreticum, improbandum, omninò rejiciendum.* Etenim Blastario jam laudata Ritualia attestantur, ostenduntque Arcudium pessimè censere.

Respondeo tamen eam Ordinationem nullatenùs esse Sacramentum, sed ritum merè cæremonialem ab Ecclesia institutum. Rectè enim Tertullianus in libro de velandis virginibus. *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius* C. 9.

vi-

Cap. 17. *virilis muneris, nedum Sacerdotalis officii sortem vindicare.* Quod ipsum repetit in libro de Baptismo, addens scripta illa, quæ sanctus Hieronymus in catalogo rectè vocat Pauli & Theclæ Periodos ac baptizati Leonis fabulam, esse sub laudati Apostoli nomine conficta à nescio quo Presbytero in Asia, ipsumque damnatum ob illud facinus, atque ità ex ejusmodi chartis mulierum petulantiam vanè defendi. Eis sacræ pallæ contactum ac thuris in Ecclesia incensionem interdicta fuisse à Sotere & Bonifacio primo Pontificibus, testatur liber
C. 44. Pontificalis. Adjungit Canon Laodicensis: *Non oportet mulieres ad altare ingredi.* Ad nullum ejus ministerium, ut in literis ad Lucaniæ
E. 9. c. 3. & Siciliæ Episcopos exponit Gelasius primus. Eas vel ad Missam privatam Presbytero ministrare vetant Synodus Nannetensis, sexta
Const. 14. Parisiensis, Caroli magni, Theodulfi Aurelianensis, Heraradi Turonensis, ac Isaac Lingonensis Episcopi Capitularia. Abusum, ut intolerabilem, etiam apud Græcos aboleri jussit Innocentius quartus. Et ter-
c. 99. 100 tia Synodus Carthaginensis statuit. *Mulier baptizare non præsumat.* Et adversùm Collyridianos sanctus Epiphanius. *Diaconissarum Ordo est*
Epist. 79. *quidem in Ecclesia, cæterùm non ad sacrificandum, neque ut quidquam aggredi permittantur.* Multis refutat Erroneum istorum nec non Montanistarum temeritatem, de qua & sanctus Augustinus
cap. 27. in libro de hæresibus. *Tantùm dant mulieribus principatum, ut Sacerdotio quoque apud eos honorentur: Dicunt enim Quintilla & Priscilla Christum specie fœminæ revelatum.* Et hujusmodi dumtaxàt Ordinationem fœminarum damnat Ambrosiaster suprà adductus. Et Tertullianus in libro Præscriptionum. *Ipsæ mulieres hæreticæ quam procaces! Quæ*
cap. 41. *audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitàn & tingere;* immò sine, *forsitan:* Etenim sanctus Firmilianus Cæsareensium in Cappadocia Archi-Episcopus in literis ad sanctum Cyprianum memorat nescio quam de Montani fæce fœminam, ausam non tantùm tingere, sed & Eucharistiam sanctificare. Ità mediis sæ-
L. 1. c. 45. culis sexta Synodus Parisiensis queritur fœminas ausas *Corpus & Sanguinem Domini populis porrigere*, & alia ipso dictu turpia exercere. Et
L. 1. Epist. 187. quasdam Hispaniæ Abbatissas Monialibus suis benedicentes ac publicè prædicantes, earumque confessionem audientes durè arguit Innocentius tertius, addens Ecclesiasticæ potestatis claves nec Virgini Matri à Domino fuisse concessas. Addit de Montanistis san-
Epist 75. Epist. 54. ctus Hieronymus in literis ad Marcellam. *Apud nos Apostolorum locum tenent Episcopi; apud eos Episcopus tertius est. Habent enim primos de Pepuza Phrygiæ civitate Patriarchas; secundos, quos appellant, Cenones: Atque ità in tertium, id est, penè ultimum locum Episcopi devol-*

vun-

vuntur, quasi exindè ambitiosior religio fiat, si, quod apud nos primum est, apud illos novissimum sit. Porrò *Cenones* est Phrygium vocabulum, cujus propriam significationem hodie ignoramus. Soli interim Montanistæ & Collyridiani Diaconissarum Ordinationem asserunt esse Sacramentum. Eos verò damnat vel sola differentia rituum, quibus & illæ & Diaconi ordinantur. Videantur apud Matthæum Blastarem, ac in libris Ritualibus jam suprà laudatis.

Nec obest oppositum argumentum. Etenim manus impositio fuit olim admodùm varia, aliaque sacramentalis, alia dumtaxàt cæremonialis. Et hæc verba, *Divina gratia*, &c. nequaquàm sunt Ecclesiasticæ Ordinationis essentiale verbum: Sunt decretum factæ electionis, postulatioque faciendæ consecrationis, æquivalens hisce nostris verbis Archi-Diaconi ad Episcopum ordinantem: *Postulat sancta mater Ecclesia, ut hunc Electum in Diaconum consecretis.* Longa est hæc quæstio, alibi discutienda. Petrus Arcudius putat esse verbum essentiale: Hìnc Matthæum Blastarem perperàm accusat.

Tertia quæstio est, quæ fuerint Diaconissarum munia & privilegia? Respondeo fuisse varia. Primum & principale edicit Clemens Romanus in Apostolicis Constitutionibus. *Eliges Diaconissam ad* L. 3. c. 15.
ministrandum mulieribus. Ad multa enim indigemus Diaconissâ. Ac primum quidem cùm mulieres baptizantur, unget quidem eis Diaconus frontem tantùm oleo sancto; post eum verò illinet eas Diaconissa. Non enim opus est, ut viri inspiciant fœminas. Et infrà. *Virum* de sacro fonte egredientem *susci-* c. 16.
piat Diaconus; mulierem Diaconissa. Et in alio libro. *Diaconissa Presby-* L. 8 c 28.
teris ministrat, cùm mulieres baptizantur, idq; propter decorem & honestatem. Et sanctus Epiphanius in libro adversùm hæreticos. *Diaconis-*
sarum Ordo est in Ecclesia, reverentiæ gratiâ muliebris generis, aut propter c. 79.
horam balnei aut visitationis, aut laboris. Et quando nudatum fuerit mulieris corpus, ne à viris sacrificantibus conspiciatur, sed à ministrante muliere. Et quarta Synodus Carthaginensis: *Ad ministerium baptizandarum mulierum eliguntur.* Et Novella Justiniani Augusti directa ad Epi- c. 11.
phanium Patriarcham Constantinopolitanum: *Diaconissæ adorandis* L. 6. c. 6.
ministrant baptismatibus, & alijs adsunt secretis, quæ in venerabilibus ministerijs per eas ritè aguntur. Olim enim & fæminæ & viri sacrum regenerationis fontem intrabant naturaliter nudi, & toto corpore apud Græcos ungebantur, ideòque naturalis honestas pro fæminis requirebat Diaconissas. Addit quarta Carthaginensis Synodus: *Tam instructæ*
sint Diaconissæ ad officium, ut possint apto & sano sermone docere imperi- c. 12.
tas & rusticas mulieres, tempore, quo baptizandæ sunt, qualiter Baptizatoris interrogata respondeant, & qualiter accepto baptismate vivant. Hoc

ipsum forsàn vult S. Ambrosius dicens viduas esse *fidei magistras*. Re-
c.100. ctè verò tertia Synodus Carthaginensis mandat, ne mulieres, utique Diaconissæ, viros doceant in publico Ecclesiæ conventu.

Alterum munus adducit Martyr Ignatius in Epistola ad Antiochenos, eas vocans sacrarum, per quas mulieres intrabant, portarum custodes. Nam & mulierum in Ecclesia consessum à viris separatum Diaconissa dirigebat. Ejusdem muneris meminerunt Constitutiones
L. 8. c. 28. Apostolicæ: *Diaconissa non benedicit, neque facit aliquid eorum, quæ Presbyteri aut Diaconi faciunt, nisi quod ianuas custodit.* Tertium munus ad-
c. 11. ducit Tertullianus in libro de monogamia: *Ab Episcopo, Presbyteris, Diaconis, & viduis matrimonium postulas.* Nempè mariti ab Episcopo, Presbyteris ac Diaconis; uxores ab Episcopo & Diaconissis postulabantur, seu de eorum examine & consilio accipiebantur, ideòque &
L.2.c.2. hæ & illi in libris ad uxorem dicuntur *Nuptiarum consiliarij.* Et in libro de velandis virginibus spectat ad viduarum officium, ut alios
c. 9. *consilio & solatio iuvent.* Et huc respicit sanctus Ambrosius in libro de viduis *Vidua emeritis veterana stipendijs castitatis, etsi coniugij arma deponat, domus tamen totius pacem gubernat: Etsi vehendis oneribus otiosa, maritandis tamen iunioribus provida, ubi cultus utilior, ubi fructus uberior sit, quarum copulam aptiorem senili gravitate disponit.* Quartum munus adducit idem Tertullianus in libro de pudicitia: *Pœnitentem prosternis*
cap. 13. *in medium ante viduas & Presbyteros.* Crediderim ab illis mulierum Fletum, Audientiam, & Substrationem fuisse directa. De Diaconissis etiam loqui puto sanctum Hieronymum in literis ad Nepotianum:
Epist.2. *Multas anus nutrit Ecclesia, quæ & officium præbeant, & beneficium accipiant* infirmis ministrando. Easdem à viduis viris in Agapetas familiæ rectrices adsumi suadet in libro ad castitatem exhortatorio, & in libro
cap 12. de monogamia Tertullianus. Aliud adhuc officium adducunt Apo-
cap. 16. stolicæ Constitutiones: *Evenire solet aliquando in quibusdam domibus,*
L.3 c.15. *ut non possis propter infideles mittere Diaconum ad mulieres, mittere verò*
L.2. c.26. *possis Diaconissam propter cogitationes improborum.* Et in alio libro: *Ad Diaconum aut Episcopum nulla mulier sine Diaconissa accedat.* Horum munerum gratiâ Diaconissæ spectabant ad Clerum, habebant Sedem suam in Ecclesiæ conventu, & benedictioni sacerdotali, quæ dabatur populo, caput non submittebant, uti suprà audivimus à prima Synodo Arausicensi. Eademque Ecclesia habebat plures Diaconissas: Etenim Justinianus Augustus in magna Ecclesia Constantinopolitana permittit esse quadraginta.

Quarta quæstio est, An Diaconissæ debuerint esse viduæ? Pro parte affirmativa facit Apostolus eas semper aut mulieres aut viduas appellans,

lans, solasque disertè viduas ad hunc Ecclesiæ honorem admittens. Et in libro de velandis virginibus Tertullianus dicit debere esse non tantùm viduas, sed & matres, & quidem filiorum educatrices, ut scilicet structæ sint omnium affectuum experimentis. Nescio quem Africanum Episcopum, qui virginem ad viduarum sedem exaltârat, carpit gravissimè & concludit: *Adeò nihil virgini ad honorem de loco permissum est.* cap. 9.

Respondeo tempora distinguenda. Duo priora Ecclesiæ sæcula videntur ad Diaconatum admisisse solas viduas ob adductas à Tertulliano rationes. At verò tertium sæculum admisit & virgines. Etenim quarti sæculi Doctor sanctus Epiphanius in fidei expositione post enumeratas omnes hæreses addit: *Diaconissæ univiræ & continentes esse debent vel post unas nuptias viduæ, vel perpetuæ virgines.* Et editæ eodem sæculo Constitutiones Apostolicæ: *Diaconissa eligatur virgo pudica; sin autem non fuerit virgo, sit saltem vidua, quæ uni nupserit, & fidelis atque honorata sit.* Et quarta Synodus Carthaginensis Diaconissam esse mandat viduam aut sanctimonialem, id est, sacram virginem. Et in lege novella ad Epiphanium Patriarcham Constantinopolitanum scribit Justinianus Augustus: *Volumus Diaconissas esse sive ex viduitate, sive ex virginitate.* Dum nempè virgo reperiri nequit, adsumi vult saltem viduam univiram, quomodò Apostolus Episcopum ac Diaconum jubet virum unius uxoris. Et disciplina, quam Tertullianus urget, forsàn fuit solius Ecclesiæ Africanæ. Ut ut sit, sæculo tertio cæperunt probatiores è sacris virginibus aut professis viduis ad Diaconatũ quasi ad grandem dignitatem eligi, & vix amplius appellari viduæ, sed Diaconissæ. Certè ante Nicenum Canonem vix reperis hocce nomen, nisi superiùs laudata subnotatio ad Epistolam Apostoli ad Romanos sit illo vetustior. Etenim sancti Ignatij Martyris ad Antiochenses Epistola laborat non penitùs vanâ suspicione spuriæ suppositionis, quod eam sanctus Hieronymus in catalogo, in Historia Ecclesiastica Ruffinus, ac omnis antiquitas ignorent. Magna, inquam, tunc esse cæpit dignitas Diaconissæ. Etenim Olympiadem viduam nobilissimam honorare volens Nectarius Constantinopolitanus Episcopus ordinavit Diaconam, & Nicaretæ virginis illustrissimæ modestiam commendans Hermias Zozomenus dicit, quod nunquam ambierit Diaconissæ dignitatem. Et ab electo Episcopo relinquendam uxorem, quam in monasterio profiteri jubet, ornare studens Synodus Trullana addit: *Si digna visa fuerit, ad Diaconatus dignitatem provehatur.* Ità provectam Theosebiam sancti Gregorij Episcopi Nysseni uxorem jam suprà dixi.

L. 6 c. 17.

cap. 12.

L. 6. c. 6.

L. 3. c. 36.

C. 48.

Quinta quæstio, quæ ætas fuerit requisita in Diaconissis? Respon-

deo ab Apostolo requiri annos sexaginta. Solas enim viduas huic muneri admotas voluit, jubens juniores nubere & matres familias fieri ob lubricæ ætatis metum, in vidua, quàm in virgine majorem. Et hinc Africanum illum Episcopum graviter Tertullianus arguit, quod necdum viginti annorum virginem ad sedem solis sexaginta annorum meritis debitum contra Apostoli Canonem exaltasset. Lex tamen pedetentim in dissuetudinem abijt, uti liquet ex literis Canonicis S. Ba-
Cap. 24. silij ad S. Amphilochium. Et laudatam Olympiadem, à Nectario consecratam, Hermias Zozomenus testatur fuisse adhuc admodùm juvenem. Etiam quarta Carthaginensis agit & statuit de viduis adolescentioribus. Verùm non probavit id Basilius, ideòq; statuit in lauda-
C.102.103 tis literis: *Vidua sexaginta annos nata, si rursùs cum viro habitare voluerit, boni communione non dignabitur, donec ab impuritatis perturbatione cessaverit; sed si ante sexaginta annos eam in numerum retulerimus, nostra est, non mulieris culpa.* Sub laudati Nectarij Episcopatu evenit tædium illud Diaconissæ cum Diacono scandalum, pergitque Zozomenus.
L. 7. c. 16. *Hac de caussa Theodosium Imperatorem, providentem Ecclesiæ bonori & dignitati, conjicio Edicto cavisse, ne mulieres, nisi liberos haberent, & annum sexagesimum exegissent, Divinum ministerium susciperent secundùm Apo-*
L. 26. tit. *stoli expressum mandatum.* Lex exstat in Codice Theodosiano, quæ
27. tamen non solas viduas ad dignitatem hanc admittit, sed dumtaxàt nullam viduam, nisi quæ proles habeat & sit sexaginta annorum. Ex quo conjecturare licet lapsam Diaconissam fuisse viduam juniorem. Et hanc legem omninò respicit & corrigit noster Canon, in ordinanda Diaconissa requirens solos quadraginta annos. Rationem dat Syno-
Cap 40. dus Trullana: *In Divino Apostolo scriptum est, sexaginta annorum viduam in Ecclesia eligendam; sacri autem Canones quadraginta annorum Diaconissam ordinandam esse statuerunt, cùm Dei Ecclesiam Dei gratia potentiorem evasisse, & ulteriùs procedere vidissent, fideliumq; ad Divinorum man-*
Novel. 6. *datorum firmitatem ac stabilitatem.* Quadraginta anni debebant esse
c 6. completi, ideòque in lege ad Epiphanium Patriarcham Constantinopolitanum directa Justinianus Augustus scribit debere esse annorum circiter quinquaginta. Addit ex necessitate posse dispensatoriè ordinari Juniores, verùm tales viris permixtas non posse habitare, ideòque collocandas in aliquo Asceterio, usque ad canonicum ætatis complementum. Omnibus generaliter Diaconissis interdicit Agapetos, sta-
Cap. 102. tuitque varia de earum moribus. Desumpsit ex quarta Synodo Car-
103. 104. thaginensi.

Sexta quæstio est, quando Diaconissæ cæperint in Ecclesia exstingui? Respondeo jam pridem exstinctas & in latina & in Græca Ec-
cle-

clesia. Apud nos latinos exstinguere cæpit Ecclesia Gallicana in prima Synodo Arausicensi, habita Cyro Consule, anno secundo sancti Leonis magni Pontificis, Christi Domini quadringentesimo quadragesimo primo, decem annis ante nostram Synodum Chalcedonensem. Exstinguere cæpit, non plenè exstinxit. Eas namque contra Arausicense decretum perrexisse ordinari & profiteri testatur secunda Synodus Aurelianensis, ejusmodique ordinationem aut professionem exufflare non audet: Denuò dumtaxàt interdicit, earumque licèt contra Canonem factarum prævaricatrices privat communione. Epaonensis Synodus, suaviter & fortiter agere volens, Diaconalem consecrationem mutat in benedictionem pænitentialem, atque ità fæmineo sexui dignitatis avidò conatur satisfacere. Pænitentialis enim benedictio non tantùm prævaricatoribus ignominiosè imponebatur, sed & ab innoxijs & integris spontaneè & gloriosè suscipi olim consuevit. Exstinctionis caussam secunda Synodus Aurelianensis fuisse dicit fæmineæ *conditionis fragilitatem.* Diaconissa enim ducebat vitam activam, cujus constat fæminas non esse capaces. Exstinctio longo tempore fuit intra solam Galliam circumscripta. Etenim dudùm pòst in sua Romana per Zachariam Successorem confirmata Synodo statuit Gregorius secundus: *Si quis Diaconam in coniugem duxerit, anathema sit.* Istud ob crimen Canon quartus decimus anathematizat Adrianum filium Exhilarati. Et Synodus Wormatiensis innovat hunc nostrum Chalcedonensem Canonem, Ordoque Romanus Carolo magno ab Adriano primo missus insigni variorum rituum veste ornat Diaconissæ Ordinationem. Etiam sub Leone tertio viguisse Romæ testatur in ejus vita Anastasius Bibliothecarius. Præcisum istic exstinctionis tempus & caussam ignoro. Dicit verò Petrus Pictaviensis, primus Petri Lombardi Commentator: *Diaconissarum ordinatio abijt in dissuetudinem.* Ubique apud omnem Ecclesiam latinam, virginum quarumdã & Abbatissarũ benedictione jam pridẽ cõtentam.

C. 18.

C. 2.

Exstinctam item eandem Ordinationem jam pridem apud Græcos testatur Theodorus Balsamon in commentario hujus Canonis, addens quasdam quidem Constantinopolitanas Moniales etiam suo tempore vocatas fuisse Diaconissas, at inani nomine, utpotè nullâ manus impositione sacratas. In responsis ad quæstiones Marci Patriarchæ Alexandrini variat: Eas in Ecclesia Constantinopolitana superesse dicit, verùm ob menstruas inquinationes repelli ab omni sacro ministerio, mulierum in Ecclesia conventui dirigendo dumtaxàt Præfectas. De earum consecratione jam ab aliquot sæculis nullam mentionem faciunt Græcorum Ritualia, nec in accuratissimo de sacris Ordinatio-

L. 5. Juris Orient. Resp. 36.

 nibus

nibus opere Symeon Archi-Episcopus Thessalonicensis, qui floruit in exordio sæculi decimi tertij.

Concludit Canon noster Diaconissas carne lapsas cum sui violatoribus anathematizandas. Plenam enim continentiam profitebantur,
Novel.6. c 6. & quidem consecratione sanctissimâ sigillatam. Ejus caussâ Justinianus Augustus & violatam & violatorem mandat gladio vindicari. Anathema istud per diversas postmodùm Synodos confirmatum fuit, atque ità evanuit sancti Basilij Canon, lapsas Diaconissas privans solâ oblatione, seu perfecti boni communione.

CANON XVI.

Virginem, quæ se Domino Deo consecravit, similiter & monachum non licere nuptialia iura contrahere. Quod si hoc inventi fuerint perpetrantes, excommunicentur. Confitentibus autem decrevimus, ut habeat authoritatem eiusdem loci Episcopus misericordiam eis humanitatemq; largiri.

SCHOLION.

IN literis ad Leonem Catanensem Episcopum, & ad Adrianum Notarium queritur de Siciliæ monachis sanctus Gregorius magnus, quod *mulieribus sine metu se iungerent.* Quam sacrilegam iniquitatem novimus & in alijs olim regionibus grassatam. Ejus prima radix fuit Julianus Augustus, de quo Hermias Zozomenus. *Regnante Iuliano, quidam improbi viri sacratas virgines vel vi vel persuasione ad hanc corruptelam inductas sibi connubio iunxerunt, quemadmodùm fieri solet, cum religionis statu perturbato, turpis libido id genus sceleris consciscendi impunitatem proponit.* Christianam Religionem datâ omnium prævaricationum licentiâ sperârat Julianus usque ad eversionem confundere. Eum imitatus est Valens Augustus monachos ad armatam militiam, & Constantinus Copronymus eosdem cogens ad sacrilega conjugia. Ab hisce magistris Lutherani & Calvinistæ didicerunt monasticæ castitatis vota exufflare. Licentiam compescuit Juliani successor Jovianus, de quo laudatus Zozomenus. *Misit Edictum, quod iubebat, ut qui sacratam virginem vel ad nuptias contrahendas pelliceret conaretur, vel lascivo solùm obtutu adspiceret, maximè omnium, si per vim rapere tentaret, capitis supplicio multaretur.* At plenè prævalere Edictum non potuit, ideòque additâ excommunicatione noster, à plurimis Synodis & Romanorum Pontificum decretis innovatus, ac à Stephano secundo in Responsis ad Francorum consulta in villa Carisiaco datis

Marginal notes: L.8.Ep.21 22. — L.6 c.3. — L.6 c 3. — Cap. 7.

datis disertè laudatus, Canon adjuvit. Adjuvit postmodùm & Justinianus in quinta lege novella, pluraque Regum Orthodoxorum Edicta. Porrò misericordiam & humanitatem, quam pænitentibus possit exhibere Episcopus, exponit, aut veriùs moderatur Gelasius Pontifex in literis ad Lucaniæ & Siciliæ Episcopos. *Nisi per publicam probatamq; pænitentiam non recipiantur: Sed tamen his viaticum de sæculo transeuntibus, si tamen pænituerint, non negetur.* C 4.6.8. Epist. 9.

Obijci possit sanctus Cyprianus, de quibusdam sacratis virginibus scandalosè viventibus cum Agapetis Clericis scribens ad Pomponium Episcopum. *Quod si ex fide se Christo dicaverunt, pudicè & castè sine ulla fabula perseverent; si autem perseverare nolunt aut non possunt, meliùs est nubant, quàm in ignem delicijs suis cadant.* Alludit ad locum Apostoli: *Meliùs est nubere, quàm uri.* Respondeo intentam ab argumento Apostoli expositionem esse errorem Joviniani, à Luthero & Calvino hodie resumptum, in quem scribit sanctus Hieronymus. *Etsi nupserit virgo, non peccavit: Non illa virgo, quæ semel Dei cultui semet dedicavit. Harum si qua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit.* Absit, ut sanctum Cyprianum faciamus Jovinianistam, Lutheranum, aut Calvinistam. Eum exponit laudatus Hieronymus in literis ad Demetriadem virginem. *Sanctum virginum propositum quarumdam se non benè agentium nomen infamat: Quibus apertè dicendum est, ut aut nubant, si se non possunt continere, aut contineant, si nolunt nubere.* Palàm est loqui verbis mutuatis à S. Cypriano. Suadet Libertinis virginibus, ut nubant, non utique post, sed ante emissum votum: ut antè deliberent maturissimè de sua voluntate ac potestate perseverandi. Quo sensu etiam Apostolus est omninò locutus. Epist. 62. L.1.c.7. Epist. 8.

CANON XVII.

Singularum Ecclesiarum rusticas Parochias, vel in possessionibus, manere inconcussas illis Episcopis, qui eas retinere noscuntur, & maximè si per tricennium eas absque vi obtinentes sub dispensatione rexerunt. Quod si intra tricennium facta est de his, vel fiat altercatio, licere eis, qui se læsos asserunt, apud sanctam Synodum Provinciæ de his movere certamen. Quod si quisquam à suo Metropolitano læditur, apud Primatem Diœceseos, aut apud sanctam Constantino-

tinopolitanam sedem judicetur, sicut superiùs dictum est. Si qua verò civitas potestate imperiali novata est, aut si protinùs innovetur, civiles dispositiones & publicas Ecclesiasticarum quoque Parochiarum ordines subsequantur.

SCHOLION.

MVtuas Parochias invadere est antiquum & grave crimen quorumdam Episcoporum, radixque plurimarum contentionum, quibus exstinguendis legem tricennalis possessionis nostra Synodus providentissimè in Canonem accepit. Hunc enim laudant & probant Synodus Trullana, sanctus Gregorius magnus, variæque Synodi latinorum.

Cap. 25.

Altera Canonis pars confirmat antiquam Principis potestatem, quâ castrum aut villa ab ipso in civitatem erecta statim consequebatur non tantùm civilia privilegia, sed & Ecclesiastica, quorum principale est Cathedra & Clerus Episcopalis. Ità Majuma ex Gazensis civitatis Navali à Constantino magno ob susceptam unanimiter fidem Christianam facta civitas, ac ex filij ejus nomine vocata Constantia, mox exclusit Gazensem Episcopum, cæpitque habere proprium Constantiensem. Et de Basilinopoli dixit ad præsentem Synodum Anastasius Episcopus Nicenus. *Imperator Iulianus, aut nescio quis ante illum, fecit Basilinopolim civitatem. Quæ enim priùs fuisset regio, posteà civitas effecta est. Ex illo perspicuum est ab Episcopo Niceno ibidem Episcopum ordinatum.* Nicenæ civitatis regio seu oppidum fuerat, ideòque pro amissa Episcopali Metropoliticam potestatem habere in ipsam volebat Nicenus Episcopus, ejusque Electum tamquam Metropolita confirmare & consecrare. At in illum pro Metropolita Nicomediensi definit noster Canon, rectè expositus ab Alexio Aristino. *Si Imperator de novo urbem exstruxit, vel in posterum extruet, non contendet pro illa vicinus Episcopus, & sub Parochiam suam trahere illam studebit, sed civiles & publicos typos sequetur: Illius scilicet Provinciæ vel Parochiæ Episcopus illam sub se habebit, sub qua illa disposita est & facta obnoxia.* Quod ipsum repetit in commentario trigesimi octavi Canonis Trullani. *Civiles* & publici typi seu ordinationes sunt tabulæ Romanum imperium in suas Provincias, civitates, castra, territoria dividentes, vulgò dictæ Notitia imperij, atque ità facta per Principem nova civitas habet Episcopum, isque non viciniorem, à cujus throno divulsus est, Episcopum habebit in Metropolitam, sed illum, qui secundùm laudatos

Zozom. l. 2. c. 4. l. 5. c. 3.

Act. 13.

est

est verus & antiquus Metropolita istius Provinciæ. Prior Episcopus nihil retinet in illam juris. Quare hallucinatus est Hincmarus, dum Episcopo Hipponensi in Fussalensem, aut Remensi in Laudunensem ex similis divulsionis radice voluit manere nescio quid specialis potestatis.

Porrò Princeps poterat quidem castro aut oppido, ipsum in civitatem exaltando, Episcopum donare; non tamen, jus civitatis eripiendo, auferre. Etenim de Juliano Augusto Majumates dicto jure privatos in antiquam Gazensium potestatem reducente scribit Hermias Zozomenus. *Ex eo tempore Gazæ & Maiumæ magistratus civiles, belli Duces, Respublica communis est; solo Ecclesiæ statu & gubernatione duæ videntur hoc tempore civitates distinctæ. Nam utraque seorsim suum habet Episcopum, suum Clerum, distinctos agrorum fines, quibus Altaria ad utrumque Episcopatum spectantia distinguuntur. Quidam nostro tempore Gazæ Episcopus, Episcopo Maiumæ defuncto, laboravit, ut uterque Clerus sibi subjiceretur. Non enim fas est, inquit, ut uni urbi duo præficiantur Episcopi.* At nihil obtinuit. Etiam sancto Basilio offensus idem impius Imperator Cæsaræam Cappadociæ Metropolim *ex numero civitatum delevit, & Cæsaris nomine privavit.* Mansit tamen illic non tantùm Episcopatus, sed & Primatus totius Ponticæ Diœceseos. Et de seniori Theodosio Augusto Antiochensibus offenso scribit in Historia Ecclesiastica Theodoretus. *Imperator graviter commotus omnia privilegia urbi illi ademit, & Principatum Laodicææ vicinæ civitati tribuit.* Nihilominùs Laodicensis Episcopus Antiocheno rebellare non præsumpsit, nec adsumere Patriarchatum. Quare perperàm Zozomenus hæc populari in Julianum odio adscribit: Adscribi debet defectui Augustæ potestatis, cui Ecclesiasticam Hierarchiam ex arbitrio confundere nunquam Ecclesia permisit.

L. 5. c. 3.

C. 4.

L. 5. c. 19.

CANON XVIII.

Coniurationis vel conspirationis crimen & à veteribus legibus est omninò prohibitum: Multò magis hoc in Dei Ecclesia ne fiat, admonere convenit. Si qui ergò Clerici vel monachi reperti fuerint conjurantes aut conspirantes, aut insidias ponentes Episcopis aut Conclericis, gradu proprio penitùs abscindantur.

SCHOLION.

RVsticum ac Sebastianum Cardinales Diaconos dejecit Vigilius Pontifex, quod *sese ignorante contra statuta Canonum conjurationes fecissent.* Ob idem crimen fuisse à Synodo Seleuciensi exauctoratum Basilium Ancyræ Episcopum scribit Hermias Zozomenus. Stephanum Ephesinum Primatem abjecit hæc nostra Synodus, quod *per conjurationes Episcopatum acquisisset.* Et Eusebianos Episcopos Synodus Sardicensis, quod *in itinere conciliabula in morem Synodi habuissent, & fœdera cum interminationibus conflassent.* Hinc Synodus Narbonensis existimat conjurationes vetitas Canone Niceno. At rectè Auxilius Presbyter in opere de Ordinationibus per Formosum Pontificem factis, Synodus Trullana, & Carolus magnus in Capitulari Aquisgranensi affirmant primum in ipsas editum Canonem esse hunc nostrum. Eum innovant Synodus Francofordiensis, ac Remensis sub Sonnatio Archi-Episcopo, uti in ejusdem Ecclesiæ Historia scribit Flodoardus, & Baldricus in chronico Cameracensi. Ejus edendi caussam dederunt Edesseni Clerici, nequam Barsumas, alijque Monachi, in Ibam Edessenum ac alios Syriæ Episcopos factiosissimis pro Eutychete & Dioscoro conjurationibus colligati.

L.4.c 23.
Act 11.
Epist. 3.
L.2.c.11.
Cap 34.
Cap 29.
L.2 c 5.
L.1.c.14.

CANON XIX.

PErvenit ad aures nostras, quod in Provincijs statuta Episcoporum Concilia minimè celebrentur, & ex hoc plurima negligantur Ecclesiasticarũ causarum, quæ correctionibus indigeant. Decrevit itàque sancta Synodus, secundùm Canones Patrum bis in anno Episcopos in idipsum in unamquamque Provinciam convenire, quo Metropolitanus Episcopus probaverit, & corrigere singula, si qua fortassis emerserint. Quicumque verò non advenerint Episcopi, resident autem in suis civitatibus, & hoc si in sua incolumitate consistunt, omnique inexcusabili & necessariâ occupatione probantur liberi, fraterno corripiantur affectu.

CANON XX.

CLericos in Ecclesia ministrantes, sicut iam constituimus, in alterius civitatis Ecclesia statutos fieri non oportet; sed contentos esse, in quibus ab initio ministrare meruerunt: Exceptis illis, qui proprias amittentes Provincias ex necessitate ad aliam Ecclesiam transierunt. Si quis autem Episcopus post hanc definitionem susceperit Clericum ad alium Episcopum pertinentem, placuit & susceptum & suscipientem communione privari, donec is, qui migraverat, Clericus ad propriam fuerit regressus Ecclesiam.

SCHOLION.

CAnon decimus nonus est innovatio quinti Niceni, vigesimus moderatur aut potiùs exponit decimum quintum & decimum sextum Nicenum, nec non primum ac secundum Sardicensem, quintumque hujus Synodi præsentis, dicens calamitatem hostilem esse caussam, ex qua liceat translatio Clericorum, adeòque & Episcoporum. Hinc & Pelagius secundus Pontifex Benigno Archi-Episcopo scribit laudatos Canones Sardicenses *non de his dicere, qui pulsi aut non recepti à civibus vel à quibuscumque, aut necessitate cogente vel auctoritate maiorum transeunt; sed de his, qui spontè prosiliunt, aut temeritatis aut ambitionis caussâ hoc faciunt.* Largè & eleganter confirmat in literis adversùs sancti Arctardi è Nannetensi Ecclesia translationem ad Turonensem Hincmarus Remensium Episcopus ex verbo Apostoli de muliere, *Mortuo viro, cui vult, nubat*, ex auctoritate sancti Augustini, atque exemplo Gregorij magni, à quo multos Episcopos ob bellicas civitatum ruinas constat fuisse translatos. Addit civitatem debere esse penitùs sine resurgendi spe destructam, dispersumque populum, neque sufficere quamvis ejus afflictionem, inopiam, aut captivitatem intra manus hostiles, ideòque Arctardum esse Ecclesiæ Turonensis non Episcopum ac maritum, sed fornicarium, & adulterum, quod Nanneti adhuc Comes sub vectigalis pensionis onere permittatur residere à Normannis, atque ità eâdem lege possit & Episcopus manere. Nam & secundas carnales nuptias nequaquàm ad uxoris, licèt gravissimam, infirmitatem, sed ad solam mortem lex Evangelica per-

Epist. 1.

Epist. 45. C. 11. 16.

permittit. Et Adrianus secundus Pontifex, Arctardi transferendi licentiam concedens Carolo calvo Francorum Regi, addidit: *Si tamen eius Ecclesia penitùs diruta & in solitudinem redacta esse dignoscitur.* Et de Frotario ob similem necessitatem è Burdigalensi ad Bituricensem Ecclesiam per Joannem octavum ad ejusdem Regis preces contra Synodi Pontigonensis judicium translato scribit in Ecclesiæ Remensis Historia Flodoardus. *Frotario Bituricensis Ecclesia fuerat ad tempus à Ioanne Papa propter infestationem barbaricam tali tenore concessa, ut hâc remotâ necessitate id etiam removeretur, quod necessitas imperâvat. Vndè præcepit Papa Stephanus* sextus Fulconi Remensi ac Aureliano Lugdunensi Archi-Episcopis, *ut eum ad propriam sedem remeare compellant.* Eâdem lege Gregorius magnus Joannem è Lusitana Ecclesia transtulit ad Squillitanam: Et ex Italia in Siciliam trânslatos Clericos cessante calamitate ad proprium titulum redire coëgit. De quibuscumque ea ex caussa traslatis Clericis idem statuit Synodus Trullana. Et omnem hunc nostrum Canonem confirmat ac innovat Synodus Vernensis.

Epist 11.
L.4. c.1.
L 2.Ep.25
L 3.Ep 42
cap. 12.

Rectè addit Pelagius secundus Pontifex Sardicensem Canonem etiam non habere locum in Episcopis non receptis à civibus suis. Etenim Socrates adversùm illos, qui Proclum à Cyzicenis non receptum Episcopum volebant incardinari non posse Ecclesiæ Constantinopolitanæ, adducit hunc Canonem antiquum. *Si quis Episcopus ad aliquam Ecclesiam regendam designatus ad eam non iverit, cùm illud non ob suam ipsius culpam, sed quod populus illum reiecerit, vel aliam ob caussam, quæ sit necessaria, factum sit, eum licebit honoris & ministerij Ecclesiastici compotem esse, modò nihil facessat molestiarum Ecclesiæ, in qua ipse conventus agit, sed libens approbet, quod Provinciæ Concilium de re in controversiam adducta statuerit.* Est Canon decimus octavus Ancyranus, Episcopis à sua Plebe non receptis servari mandans in Ecclesia, cui anteà Clerici militârant, hospitis Episcopi honorem, dummodò seditiones non moveant, nec alienas cathedras moliantur invadere: Eumque decimus sextus, decimus septimus, & decimus octavus Antiocheni confirmant. Trigesimus septimus inter vulgares Apostolicos addit rebellis populi adversùs ejusmodi Episcopum incentores Clericos communione privandos. Eum ignoravit Socrates, ideòque existimo non esse Apostolicum, sed aliquot sæculis posteriorem. Est enim quædam mixtura ex tribus laudatis Canonibus Antiochenis. Et hinc nostra præsens Synodus similem Bassiani ex Evazorum civitate ad Ephesinum thronum traslationem discutiens & judicans solos dictos tres Canones adduxit, nullum Apostolicorum. Cujuscumque

L.7.c.35.
Act.12.

sit Synodi, est antiqua Regula. Nam ex eadem sanctus Gregorius Nazianzenus suam è Zazymis, ubi nunquam resederat, ad Constantinopolitanos translationem conatus est purgare. Et de Joanne Thalaia ab Alexandrinis non recepto scribit Liberatus Carthaginensis. *Ioannes habens Episcopi dignitatem remansit Roma, cui Papa* Felix tertius *Nolanam dedit Ecclesiam, in qua plurimos residens annos in pace defunctus est.* C. 10.
Et Cuviuldum monasterio Aquensi ordinatum sine sua culpa, & non receptum Episcopum duodecima Toletana Synodus permisit in aliam sedem incardinari. Errant, qui ejusmodi Episcopis à Canone Ancyrano concedi putant solum Presbyteri honorem. Etenim Ioannes Thalaia Romæ mansit *habens Episcopi dignitatem.* Et de seipso ac Basilio, suo in Ephesina cathedra Antecessore, dixit ad hanc nostram Synodum memoratus Bassianus: *Basilius alium in Evazorum civitate ordinavit Episcopum, mihi verò reddidit communionem & locum Episcopatus.* Etiam Proclus à Cyzicenis repulsus, & Gregorius Zazyma refutans manserunt in eadem dignitate. C. 12.

Rectè item ait Pelagius Pontifex à Sardicensi Canone non tangi illos, qui transeunt ob Ecclesiæ necessitatem ex auctoritate majorum. Etenim suprà dixi sanctum Eustatium Patriarcham Antiochenum ab ipsa Nicena Synodo ex Ecclesia Berrhæensi translatum Antiochiam. Et quarta Synodus Carthaginensis statuit. *Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat; nec quisquam inferioris Ordinis Clericus. Sanè si illud Ecclesiæ utilitas fiendum poposcerit, decreto pro eo Clericorum & laicorum Episcopis porrecto, in præsentia Synodi transferatur: Nihilominùs alio in loco eius Episcopo ordinato. Inferioris verò gradus Sacerdotes vel alij Clerici concessione suorum Episcoporum possint ad alias Ecclesias transmigrare.* C. 27.

Extra hosce casus Episcoporum præsertim translatio habita semper fuit à Romana Ecclesia tamquàm intrusio, adulterium, ac stuprum, adeò ut nec ad ipsum Apostolicum sancti Petri thronum fuerit permissa. Hìnc de Basilio Augusto scribunt in literis post octavam Synodum exstantibus Stephanus sextus Pontifex & Stylianus Neo-Cæsareæ ad Eufraten Metropolita, quod Marinum Papam, qui Diaconus in laudata Synodo Adriani secundi Legatus fuerat, & justus in Photij crimina vindex, translationis falsò accusârit, damnandumque ac è Pontificum tabulis eradendum curârit, ità sperans ejus in dictùm Constantinopolitanæ Ecclesiæ intrusum sententias exsufflare. Et Formosum Portuensem Episcopum non tantùm ob prava apud Bulgaros acta, sed & ob tentatum transitum ad sedem Romanam damnavit Joannes octavus. Postmodùm Romam, & quidem primus,

 trans-

translatus est Formosus, ideòque jam defunctum fuisse à Sergio tertio
L. 1. c 8. damnatum ac degradatum scribit Luitprandus Diaconus Ticinensis, arguens & Joannem decimum, Bononiâ Ravennam, Ravennâ Romam translatum. Quod in Cadaloo, Parmensium Episcopo, ac Sedis
L. 2. c. 13.
L. 1. Ep. 20 Apostolicæ invasore, damnat & sanctus Petrus Damiani. Aliter jam sentit Romana Ecclesia: Ex firmis rationibus, suo tempore adducendis.

CANON XXI.

CLericos aut laicos accusantes Episcopos aut Clericos, passim & sine probatione ad accusationem recipi non debere, nisi priùs eorum discutiatur existimationis opinio.

CANON XXII.

NOn licere Clericis post obitum sui Episcopi res ad eum pertinentes diripere, sicut antiquis quoque est Canonibus constitutum. Quod si hoc facere tentaverint, graduum suorum periculo subjacebunt.

SCHOLION.

CAnon vigesimus primus est sexti Constantinopolitani innovatio, facta item per plures Synodos Carthaginenses; vigesimus secundus innovat alium antiquum mihi ignotum, vetustamque Ecclesiæ consuetudinem, mandantem defuncti Episcopi ac viduatæ Ecclesiæ res omnes esse sacrosanctas, à nullo Clericorum invadi aut lædi, sed successori intactas reservari. Eamdem innovat prima Synodus
cap. 12. Tarraconensis, jubens Episcopi sine testamento defuncti res in scriptum Brevem seu inventarium redigi per Clericos à minima usque ad maximam, earumque nihil præsumi sub reatu furti. Ilerdensis Syno-
cap. 16. dus queritur sanctionem hanc violari passim à Clericis, ac defuncti Episcopi substantiam immanitèr dilacerari, ideòque definit certos illi
cap. 2. è Clero deputari custodes. Synodus Hispaniæ Valentina hosce Canones extendit ad Episcopi defuncti supellectilem, libros, *species*, utensilia, vascula, fruges, greges, animalia, eorumque raptores Clericos vult per Metropolitam aut Provinciæ Synodum puniri & cogi ad plenam restitutionem. Addit inventarium intra defuncti octavas ab ipso Visitatore Episcopo deinceps faciendum, transmittendumque

Me-

Metropolitæ, qui jam ipſe, & non ampliùs Eccleſiæ Clerus dabit domui viduatæ œconomos & cuſtodes, cogendos ipſi ad rationes ſuo tempore: Extenditque hanc omnem regulam ad defuncti parentes & conſanguineos, ſub ſuæ hæreditatis ſeparandæ fuco conſuctos & Eccleſiæ res occupare, ſtatuitque ſeparationem illam à ſucceſſore Epiſcopo fieri, aut certè, dum ejus promotionem contigerit differri diutiùs, à Metropolita. Hæc omnia confirmat nona Synodus Toletana, addens de Epiſcopo Viſitatore. *Si locuples decedentis Eccleſia fuerit, non ampliùs quàm libram auri cum gratia offerentium auferre pertentet; ſi verò minor rebus exſtiterit, dimidiam libram ſibi licenter uſurpet.* C. 9.
Quod ità *antiquitas ſervârit.* Et de Metropolita. *Ex eadem morientis Eccleſia nihil prorsùs auferre præſumat, ſed ſolam, quæ ad eum pertinet, ſalvationis curam impendat.* Et Viſitator ergò & Metropolitanus Epiſcopus ex tunc cæperunt ſibi ſpoliorum jus prætendere, adversùs quod ſtatuit etiam Synodus Trullana. *Nulli omnium Metropolitarum liceat mortuo Epiſcopo, qui eius throno ſubeſt, res ipſius vel Eccleſiæ eius auferre vel ſibi vindicare, ſed ſint ſub cuſtodia Cleri Eccleſiæ, cui defunctus præfuit, uſque ad alterius Epiſcopi promotionem: Præterquam ſi in eadem Eccleſia non ſint relicti Clerici. Tunc enim Metropolitanus ea non diminuta ſervabit, ordinando Epiſcopo omnia reddens.* Loquitur adversùs ſolum Metropolitam, non adversùs Viſitatorem, quod illi permiſſa media aut integra auri libra ſit non tam ſpolium, quàm laboris honorarium Xenium, probatum etiam à ſancto Gregorio magno in literis ad Petrum Epiſcopum Tricalitanum, & in literis ad Leontium Viſitatorem Epiſcopum Eccleſiæ Ariminenſis. Porrò Xenium illud apud varios fuit varium. cap. 35. L. 4. Ep. 12. Epiſt. 42.

Eadem fuit antiqua lex Eccleſiæ Gallicanæ. Etenim quinta Synodus Pariſienſis ſtatuit, ut defuncti Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, aut cujuſvis inferioris Ordinis Clerici res à nullo ante apertum teſtamentum quâvis auctoritate contingantur, ſed ab Archi-Diacono aut Clero defenſentur & conſerventur. Addit adversùm ſpoliorum jus ab Epiſcopo aut Archi-Diacono uſurpari cæptum. *Comperimus, cupiditatis inſtinctu, deficiente Abbate, Presbytero, vel his, qui per titulos deſerviunt, præſidium quodcumque in mortis tempore dereliquerint, ab Epiſcopo vel Archi-Diacono deripi, & quaſi ſub augmentum Eccleſiæ revocari, & Eccleſiam Dei per pravas cupiditates exſpoliatam relinqui. Statuimus obſervandum, ut neque Epiſcopus, neque Archi-Diaconus exindè aliquid auferre præſumat, ſed in loco, ubi moriens hoc dereliquerit, perpetualiter debeat permanere.* Quod ipſum ſtatuunt prima Synodus Cabilonenſis, Remenſis ſub Sonnatio Archi-Epiſco, Pontigonenſis, nec non ſacroſancta Triden- cap. 7. cap. 7. cap. 16.

dentina. Attamen Patriarchis, Metropolitis, Episcopis, Archi-Presbyteris, & Archi-Diaconis nunquam plenè potuit efestucari spoliorum jus, alibi exponendum.

Porrò laicorum in defunctorum Episcoporum substantiam violentias ac rapinas ignoravit olim Ecclesia, ideòque Canon noster definit in solas rapinas Clericorum. Cap. 5. Rectè tamen in Synodo Lateranensi Innocentius secundus ex eo etiam istas damnat, mandans decedentium Episcoporum bona à nullo penitùs hominum diripi, sed ad Ecclesiæ & successoris opus in libera Oeconomi & Clericorum potestate permanere, idque juxta hunc nostrum Canonem Chalcedonensem. Miserandam tunc à laicis Principibus ac populis patiebatur Ecclesia tyrannidem, suo loco enarrandam.

CANON XXIII.

PErvenit ad aures sancti Concilij, quod quidam Clerici & monachi, quibus nihil ab Episcopo suo commissum est, aliquando verò & communione ab eo privati, pervenientes ad urbem Regiam Constantinopolitanam, in ea diutiùs immorantur, excitantes turbas, & statum Ecclesiasticum commoventes, subvertentes etiam quorumdam domos. Decrevit itàque sancta synodus, hujusmodi primò quidem per Defensorem Constantinopolitanæ sanctissimæ Ecclesiæ commoneri, ut egrediantur ab urbe Regia. Quod si ijsdem negotijs impudenter insistant, etiam nolentes idem Defensor expellat, ut ad propria loca perveniant.

SCHOLION.

SImiles Palatij ac Regiæ civitatis sorices, & vanitatis mundanæ aucupes Clericos & monachos eodem modo tractant Synodi variæ. At verò de Defensoribus Ecclesiasticis ad Laurentium Senensem Epist. 20. Episcopum scribit etiam Innocentius primus Pontifex: *Actum est apud Principem adversùs Bonosiacos hæreticos à Defensoribus Ecclesiæ nostræ, quod eos poßint expellere.* Et Sergium Defensorem graviter negli- L.7. Ep.9. 10. gentiæ arguit Gregorius magnus, quod Monialem Apostatam non com-

comprehenderit, retruseritque in monasterium. Et in literis ad Chrysantum Spoleti Episcopum scribit, quod Clericos cum extraneis mulieribus habitantes Defensor debeat corripere, Episcopo deferre, & à pravo illo contubernio separare. Et apud Gratianum Pelagius Pontifex Probinum, Milianum, & Probinianum Pseudo-Monachos per Joannem Defensorem mandat detineri, sibi exhiberi, & in insulam deportari.

L.11.Ep. 42.43.

16 q.1. c.18.

Defensio à Romana Republica venit ad Ecclesiam, eratque in Republica nobile officium, civile aliud, aliud militare, spectans ad Legionum Auxilia, de quo ad nostrum propositum non spectante videatur Guido Pancirolus in notitia imperij Orientalis. Civiles Defensores antiquitas passim vocabat Defensores civitatum: Gratianus Augustus *Defensionis beneficium ac peculiare quietæ Rusticitatis patrocinium*, Theodosius ac Valentinianus tertius *publicam solicitudinem*, Leo & Anthemius vocant *Defensores Plebis*. Justinianus Augustus in lege novella ad Joannem Prætoriorum Præfectum queritur Defensorum nomen suo tempore languere conculcatum sub varia injuria, ad quam ab alijs propulsandam fuit à Majoribus institutum: Si quidem Defensores fiebant viri obscuri, inopes, judicibus serviliter obnoxij, eorum iniquitati non ausi obsistere. Erat munus adeò nobile, ut eos non ex Decurionum aut Cohortalium plebæo corpore, sed ex solis idoneis, id est, honoratis ac opulentis personis eligendos statuerint Valentinianus & Valens Augusti. Addidit Iustinianus etiam Illustres & Milites ab illo non esse exemptos. Confirmavit item Honorij & Theodosij legem de eligendo Defensore per civitatis Episcopum, Clerum, Honoratos, Possessores, & Curiales, confirmandoque per Prætorij Præfectum. Nam quomodò Romana urbs Senatum, Consules, & Tribunos Plebis; ità aliæ civitates habebant Curiam, Duum-viros, ac Defensores. Alexandria ob sui eminentiam non simplicem Defensorem, sed juridicum habuit amplioris dignitatis ac potestatis.

F. 70.

L.1 Cod. tit.55.c.10. L.57 c.1. Leg.15.

Defensoris potestas erat varia. Primo ex Valentiniani ac Valentis ad Senecam Defensorem rescripto judicare poterat omnes civiles caussas minores non excedentes summam quinquaginta solidorum: Et ex Gratiani rescripto omnes caussas pecuniarias quietæ Rusticitatis. Secundò, rusticam urbanamque Plebem ab omni improborum, etiam judicum & aliorum Reipublicæ Officialium, insolentiâ ac temeritate debebat defendere, ideòque ad judices habere liberrimum accessum. Tertiò, efficere debuit, ut scelera non essent impunita, & sceleratis adversùs publicam vindictam non præberentur patrocinia, ideòque in regionibus latrocinali grassationi subjectis oportebat esse

probatissimos ac districtissimos disciplinæ zelatores. Quartò, graviora crimina deferebant ad publicum judicem: Ipsi enim nullas multas imponebant, nec sæviores exercebant quæstiones; judicabant tamen delicta leviora. Durabat munus ad quinquennium, nec sine Principis licentia deponi poterat: Justinianus Augustus ad biennium contraxit, ampliavitque potestatem. Ex hac radice quædam Belgicæ civitates, quas inter est mea Iprensis, etiamnum habent, non Consulem seu Burgimagistrum, sed Advocatum seu Defensorem.

Ecclesiasticorum verò Defensorum munus exponit in prima Synodo Carthaginensi Gratus ejusdem Ecclesiæ Archi-Episcopus, agens adversùm leges Imperiales, quibus Clerici è Curia adsumpti ad eandem cum insigni Ecclesiæ nota & damno revocabantur:
Cap. 9. *Quod si iniuriâ Constitutionis Imperialis Clericos inquietandos putaverint* Ministri Reipublicæ, *si Defensio Ecclesiastica nos non deridet, pudor publicus vindicabitur.*
Cap. 9. Et quinta Synodus Carthaginensis. *Ab Imperatoribus visum est universis postulandum propter afflictionem pauperum, quorum molestijs sine intermißione fatigatur Ecclesia, ut Defensores eis adversùs potentias divitum cum Episcoporum provisione delegentur.* Et Synodus Milevitana.
Cap. 16. *Placuit, ut petatur à Gloriosißimis Imperatoribus, ut iubeant iudicibus dare peritos sibi Defensores Scholasticos, qui in actu sint vel in officio Defensionis causarum Ecclesiasticarum, more Sacerdotum Provinciæ, ut ijdem ipsi, qui Ecclesiarum Defensionem susceperint, habeant facultatem pro negotijs Ecclesiarum, quoties neceßitas flagitârit, vel ad obsistendum callidè decipientibus vel obrepentibus, vel ad necessaria suggerenda, ingredi iudicum secretaria.* Et sanctus Gregorius magnus *Ecclesiasticæ utilitatis intuitu* creat
L.4 c.25. Vincomalum Defensorem hâc lege: *Vt quidquid pro pauperum commodis tibi à nobis iniunctum fuerit, incorruptè & vivaciter exequaris.* Et in
L.7.Ep 17 literis ad Bonifacium primum Defensorem scribit *Defensorum officium in caußis Ecclesiæ & Pontificum obsequijs laborare.* Et Vitali Sardiniæ
Epist.99. Defensori mandat, ut monasterijs contra quorumvis injurias, & Clericis contra iniqua Episcoporum gravamina officium Defensionis impendat, addens de gravaminibus seu punitionibus justis: *Episcopum reverenter accede, & apud eum non Defensor culpæ, sed potiùs intercessor existe.* Ecclesiasticâ namque Defensione firmari, non solvi aut lædi debet Ecclesiæ disciplina. A Nereida clarissima apud Sardos vidua rogatus idem Pontifex eò legat Redemptum Romanæ Ecclesiæ De-
Epist.99. fensorem, qui ejus adversarios ad Januarij Metropolitæ judicio standum & parendum cogeret. Eodem fermè tenore pro Januaria quadam
Epist.117. scribit ad Fantinum Panhormi Defensorem, passimque adstipulantur Græcorum Patres & Canonistæ. Quocircà præcipuus hujus Defensio-

ſionis inſtituendæ ſcopus fuit Eccleſiam, pauperes, viduas, orphanos, quaſvis miſerabiles perſonas ab iniquis potentum ſervitutibus & vexationibus tueri & liberare.

Addita illi eſt, ad civilis Defenſionis normam, & duplex poteſtas. Prima fuit coactiva, per hunc noſtrum Canonem laudata & jam ſatis expoſita, quâ quoſvis criminoſos Defenſor poterat atque debebat corripere, compeſcere, comprehendere, Epiſcopo deferre ac tradere. Altera fuit judicativa, de qua Symeon Archi-Epiſcopus Theſſalonicenſis in opere de ſacris Ordinationibus. *Proto Decdicus, ſeu primus Defenſor delegatur, ut revertentes ab Apoſtaſia recipiendi curam habeat, atque ut prævaricationes legis vindicet, eoſq́; qui homicidij aut alterius criminis ſunt rei, examinet & in eos inquirat, quò ſi quid auxilij ad eorum ſalutem procurandam ab Eccleſia poſtulent, ipſis præſtetur.* Et antiqua explicatio officiorum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. *Primus Defenſor iudex eſt, vices gerens Epiſcopi. Iudicat autem cum duobus iudicibus minutas cauſſas ad Epiſcopum delatas.* Et alia antiqua notitia. *Primus Defenſor ſuſcipit transfugas, & quæſtiones Eccleſiaſticas iudicat*, utique minores, eaſque, teſte aliâ notitiâ, *ad Epiſcopum refert.* Officium hoc ſub duodecimi ſæculi finem inſigniter exaltavit Patriarcha Georgius Xiphilinus, de quo Joannes Citri Epiſcopus in quinto libro juris Orientalis. *Primi Defenſoris officium, cùm anteà eſſet inter inferiora, pòſt in eminentiorem ordinem ſtatutum eſt à beata memoria* Patriarchâ Conſtantinopolitano *Georgio Xiphilino.* Primus Defenſor tunc inter quinque Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Crucigeros relatus eſt, ſupremum iſtic Cleri ordinem, qualis in Romana Eccleſia eſt dignitas Dominorum Cardinalium. In ſexta Synodo generali memoratur *Anaſtaſius Diaconus, & Notarius, & Defenſor navium*: Varios namque variarum rerum & perſonarum Defenſores habuit Conſtantinopolitana Eccleſia, eorumque Princeps & caput erat primus Defenſor. Etiam plurimos habuit Romana Eccleſia, ad generales & privatas cauſſas audiendas, Apoſtoliciq́ue patrimonij regimen in omnem regionem mitti conſuetos, ideòq́ue Gregorius magnus, eorum corpus honorare volens, inſtituit & varijs privilegijs donavit ſeptem Defenſores Regionarios, quorum tamen primus ad Cardinalitiam dignitatem non pervenit.

C. 13.

Act. 8.

L. 7. Ep. 17

Quæſtio eſt, An Eccleſiaſticus Defenſor debuerit eſſe Clericus, & in quo gradu? Pro parte negativa facit Zozymus Pontifex, agens de ſervandis Eccleſiaſticorum Ordinum interſtitijs: *Etiam Defenſores Eccleſiæ, qui ex laicis fiunt, ſupradictâ obſervatione teneantur.* Quæ verba repetit Sacramentarium Gelaſianum poſt Miſſam ante Dominicam

Ep. 1. c. 3.

 ſe-

ſecundam Quadrageſimæ. Et quinta Carthaginenſis ac Milevitana Synodus dicunt hoſce Defenſores debere eſſe Scholaſticos, id eſt, Forenſes cauſſarum patronos, ideòque à Principe ad iſtud Eccleſiæ miniſterium poſtulandos & delegandos: At verò Clericus nunquam eſſe potuit rabula forenſis. Et ad Antoninam Patriciam, quæ neſcio quem monachum rogârat promoveri in Defenſorem, ſcribit Pelagius ſecundus

Epiſt. 11. Pontifex. *De præſentium portitore, quod Defenſor factus non eſt, nulla vobis animi moleſtia ſit: Quia verè ſatis amariſſimum habeo de iſto Propoſito ad iſtud officium homines duci, in quo nullo modo quæ à monachis Deo promiſſa ſunt, valeant adimpleri. Omnimoda enim eſt illius habitus & iſtius officij diverſitas. Illic enim quies, oratio, labor manuum; at hic cauſſarum cognitio, conventiones, actus, publica litigia, & quæcumque vel Eccleſiaſtica inſtituta vel ſupplicantium neceſſitas poſcit.* Ait monachos ad Sacerdotium, non ad litigiorum officia ordinari, adeòque hæc officia etiam

L. 1. Ep. 60 Sacerdotio ſupponit repugnare. Et ſanctus Gregorius magnus ſcribit literas ad Paſchalem, Demetianum & Caſtorium, legitimos filios Urbici Defenſoris. Et non habens Diaconum, aptum legari ad Phocæ

L. 11. novo Auguſto de adepto imperio gratulandum, in gradum illum or-

Epiſt. 45. dinavit Bonifacium primum Defenſorem. Et cunctis Defenſoribus Regionarijs pro magno privilegio dat facultatem ſedendi, abſente ta-

L. 7. Ep. 17 men Epiſcopo, inter Clericos, ideòque clarum videtur laicos fuiſſe.

Pro parte autem affirmativa facit hic noſter Canon libertinos Clericos & monachos mandans à Defenſore non tantùm expelli de urbe Regia, ſed & priùs admoneri, quod certum eſt fieri non potuiſſe per laicum. Et ſecundus Canon palàm dicit Eccleſiæ Defenſorem eſſe Regulæ ſubjectum, id eſt, Clericum, ideòque ejus promotionem pretio factam damnat de ſimonia. Et Gelaſius primus Pontifex, exponens modum monachi ad Clerum promovendi, ſcribit ad Lucaniæ

Epiſt. 9. & Siciliæ Epiſcopos: *Efficiatur ante omnia Lector, Notarius, aut certè Defenſor.* Ex quo vides neminem, niſi ad minùs Lector eſſet, potuiſſe in Defenſorem promoveri. Et inter Clericos, ad citandum Eutychetem à ſancto Flaviano Epiſcopo Conſtantinopolitano miſſos, fuit Joannes ejuſdem Eccleſiæ Presbyter ac Defenſor. Et in octava Synodo plures ex ejuſdem Eccleſiæ Presbyteris à Photij ſchiſmate ad matris Catholicæ unitatem redeuntibus dicuntur fuiſſe Defenſores. Et

Act. 2. ſanctus Gregorius in literis ad Petrum Subdiaconum, Siculi Patrimonij Rectorem, laudat Cyriacum Presbyterum ac Defenſorem. Ex-

L. 12. emplis pluribus oſtendi poſſet eos paſſim Presbyteros aut Diaconos

Ep. 30. fuiſſe.

Reſpondeo tempora diſtinguenda. Prioribus namque ſæculis videden-

dentur Ecclesiarum Defensores fuisse laici, per Principem dati & delegati ad preces Episcoporum. Ità evincere videntur Zozymi Pontificis & Africanarum Synodorum decreta. Noluit tunc Ecclesia Clericos, quomodò dudùm adhuc posteà Pelagius secundus monachos, in forensium negotiorum turbidos & profanos clamores immittere. Et hìnc dixit Gratus Episcopus Carthaginensis: *Si Ecclesiastica Defensio nos non deridet*. Fiebat enim per personas laicas, ideòque ob plenæ in illas potestatis defectum poterat omninò Ecclesia ab ipsis derideri. Et postmodùm omninò derideri cæpit, ideòque in Clericos coacta est munus transferre. Nam, ut suprà à tertio hujus Synodi Canone audivimus, ob Ecclesiæ, viduarum, pupillorum, & quorumvis pauperum necessitates potest omninò & debet quandoque Clericus forensibus ac sæcularibus negotijs commisceri. Et hìnc apparens est hosce Defensores sub Christianis Imperatoribus primùm cæpisse. Quomodò enim à gentilibus Ecclesiæ hostibus fuissent postulati aut dati? De illis dici possent longè plura: At sufficiunt hæc ad nostri Canonis intellectum. Dumtaxat addo, quod apud Gratianum Urbanus secundus, grassantem tunc laicorum Patronorum simoniam ab Ecclesia ac nominatim nostrâ hâc Synodo damnari ostensurus, rectè dicat ab hoc nostro ac item tertio suprà exposito Canone per Defensores intelligi Ecclesiarum Advocatos, Judices, seu Castaldos. Antiqui enim Defensores Clerici ob suam ex barbarica temporum iniquitate infirmitatem erant in ejusmodi petentes ac Principes laicos demutati, adversùs quorum tandem etiam depravatorum simoniam ac rapinas dudùm pugnavit Ecclesia, tandemque obtinuit victoriam, de qua Psalmus: *Vt destruas inimicum & Defensorem*. Eorum originem, merita, pravitates, interitum alibi exponam. Ex eisdem antiquis Ecclesiæ Defensoribus prodierunt Advocati & Prococatores pauperum, nec non privilegiorum Conservatores.

CANON XXIV.

Quæ semel ex voluntate Episcopi dedicata sunt monasteria, perpetuò manere monasteria, & res, quæ ad ea pertinent, monasterio reservari: nec posse ea ultra fieri sæcularia habitacula. Qui verò hoc fieri permiserint, Canonum correptionibus subjacebunt.

SCHOLION.

HÆreticæ pravitatis veneno leprosa monasteria vacuare atque exstirpare est perpetua Ecclesiæ praxis. Etenim de Eustochio Hierosolymæ Episcopo & novæ Lauræ monasterio Origenis erroribus tabido scribit Evagrius Epiphaniensis. *Ad novam Lauram profectus Eustochius omnes indè eiecit monachos, & tamquam communem perniciem longè fugavit.* Exempla alia adduxi suprà ad Ephesinæ Synodi decretum de Messalianis. Antiocheni Patriarchatus Episcopi à Barsuma nequissimo Archimandrita ac ejus monachis Eutychianistis gravissimas calamitates passi parabant eodem jure tractare eorum monasteria, nosterque Canon annuit; addit tamen monasteria, utpotè Divino dominio per consecrationem singulariter acquisita, non demutari in laicorum habitacula, sed tradi alijs monachis orthodoxis. Et hinc Marcianus Augustus, in lege ad Palladium Prætorij Præfectum exequens hunc Canonem, ejusmodi Eutychianistis Clericis & monachis omnem Ecclesiastici conventus licentiam interdicit, ac addit: *Domus vel possessio, in quam convenerint, Fisco sine dilatione societur; monasterium verò eius civitatis orthodoxæ Ecclesiæ, in cuius territorio est, iubemus addici.* Nempe in laicam habitationem demutari non potest monasterium, ideóque nec labi ad Fiscum. Et scabiosissimum ipsius Eutychetis monasterium non exstingui jussit sanctus Leo Pontifex, sed dumtaxàt catholico Abbate donari, *qui illam servorum Dei congregationem à pravo dogmate liberare & veritatis institutis posset instruere.*

L. 4. c. 37.
Post Syno. Chalced. Epist. 19.
Ep. 45. c. 3.

Verùm Eutychianistæ, quos de monasterijs oportebat exclusos, exclusêre monachos, ipsósque Episcopos orthodoxos, uti docent eorum famosissima ac horrendissima facinora in Ecclesiam Alexandrinam ac Hierosolymitanam. Quod ipsum diu posteà in libellis ad Hormisdam Pontificem missis Archimandritæ secundæ Syriæ, & nominatim de Severo Pseudo Patriarcha Antiocheno in libellis exhibitis Synodo Constantinopolitanæ sub Menna Patriarcha queruntur monachi Apameenses: Queruntur monasteria sua invasa, spoliata, destructa, demutata in lupanaria & fornices. Adversùs horum sacrilegiorum reliquias necdum penitùs exstinctas existimo Canonem nostrum innovari à Synodo Trullana, mandarique, ut omnia in laicos usus huc usque devoluta monasteria restaurentur ac Ordini monastico restituantur.

Relat. 2. post Ep. 22.
Act 5.
C. 49.

Eutychianistis post laudatam Synodum mox successerunt monasticorum votorum exufflatores, verique nostrorum Lutheranorum & Calvinistarum præcursores ac magistri, Iconoclastæ, de quibus ad septi-

ſeptimam Synodum legit Epiphanius Diaconus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. *Vndè incipiam ſingularum rerum turbationes, ſanctorum templorum profanationes, venerabilium monaſteriorum pollutas translationes in ſacularia receptacula, ità ut inhabitantes in eis reverendi viri poſt rapinam bonorum ſuorum ad Barbaricas regiones pergerent, eligentes potiùs inter gentes degere, quàm cum contribulibus obſcœnam vitam ducere, Divino obedientes Apoſtolo:* CVM HIS NEC CIBVM SVMERE. *Et quod eſt omnium horum atrociſſimum, quia etiam uſque in præſens hæc impietas profanationis venerabilium monaſteriorum apud quoſdam prævaricatoriè permanet, & pro ſacris hymnis & voce exultationis, quæ in tabernaculis iuſtorum ſunt, cantica meretricia & ſathanica modulationes, & pro creberrimis genuflexionibus ſaltatoria inflexiones.* Hunc Canonem noſtrum denuò innovat ſeptima Synodus, iſtoſque everſores, niſi omnia reſtituerint & reſtaurârint in formam antiquam, anathematizat tamquam à Deo in ignem ſempiternum deputatos, adverſatoſque Divinæ legi: *Non facietis domum Patris mei domum negotiationis.* Quod idem inſeruit in ipſam fidei definitionem. Et octava Synodus Generalis, *Apoſtolicos & Paternos Canones innovans,* ſtatuit. *Si Epiſcopus convictus fuerit conſtruxiſſe monaſterium de redditibus Eccleſiaſticis, tradat ipſum eidem Eccleſiæ; ſi verò de proprijs rebus, aut de alijs quibuſdam conventionibus, habeat id ſecundùm propriam poteſtatem & voluntatem omni vitâ ſuâ, & poſt finem vitæ dimittat & conferat hoc quibuſcumque voluerit, non tamen ſæculare diverſorium fiat.* Præcipua ſempiternæ damnationis cauſſa Carolo Martello fuit, quod monaſteria ac monachorum alimenta in militum diverſoria & ſtipendia demutârit: Hìnc ejus filius Carolomannus, paternæ calamitatis horrore concuſſus, ſeſe in monaſterio tamquam vile mancipium abdidit, & nepos Carolus magnus, collapſam apud nos Chriſtianitatem reparans, hunc noſtrum Canonem inſeruit ſuo Capitulari Aquiſgranenſi. Et adversùm Epiſcopos, de nimia novorum in Hiſpania Bæticâ monaſteriorum multitudine murmurantes, ſtatuit ſecunda Synodus Hiſpalenſis, *ut illa, ſicut antiqua, immobili & inconcuſſâ ſtabilitate permaneant ſolidata:* Epiſcopum ſpoliare, convellere, diſſolvere auſum damnat anathemate, tamquam ſacri cætus everſorem, attentantem deſtruere tramitem tantæ & tam ſalutaris vitæ. Convulſum monaſterium mandat per Provinciæ Synodum reſtaurari, *ut quod unus impiè ſubvertit, omnes reforment.* Videndus & tertius Canon tertiæ Synodi Cæſar-Auguſtanæ.

Act.6.l.6.

C. 13.

C. 15.

C. 31.

C. 10.

Quin immò monaſteria, licèt ex cauſſis graviſſimis, ad ſæculares Clericos transferre fuit ſemper res difficillima. Etenim Archi-Epiſcopo Salisburgenſi, volenti in inſula Chienſi Epiſcopatum erigere, ac

L. 4. ep 66 ex quarumdam Monialium, quæ monasterium suum in lupanar verterant, eijciendarum bonis dotare, noluit acquiescere Innocentius tertius, nisi certus de plenè desperata omnium penitùs Monialium incorrigibilitate. Et captæ à Flandris nostris Constantinopoleos Patriarchæ latino, paranti Græcorum monachorum cænobia in latinorum Clericorum sæcularia Capitula convertere, atque ità latinæ Ecclesiæ ritum istic stabilire, respondit idem Pontifex in hæc verba. *De monasterijs Græcorum in sæculares Canonicos convertendis Fraternitati Tuæ breviter respondemus, quod quamdiu per regularis Ordinis viros, sive Græcos sive latinos, remanere poterunt ordinata, non sunt ad sæculares Clericos transferenda, sed si Regulares defuerint, propter eorum defectum sæculares Clerici poterunt ordinari.* Exstat Epistola in vita ejus scripta per auctorem, licèt incognitum, antiquum ac irrefragabilem, publicata verò

F. 110. per Franciscum Bosquettum Episcopum Montis Pessulani. Et Ottonem tertium Augustum, ex Romana sancti Pauli Basilica deformatos monachos eijcere, & sæculares Clericos inducere cogitantem, fuisse prohibitum ab apparente ipso Paulo Apostolo, testatur Glaber Ru-

L. 1. c. 4. dolfus. Plurima sunt ejusmodi exempla. Nam in sola Anglia plusquam è quadraginta invasis monasterijs Clericos sæculares ejecit, monachosque reduxit sanctus Dunstanus Archi-Episcopus Cantuariensis. Quomodò Ecclesiæ Conventrensis Cathedrales monachos, ab Hugone Episcopo ejectos, quasi Divino lumine motus restituerit,

A. 1197. Clericosque ejecerit laudatus Innocentius, refert Matthæus Paris.

Restringit se Canon noster ad *Monasteria dedicata ex voluntate Episcopi.* Conformiter ad quartum Canonem vetantem sine Episcopi voluntate erigi monasterium. Aliter erecta non habet pro veris monasterijs, ideòque eorumdem privilegijs prohibet gaudere.

CANON XXV.

QVoniam quidam Metropolitanorum (quantum comperimus) commissos sibi greges negligunt, & Ordinationes Episcoporum facere differunt, placuit sanctæ Synodo intra tres menses Ordinationes Episcoporum celebrari, nisi fortè necessitas inexcusabilis coëgerit tempus dilationis extendi. Quod si hoc minimè fecerit, correptioni Ecclesiasticæ subjacebit: Verumtamen redditus Ecclesiæ viduatæ penes Oeconomum ejusdem Ecclesiæ integri reserventur.

SGO-

SCHOLION.

ANteà vagum erat ſedium vacantium tempus, ideòque earum viſitatoribus ſeu interventoribus mandat quinta Synodus Carthaginenſis *dare operam, ut intra annum eiſdem Epiſcopum provideant: Quod ſi neglexerint, anno exempto alius interventor tribuatur.* Canon noſter reducit ad tres menſes, de quibus quæritur, An à factæ electionis, an à cæptæ vacationis die ſint computandi? Reſpondeo computandos à cæpta vacatione. Etenim ad Conſtantium Mediolanenſem Archi-Epiſcopum ſcribit ſanctus Gregorius magnus: *Sacri Canones,* utique hic noſter, *ultra tres menſes Eccleſiam præcipiunt non vacare.* Et ad Marinianum Archi-Epiſcopum Ravennæ: *Vltra tres menſes Eccleſiam vacare Pontifice ſtatuta ſacrorum Canonum non permittunt.* Idem aſſerunt duodecima & decima tertia Synodi Toletanæ, ideòque univerſæ Hiſpaniæ Epiſcopos permittunt confirmari & conſecrari ab Archi-Epiſcopo Toletano: Nam intra tres menſes non poterat à Rege peti eligendi facultas, Electus Regem accedere, ejus beneplacitum impetrare, redire ad manus ſui Metropolitæ. Et Synodus Vernenſis habita ſub Rege Pippino. *Poſt mortem Epiſcopi non liceat Epiſcopatum eſſe ſine Paſtore ſupra tres menſes, niſi talis neceſſitas grandis evenerit, ut nullo modo aliter fieri poſſit.* Statuit adversùm Caroli Martelli in vacantes Eccleſias tyrannidem, additque ſuo Canoni hanc epigraphen: *Ex Synodo Chalcedonenſi.* Et Hincmarus in literis ad Ludovicum tertium Francorum Regem: *Sexcenti triginta & eò ampliùs Epiſcopi in Chalcedona civitate congregati conſtituerunt, ut ultra tres menſes Ordinationes Epiſcoporum non differantur.* Et Innocentij ſecundi Synodus Lateranenſis: *Vltra tres menſes vacare Eccleſias prohibent Patrum ſanctiones.* Et hìnc apud Gratianum Pelagius ſecundus Pontifex cunctis Metropolitis ſeriò mandat, ut intra tres à ſua conſecratione menſes Pallium, ſine quo Epiſcopos conſecrare non poſſunt, à ſede Apoſtolica poſtulent, aut commiſsâ ſibi careant dignitate; ſitque Metropolitanis alijs licentia poſt ſecundam & tertiam commonitionem viduatis Eccleſijs cum conſilio Romani Pontificis Epiſcopos ordinandi. Electum verò ultra tres, communione; ultra quinque menſes petendæ conſecrationis negligentem privat adepto Epiſcopatu. Innocentius tamen tertius apud Gregorium nonum in literis ad Decanum & Capitulum Eccleſiæ Andegavenſis legit: *Ad ſex menſes.* Eoſque computandos à prima Eccleſiæ vacatione.

[Marginal notes: L. 6. Ep. 14. — Epiſt. 39. — cap. 6. — C. 9. — cap. 17. — Ep. 12. c. 5. — Diſt. 100. c. 1. — L. 1. tit. 7. c. 2.]

Antiquum rigorem ſtabilire conatur idem Pontifex in ſua Synodo Lateranenſi. *Statuimus, ut ultra tres menſes Cathedralis vel Regularis Eccle-* cap. 23.

 cle-

clesia non vacet, infra quos, iusto impedimento cessante, si electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eligendi potestate careant eâ vice, ac ipsa eligendi potestas ad eum, qui proximè praeesse noscitur, devolvatur. Statuere videtur adversùm eligentium negligentiam, reverà autē statuit adversùm violentā Regię licentiæ ad eligendum tunc necessariè servitutem, quâ passim Electiones differebantur etiam ad annos. Eam superari non posse videns Bonifacius octavus statuit quandocumque factam electionem statim insinuari Electo, infra mensem ab illo, nisi Regularis sit dissitus à suo Superiore, admitti aut refutari, ac tum intra tres menses impetrari consecrationem, alioquin *Electio eo ipso viribus vacuetur.*
L. 1. tit. 6. c. 6. Quod tempus denuò extenderunt Gregorius decimus & Calixtus tertius, tandemque statuit sacrosancta Synodus Tridentina: *Ad maiores Ecclesias promoti munus consecrationis infra tempus à iure statutum suscipiant.* Et infrà. *Qui munus consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur; si intra totidem menses posteà id facere neglexerint, Ecclesiis ipso iure sint privati.* Etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales. Scholiastes marginalis citat hunc nostrum Canonem: At ille à cæpta Ecclesiæ vacatione, Tridentinus à data per Dominum Papam confirmatione vult tres menses computari. Addit: *Prorogationes ultra sex menses concessæ nulli suffragentur.* Eodem modo in Synodo Constantiensi Martinus quintus cassavit omnes ejusmodi dispensationes, mandans cunctos huc usque dispensatos consecrari intra sex menses, deinceps eligendos infra terminum juris. Statuit præsertim adversùs antiquum ac pessimum Germanorum Episcoporum abusum, quem, teste Godofredo monacho, etiam Fredericus primus Augustus, tamquam Canonum executor, conatus est exstirpare. Et rectè. Etenim verè dicit duodecima Synodus Toletana: *Dum differtur Ordinatio Episcopi, non minima creatur Divinorum officiorum offensio, & Ecclesiasticarum rerum perditio.*

Sess. 7. c. 9. Sess. 23 c. 2. Sess. 7. c. 3. A. 1165. cap. 9.

Addit Canon noster: *Redditus Ecclesiæ viduatæ penes Oeconomum eiusdem Ecclesiæ integri reserventur.* Est antiqua Ecclesiæ lex ex qua Nestorij dejectionem Ephesina Synodus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Oeconomis singulariter denunciavit, & adjunxit: *Sedulò proindè omnia, quæ ad Ecclesiam pertinent, custodite, ut rationem illi reddituri, qui ordinandus est Ecclesiæ Constantinopolitanæ Episcopus.* Eodem tenore scripsit de exauctorato Dioscoro hæc nostra Synodus ad Oeconomos Ecclesiæ Alexandrinæ. Statuit porrò Canon adversùs quorumdam Metropolitarum rapacitatem, quam quidam posteà Reges pessimè æmulati sunt, vacantium Ecclesiarum proventus inter jura Regalia computantes, de quo dicendum est alibi.

Act 1. F. 374. Act. 3.

CANON

CANON XXVI.

Quoniam in quibusdam Ecclesiis (ut rumore comperimus) præter Oeconomos Episcopi facultates Ecclesiasticas tractant: Placuit omnem Ecclesiam habentem Episcopum habere Oeconomum de Clero proprio, qui dispenset res Ecclesiasticas secundùm sententiam Episcopi proprij, ità ut Ecclesiæ dispensatio præter testimonium non sit, & ex hoc dispergantur Ecclesiasticæ facultates, & Sacerdotio maledictionis contumelia procuretur. Quod si hoc minimè fecerit, Divinis constitutionibus subjacebit.

SCHOLION.

Edendi Canonis caussam habes ex pace inter Ibam Edessenum Episcopum & ejus accusatores Clericos facta in Synodo Berytensi per Photium Tyriorum ac Eustatium Episcopum Berytensem, hæc interlocutos. *De Ecclesiastico redditu, & ex quacumque caussa acquisitu sanctissimæ Ecclesiæ, placuit Religiosissimo Episcopo Iba ex propria voluntate promittere, quod de cætero secundùm formam Antiochenæ maximæ civitatis gubernarentur res per Oeconomos ex Clero ordinatos ab eius Religiositate.* Ibas enim, nec non ejus nepos Daniel Carrhorum Episcopus accusabantur Ecclesiasticam substantiam per semetipsos sine Oeconomis ac testibus, atque adeò infideliter administrasse. Etiam in Synodo ad Quercum accusatus fuit sanctus Joannes Chrysostomus, quod varia ad Ecclesiam spectantia vendidisset, *& quod Ecclesiæ reditus nemo noverit quò abeant*, utique ob ipsos sine Oeconomis administratos. Hujusmodi igitur pericula, & seu veræ seu falsæ criminationis contumeliam à re Ecclesiastica & Episcoporum personis amota volens nostra Synodus hunc Canonem promulgavit. Eisdem enim de caussis consensit spontaneè Ibas in Oeconomos, haud dubièque etiam S. Joannes Chrysostomus, aut ejus successor Atticus, uti colligi datur ex suprà adductis literis Synodi Ephesinæ ad Oeconomos Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Et ad Anthemium Subdiaconum, Campani patrimonij Rectorem, scribit Gregorius magnus, ut Paschasium Episcopum ad statuendum sibi Vice-Dominum cogat, aut certè eligi faciat à Clero. Hunc nostrum Canonem, quod præsertim à Metropolitis

Cap. 9.

L.9.Ep.66

Cap. 11. negligeretur, innovat septima Synodus, extendit etiam ad monasteria, & addit. *Si unusquisque Metropolitanus in sua Ecclesia constituerit Oeconomum, benè utique; sin autem, ex auctoritate propria Constantinopoleos Episcopo licentia est præponendi Oeconomum in eius Ecclesia. Similiter*
Cap. 9. *& Metropolitanus, si Episcopi, qui sub ipsis sunt, non sategerint.* Et secunda Synodus Hispalensis. *Si quis Episcopus postbac sine testimonio Oeconomi rem Ecclesiasticam crediderit gubernandam, ut contemptor Canonum,* utique Chalcedonensium, *& fraudator Ecclesiasticarum rerum à Christo*
Cap. 48. *iudicabitur reus, & Concilio manebit obnoxius.* Et quarta Toletana. *Eos, quos Oeconomos Græci appellant, hoc est, qui vice Episcoporum res Ecclesiasticas tractant, sicut sancta Synodus Chalcedonensis instituit, omnes Episcopos de proprio Clero ad regendas Ecclesias habere oportet: Qui deinceps contempserit, obnoxius eiusdem magni Concilij erit.*

Occurrunt quæstiones. Prima est, An Apostolicus an alius quis antiquus Canon cogat Episcopos ad Ecclesiasticam substantiam per Oeconomos administrandam, adeòque noster Canon sit non primus institutor hujus officij, sed confirmator dumtaxàt Regulæ antiquæ? Pro parte affirmativa facit Canon inter vulgares Apostolicos quadragesimus primus. *Præcipimus, ut Episcopus in potestate sua Ecclesiæ res habeat. Si enim animæ hominum pretiosæ illi sunt creditæ, multò magis eum oportet curam pecuniarum gerere, ità ut eius potestate indigentibus omnia dispensentur per Presbyteros & Diaconos.* Licèt forsàn non Apostolicus, antiquus tamen est ille Canon. Quidquid sit, Canon veraciter Apostolicus de ipsis statuit Apostolis, eorumque successoribus Episcopis.
Act. 7. *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis: Consideremus ergo viros ex vobis boni testimonij, quos constituamus super hoc opus.* Ex hoc olim Canone apud Romanam & alias plerasque Ecclesias Archi-Diaconus passim fuit & Oeconomus. Quis enim nesciat Xixto Pontifici sanctum Laurentium in utroque officio ministrasse? Et de sancto Cornelio Papa dicit Liber Pontificalis: *Antequam passus est, omnia bona Ecclesiæ tradidit Archi-Diacono.* Et de sancto Lucio illius successore. *Hic omnem potestatem Ecclesiæ dedit Archi-Diacono suo, dum ad passionem pergeret.* Quod ipsum Pontio Archi-Diacono fecit in sua passione sanctus Cyprianus. Quod item Ecclesia Alexandrina semper Oeconomum habuerit, patet ex Ischyrionis Diaconi ad sanctum Leonem Papam & Synodum Chalcedonensem adversùs Episcopum suum Dioscorum libellis, ac ex literis Episcoporum Ægyptiacæ Diœceseos ad Leonem Augustum, exstantibus post laudatam Synodum. De
Epist. 22. Ecclesia Antiochena liquet ex adducta superiùs interlocutione Photij & Eustatij Episcoporum in Berytensi Synodo de Iba Edesseno. Et Joan-

Joannes sacrarum largitionum Comes, Theodosij Augusti ad Synodum Ephesinam Legatus, in sua ad eundem Principem Relatione meminit Dispensatoris Ecclesiæ Ephesinæ. Et Charisius Presbyter, qui eidem Synodo Symbolum Nestorianum detulit, erat in Lydia Oeconomus Ecclesiæ Philadelphiensis. Sanè Ibas Edessenus & sanctus Joannes Chrysostomus non poterant de non habito Oeconomo accusari, nisi id cuipiam antiquissimo Canoni repugnasset. Nam & Canon Arabicus Episcopo Oeconomum imponit.

Ad quæstionem tamen respondeo negativè. Etenim Synodus Antiochena Episcopis dumtaxàt jubet, ut Ecclesiasticam substantiam cum Presbyterorum ac Diaconorum notitia gubernent, nullam Oeconomi faciens mentionem. Et in Synodo Berytensi Ibas Edessenus promisit, non juxta aliquem Canonem, sed solummodò juxta Patriarchalis Antiochenæ Ecclesiæ consuetudinem adsumere Oeconomum, idque spontaneâ voluntate, quod nempe nullus esset Canon eò cogens. Et noster hic Canon nullam Apostolici aut anterioris facit mentionem, adeòque omninò primus omni Episcopo Oeconomum imponit. Ab illo institutum seu omni generaliter Episcopo impositum disertè dicit quarta Synodus Toletana. Vulgaris sanè Apostolicus Canon est Apostolis longè posterior, utpotè lucida mixtura ex hoc nostro ac duobus postremis Antiochenis. Septem Diaconorum per Apostolos facta electio Episcopis suasit Oeconomos, non imperavit. C. 24. 25.

Altera quæstio est, An Oeconomus debuerit necessariò esse Clericus? Respondeo debuisse. Palàm quippè dicit noster Canon: *De Clero proprio.* Et hìnc Canon secundus Dispensatorem vetat pretio creari. Et secunda Synodus Hispalensis. *Laicos Divinarum rerum Oeconomos* esse dicit *contra mores Ecclesiasticos*, & addit. *Vnusquisque Episcopus secundùm Chalcedonensium Patrum decreta ex proprio Clero Oeconomum sibi constituat. Indecorum enim est laicum esse Vicarium Episcopi, & sæculares in Ecclesia iudicare.* Et infrà. *Si quis Episcopus post hàc Ecclesiasticam rem per laicalem procurationem elegerit administrandam, ut contemptor Canonum à Christo iudicabitur reus.* Confirmat quarta Synodus Toletana. Calixti secundi Synodus Lateranensis exindè etiam laicis Principibus ac ipsis Regibus sub sacrilegij reatu interdicit omnem rei Ecclesiasticæ administrationem ac donationem: Quæ violentia Ecclesiam tunc dirè vexabat. Et adducta per Hispalensem ac Toletanam Synodos ratio est omninò firma: Quod nempe Oeconomi sint Vicarij Episcoporum. Ità Gregorius magnus Apostolici Patrimonij Rectores, qui erant quædam Ecclesiastici Oeconomi species, ait fungi vice Cap. 9. C. 48. C. 4.

L. 1. Ep 53 Apostolicâ & pro Ecclesiasticis utilitatibus, & pro pauperum ab omni oppressione vindicandorum necessitatibus. Eorum potestati suberat omnis familia Patrimonij. Hinc de laudato Pontifice scribit Joannes Diaconus. *Nemo laicorum quodlibet Palatij ministerium aut Ecclesiasticum Patrimonium procurabat.* Et infrà. *Hac prudentißimus Pater Gregorius non solùm in Romana, sed & per diversas Ecclesias perpetualiter observanda censebat.* Undè Januarium Calaritanum Archi-Episcopum, Ecclesiæ suæ Patrimonia laicis delegantem, durè increpavit.

L. 7. Epist. 51 52. L. 2. c. 15. L. 7. Epist. 100.

Tertia quæstio est, A quo debuerit eligi œconomus, à solo Episcopo, an ab omni Clero? Respondeo varias in varijs Ecclesijs fuisse consuetudines, ideòque à Canone nostro, earum nullam improbante, nihil de hoc puncto definiri. Alexandrinæ Ecclesiæ Oeconomus à toto Clero fuit semper electus. Etenim ejus Episcopus & grandis Doctor Theophilus dicit in Commonitorio: *Totius Sacerdotalis Ordinis sententia alius renuncietur Oeconomus.* Et hinc Ischyrion ejusdem Ecclesiæ Diaconus, in libellis sancto Leoni magno ac Synodo Chalcedonensi exhibitis, accusat Episcopum suum Dioscorum, quod Proterium Oeconomum solus dejecisset, aliumque solus in ejus locum imposuisset. Ejusdem facinoris Ægyptiacæ Diœceseos Episcopi accusant Timotheum Ælurum, ejusdem Ecclesiæ intrusum, in literis ad Leonem Augustum, exstantibus post Synodum Chalcedonensem, asserentes illum egisse *contra Regulas*, utique istius Ecclesiæ, atque ità promotos ab illo novos Oeconomos postulant exauctorari. Eos dicunt *cum iudicio & senioris Cleri consilio eligendos.*

Act. 3. Epist. 22.

At verò in Ecclesia Antiochena ac omni Diœcesi Orientali Oeconomus semper fuit à solo Episcopo electus. Etenim Ibas Edessenus Metropolita Ecclesiasticam substantiam deinceps, juxta Ecclesiæ Antiochenæ morem, spondens per Oeconomos administrare, addidit: *Ordinandos à sua Religiositate.* Quod ipsum Romæ, in omni Italia, Hispania, ac Gallia fuit observatum. Etenim S. Gregorius magnus Anthemio Subdiacono, Campani patrimonij Rectori mandat, quatenùs Paschasium Episcopum cogat ad statuendum sibi Vice-Dominum, aut certè, illo negligente, eligi faciat à Clero. Ità Simplicus Pontifex Gaudentio Aufiniensi Episcopo solam quartam Episcopalem regendam permisit, reliquas tres Ecclesiasticæ substantiæ portiones auctoritate Apostolicâ ob rationes delegavit œconomiæ Onagri Presbyteri. Eandem potestatem soli Episcopo adscribunt secunda Synodus Hispalensis, quarta Toletana, & Valentina Hispana. Aiunt Oeconomum esse Episcopi Vicarium: At verò vicaria potestas delegatur à solo principali. Eadem est mens septimæ generalis Synodi, adeòque & om-

L. 9. Ep. 66 Epist. 3 Cap. 9. Cap. 48. Cap. 2. Cap. 11.

& omnium passim tunc in Græcia Ecclesiarum. Posterioribus tamen illic sęculis Oeconomum fuisse quandoque à Principe creatum scribit Joannes Zonaras in Isaacio Comneno. Quæ violentiæ species etiam apud nos Latinos grassata est: Dum Reges Ecclesiarum vacantium proventus invaserunt.

Quarta quæstio est, An quævis Ecclesia unicum, an plures potuerit habere Oeconomos? Respondeo quasdam habuisse unicum: Ecclesijs tamen majoribus passim fuisse plures. De Alexandrina & Constantinopolitana liquet ex Ephesinæ & Chalcedonensis Synodi literis, Nestorij ac Dioscori damnationem nuntiantibus: Inscribuntur enim Oeconomis istarum Ecclesiarum. Et laudatis Ægyptiorum Episcoporum ad Leonem Augustum literis subscribunt. *Ammonius Presbyter Alexandrinus & Oeconomus, Timotheus Presbyter & Oeconomus* L. 16. c. 11. *ejusdem Ecclesiæ*. Et Nicephorus Calixtus laudat Joannem Presbyterum L. 18. c. 40. Alexandrinū, Oeconomum Ecclesię S. Joannis Baptistę, & Cyriacum Presbyterum Constantinopolitanum, Oeconomum Ecclesiæ magnæ. Et Liberatus Diaconus Carthaginensis scribit de Joanne Thalaia Presbytero Alexandrino: *Factus est Oeconomus, habens caussas omnium Ecclesiarum.* C. 16. At verò Isidorum Pelusioten, ejusdem Ecclesiæ Presbyterū, fuisse pauperum dumtaxat ac peregrinorū Oeconomum refert Hermias Zozomenus L. 8 c. 2. 12 Majores namq; Ecclesię & varios speciales, & unum habebāt universalem Oeconomum passim dictum Oeconomum magnum, ac de illo loquitur Liberatus, ejusque promovendi ritum describit Euchologium græcum, Joanni Morino à Leone Allatio mutuatum. De eodem statuit Canon Arabicus. *In unaquaque Ecclesia sit Oeconomus, & cum eo alij, qui habeant curam proventuum & agrorum, alij villarum & sumptuum quotidianorum, alij frumenti ac leguminum, alij vasorum auri & argenti, & vestimentorum & ornamentorum Ecclesiæ, alij curam loci, in quo sancta Eucharistia servatur: Quisque habeat curam eorum, quæ sibi commissa sunt.*

Quinta quæstio est, Quæ olim fuerint Oeconomi nomina? Respondeo fuisse varia. Appellatur enim Oeconomus, Dispensator, Procurator, Præpositus, Vice Dominus, Camerarius, Major domus. De voce, *Præpositus*, benè ait Synodus Aquisgranensis, habita sub Imperio Ludovici Pij. *Quamvis omnes, qui præsunt, Præpositi rectè dicantur, usus* L. 1. c. 139. *tamen obtinuit eos vocari Præpositos, qui quamdam Prioratus curam*, utique de rebus temporalibus, *sub alijs Prælatis gerunt*. Eodem sensu vocem accipit Regula sancti Benedicti. Ebbo Remensis Episcopus in indiculo officiorum Ecclesiæ suæ Præpositum facit proximum Archi-Diacono, præponit varijs Decanis, donat amplâ & variâ potestate,

te, describitque ut magnum Oeconomum Græcorum. At verò ejus
Epist.29. successor Hincmarus in literis ad Carolum calvum Francorum Regem distinguit *Præpositum* à *Vice-Domino*, dicens Præpositum Cleri, Vice-Dominum solius Episcopi rebus præesse. Et hoc sensu ipse Carolus Rex Adriano secundo Pontifici, mandanti Hincmari Laudunensis Episcopi Romam profecturi res Regiâ protectione servari il-
Ep.27.165 læsas, respondit se esse Francorum Regem, non Vice-Dominum Episcoporum. Eodem sensu vocem, *Præpositus*, accipit in literis ad Paschalem secundum Pontificem, & in literis ad Ludovicum Grossum Francorum Regem, sanctus Ivo Carnotensis Episcopus, varia questus de Præpositis suæ Ecclesiæ: Quod enim illi tunc solius Cleri substantiam administrarent, videntur Episcopo in suo munere non plenè subfuisse. Porrò sanctus Gregorius
L.1.Ep 11 magnus in literis ad Clementinam Patriciam, & in literis ad An-
L.9.Ep.66 themium Subdiaconum distinguit *Vice-Dominum* à *Maiore domus*, ac Vice-Dominus videtur illi esse substantiæ ad Clerum spectantis, Major domus esse administrator solius quartæ portionis E-
8.q.3. c. 8. piscopalis: Atque ità ab illo dissonat Hincmarus. Apud Gratianum autem Urbanus secundus, in literis ad Præpositum sancti Juventij Ticinensis, omnia hæc vocabula pro eodem accipit, dicens de nostro hoc Canone: *Nomine Procuratoris intelligit quemlibet Ecclesiasticarum rerum administratorem, ut verbi gratia, Præpositum, Oeconomum, Vice-Dominum.* Rogat Glossa: *Quam differentiam facit inter ista nomina?* Rectèque respondet ea quandoque confundi, quandoque distingui. Ait Oeconomum Capituli, Vice-Dominum solius Episcopi rebus præesse. Oeconomum item quidam cum Ecclesiæ Sacellario confundunt: At distingui palàm docent Symeon Thessalonicensis Episcopus in opere de sacris Ordinationibus, & antiqua Explicatio
Cap. 13. Officiorum Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Distinguitur & ab Ecclesiarcha, qui non quicumque, sed monasterij fuit Oeconomus, dictus & Cellarius, uti patet ex Euchologio superiùs laudato.

Sexta quæstio est, Quæ fuerit Oeconomi dignitas ac potestas? Respondeo apud Græcos fuisse summam. Etenim in Ecclesia Constantinopolitana magnus Oeconomus erat primus Crucigerorum. Ejus mu-
Cap. 13. nus audi à Symeone Thessalonicensi. *Possessionibus & proventibus, & sportulis, quæ unicuique tribuuntur, providere debet. Oportet enim eum de his curam gerere in utilitatem publicam & Ecclesiasticorum emolumentorum conservationem.* Addit antiqua Explicatio Officiorum Ecclesiæ Constantinopolitanæ. *Magnus Oeconomus stichario seu tunicâ suâ indutus consistit à dextra parte sanctæ mensæ, cum sacris Pontifex operatur, sanctum-*

ctumq́; flabellum manu tenet. Excipit quoque reditus ad Episcopatum spectantes, & expensarum rationumq́; curam habet. Praponitur igitur administrationi omnium possessionum, habetq́; sub se Chartularium, qui describit annuos Episcopij reditus, & de ijs bis quotannis ad Episcopum refert. Praficitur etiam iudicijs dicundis, & eum, qui ordinandus est Presbyter, Episcopo prasentat. Administrat item Episcopatum post Episcopi mortem, donec alius adveniat. Primus fert suffragium in electione Episcopi. Denique unicuique fratrum suorum debitos fructus ex redditibus Episcopatui obvenientibus ex aquo distribuit. Ità de Anatolio Diacono ad Clementinam Patriciam scribit sanctus Gregorius magnus. *Vice-Dominum eum constituimus, cuius arbitrio Episcopium commisimus disponendum.* Et de Joanne Thalaia Oeconomo Alexandrino scribit Liberatus Diaconus: *Habuit caussas omnium Ecclesiarum.* Jus ab Oeconomo dicendum exponit Nicephorus Calixtus, dicens de Martiano Gennadij Episcopi Constantinopolitani Oeconomo, quod ortas inter magnam ac alias Ecclesias de fidelium oblationibus quæstiones dirimeret. Et hæc omnis magni Oeconomi potestas apud Græcos perseverat etiam sub Imperio Turcico; apud nos latinos superest nomen, at fermè vacuum, excepto tempore sedis vacantis. L.1. Ep.11 C. 16. L 15 c.22

Septima quæstio est, An Oeconomus suo arbitrio, an Episcopi nutu Ecclesiasticam substantiam dispensaret? Respondeo, quod nutu Episcopi. Assiduè id clamant Canones. Attamen iniquis Episcopi jussionibus potuisse illum obviare demonstrant ortæ inter Theophilum Alexandriæ Episcopum ac Isidorum Pelusioten, ejus Presbyterum ac pauperum Oeconomum, inimicitiæ, de quibus Hermias Zozomenus. *Isidorus Theophilo tamquam in Ecclesiarum structuram capere volenti insumendas non concessit pecunias eas, qua sibi ut pauperum Dispensatori multa adferebantur; sed prastabilius esse dixit agrotorum corpora, qua veriùs templa Dei cogitare possimus, & ob qua pecunia ipsa quaruntur, restruenda curare, quam parietes adificare.* Ob similes rationes Gaudentio Aufiniensi Episcopo Simplicius Pontifex reliquit potestatem solius quartæ Episcopalis, reliquas tres partes Onagro Presbytero committens tamquam Oeconomo independenti. Porrò Ruffini Apameensis in secunda Syria Oeconomi hæredes ad iniquæ administrationis restitutionem coegit Petrus Episcopus, queriturque in Synodo Constantinopolitanâ sub Menna Patriarcha Antoninus Presbyter coactos non fuisse ad plenam omninò restitutionem. Et Joannem Thalajam Alexandrinæ Ecclesiæ Oeconomum arguit Liberatus Diaconus, quod Ellum magistrum, Episcopatum ab illo venatus, multis Xenijs donasset. L. 8. c. 12. Epist.3. Act.5.

Octiva quæstio est, Quâ occasione Oeconomi officium sit tandem ad Presbyteros delapsum? Respondeo id factum statim post datam Ecclesijs à Constantino Augusto pacem. Etenim sanctus Joannes Chrysostomus, à Synodo Trullana laudatus, ait suo tempore nequaquam penes Diaconos, sed penes solos Presbyteros fuisse rei Ecclesiasticæ dispensationem. Loquitur de sola Ecclesia Græca. Etenim dudum posteà Anatolium Diaconum Romanæ Ecclesiæ Vice-Dominum constituit Gregorius magnus. Et in ipsa Ecclesia Constantinopolitana magnum Oeconomum quis nesciat fuisse Crucigerum, adeòque Diaconum? Etiam sancti Leonis magni temporibus Ætius ibidem Archi-Diaconus videtur Oeconomus fuisse. Intolerabilis quorumdam Archi-Diaconorum superbia persuasit Episcopis munus istud etiam Presbyteris communicare.

CANON XXVII.

EOs, qui rapiunt mulieres etiam sub nomine simul habitandi, aut cooperantes, aut conniventes raptoribus, decrevit sancta Synodus, ut si quidem Clerici sunt, decidant gradu proprio; si verò laici, anathematizentur.

SCHOLION.

MVlierum raptus fuit olim frequentissimus, non solummodò apud Græcos, sed & apud nos Latinos. Francorum Reges passim dabant sacrâ jussione licentiam rapiendi etiam sacratas Virgines. Istud ob crimen Chramnum Regem malè perijsse scribit sanctus
L. 4. c. 13. Gregorius Turonensis. Undè ad quintæ Synodi Parisiensis preces Clotarius secundus edidit hanc legem. *Puellas & viduas religiosas aut Sanctimoniales, quæ se Deo voverunt, tam quæ in proprijs domibus resident, quam quæ in monasterijs positæ sunt, nullus nec per præceptum nostrum competat, nec trahere, nec sibi matrimonio sociare penitùs præsumat. Et si quis exindè præceptum elicuerit, nullum sortiatur effectum. Et si quicumque aut per virtutem, aut per quemlibet ordinem ipsas detrahere, aut sibi in conjugium præsumpserit sociare, capitali sententiâ feriatur.* Plurimas habemus hujusmodi Leges & Canones, at satiùs est parentum nostrorum barbariem æterno silentio cooperire. Hodie vivimus juxta decretum sacrosancti Concilij Tridentini.

CANON

CANON XXVIII.

SAnctorum Patrum Decreta ubique ſequentes, & Canonem, qui nuper lectus eſt, centum & quinquaginta Dei amantiſſimorum Epiſcoporum agnoſcentes, eadem quoque & nos decernimus ac ſtatuimus de privilegijs ſanctiſſimæ Eccleſiæ Conſtantinopolis novæ Romæ. Etenim antiquæ Romæ throno, quod urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt. Et eâdem conſideratione moti centum quinquaginta Dei amantiſſimi Epiſcopi ſanctiſſimo novæ Romæ throno æqualia privilegia tribuerunt, rectè judicantes urbem, quæ & imperio, & ſenatu honorata ſit, & æqualibus cum antiquiſſima regina Roma privilegijs fruatur, etiam in rebus Eccleſiaſticis, non ſecus ac illam, extolli ac magnifieri, ſecundam poſt illam exiſtentem: Vt & Ponticæ, & Aſianæ, & Thraciæ Diœceſis Metropolitani ſoli, prætereà Epiſcopi prædictarum Diœceſeon, quæ ſunt inter Barbaros, à prædicto throno ſanctiſſimæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ordinentur: Vnoquoque ſcilicet prædictarum Diœceſeon Metropolitano cum Provinciæ Epiſcopis Provinciæ Epiſcopos ordinante, quemadmodùm divinis Canonibus eſt traditum; ordinari autem, ſicut dictum eſt, prædictarum Diœceſeon Metrapolitanos à Conſtantinopolitano Archi-Epiſcopo, convenientibus de more factis electionibus, & ad ipſum relatis.

SCHOLION.

HIc eſt Canon, quem jure merito ſemper damnavit Romana Eccleſia, & adversùm quem in literis ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, ejus auctorem ambitioſum atque imperatorem, ad Martianum Auguſtum, Auguſtamque Pulcheriam, ejus

confirmationem postulantes, nec non ad Maximum Antiochenum Patriarcham, qui in ipsum videtur consensisse, potentissimè scribit sanctus Leo magnus. Esse dicit Canonem ambitiosum, Nicenis Canonibus, qui spiritu Dei conditi & totius mundi reverentiâ consecrati solvi non possunt, adversum, Alexandrino & Antiocheno Patriarchis ac tribus Autocephalis primatibus injuriosum, totius Ecclesiasticæ per Apostolos constitutæ Hierarchiæ eversivum: Per eum calcari antiquitatem, Ecclesiarum privilegia, Ordinationum Episcopalium jura, quietem omnium Provinciarum. *Beatus Papa Leo*, scribit ad Dardaniæ Episcopos sanctus Pontifex Gelasius, *cuius Synodus Chalcedonensis auctoritate firmata est, quidquid ultra quam ab eodem pro fide & communione Catholica atque Apostolica illic agendum constaret esse delegatum, per occasionem congregationis illius præter Nicenos Canones nová videretur esse actione tentatum, competenti refutatione vacuavit.*

Epist 53. 54. 55. 61.

Epist. 19.

Optimo sanè jure vacuavit hunc Canonem nostrum: utpotè fædum undequaque & maculosum vario errore. Primò enim perperàm se fundat in tertio Canone primæ Synodi Constantinopolitanæ. Quid de illo sanctus Damasus, quid sanctus Leo, quid alij Romani Pontifices, quid omnis Latina Ecclesia, quid Ægyptiaca Diœcesis, quid Dioscorus Alexandrinus Episcopus, quid de illo senserit quandoque ipse Anatolius, suprà est abundè ostensum.

Secundò falsum est, quod throno antiquæ Romæ Patres seu Canones tribuerint Primatus Privilegia. Etenim adversùm hæc somnia in In literis ad Orientales Episcopos sanctus Gelasius Pontifex disertè dicit Romanæ Cathedræ privilegia esse *Christi Constituta*. Perijt aut latet illa Epistola, ejus tamen fragmentum suis ad Gallicanos Episcopos literis insertum transmisit ad nos Nicolaus primus Pontifex, ipsum egregiè elucidans, & adjungens. *Privilegia sua per Petrum à Christo consecuta est Romana Ecclesia. Ecclesia, inquam, Romana adeò sunt antiqua & veterata privilegia, ut Nicena Synodus, sicut Bonifacius Præsul Apostolicus, Episcopis per Thessaliam constitutis scribens, ait,* NON ALIQUID SUPRA EAM AUSA SIT CONSTITUERE, CUM VIDERET NIHIL SUPRA MERITUM SUUM POSSE CONFERRI, OMNIA DENIQUE HUIC NOVERAT DOMINI SERMONE CONCESSA. Latuit huc usque & illa sancti Bonifacij Epistola: Eam hisce diebus ab Eruditissimo Luca Holstenio in Apostolica Bibliotheca repertam publici juris fecit Eminentissimus ac Reverendissimus D. Franciscus Cardinalis Barbernus, cujus memoria apud omnes Ecclesiasticæ antiquitatis studiosos erit in sempiterna benedictione. Etiam in Epistola ad Rufum Thessalonicensem ac alios per Illyricum Episcopos Epistola, à lauda-

Epist. 42.

Epist. 9.

to Eminentissimo Ecclesiæ Principe nobis item donata, probat multis idem Pontifex, quod in Cathedra Romana ipse Dominus *Christus Sacerdotij summam locârit.* Et sanctus Leo magnus in literis ad Theodoretum Cyri Episcopum scribit, quod laudatam Sedem cæteris omnibus ipse Dominus statuerit præsidere. Et in literis ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem: *Curam universis Ecclesiis ex Divina institutione debemus.* Et in literis ad Episcopos Mauritaniæ Cæsareensis: *Solicitudinem universæ Ecclesiæ ex Divina institutione dependimus.* Ità loquuntur & docent Pontifices antiqui omnes: Vana ac profana est evasio Marci Antonij de Dominis, garrientis eos de propria caussa perhibere testimonium, ideòque ipsum non esse firmum. Omnis quippè orthodoxa antiquitas illis attestatur. Eos non tantùm secundæ Mesię Synodus, in literis ad Leonem Augustum post Synodum Chalcedonensem exstantibus, dicit esse *verè caput Episcoporum*, sed & ante omnes Canones & generales Synodos, adeòque ex institutione Divina fuisse semper ab omni sub cælo Ecclesia vocatos *Pontifices Maximos ac Episcopos Episcoporum*, scribunt sanctus Cyprianus, ac in libro de pudicitia inimicus Tertullianus. Et in Synodo Ephesina dixit Juvenalis Hierosolymæ Episcopus ex Apostolico ordine & traditione esse morem, ut sedes Antiochena apud Romanam dirigatur ac judicetur. Et hæc ipsa nostra Synodus Chalcedonensis in Relatione ad Leonem Papam: *Episcopo Romano vineæ custodia à Salvatore commissa est.* Et Constantinus quartus Augustus, plenaque per ipsum sexta Synodus in Relatione ad Agathonem Pontificem: *Romana Sedes est ea Petra, supra quam Dominus Ecclesiam fundavit.* Hinc in suo suffragio Domelius Prusiadis Episcopus, ac in sermone ad Principem acclamatorio ipsa plena Synodus laudatum Agathonem vocat *Patrem suum, Apostolicæ & principalis Sedis Archi-Episcopum, & Antistitem Pontificalissimum.* Et sanctus Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus, in literis ad Nicolaum primum Pontificem lectis & probatis in Synodo octava, profitetur Romanum Episcopum esse unum, singularem, præcellentem, Catholicissimum omnis sub cælo Ecclesiæ medicum, ab ipso Domino Jesu Christo productum per hæc verba, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et trigesimus nonus Canon Arabicus Romanum Episcopum definit esse caput & Principem omnium Patriarcharum, Petri successorem cum æquali potestate, Christi Domini Vicarium, cui data est potestas in omnes Principes, eorum populos, ac universam Ecclesiam Christianam. Et sancti Gelasij Pontificis prima Romana Synodus. *Sancta Romana, Catholica & Apostolica Ecclesia nullis Synodicis constitutis prælata est cæteris Ecclesiis, sed Evangeli-*

Epist 10.
Ep 63. c. 1
Ep. 84. c. 1
Ep 87. c. 1
Epist. 31.
C 1.
Act. 4.
Act. 18.

 geli-

gelicâ voce Domini & Salvatoris nostri Primatum obtinuit. Definit adversùs nequissimum schisma Acacij Episcopi Constantinopolitani, cum factione Eusebiana ex hoc Canone blaterantis Primatialia Romanæ Ecclesiæ privilegia non ab ipso Christo per Divinam, sed à solis Synodis & Canonibus esse donatū per potestatem & providentiam humanam. Errorem posteà resumpserunt & auxerunt Photius & Michaël Cerularius Episcopi Constantinopolitani, ideòque Græcis laudata privilegia non nisi cum hoc addito, *Iuxta tenorem Canonum*, admittere volentibus nequaquam acquievit Synodus Florentina, eósque tandem persuasit consentire in hoc additamentum: *Quemadmodum etiam in gestis Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.* Desumptum est ex literis Joannis secundi Pontificis ad Justinianum Augustum: *Romanam Ecclesiam esse omnium verè Ecclesiarum caput & Patrum Regulæ & Principum statuta declarant.* Quocircà hujus Primatus originem, non Christi Domini Divinis, sed solis Synodorum humanis constitutionibus adscribere, est hæresis manifesta.

Epist. 2.

Tertius Canonis error est in hisce verbis: *Sanctissimo novæ Romæ throno æqualia privilegia tribuerunt.* Etenim tertius Canon Constantinopolitanus Constantinopolitanam Cathedram Romanæ nequaquam æquavit, sed Alexandrinæ & Antiochenæ solummodò prætulit, faciens totius Ecclesiæ secundam hisce lucidissimis verbis: *Constantinopolitanæ civitatis Episcopus habeat privilegia honoris post Romanum Episcopum.* Verùm Dioscorus, Eusebij Dorileensis Episcopi, non pro se tantùm, sed & pro cæso sancto Flaviano Constantinopolitano Episcopo Romanam adversùs se appellationem frendens susceptam à Leone Pontifice, in Eusebianam rabiem sese projecit, omnesque Patriarchas æqualis potestatis blateravit, quo sic in laudatum Pontificem, tamquam qui ejus damnatos suscipiens quintum Nicenum Canonem esset prævaricatus, latrare impunè auderet contumeliam vanæ excommunicationis, atque ità exufflare omnem Eusebij & universæ Ecclesiæ spem ab indicta Synodo Chalcedonensi. Ejus Diaconus, in Regia urbe Apocrisarius, ac in Ephesino latrocinio creatus ab ipso Episcopus fuerat Anatolius, atque ità ab ipso didicerat Eusebianizare, præsentem Synodum seducere, Constantinopolitanum Canonem de eadem scabie infamare, & novas radices serere futuri schismatis Photiani. Etenim Theodorus Balsamon, Alexius Aristinus, Symeon Thessalonicensis, Gabriel Philadelphiensis, Matthæus Blastares, Nilus Doxopatrius, alijque id genus ex hujus Canonis auctoritate pertinaciter adfirmant Regiæ civitatis Sedem Romanæ Cathedræ à Synodo Constantinopolitana fuisse omninò æquatam. Audi, quomodò circa hasce illius

illius Synodi voces, *Post Romanum Episcopum*, deliret in trigesimi sexti Canonis Trullani expositione Alexius Aristinus. *Præpositio*, POST, *intelligenda est tamquam quæ tempus, non honorem importet. Posterior annos multos æqua cum Romana Ecclesia privilegia Constantinopolitanus thronus hic obtinuit.* Longè meliùs ex Evagrio Epiphaniensi, homo licet schismaticus, Nicephorus Calixtus: *Constitutum est* à Synodo *Constantinopolitana, ut sedes novæ Romæ secundas à vetere Roma, ab aliis primas ferret.* Et lucidissimè Martianus Augustus in literis etiàm per Lucam Holstenium publicatis, quibus à Leone Pontifice expostulavit præsentis Canonis confirmationem: *Et hoc statutum est, ut post Sedem Apostolicam Constantinopolitanæ urbis Antistes secundum obtineat locum.* Quod ipsum dicit hæc ipsa Synodus in Relatione ad laudatum Pontificem, & Justinianus Augustus in lege novella ad Petrum Præfectum Prætoriorum. Et ipse præsens Canon sibi ipsi adversus: *Secundam post illam existentem.* L.2.c.4. L.15.c.7. Novel.131 c.2.

Quartus Canonis error est in hisce verbis de Roma antiqua: *Quod urbs illa imperaret.* Et de Roma nova: *Rectè iudicantes urbem, quæ imperio honorata & æqualibus privilegiis fruitur, etiam in rebus Ecclesiasticis non secùs ac illam extolli.* Aiunt privilegia Episcopalia Imperialibus tamquam radici & fundamento cohærere indivulsa: Respondet verò in literis ad Martianum Augustum sanctus Leo Papa: *Alia ratio est rerum sæcularium, alia Divinarum.* Et sanctus Gelasius in literis ad Episcopos Dardaniæ: *Risimus, quod prærogativam volunt Acacio comparari, quia Episcopus fuerit Regiæ civitatis. Numquid apud Ravennam, Mediolanum, Syrmium, Treviros multis temporibus non constitit Imperator? Alia potestas est regni sæcularis, alia Ecclesiasticarum distributio dignitatum. Sicut enim quamvis parva civitas prærogativam præsentis Regni non minuit, sic Imperialis præsentia mensuram dispensationis religiosæ non mutat.* Nec sine caussa istam cohæsionem semper aversata fuit Ecclesia latina. Qualiter enim ex illa tandem profecerit sedis Constantinopolitanæ invasor ac universæ Ecclesiæ turbator Photius, scribit ad Episcopos Gallicanos Nicolaus primus. *Gloriatur & perhibet, quando de Romana urbe Imperatores Constantinopolim sunt translati, tunc & Primatum Romanæ Sedis ad Constantinopolitanam Ecclesiam transmigrasse, & cum dignitatibus Regiis etiam Romanæ Ecclesiæ privilegia translata fuisse, ità ut eiusdem Ecclesiæ invasor Photius se in scriptis suis Archi-Episcopum atque Patriarcham universalem appellet.* Idem docent Matthæus Blastares, ac præsertim Anna Comnena. *In hanc Regiam urbem translatu imperio, senatu, totoque senatorio ordine, translatus item est Episcopalium sedium ordo: Et superiores Imperatores primas tribuerunt sedi Constantinopolitanæ, &* Epist.54. c.3. Epist.13. Epist.70.

max-

maximè Synodus Chalcedonensis, quæ Constantinopolitano Antistiti, ad primam & summam speculam evecto, omnes totius orbis Diœceses subiecit. Literæ mulierem egerunt in insaniam: Nec unus Chalcedone Episcopus de ejusmodi exaltatione sedis Constantinopolitanæ vel somniavit.

Quintus Canonis excessus est in hisce verbis: *Pontica, & Asiana, & Thracica Diœceseos Metropolitani soli à Throno Constantinopolitanæ Ecclesiæ ordinentur, convenientibus de more factis Electionibus, & ad ipsam relatis.* Ea respicit sanctus Leo in literis ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum: *Omnes* trium istarum Diœceseon *Metropolitani Episcopi honore privantur.* Et in literis ad Pulcheriam Augustam: *Superbum nimis est & immoderatum, ultra fines proprios tendere, & antiquitate calcatâ alienum ius velle præripere, atque ut unius crescat dignitas, tot Metropolitanorum impugnare Primatus, quietisq́ Provinciis & olim sanctæ Synodi moderatione dispositis bellum novæ perturbationis inferre.* Et in literis ad Martianum Augustum. *Non convellantur Provincialium iura Primatum, nec privilegiis antiquitùs institutis Metropolitani fraudentur Antistites.* Etenim secundùm Apostolicos, Nicenos, & Constantinopolitanos Canones trium Diœceseon Primates tamquam Autocephali à propria Synodo, ab ipsis autem ordinari debent subjecti omnes Metropolitæ, atque ità ambos Canon affecit insigni injuriâ. Quæ tamen sibi ipsi non cohæret. Etenim potestas ordinandi & potestas judicandi sunt secundùm Canones connexæ: Et tamen Metropolitas, quos nonus & decimus septimus alternativè dumtaxàt vel à Diœceseos Primate vel ab Episcopo Constantinopolitano mandat judicari, hic noster Canon privativè ab isto Episcopo jubet ordinari.

Ep. 53. c. 2.
Ep. 55. c. 2
Epist. 54.

Sextus Canonis error est in hisce verbis: *Soli Metropolitani.* Et his: *Vnoquoque prædictarum Diœceseon Metropolitano cum Provinciæ Episcopis Provinciæ Episcopos ordinante, quemadmodùm Divinis Canonibus est traditum.* Etenim sextus Canon Nicenus & Rescriptum Innocentij primi Pontificis ad Alexandrum Patriarcham Antiochenum aiunt non solos Metropolitas, sed & Provinciales Episcopos à Patriarcha aut Primate ordinandos: Vicinos à propria ejus manu, remotos ad ejus literas seu præviam confirmationem. Et quod hocce item Patriarchicum jus dilexerit Anatolius, liquet ex intercessione Ætij ejus Archi-Diaconi adversùs Synodi sententiam de Ordinatione Episcopi Basilinopolitani controversa inter Eunomium Nicomediensem ac Anastasium Metropolitam Nicenum: *Suggerimus vestræ Magnificentiæ rogantes, ut nullum præiudicium Constantinopolitanæ sanctissimæ Sedi fiat ex his, quæ nunc proferuntur; sanctissima enim Constantinopolitana sedes aut ordinationem ipsa facit in Basilinopoli, aut eam permittit fieri, sicut literis, quæ fiunt,*

fiunt, vel facta sunt sæpiùs, ostendere possumus. Nempe quomodò Metropolitarum, ità Provincialium Episcoporum confirmationes & Ordinationes invadere conati fuerant Episcopi Constantinopolitani; verùm quorumdam Metropolitarum oppositio successum impedijt, ideòque solos hosce Anatolio adscripsit Canon, ac ità in Ecclesiam induxit nescio quod huc usque invisum Patriarchæ monstrum, qui singulos sibi subjectos Episcopos nec ordinare posset, nec ullum privativè judicare.

Septimus Canonis excessus est in hisce verbis: *Episcopi prædictarum Diœceseon, quæ sunt inter Barbaros, à Throno Constantinopolitanæ Ecclesiæ ordinentur.* Quid sint Ecclesiæ barbaricæ, dixi suprà ad Canones Constantinopolitanos, lucidèque patet ex Joannis Patriarchæ Antiocheni ac ejus in Ephesina Synodo factionis Relatione ad Theodosium Augustum: *Iustum est, ut Pietas vestra, quæ Ecclesiam Persidis, & earum, quæ inter Barbaros sunt, curam gessit, Ecclesias, quæ in Romanorum Principatu iactantur, non negligat.* Eas juxta propriam consuetudinem quoad judicia & consecrationes regi statuit Constantinopolitanus Canon, at verò omnia sursùm deorsùm volutans Anatolius quoad omnium Episcoporum Consecrationem impetravit transcribi in suam sedem. Attamen non omnes, sed solas tribus autocephalis Diœcesibus adnexas, de quibus Joannes Zonaras. *Earum quoque Diœceseon Episcopos illos, qui apud barbaras nationes degunt, quales Alani sunt & Russi, illi quidem Pontica Diœcesi, hi verò Thracicæ adiuncti, à Constantinopolitano Præsule renunciari permissum.* Persidis Ecclesia Antiocheno, Æthiopica juxta priorem consuetudinem est Alexandrino Patriarchæ relicta. F. 456.

Rectè verò de consecrandis ab Episcopo Constantinopolitano Metropolitis adjungit Canon: *De more factis Electionibus.* Interdicuntur, quas huc usque Episcopi Constantinopolitani frequenter præsumpserant, Archi Episcopatuum reservationes ac provisiones, uti etiam advertit ac fatetur Joannes Zonaras: *Ne à Divinis*, inquit, *Patribus, quæ ad Metropolitarum creationem pertinent, universa Constantinopolitani auctoritati concessa putentur.* Erat durum frenum, quod etiam Joannis Ravennatis Archi-Episcopi in Episcopos Æmilienses præsumptionibus imposuit apud Anastasium Bibliothecarium Nicolaus primus Pontifex: *Sancimus, ut Episcopos per Æmiliam non consecres, nisi post electionem.* Electos tamen Metropolitas poterat Constantinopolitanus evocare ad manus suas, aut consecraturus accedere eorum civitates, uti Gloriosissimi judices fuerunt interpretati. Act. 16.

Octavum Canonis vitium est infirmum ac penitùs nullum tantæ

in Ecclesiasticam Hierarchiam inducendæ novitatis fundamentum. Audiamus illud ab ipsa Synodo in Relatione ad Leonem Pontificem. *Indicamus, quia & alia quadam pro rerum ipsarum ordinata quiete, & propter Ecclesiasticorum statutorum definivimus firmitatem, scientes quia & vestra Sanctitas addiscens & probatura & confirmatura est eadem. Eam namque consuetudinem, qua ex longo iam tempore permansit, quam habuit Constantinopolitanorum sancta Dei Ecclesia ad ordinandum Metropolitas tam Asiana, quam Pontica & Thracica Provinciarum, & nunc synodali decreto firmavimus, non tam sedi Constantinopolitana aliquid praestantes, quam Metropolitanis urbibus quietem congruam providentes, eò quod frequenter Episcopis vitam finientibus multa turba nascuntur, Clericis & populis, qui per easdem sunt civitates, absque Rectore remanentibus, & Ecclesiasticum Ordinem confundentibus: Quod nec vestram latuit Sanctitatem, maximè propter Ephesios, undè quidam sapiùs vobis importuni fuerunt. Confirmavimus autem & centum quinquaginta sanctorum Patrum Regulam, qui in Constantinopoli congregati sunt sub pia memoria Theodosio maiore, qua praecepit post vestram sanctissimam & Apostolicam Sedem honorem habere Constantinopolitanam, qua secunda ordinata est.* Quocircà omne Alexandrini & Antiocheni Patriarchæ humiliandi fundamentum fuit Canon tertius Constantinopolitanus, quem Lucentius Esculanus Episcopus & Romanus Legatus rectè dixit non esse conscriptum & synodicum, id est, à Romana Ecclesia inter veros Canones non admissum.

Unicum autem adversùs tres Primates fundamentum fuit centum ferè annorum consuetudo, quâ mox à dicta Constantinopolitana Synodo cæperunt Episcopi Constantinopolitani memoratas ordinationes invadere violenter, & adversùs quam *Reverendissimi Asiani Episcopi prostrati ante sanctam Synodum Patrum*, post ejectos Bassianum & Stephanum de Primatiali Cathedra contendentes, dixerunt: *Miseremini* (Act. 11.) *nostri. Nos supplicamus sancto Concilio, ut misereatur filiorum nostrorum, ne fortè propter nos & propter peccata nostra moriantur, ut nobis clementia condonetur. Nam si Bassiano successorem suadeat aliquis hic ordinari, & filij nostri moriuntur, & civitas deperit.* Et Synodum rogantibus gloriosissimis judicibus, *ubi volunt Canones Episcopum Ephesina sanctissima Ecclesia ordinari*, reposuére laudati Episcopi: *In Provincia.* Hoc est, in propria sede à propria Synodo, quomodò jubet lex & dignitas Autocephaliæ. Addidit Diogenes Metropolita Cyzicenus. *Consuetudo hoc habet. Si factus fuisset à Constantinopolitano Episcopo, non habuerunt hac agi. Ibi enim Salgamarios ordinant, & propterea eversio fit.* Et Leontius Episcopus Magnesianus. *A S. Timotheo usque nunc viginti septem*

Epis-

Episcopi facti sunt, omnes in Ephesо sunt ordinati. Solus Basilius Memnonis successor *violenter hic* Constantinopoli *factus est, & multa cædes hinc orta sunt.* Populus ergò Ephesinus Ecclesiæ suæ dignitatem zelabat fervidissimè, ideòque adversùm Episcopos Constantinopoli, aut alio quovis loco ab Episcopo Constantinopolitano consecratos tumultuabatur usque ad civitatis eversionem, dicens eos esse Salgamarios, id est, viles Episcopi Constantinopolitani adulatores, ideòque adversùs Anatolium in Synodo Chalcedonensi parantem Ephesijs ordinare clamavêre prostrati in terram Episcopi Asiatici: *Miseremini nostri.* Quocircà hæc synodalis ad sanctum Leonem Pontificem Relationis verba, *Maximè propter Ephesios, undè quidam vobis sæpiùs importuni fuerunt,* continent calumniam: Neque enim causâ electionis, sed causâ jam dictæ per Episcopum Constantinopolitanum invasionis Ephesius populus tumultuabatur, & pro Ecclesiæ suæ privilegio provocabat ad custodem Canonum Ecclesiam Romanam. Similem adversùs ordinationes Constantinopolitanas querelam deposuit Eusebius Ancyræ Metropolita. Quocircà hæc omnis consuetudo erat invasa, prævaricatoria, per violentiam Ecclesijs imposita, turbarum & scandalorum suscitativa.

Nonum Canonis vitium adducit sanctus Leo Pontifex in literis ad Martianum Augustum dicens Legatos suos in fidei tantùm negotio fuisse convocatos, nullum de hocce Canone habuisse mandatum, adeòque & nullam potestatem. Hinc de illis in ipsa Synodo ad gloriosissimos judices dixit Ætius Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archi-Diaconus: *Rogavimus Dominos Episcopos de Roma, ut communicarent ijs gestis; refutaverunt dicentes talia se non suscepisse mandata.* Quin immò acceperant expressum tertij Canonis Constantinopolitani non admittendi, nihilque penitùs contra sextum Nicenum permittendi mandatum, de quo ad laudatos Dominos de Româ dixit idem Ætius: *Si de hoc Capitulo aliquod mandatum acceperint, proferant.* Respondit verò Bonifacius Romanæ Ecclesiæ Presbyter ac Legatus. *Beatissimus & Apostolicus Papa inter cætera hoc nobis mandavit.* Recitavitque mandatum ex chartula. *Sanctorum quoque Patrum constitutionem prolatam nullâ patiamini temeritate violari vel imminui, servantes omnimodis personæ nostræ in vobis, quos vice nostrâ transmisimus, dignitatem: Ac si qui fortè civitatum splendore confisi aliquid sibi tentaverint usurpare, hoc, quâ dignum est, constantiâ retundatis.* Ea Patrum constitutio erat sextus Canon Nicenus, mox à Paschasino Lilybetano Episcopo & Romano Legato recitatus. Mandati sui & providentiæ rationes exponit Pontifex Maximo Patriarchæ Antiocheno. *Subrependi occasiones non præter-*

Act. 16.

Ep. 62 c. 4

termittit Ambitio, & quoties ob intercurrentes caussas generalis congregatio facta fuerit Sacerdotum, difficile est, ut cupiditas improborum non aliquid supra mensuram suam moliatur appetere. Sicut etiam in Ephesina Synodo, quæ impium Nestorium cum suo dogmate perculit, Iuvenalis Episcopus ad obtinendum Palestinæ Provinciæ principatum credidit se posse sufficere, & insolentes ausus per commentitia scripta firmare. Hunc græcorum Episcoporum morem pessimum ac intolerabilem ambitum, variasque Episcoporum huc usque Constantinopolitanorum pro tertio Constantinopolitano Canone artes & machinas sanctus Leo nôrat, ideòque mandato rigidissimo voluit eis omnem portam occludere. Ætius Archi-Diaconus denuò per consuetudinem tentavit irrepere: *Consuetudo est in Synodis, postquam ea, quæ sunt omnium præcipua, fuerint definita, & alia quædam necessaria exerceri atque formari.* Ità ad Papalis mandati prævaricationem seduxit Synodum. At Lucentius Legatus apud gloriosissimos Judices intercessit. *Sedes Apostolica nobis præsentibus humiliari non debet: Et ideò quæcumque in præiudicium Canonum vel Regularum hesternâ die gesta sunt nobis absentibus, petimus Sublimitatem vestram, ut circumduci habeatis; sin aliàs, contradictio nostra his gestis inhæreat, ut noverimus, quid Apostolico viro universalis Ecclesiæ Papæ referre debeamus, ut ipse aut de suæ sedis iniuria, aut de Canonum eversione possit ferre sententiam.* Quibus ex verbis quis non videat Synodum Domino Papæ, non Dominum Papam Synodo subesse?

Decimum Canonis vitium est in hisce verbis Lucentij Legati: *Hesternâ die nobis absentibus.* Exponit gloriosissimis Judicibus Paschasinus Legatus. *Hesternâ die, postquam Potestas vestra surrexit, & Humilitas nostra vestra vestigia secuta est, quædam gesta facta dicuntur, quæ nos & præter Canones & disciplinam æstimamus effecta.* Effecta ergò erant per conciliabulum acephalum & clandestinum.

Undecimum vitium adducit idem Lucentius dicens ad laudatos judices. *Gloria vestra perpendat, quâ circumventione cum sanctis Episcopis gestum sit, ut non conscriptis*, id est, ab Ecclesia Romana non probatis, *Canonibus* Constantinopolitanis *subscribere sint coacti.* Etiam in literis
Ep 54.c.3. ad Martianum Augustum queritur S. Leo Legatos suos & dolis & terroribus fuisse tentatos. Intercesserunt variæ circumventiones: *Etenim* per Dioscori damnationem Alexandrina, per Bassiani & Stephani deiectionem Ephesina vacabat Ecclesia, ideòque Ægyptij Episcopi nullum synodale decretum voluerunt subscribere, Asiatici constanter primatialis suæ Cathedrę injurijs contradixerunt. Certè Dios-
Epist. 53. cori damnatio nequijt obesse Ecclesiæ Alexandrinæ: *Aliud sunt sedes,*
52.c.3. *aliud Præsidentes. Etsi diversa sint merita Præsulum, iura tamen perma-*
nent

nent sedium. Maximus Patriarcha Antiochenus nupera inter Antecessorem suum Domnum & Proclum Constantinopolitanum Episcopum pacta prævaricari timuit, de quibus rectè sanctus Leo: *Facilius erit quarumlibet consensionum pactum dissolvi, quam Nicenorum Canonum Regulas ex ulla parte corrumpi.* Thalassius Primas Cæsareensis sese patenter opposuit, ideòque non subscripsit huic Canoni, nec ullum alium, sed solum fidei decretum detulit in Cappadociam, uti ejus successor Alipius scribit ad Leonem Augustum. Lucianus Byziensis Episcopus, Cyriaci Heracleensium Primatis Legatus & Vicarius, admisit quidem Canonem, attamen non profitetur se sponte subscripsisse. Etiam Eusebius Ancyræ Metropolitá palàm innuit se invitum. Soli Salgamarij Episcopi sponte consenserunt. Ep.62.c.3.

Duodecimum tandem Canonis vitium adsignat sanctus Leo Pontifex, Martiano Augusto scribens Legatos suos *eius caussæ, quæ erat curanda, definitione perfunctos* fuisse tentatos ad consensum. Delegatæ enim caussæ terminus delegatum judicem jurisdictione exuit, atque ità post fidei, quæ sola commissa fuerat, emissum decretum Apostolicis Legatis nulla erat ad condendos Canones potestas. Per similes vias crevit & natus est Patriarchatus Constantinopolinanus. Epist.53.

Quapropter jure Canonem hunc projecit sanctus Leo Pontifex, erratque Eusebius Dorylecnsis Episcopus dicens ad hanc nostram Synodum de tertio Canone Constantinopolitano: *Hanc Regulam sanctissimo Papæ in urbe Roma ego relegi, præsentibus Clericis Constantinopolitanis, eamq́ suscepit.* Errat & Nicetas Nicenus scribens de laudato Pontifice hunc Canonem damnante: *Nihil egit, ex eo enim tempore Constantinopolitani Antistites propria auxerunt.* Etenim longè aliter ad Dardaniæ Episcopos scribit sanctus Gelasius. *Si Acaciani de Imperatoris præsentia blandiuntur, & indè putant Constantinopolitanæ civitatis Episcopi potiorem possefieri personam, audiant Martianum eiusdem Principem civitatis, posteaquam pro augmento urbis ipsius Sacerdotis intercessor accedens contra Regulas obtinere nihil potuit, sanctæ memoriæ Papam Leonem summis laudibus prosecutum, quod Canonum Regulas violari nullâ fuerit ratione perpessus. Audiant Anatolium eiusdem sedis Antistitem, Clerum potius Constantinopolitanum quam se tentasse talia confitentem, atque in Apostolici Præsidis totum dicentem positum potestate.* Perijt aut latet ista Marciani Epistola, ejus tamen compendium habemus in responso sancti Leonis: *Mihi multùm fiduciæ est, Deo per vos operante, collatum, quod probasse vos observantiam meam de custodia Canonum paternorum, Pietatis vestræ affatibus indicastis.* Et in alia Epistola per illustrissimum Lucam Holstenium publicata: *Vestra Mansuetudo meam insinuationem* Epist.13. Epist.59. Epist.21.

 tam

tam libenter accepit, quod tales nunc misit Epistolas, quibus notabilem ambitus culpam alijs potiùs, quam sibi assereret deputandam. Anatolius pro Canone dudum Pontifici variè recalcitravit, laudati tamen Principis jussu tandem, culpam in Ecclesiæ suæ Clericos conijciens, acquievit, uti liquet hocce Papali ad ipsum responso. *Illam culpam, quam de augenda potestate, aliena, ut asseris, adhortatione contraxeras, efficaciùs atque synceriùs tua Charitas diluisset, si quod tentari sine tua voluntate non potuit, non ad sola Clericorum consilia transtulisses: Quia sicut in mala suasione delinquitur, ità in mala consensione peccatur. Sed gratum mihi est, quod Dilectio tua id profitetur sibi displicere, quod tunc etiam placere non debuit.* Ætium Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archi-Diaconum, Philippum Presbyterum, & omnes istic generaliter Clericos fuisse pro hoc ambitu calidissimos docent hujus Synodi Acta. Neque hunc solum, sed & alium longè graviorem, quo Maximum Patriarcham Antiochenum consecrare in Ephesino latrocinio præsumpserat Anatolius, excessum gratiosè donavit Pontifex hâc adjectâ conditione: *Abijciatur penitùs inconcessi iuris, qui dissensionem fecerat, appetitus.*

Ep.71. c.3

Dormivit appetitus ille, quousque vixit Martianus Augustus, Canonum custos pientissimus: Quomodò per ejus mortem denuò evigilârit, scribit ad Dardaniæ Episcopos sanctus Gelasius. *Sub sancta memoria Papa Simplicio Legatus Sedis Apostolica sancta memoria Probus Canusina civitatis Episcopus, Leone Principe tunc petente, docuit nullatenùs posse tentari, neque his prorsùs præbuit consensum.* Ejusdem mentis fuere Episcopi Asiatici, more antiquo Primatem suum ipsi ordinantes, & adversùs Acacium Constantinopolitanum Episcopum scribentes ad Basiliscum Imperatorem: *Oramus, ut Episcopus Constantinopolis, qui nequiter multis in rebus suo officio functus deprehenditur, Canonico & Ecclesiastico Iudicio condemnetur, abdiceturq; Episcopatus gradu.* Pro orthodoxa tum fide & Synodo Chalcedonensi generosè adversùs Basiliscum decertabat Acacius, ideòque de Timotheo Æluro, Pseudo-Episcopo Alexandrino, & Basilisci satellite scribit Evagrius Epiphaniensis. *Timotheus Constantinopoli egressus perrexit Ephesum, redditq; Ecclesia Ephesiana ius Patriarchatus, quod Concilium Chalcedonense ei ademerat.* Ità volebat incommodare Acacio, Paulum Ephesiorũ Episcopum factioni suæ devincire, exufflareq; non solummodò fidem, sed & omnẽ Constitutionem Chalcedonensem. Verùm & Acacius sibi ipsi non defuit, coëgitque Basiliscum ad hanc Palinodiam: *Mandamus Provincias, quarum Episcoporum creatio penes sedem Regia huius & illustris civitatis est, reverendissimo & sanctissimo Patriarcha & Episcopo Acacio restitui.* Sub reduce ad imperium Zenone Augusto datus in reprobum sensum

Epist.13.

Evag.l.3. c.5.

L.3.c 6.

Cap. 7.

sum

ſum Acacius auxit exceſſum, conatus etiam Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas ſedi ſuæ ſubijcere, ac ſeſe in totius Orientis Papale idolum ſublimare, ſcribitque ad Dardaniæ Epiſcopos de ejus ſucceſſoribus & aſſeclis ſanctus Gelaſius. *Propterea Chriſtianam*, exſtincto Acaciano ſchiſmate, *reparari legitimâ curatione refugiunt unitatem, quia occaſionem diſſenſionis huius ſuis ambitionibus ſuffragantem deponere iam recuſant, quia ſine auctoritate ſedis Apoſtolicæ omnium Eccleſiarum paßim iura confundunt, magis eligentes in errore perſiſtere, quam præſumptionum ſuarum perdere facultatem, plus uſurpationum ſuarum licentiam diligentes, quam Divini Iudicij tenentes reſpectum.* Addit Liberatus Diaconus in Breviario: *Licet Sedes Apoſtolica nunc uſque contradicat, quod à Synodo firmatum eſt, Imperatoris patrocinio permanet quodammodò.* Nam etiam poſt exſtinctum ſchiſma Juſtinianus Auguſtus prævaricationi patrocinatus eſt, & tam huic quam tertio Conſtantinopolitano Canonibus prævaricatorijs tribuit auctoritatem legis. Nihilominùs tres Primates retinuêre Primatis & Exarchi titulum, vanum & miſerum ſolatium amiſſæ Autocephaliæ.

Epiſt. 13.

Cap. 13.

CANON XXIX.

EPiſcopum in Presbyteri gradum deducere eſt ſacrilegium. Si qua autem juſta cauſſa illos ab Epiſcopali actione removet, nec Presbyteri debent locum obtinere. Sin autem abſque ullo crimine dignitate moti ſunt, ad Epiſcopalem dignitatem redibunt.

Anatolius religioſiſſimus Conſtantinopolitanus Archi-Epiſcopus dixit: Ii, qui dicuntur ab Epiſcopali dignitate ad Presbyteri ordinem deſcendiſſe, ſi juſtis quidem de cauſsis condemnantur, jure nec Presbyteri honore digni ſunt; ſin autem ſine aliqua probabili cauſſa ad inferiorem gradum depreſſi ſunt, jure, ſi quidem nulli ſunt culpæ affines, Epiſcopatus auctoritatem, & ſacerdotium recipient.

SCHOLION.

EVſtatius Berytenſis in Phœnicia Maritima ſuffraganeus Epiſcopus à ſacro Principis contra Canones Pragmatico dignitatem & in

in aliquot à Tyro Metropoli avulsas civitates potestatem Metropoliticam adeptus, in Photium Metropolitam scandalosè pugnavit: Nam Episcopos civitatibus sibi adscriptis ab illo ordinatos dejecit tamquam ordinatos vitiosè à Metropolita alieno, retrusitque in gradum Presbyteri. Caussa ab Anatolio Constantinopolitano Episcopo judicata denuò ad Romanos in hac Synodo Legatos deducta est, Eustatio gratiosè datum solum Metropolitæ sine potestate nomen, singulariter quæsitum de statu dictorum Episcoporum, dixitque sancta Synodus: *Episcopos eos esse censemus, iustum est eos recipere Episcopatum & civitates, tamquam ordinatos à Metropolita.* Addidit Sebastianus Berthæensis in Thracia Episcopus ad Dominos Legatos: *Hoc omnes deprecamur, ut reddatur eis dignitas, & Episcopatus, & Sedes, & honor, tanquam ordinatis à Metropolita.* Annuerunt Legati, responderuntque hunc Canonem, quem omnis Synodus comprobavit. Episcopi enim dejectio non nisi ob crimen fieri potest: At verò crimen Episcopo sufficiens sufficit etiam deijciendo Presbytero ac Diacono, quoniam de omnibus tribus æqualiter edidit Apostolus hunc Canonem: *Oportet sine crimine esse.*

Act. 4.

Attamen Regula non est plenè universalis. Etenim octavus Canon Nicenus quibusdam è Novatianensi schismate ad matrem Ecclesiam venientibus Episcopis gratiosè reliquit Presbyteri, immò & Chorepiscopi gradum, cumque in caussa Armentarij Metropolitæ Ebredunensis imitata est Synodus Reiensis. Et de Promoto Presbytero, in Dunensi Diœcesis Carnotensis castro per Ægidium Remensem Archi-Episcopum ordinato Episcopo, ac ad Pappoli Carnotensis Episcopi preces dejecto, scribit sanctus Gregorius Turonensis: *Contra Promotum ità iudicium latum fuit, ut Presbyterij tantùm officio fungeretur.* Factum id est à quarta Synodo Parisiensi, publicata per Jacobum Sirmondum. Et Herimanno Bambergensi Episcopo, ob gravia crimina per Gregorium septimum Pontificem dejecto, fuisse relictum Presbyteratum scribit Lambertus Schafnaburgensis. Et Benedicto Sedis Apostolicæ invalori dejecto ad Ottonis Augusti preces indultum Diaconatum laudat Luitprandus Diaconus Ticinensis. Et de Episcopis à Constantino Pseudo-Papa consecratis refert in vita Stephani quarti Anastasius Bibliothecarius: *In Concilio promulgatum est, ut Episcopi illi, si aliquis eorum Presbyter aut Diaconus fuerit, in pristinum honoris sui gradum reverteretur.* Et in prefatione octavę Synodi ait de Photio sanctum Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum exauctorante: *Ignatio tamen usque ad hoc veluti Presbytero Divina sacrificia conficiendi Photius præstabat adsensum.* Executus est Photius vigesimum Trullanum Canonem, vetantem Episcopo publicè docere in civitate aliena:

L.7.c.17.

A. 1075.

L.6.c.11.

Si

Si quis facere deprehensus fuerit, ab Episcopatu desistat, Presbyteri autem munere fungatur.

Et Canonis nostri ratio non est firma. Etenim non solummodò ob crimen, sed & ob solam sine crimine proprio caussam potest deponi Episcopus, uti factum Armentario & Promoto, alijsque ob solam Ordinatoris culpam aut Ordinationis vitium frequenter dejectis. Eos in priorem Presbyterij aut Diaconatus gradum reijci nulla Regula interdicit. Neque aliam dejectionis caussam in Photij Tyriorum Metropolitę Consecratos poterat Eustatius Berytensis intentare. Quin immò & dejectis ob proprium crimen Episcopis misericordiæ sinus quandoque valet sine sacrilegio à Matre Ecclesia ad indulgendum Presbyteratum indulgeri. Quapropter & hic Canon, immò non Canon, sed quædam dumtaxàt Romanorum Legatorum interlocutio fuit semper modicæ auctoritatis.

CANON XXX.

QVoniam religiosissimi Episcopi Ægyptij, non ut Catholicæ fidei adversantes, sanctissimi Archi-Episcopi Leonis Epistolæ subscribere distulerunt, sed dicentes in Ægyptiaca Diœcesi hanc esse consuetudinem, ut præter voluntatem & mandatum Episcopi nihil tale faciant, & petunt concedi sibi dilationem usque ad ordinationem futuri magnæ civitatis Alexandrinorum Archi-Episcopi; justum nobis & humanum visum est, ut ipsis in proprio habitu in imperiali urbe manentibus remissio concedatur, donec ordinatus fuerit Alexandrinus Archi-Episcopus. Vndè in proprio habitu manentes vel fidejussores dabunt, si hoc ab eis fieri potest, vel eorum jurijurando fides habebitur.

SCHOLION.

POst damnatum Dioscorum Patriarcham Alexandrinum solennissimè ab omnibus Episcopis in fidei regulam suscepta & subscripta est dogmatica, quam ille in Ephesino latrocinio dolosè suppresserat, sancti Leonis Pontificis ad Beatum Flavianum Episcopum

Constantinopolitanum Epistolæ: Soli Ægyptij Episcopi manum negaverunt. Fecère solennissimam fidei orthodoxæ professionem, ac Eutychetem, de quo suspecti erant, damnârunt patentissimo anathemate, de laudata verò Epistola dixère ad sanctam Synodum & gloriosissimos judices. *De Epistola sanctissimi & Deo amicissimi Archi-Episcopi Romani Leonis sciunt omnes sanctissimi Patres nostri, quia in omnibus exspectamus sententiam beatissimi nostri Archi-Episcopi, & petimus vestram Clementiam exspectare Præsidis nostri sententiam, quia eum in omnibus sequemur. Nam & sanctissimi Patres, qui in Nicæa congregati fuint, trecenti decem octo hanc regulam dederunt, ut sequatur omnis Ægyptiaca regio Archi-Episcopum magni nominis civitatis Alexandrinæ, & nihil absque ipso agatur ab aliquo ei subiacente Episcopo.* Et infrà. *Petimus vestram Sublimitatem, & hanc sanctam & magnam Synodum, ut misereamini nobis, & exspectetis nostrum Archi-Episcopum, ut secundùm antiquam consuetudinem illius sequamur sententiam. Quia si extra voluntatem Præsidis nostri aliquid faciemus, sicut præsumptores & non servantes secundùm Canones antiquam consuetudinem, omnes Ægyptiacæ regiones insurgent in nos. Ergo miseremini nostræ senectutis: Miseremini, & non faciatis nos in peregrinatione nostram vitam consumere.* Prostraverunt sese in terram, & denuò clamaverunt. *Clementes estis, miseremini nostri. Iam non possumus habitare in Provincia: Miseremini nostri. Occidimur: Miseremini nostri. Morimur, per vestigia vestra: Miseremini nostri. Moriamur à vobis, & non illic. Fiat hic Archi-Episcopus, & subscribimus, & consentimus. Novit Dei amantissimus Archi-Episcopus Anatolius, quia talis consuetudo in Ægyptiaca regione obtinuit, ut omnes Episcopi obediant Archi-Episcopo Alexandriæ.* Laudata ab illis Nicena Regula est Canon sextus, qui quoniam adversùs Meletij Lycopolitani Episcopi præsumptiones definire videtur de solis Ordinationibus, reposuit Eusebius Episcopus Dorylecnsis: *Mentiuntur.* At malè. Canon enim de quovis generaliter jure Patriarchæ Alexandrini dicit: *Servetur antiqua consuetudo.* Congruentior fuit intercessio Florentij Sardensis Lydiorum Metropolitæ: *Ostendant, quod dicunt.* id est, probent ejusmodi consuetudinem. Probârunt autem testimonio Anatolij Episcopi Constantinopolitani, rerum Ægyptiarum peritissimi, utpotè qui fuerat Archi-Diaconus & Apocrisiarius Ecclesiæ Alexandrinæ.

Act. 4.

Nihilominùs paradoxa multis visa est ejusmodi consuetudo. Adversùs eam dixère omnes tres Legati Sedis Apostolicæ. *Tot annorum Episcopi in Ecclesia senescentes usque ad hoc tempus fidem rectam & catholicam ignorant, & exspectant adhuc alienam sententiam?* Et singulariter Lucentius Legatus, Episcopus Esculanus: *Non possunt decem homines*

præ-

praeiudicium facere Synodo sexcentorum Episcoporum. Et Acacius Episcopus Ariarathiæ: *Incongruum est universalem Synodum praetermittere, & in unam personam attendere; qua susceptura est Episcopatum Alexandriæ.* Et Cecropius Episcopus Sebastopolitanus: *Universalis hac Synodus Ægyptiacâ regione maior est ac dignior.* Addidit laudatus Acacius: *Intentio his est, sicut in Epheso perturbaverunt omnia, & scandalis compleverunt universum mundum, & nunc istam sanctam & magnam Synodum perturbare. Petimus, ut non eis concedatur, sed aut consentiant Epistolæ, aut regularem damnationem suscipiant, & cognoscant quia excommunicati sunt.* Et acclamârunt omnes Episcopi: *Hac omnes dicimus, omnes sic sapimus.* Eos de conjurata cum Eutychete & Dioscoro collusione habuere suspectos, ideòque, nisi subscriberent, damnatos voluerunt. Et hinc turbati illi sese projecerunt in terram, precibusque tot & protestationibus Synodum fatigârunt. Eos miseratus Anatolius videtur adductam consuetudinem tandem persuasisse gloriosissimis judicibus, atque ità ab hisce prodijt hæc per Legatos Apostolicos probata interlocutio potiùs, quàm verus Canon.

Hæc verba, *Ipsis in proprio habitu*, id est, in hoc suspenso statu, *in imperiali urbe manentibus*, item hæc, *fideiussores dabunt vel eorum iuriiurando fides habebitur*, impetravit intercessio Paschasini Legati: *Si praeceperit Gloria vestra, & iubetis illis praestari aliquid humanitatis, fideiussoribus datis non exeant de ista civitate, quamdiu Alexandria Episcopum accipiat.* Reposuêre enim judices: *Sanctissimi Paschasini sit firmum iudicium.* Eos sub confirmato per fidejussoriam aut juratam cautionem arresto usque ad novi Patriarchæ ordinationem detinuerunt Constantinopoli, laudatæ sancti Leonis Epistolæ tunc subscripturos, aut damnandos tamquam Eutychianistas. Et hinc factum est, quod adversùs Eutychianistas Ægypti Episcopos, Timotheo Æluro faventes, ad Leonem Augustum scribit cum sua Synodo Evoptius Metropolita Cyzicenus. *Constantinopolitanam Synodum Proterius Deo amabilis tunc Alexandrinæ civitatis Episcopus unà cum eis præsens & ipse firmavit.* Epist. 47.
Novus, inquam, in Dioscori locum Patriarcha Proterius ad accipiendam Episcopalem consecrationem non fuit admissus, nisi cùm omnibus suis Episcopis scripto professus Symbolum Constantinopolitanum, spretum ab Eutyche & Dioscoro, adeòque & Synodum Chalcedonensem, ac præsertim sancti Leonis Epistolam, de qua fuit omnis hic motus.

Quæstio est, An in suos Episcopos Patriarcha Alexandrinus reverà habuerit talem consuetudinem & potestatem? Pro parte negativa facit Liberatus Diaconus Carthaginensis. *Reversi sunt Alexandriam,* C. 14.

 qui

qui cum Dioscoro venerant, Episcopi & Clerici: Athanasius Busirios Episcopus, Nestorius Phlagoneos, Auxonius Sebennetensis, & Macarius Chabasenensis, qui consederant in Chalcedona, & anathematizaverunt Eutychen & eius dogma cum Dioscori damnatione, Epistolæ Papæ Leonis subscribentes, ut cum omnium civium voluntate eligerent ordinandum Episcopum. Non ergò cuncti, sed pauci dumtaxat de Eutychete & Dioscoro suspecti Ægyptiorum Episcopi adduxêre istam consuetudinem, & tamquam dubiæ ac paradoxæ potestatis adsertores fuêre in Regia civitate detenti. Adductus Liberatus dicit fuisse solos Episcopos duodecim, Lucentius Legatus dumtaxat decem; at verò eorum libellus Synodo exhibitus habet subscriptos tredecim. Nempe Liberatus ac Lucentius loquuntur numero rotundo.

Cap. 13. Act. 4.

Pro parte autem adfirmativa facit auctoritas tredecim istorum Episcoporum, ac præsertim Anatolij Constantinopolitani: Quis eos coram plena Synodo credat tam splendidè & adseveranter ausos mentiri? Deindè Ecclesia Alexandrina eosdem fermè cum Romana mores habuit: At verò in Romana viguisse semper ejusmodi Patriarchicam potestatem adfirmare videtur sanctus Petrus Chrysologus, Ravennæ Archi Episcopus, in literis ad Hæresiarcham Eutychetem. *Nos pro studio pacis & fidei extra consensum Romanæ Civitatis Episcopi caussas fidei audire non possumus.* Et Felix Papa tertius in literis synodalibus ad Clerum orthodoxum Bythiniæ & civitatis Constantinopolitanæ, *Quoties intra Italiam propter Ecclesiasticas caussas, præcipuè fidei, colliguntur Domini Sacerdotes, consuetudo retinetur, ut successor Præsulum Sedis Apostolicæ ex persona totius Italiæ Sacerdotum, iuxta solicitudinem omnium Ecclesiarum sibi competentem, cuncta constituat.* Et Romanâ Sede per sancti Fabiani Martyrium vacante, Romanus Clerus de urgentissima Lapsorum caussa interlocutus est quępiam non ferentia moram; nullus verò istic Presbyter aut Diaconus, nullus in omni Occidente Episcopus, ne quidem ipse totius Africanæ Diœceseos Primas sanctus Cyprianus, est ausus quid definire. Et hìnc Romanarum Patriarchalium Synodorum decreta consuesse in solum Pontificis nomen concipi & promulgari docet quarta Synodus Symmachi Papæ. Eandem potestatem fuisse Patriarchæ Antiocheno vides ex Pseudo-Synodo Ephesina, quâ Joannes Antiochenus exauctorare molitus est sanctum Cyrillum & Memnonem Episcopum Ephesiorum. Eam etiam Patriarchæ Constantinopolitano vindicat Theodorus Studita in literis ad conventum Iconoclastam.

Respondeo potestatem hanc etiam in generali Synodo semper fuisse Romano Pontifici, non solummodò in Episcopos ad ejus Patri-

triarchalem Diœcesim singulariter spectantes, sed in omnes penitùs sub cælo. Etenim in suo ad quintam Synodum Constituto Vigilius Pontifex asseverat esse *antiquum & regularem ordinem, ne ante Sedis Apostolicæ promulgationem sententiæ* ullus Episcopus *quidquam proferre tentet*, longè minùs definire. Quod ipsum in sua Patriarchica Synodo habuisse omnem Patriarcham evincunt adducta fundamenta partis affirmativæ. An Alexandrinus etiam in generali totius Ecclesiæ conventu habuerit, ignoro: Nullo exemplo possit ostendi. Crediderim tredecim illos Episcopos, eisque suffragatum Anatolium, argumentatos, at perperam, à paritate rationis, undè & præsens Canon non definitivam, sed dumtaxat interlocutoriam habet auctoritatem.

DISSERTATIO
DE SYNODO CHALCEDONENSI.
CAPUT I.
Synodi occasio, Episcopi, Præses, locus, tempus.

A Chrysaphio Eunucho possessus Theodosius Augustus nullas adversùs Ephesinum latrocinium, inflictaque optimis Episcopis & orthodoxæ fidei gravissima vulnera, aut à sancto Leone Pontifice aut à Valentiniano tertio Augusto admisit instructiones, atque ità transijt ad aliam vitam Consulatu laudati Valentiniani septimo & Gennadij Valerij Corvini Avieni, id est, anno Christi Domini quadringentesimo quinquagesimo, imperij sui quadragesimo secundo, Leonis Pontificis undecimo, die quinto Calendas Augusti. Successit per castum cum ejus sorore germana & sacra professa virgine Pulcheriâ matrimonium Martianus, prudentiâ & fide Romanâ clarissimus, atque ità à novo hoc mundi lumine Eusebius Dorylensis, alijque per Ephesinum latrocinium afflicti Episcopi, ac præsertim Leo Pontifex novam Synodum & læsæ fidei solatia per Legatos expostulavit, meruitque responsum, datum Constantinopoli die decimo Calendas Septembres anni jam dicti. *Sacra literæ*, inquit vetusta & authentica Responsi Epigraphe, *missa sunt à Domino nostro Martiano ad sanctissimum Episcopum Leonem, quibus significabat eos, qui ab eodem viro reverendissimo missi fuerant, hilariter fuisse susceptos: Quare cum omni hilaritate se eò conferre dignetur, & Synodum celebrare; vel si hoc ei grave videbitur, suis literis significet, ut sacris literis Episcopis vocatis, in qua placuerit civitate, fidei convenientia decernantur.* Literæ sunt hujus tenoris. *Si placuerit tuæ Beatitudini in has partes advenire, & Synodum celebrare,*

L. 1. Con. Chalced. Epist. 34.

briare, hoc facere religionis affectu dignetur; si verò hoc onerosum est, hoc ipsum propriis literis tua Sanctitas manifestet, quatenùs sacrâ jussione in locum designandum cogantur omnes Orientis, Thraciæ, & Illyrici Episcopi, *quæ Christianorum religioni atque Catholicæ fidei prosint, sicut Sanctitas tua secundùm Ecclesiasticas Regulas definivit, sua dispositione declaraturi.* Respondit & Pulcheria Augusta. *Tua Reverentia, quocumque modo prospexerit, significare dignetur, ut omnes etiam totius Orientis Episcopi, Thraciæ atque Illyrici, sicut etiam Domino nostro pijssimo Imperatori placuit, in unam civitatem velociter ab Orientalibus partibus valeant convenire, & illic facto Concilio, & de catholica confessione, & de Episcopis, qui ante hac* à latrocinio Ephesino *segregati sunt; te auctore decernant.* Addit Anatolium Constantinopolitanum Episcopum esse fide rectum, prædicatoremque Apostolicæ ad sanctum Flavianum Epistolæ, cum illo sentire ac in plena pace degere universam Constantinopolim; sancti Flaviani corpus ex Lydia delatum ad eandem urbem ac honorificè conditum in sanctorum Apostolorum Basilica, consuetâ sepulturâ Episcoporum Regiæ civitatis, omnes item ab Ephesino latrocinio damnatos Episcopos sacro Pragmatico revocatos ab exilio in suas regiones, futuræ Synodi auctoritate restituendos etiam in sedes. Etenim in imperium evectus Martianus, ante visas quasvis preces aut legationes, mox Leoni Pontifici Majestatis suæ exordia ex more retulit, Romanæ Ecclesiæ *in Divinæ fidei Episcopatu Principatum* professus est, Apostolicæ Sedis adversùs Ephesinum latrocinium decreta, Romanas damnatorum istic Episcoporum appellationes, factamque sancti Flaviani ab eadem Ecclesia canonizationem executus est tamquam verus obedientiæ filius, Anatolium & omnem Regiæ civitatis populum ad recta vestigia compulit, proprioque motu spopondit Pontifice auctore celebrandam Synodum, ac Ecclesiæ statum ab omni vulnere vindicandum, rogans Anatolij Episcopatum, adhuc suspensum & dubium, ex caussis gratiosè confirmari. Nec solus Anatolius, sed & plures alij in latrocinio lapsi Episcopi cæperunt *inconstantiæ suæ veniam postulare, & communionem catholicam per satisfactionem correctionis expetere.* Quocircà ad Dardaniæ Episcopos verè scribit sanctus Gelasius: *Sedes Apostolica, ut Synodus Chalcedonensis fieret, sola decrevit.* Nullâ factâ ad Pontificem jussione, sed solis precibus *Princeps* est cooperatus.

Epist. 55. c. 1.

Epist. 13.

De communi igitur utriusque consensu indicta & convocata est Synodus in Calendas Septembres Consulatu Martiani Augusti & Clodij Adelphij, anno Domini quadringentesimo quinquagesimo primo, primo Martiani Augusti, duodecimo Leonis Papæ, quarto

ante

ante captam urbem à Geiserico Rege Wandalorum. Exultavêre non solummodò orthodoxi, sed & ipsi Eutychianistæ, de quibus Pontifex ad Principem. *Nimis iniquum est, ut per paucorum insipientiam ad coniecturas opinionum & ad carnalium disceptationum bella provocemur: Tamquam disceptatione tractandum sit, utrùm Eutyches impiè senserit, & utrùm impiè Dioscorus iudicârit, qui in sancta memoriæ Flaviani condemnatione se perculit, & simpliciores quosque, ut in eandem ruinam provolverentur, impegit; quorum multis iam ad satisfactionis remedia conversis, & veniam de inconstantiæ trepidatione poscentibus, non cuiusmodi sit fides tenenda, tractandum est, sed eorum precibus qualiter adnuendum.* Assiduè protestatur se in Synodum consentire eâ lege, ut sua ad Flavianum perscripta fides, Eutychetis à sancto laudato facta & à se confirmata damnatio, damnatioque Dioscori & omnis latrocinij Ephesini, nequaquam retractarentur, sed tamquam immobilia Sedis Apostolicæ judicia cum debito honore ab omni sub cælo Ecclesia reciperentur, solummodòque tractaretur, quomodò pacificetur turbata Ecclesia, quomodò Episcopis Ephesi prævaricatis impartiatur vindicta aut medela. De reducto ad mentem Anatolio, de composita Ecclesia Constantinopolitana, de honoratis sancti Flaviani reliquijs, de catholicis Episcopis ab exilio revocatis egit Principi gratias, dicens hunc esse *virtutis eius titulum, pietatis fructum*: Quin & ad ejusdem preces vitiosum Anatolij Episcopatum dispensatoriè purgavit & firmavit, variosque alios Ephesi lapsos Episcopos admisit ad suarum solarum Ecclesiarum communionem; at verò Dioscorum Alexandrinum, Juvenalem Hierosolymitanum, Eustatium Berytensem, reliquosque latrocinij Primates haberi voluit ut communionis exortes, nec ad altare recitari: Nec ad ullam retractationem inflecti unquam potuit, uti liquet ex novissimis ejus literis ad Synodum præsentem. Et apud optimum Principem non fuit opus verbis: Proprio ille motu promiserat synodali dispositione dumtaxat *declarandum, quod* Pontificis *Sanctitas* secundùm Ecclesiasticas Regulas definijsset.

Epist. 42. Epist 44. Epist 40 c. 1. 2 3.

Nihilominùs ob grandem Eutychianistarum in Oriente potentiam, notamque audaciam Dioscori non erat securus Pontifex, Ephesinas denuò turbas ac miserias metuens optabat universos suę Diœcesis Episcopos ad Synodum mittere, cum istis æquo numero certaturos: Rem eo tempore impossibilem, quod Africa sub Wandalis, Gallia & Hispania sub Francis, Gothis, Burgundionibus, alijsque Barbaris jacerent. Hinc aut differri Synodum, aut sanè, quod Theodoretus Cyri Episcopus potenter suadebat, coram oculis suis Romæ fieri postulavit à Principe, suum accessum ad Orientalem Synodum excu-

Epist. 113. 138.

brare, hoc facere religionis affectu dignetur; si verò hoc onerosum est, hoc ipsum propriis literis tua Sanctitas manifestet, quatenùs sacrâ jussione in locum designandum cogantur omnes Orientis, Thraciæ, & Illyrici Episcopi, *quæ Christianorum religioni atque Catholicæ fidei prosint, sicut Sanctitas tua secundùm Ecclesiasticas Regulas definivit, sua dispositione declaraturi*. Respondit & Pulcheria Augusta. *Tua Reverentia, quocumque modo prospexerit, significare dignetur, ut omnes etiam totius Orientis Episcopi, Thraciæ atque Illyrici, sicut etiam Domino nostro pijssimo Imperatori placuit, in unam civitatem velociter ab Orientalibus partibus valeant convenire, & illic facto Concilio, & de catholica confessione, & de Episcopis, qui ante hæc à latrocinio Ephesino segregati sunt; te auctore decernant*. Addit Anatolium Constantinopolitanum Episcopum esse fide rectum, prædicatoremque Apostolicæ ad sanctum Flavianum Epistolæ, cum illo sentire ac in plena pace degere universam Constantinopolim, sancti Flaviani corpus ex Lydia delatum ad eandem urbem ac honorificè conditum in sanctorum Apostolorum Basilica, consuetâ sepulturâ Episcoporum Regiæ civitatis, omnes item ab Ephesino latrocinio damnatos Episcopos sacro Pragmatico revocatos ab exilio in suas regiones, futuræ Synodi auctoritate restituendos etiam in sedes. Etenim in imperium evectus Martianus, ante visas quasvis preces aut legationes, mox Leoni Pontifici Majestatis suæ exordia ex more retulit, Romanæ Ecclesiæ *in Divinæ fidei Episcopatu Principatum* professus est, Apostolicæ Sedis adversùs Ephesinum latrocinium decreta, Romanas damnatorum istic Episcoporum appellationes, factamque sancti Flaviani ab eadem Ecclesia canonizationem executus est tamquam verus obedientiæ filius, Anatolium & omnem Regiæ civitatis populum ad recta vestigia compulit, proprioque motu spopondit Pontifice auctore celebrandam Synodum, ac Ecclesiæ statum ab omni vulnere vindicandum, rogans Anatolij Episcopatum, adhuc suspensum & dubium, ex caussis gratiosè confirmari. Nec solus Anatolius, sed & plures alij in latrocinio lapsi Episcopi cæperunt *inconstantia sua veniam postulare, & communionem catholicam per satisfactionem correctionis expetere*. Quocircà ad Dardaniæ Episcopos verè scribit sanctus Gelasius: *Sedes Apostolica, ut Synodus Chalcedonensis fieret, sola decrevit*. Nullâ factâ ad Pontificem jussione, sed solis precibus *Princeps* est cooperatus.

Epist. 55. c. 11.

Epist 13.

De communi igitur utriusque consensu indicta & convocata est Synodus in Calendas Septembres Consulatu Martiani Augusti & Clodij Adelphij, anno Domini quadringentesimo quinquagesimo primo, primo Martiani Augusti, duodecimo Leonis Papæ, quarto

ante

ante captam urbem à Geiserico Rege Wandalorum. Exultavére non solummodò orthodoxi, sed & ipsi Eutychianistæ, de quibus Pontifex ad Principem. *Nimis iniquum est, ut per paucorum insipientiam ad conie-ctur as opinionum & ad carnalium disceptationum bella provocemur: Tamquam disceptatione tractandum sit, utrùm Eutyches impiè senserit, & utrùm impiè Dioscorus iudicârit, qui in sancta memoria Flaviani condemnatione se perculit, & simpliciores quosque, ut in eandem ruinam provolverentur, impegit; quorum multis iam ad satisfactionis remedia conversis, & veniam de inconstantia trepidatione poscentibus, non cuiusmodi sit fides tenenda, tractandum est, sed eorum precibus qualiter adnuendum.* Assiduè protestatur se in Synodum consentire eâ lege, ut sua ad Flavianum perscripta fides, Eutychetis à sancto laudato facta & à se confirmata damnatio, damnatioque Dioscori & omnis latrocinij Ephesini, nequaquam retractarentur, sed tamquam immobilia Sedis Apostolicæ judicia cum debito honore ab omni sub cælo Ecclesia reciperentur, solummodòque tractaretur, quomodò pacificetur turbata Ecclesia, quomodò Episcopis Ephesi prævaricatis impartiatur vindicta aut medela. De reducto ad mentem Anatolio, de composita Ecclesia Constantinopolitana, de honoratis sancti Flaviani reliquijs, de catholicis Episcopis ab exilio revocatis egit Principi gratias, dicens hunc esse *virtutis eius titulum, pietatis fructum*: Quin & ad ejusdem preces vitiosum Anatolij Episcopatum dispensatoriè purgavit & firmavit, variosque alios Ephesi lapsos Episcopos admisit ad suarum solarum Ecclesiarum communionem; at verò Dioscorum Alexandrinum, Juvenalem Hierosolymitanum, Eustatium Berytensem, reliquosque latrocinij Primates haberi voluit ut communionis exortes, nec ad altare recitari: Nec ad ullam retractationem inflecti unquam potuit, uti liquet ex novissimis ejus literis ad Synodum præsentem. Et apud optimum Principem non fuit opus verbis: Proprio ille motu promiserat synodali dispositione dumtaxat *declarandum, quod* Pontificis *Sanctitas* secundùm Ecclesiasticas Regulas definijsset.

[Epist. 42.] [Epist 44.] [Epist 40 c.1.2 3.]

Nihilominùs ob grandem Eutychianistarum in Oriente potentiam, notamque audaciam Dioscori non erat securus Pontifex, Ephesinas denuò turbas ac miserias metuens optabat universos suę Diœcesis Episcopos ad Synodum mittere, cum istis æquo numero certaturos: Rem eo tempore impossibilem, quod Africa sub Wandalis, Gallia & Hispania sub Francis, Gothis, Burgundionibus, alijsque Barbaris jacerent. Hinc aut differri Synodum, aut sanè, quod Theodoretus Cyri Episcopus potenter suadebat, coram oculis suis Romæ fieri postulavit à Principe, suum accessum ad Orientalem Synodum

[Epist. 113. 138.]

excu-

excusans ex more. Et quoniam plures apud Ephesum lapsi & jam suarum dumtaxat Ecclesiarum communione donati Episcopi postulabant misericordiam ampliorem, Lucentium Esculanum Episcopum ac Basilium Romanæ Ecclesiæ Presbyterum direxit Constantinopolim, qui in deliberationis consortium adsumpto Anatolio Episcopo veraciter
Ep. 44. 46. conversis impartirent remedia plenæ sanitatis. At Principi neque Italia, neque dilatio placuit, ideòque propensissimæ ejus in Deum & reparandam Ecclesiam pietati fisus Pontifex se accommodavit, à nostra interim Gallicana, quam viris doctissimis & fortissimis semper abundasse scribit in libro adversùs Vigilantium sanctus Hieronymus, Ecclesia expostulans synodale de sua ad sanctum Flavianum Epistola judicium, indictæ jam intra Orientem Synodo transmittendum. Eutychianistarum rabiem, quod missis personis non posset, volebat saltem Latinorum Episcoporum literis compescere. Et quidem Epistolam illam non tantùm ut germanissimè orthodoxam, sed & tamquam novum fidei Symbolum, ab omnibus fidelibus memoriæ verbotenùs mandandum, laudavit omnis Gallia; seriùs tamen post dimissam Synodum nostram venit istud nobile suffragium, quod *aurarum præter consuetudinem intemperies* longioribus inducijs morata esset Apostolicum mandatum, datum Ravennio Metropolitæ Arelatensi.

Suos ad Synodum nostram Legatos ac Vicarios exprimit Ponti-
Epist. 50. fex in literis ad Principem. *Bonifacium de Compresbyteris meis ab urbe direxi, & de Episcopis fratrem meum Paschasinum de Sicilia feci navigare, qui vicem meam sufficienter implerent, datis per eosdem Epistolis ad eos,* Lucentium utique & Basilium, *qui legationem ante susceperant, ut ipsi quoque prædictis ad implendas partes præsentiæ meæ iungerentur.* Eosdem
Epist. 43. quatuor laudat in alia ad Principem nec non ad Synodũ Epistola. *Nec me, ut voluit vestra Clementia, ab illo credatis abesse Concilio, cùm in his fratribus, quos direxi, id est, Paschasino & Lucentio Episcopis, Bonifacio ac Basilio Presbyteris, & in fratre meo Iuliano, quē eorum volui esse participē, etiam*
Epist 33. *mea sit existimanda præsentia.* Basilium in literis ad Theodosium Augu-
34. 35. stum vocat *Virum probatissimum, cuius sibi sit nota devotio,* estq; omninò ille ipse, quem unà cum Senatore Presbytero, & Abundio ac Asterio Episcopis legavit dicto Principi Theodosio ad moderandas miserias & excessus latrocinij Ephesini. In Actis synodalibus nulla fit ejus memoria: Existimo aut revocatum aut defunctum. Lucentius fuit Esculanus, Paschasinus Lilyberi in Sicilia Episcopus, Legatorum pri-
Epist 49. mus, de quo Pontifex ad Principem Martianum: *Evocatus est de ea Provincia, quæ videtur esse securior.* Eo enim tempore Geisericus Wandalorum Rex necdum ausus fuerat insulam tentare. Addit Pontifex: Cer-

Certus sum, quod absque odio & gratia sit acturus. Fuisse namque virum doctissimum atque sanctissimum ostendunt aliæ Pontificis ad ipsum literæ, insignisque ejus patientia in extremis malis captæ postmodùm à dicto Barbaro insulæ illatis. Pergit Pontifex de Juliano Episcopo Coënsi: *Consortem fratrem quoque meum Iulianum addentes Episcopum.* Ephesini, cui adfuerat, latrocinij, omnium Ecclesiasticorum in urbe Regia ac omni Oriente negotiorum, latinæque & græcæ linguæ erat ille peritissimus: Attamen Legatus non fuit, sed Legatorum dumtaxàt Consiliarius.

De venturis ad Synodum Episcopis ità habet Sacra Divalis directa ad omnes Orientis, Thraciæ, ac Illyrici Metropolitas. *Tua Sanctitas cum quantis approbaverit Reverendissimis Episcopis sub suo Sacerdotio constitutis sanctarum Ecclesiarum, expertas habentibus Divinas Scripturas, & in scientia & doctrina orthodoxa & vera fidei pra cunctis eminentibus, advenire festinet.* Epiphanius Tyriorum Metropolita in literis ad Synodum Constantinopolitanam sub Menna Patriarcha meritò hanc Synodum vocat magnam, verèque Facundus Hermianensis Episcopus scribit fuisse numerosissimam. Etenim Cecropius Sebastopolitanus Episcopus in quarta Actione dixit fuisse Episcopos mille ducentos, Lucentius autem Romanus Legatus solos sexcentos, adstipulaturque sanctus Leo in literis ad Episcopos Gallicanos. Relatio synodalis ad laudatum Pontificem, & Martiani Augusti ad Palladium Prætorio Præfectum directa adversùs Eutychetem ac ejus monachos lex statuunt solos quingentos viginti. Nicephorus Calixtus vult fuisse sexcentos triginta sex, adstipulaturque Hincmarus Remensis Episcopus in literis ad Ludovicum tertium Francorum Regem, aiens fuisse plusquam sexcentos triginta. At verò Seleucus Amasenus Episcopus ac Helenoponti Metropolita, in literis ad Leonem Augustum exstantibus post hanc Synodum, affirmat fuisse sexcentos triginta, quæ sententia est omninò communis & vera. Eam assiduè leges in antiquis monumentis.

L.1.Con. Chalced. Epist 36.

Act. 5.

L.2.c.6.

Epist 52.

L.3 Con. Chalced. Epist 2.12

L.15.c 26.

Epist.19.

Porrò ex solo Oriente, Thracia, atque Illyrico Episcopos invitavit Marcianus Augustus, quod Africa, Gallia, Hispania, ac omnis fermè Occidens gemeret sub Barbaris spernentibus Romanam Majestatem, ideòque earum regionum Antistites Pontifici eorum Patriarchæ reliquit. Addit Evagrius Epiphaniensis. *Nestorium etiam accersitum Zacharias Rhetor affectione quâdam animi inductus refert:* Utique ad movendam ac promovendam caussæ suæ ab Ephesina Synodo damnatæ retractationem. At illum mentiri evincit vel sola Oasis, in quam ad perpetuam oblivionem fuit Nestorius proscriptus. Addit Eusta-

L.2.c.2.

tius Berytensis Episcopus in literis ad Joannem Episcopum ac in literis ad Joannem Presbyterum. *Huc Chalcedonem adventârunt, qui Nestorij reliquias sedulò perquirunt, & contra Concilium ità ceperunt vociferari:* QVID EST, QVAMOBREM SANCTIS VIRIS DENVNCIATVR ANATHEMA? *Sic ut Imperator rem graviter & acerbè ferens iusserit satellitibus, ut eos indè procul expellerent.* Executus est Pontificis mandatum

Epist. 47. ad Synodum. *Prioris Ephesinæ Synodi, cui sancta memoria Cyrillus Episcopus tunc præsedit, contra Nestorium specialiter statuta permaneant: Ne tunc damnata impietas ideò sibi in aliquo blandiatur, quia Eutyches iustâ execratione percellitur. Puritas enim fidei atque doctrinæ, quam eodem, quo sancti Patres nostri, spiritu prædicamus, Nestorianam & Eutychianam cum suis auctoribus condemnat pariter & persequitur pravitatem.* Futurum prævidebat Pontifex sapientissimus, ut & Nestoriani postulatâ caussæ suæ retractatione turbarent, & Eutychiani quovis quæsito fuco Synodum de Nestoriana lue infamarent, ideòque ambos voluit denuò pariformiter ab illa damnatos. Quapropter benè concludit Evagrius: *Quomodò igitur Nestorius sit accersitus, non possum equidem dicere.*

Locus Synodo destinatus fuit Nicæa Bithyniæ. Ità disertè habet Sacra Divalis. Et laudatus Evagrius. *Sacerdotes primò Nicæam accersiti sunt, adeò ut cùm Leo Romanus Episcopus ad eos literas daret per Paschasinum, Lucentium, & cæteros, quos eò ad suum locum supplendum miserat, eas sic inscriberet:* EPISCOPIS NICAEAE CONVOCATIS. Quod ipsum notat Vaticana generalium Conciliorum editio facta jussu Pauli quinti Pontificis. Addidit Princeps in literis tractorijs ad Ana-

L. 1. Con. Chalc. Ep. 37. tolium Episcopum Constantinopolitanum: *Sciat Religio vestra etiam Serenitatem nostram venerabili Synodo interfuturam, nisi fortè publicæ necessitates in expeditionibus nos detinuerint.* Eo namque tempore Dei flagellum Attila Illyrico imminens ità loqui cogebat. Etiam post lapsas Calendas Septembres & adunatos Nicææ Episcopos extorsit hæc ver-

Epist. 38. ba: *Quia volumus interesse sancto Concilio, retinent verò nos publica & necessariæ utilitates in expeditione* apud Illyricum, *dignetur vestra Religio non arbitrari grave nostræ Tranquillitatis absentiam sustinere, sed orare, quatenùs ea, quæ inter manus habemus, Deo auxiliante, benè disponentes*

Epist 39. *illuc venire possimus.* Consulari interim Bithyniæ Stratego datum est mandatum compescendi turbas, eijciendique Clericos & Monachos non necessarios, à quibus soleant cieri motus. Attamen Apostolici Legati ob cognitum Eutychianistarum genium anxij hærebant in Regia civitate, sine Principe nolentes Nicæam accedere, varij Episcopi *corporis infirmitate ac alijs diversis caussis laborabant*, ideòque Princeps

Epist 40. venire volens, at non valens scripsit ad Synodum. *Licet plurimarum*

publi-

publicarum caussarum nobis sit hic remorandi necessitas, tamen præponendam omnibus curam sanctæ & orthodoxæ fidei iudicamus. Nam & Religiosissimi Episcopi & Presbyteri, qui vice sanctissimi & Deo dilectissimi Leonis Archi-Episcopi fælicissimæ urbis Romæ venerunt, à nostra Tranquillitate petierunt, quatenùs omni modo nos adesse debeamus sancto Concilio, adfirmantes, quoniam non patientur illuc, absente nostrâ Pietate, venire. Secundum petitionem verò vestræ Sanctitatis nos ipsi valdè quærentes velociter vestrum sanctissimum Concilium celebrari, festinamus ad vos quantocyùs advenire. Vndè, si placet vestræ Pietati, ad Chalcedonensem Civitatem venire dignemini: Illuc enim excurremus, licèt hic nos publica caussa detineant.

At ecce supervenit casus funestissimus, de quo Theodorus Ecclesiæ Alexandrinæ Diaconus in libellis Leoni Pontifici & Synodo nostræ exhibitis adversùm crimina Episcopi sui Dioscori. *Ostendam & quod in Nicæa Metropoli ab eo temerariè gestum est. Hic namque sanctissimus Dioscorus, magis autem circa omnia ferocissimus, in consuetudine habens leges prævaricari, nihil arbitrans quod ab ipso in sanctæ memoriæ Flavianum commissum est, insuper ad mala maiora se vertit. Excommunicationem namque faciens contra sanctissimum ac beatissimum Apostolicæ Sedis magnæ Romæ Episcopum, suasit subscribere eis, qui cum ipso de Ægypto venerant, sanctissimis Episcopis plùs minùs numero decem (neque enim ampliores cùm ipso exire ausi sunt propter ea, quæ ab ipso in Epheso contra leges peracta sunt) aliquoties comminans, aliquoties nolentes decipiens. Vndè lacrymantes atque gementes nefandæ illi chartæ subscripserunt.* Ephesinas, ubi sanctum Leonem Pontificem, tamquam judicem Eutychetis appellatione suspensum, è Præsidis throno deturbârat, latrocinales artes cum fœnore resumpsit Legatorum Romanorum absentia & pijssimi Principis occupationibus abusus Dioscorus, cum decem solummodò criminosis Episcopis, compulsis & horridum Eusebianæ factionis facinus aversantibus, ausus est in eumdem Pontificem, tamquam quinti Niceni Canonis ex susceptis Flaviano, Eusebio Doryleensi, ac alijs Episcopis per generalem Synodum damnatis prævaricatorem, latrare vanæ excommunicationis convicium, ità illum denuò excludere Synodo, agereque ipse non Præsidem, sed tyrannum. Adeò non frustrà sapientissimus Pontifex ac ejus Legati timuerant turbas, voluerantque adesse plurimos Episcopos Latinos. Tunc factum est, quod Princeps scribit ad Synodum. *Quoniam Ætio Archi-Diacono Regiæ civitatis sanctissimæ & catholicæ Ecclesiæ referente nostræ Tranquillitati, cognovimus vestram Sanctitatem formidare, ne fortè Eutychetis sectatores, aut alter aliquis seditiones aut tumultus aliquos facere moliantur, ea propter significavimus vobis, ut prædictam caussam nullatenùs formidantes adveniatis in*

Act. 3.

Epist. 41.

 Chal-

Chalcedonensium civitatem. Speramus enim Dei Clementiâ, quia absque aliqua perturbatione aut tumultu, omnibus secundùm orthodoxam & veram fidem iustè & Deo placitè constitutis, unusquisque vestrum ad propria quantocius revertetur. Data est Epistola decimo Calendas Octobres apud Heracleam Thraciæ: Eo enim ex Illyrico, terrorem ac frænum impositurus Dioscoro, accesserat, relictâ ob Deum Republicâ, optimus Augustus, viceque suâ plurimos imperij ac senatus Principes misit Chalcedonem, atque ità octavo idus Octobres fuit illic Synodus inchoata.

Chalcedonem fuisse civitatem amplam ac insignem testatur ipse Princeps in secunda ad Synodum Epistola, dicens eam transferri Nicæâ Chalcedonem, *Ne angustia civitatis Episcopos ampliùs faciat laborare.* Quocircà Chalcedon superabat Nicæam, quam quis nesciat nobilem fuisse & opulentam? Acta synodalia assiduè scribunt: *In Chalcedonensi civitate, Metropoli Provinciæ Bythiniæ.* Per anticipationem. Ete-

Act. 6. nim non nisi post peractam Synodum dixit Princeps ad Patres. *Ad honorem sanctæ Martyris Eufemiæ, & vestræ pariter Sanctitatis, Chalcedonensem civitatem, in qua sanctæ fidei Concilium gestum est, Metropolis privilegia habere sancimus, nomine tantùm hanc honorantes, salva videlicet Nicomediensium civitati propriâ dignitate.* Et acclamârunt omnes Episcopi: *Iustum iudicium Imperatoris, digni tantâ Martyre.* Fidei definitionem etiam à laudata Martyre, in cujus Basilica prodijt, fuisse insigni miraculo honoratam scribit Nicephorus Calixtus: Ejusque lucidam memoriam facit & Relatio synodalis ad S. Papam Leonem.

CAPUT II.

Exponuntur Acta Synodi.

Romanorum Legatorum hæc fuit prima vox ad Gloriosissimos judices. *Beatissimi atque Apostolici viri Papæ urbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus; quibus præcipere dignatus est eius Apostolatus, ut Dioscorus Alexandrinorum Archi-Episcopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur. Hoc nos observare necesse est. Si ergò præcipit vestra Magnificentia, aut ille egrediatur, aut nos eximus.* A solenni Romani Primatus prædicatione ducunt exordium, volentes restaurare insignem illi injuriam & Ephesi & Nicææ à Dioscoro illatam. Adeò duri in tantum Patriarcham Apostolici mandati caussam postulantibus gloriosissimis judicibus reposuit Paschasinus Legatus: *Cùm intromissus fuerit, necesse est, ut illi obyciatur.* Ex quo vides Dioscorum ad primam Legatorum vocem fuisse omninò è Synodi

di confessu ablegatum. Addidit Paschasini Collega Lucentius Episcopus. *Iudicij sui necesse est eum dare rationem, quia cùm personam iudicandi non haberet, præsumpsit, & Synodum facere ausus est sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est.* Et infrà. *Non patimur tantam iniuriam nec vobis fieri, nec nobis, ut iste sedeat, qui iudicandus advenit.* Et denuò Paschasinus. *Nos contra præcepta beatissimi atque Apostolici Papæ gubernatoris Sedis Apostolicæ venire non possumus, nec contra Ecclesiasticas regulas, vel contra Patrum instituta.* Ei, qui Ephesi sese tamquam judicem appellatione suspensum è Præsidis sede contra Divinam Legem atque Apostolicum Canonem detruserat, justissimum talionem reddit sanctus Leo Pontifex, utpotè tyranno per variorum Episcoporum justissimas appellationes veracissimè suspenso, & reo adsumptæ in sacta contra Apostolicæ Sedis jussum generali Synodo Præsidentiæ, quod Lucentius Legatus meritò dixit nunquam factum, nunquam licuisse. Quocircà licèt Legatos de adsumpta simul judicis & accusatoris persona quidam traducerent, in reorum tamen locum è Patriarchali throno dejectus est Dioscorus, crimina sua ex Eusebij Doryleensis Episcopi & aliorum accusantium ore aut libellis auditurus, & tāquā reus de suis in Ephesino latrocinio actis judicādus.

Perrexerunt Gloriosissimi judices. *Ingrediatur & Reverendissimus Episcopus Theodoretus, ut sit particeps Synodi, quia & restituit ei* Apostolicam Sedem Appellanti, dogmaticamque ad sanctum Flavianum Epistolam & supremum Romanæ Ecclesiæ Primatum palàm profitenti, *Episcopatum sanctissimus Archi-Episcopus Leo, & sacratissimus ac pijssimus Imperator,* tamquam Apostolicæ sententiæ executor, *sanxit eum adesse sanctæ Synodo.* De Nestorianæ caussæ patrocinio, & Capitulorum sancti Cyrilli ac Ephesinæ Synodi impugnatione erat Theodoretus famosissimus, ideòque discordârunt de illo Episcopi, quidamque pro illo & Sede Apostolicâ, quidam adversùs illum tamquam Nestorij fautorem longè pessimum exclamârunt admodùm turbidè, & Gloriosissimi judices fuêre coacti ad hanc interlocutionem: *Acclamationes istæ populares neque Episcopos decent, neque partes iuvant.* Admissus nihilominùs est propter Apostolicæ Sedis auctoritatem ad locum & suffragium Episcopi, uti patenter ostendit Facundus Hermianensis Episcopus; attamen, uti ad Histriæ Episcopos scribit Pelagius secundus, *cum resistentium certamine,* & uti gloriosissimi judices addiderunt, L. 5. c. 3.
Reservatâ accusatione. In octava Synodi Actione dogmaticam sancti Leonis Epistolam, dubitantibus de illa Illyricianis Episcopis ac Palestinis lucidè expositam, & coram omni Synodo generosè anteà adsertam, denuò professus est, & Nestorio dixit apertum anathema, at- Cap. 20.

que tunc Apostolica pro ipso sententia est plenissimè comprobata per omnem Synodum, nomen ejus insertum Ecclesiasticis Episcoporum tabulis, ac edita adversùs illam Theodosij Augusti lex, Ephesini latrocinij Acta confirmans, est per Principem Martianum cassata. *Iniqua*, inquit, *sententia nihil obsit Theodoreto, qui eâdem lege continetur: Quoniam non possunt Sacerdotes Constitutione damnari, quos Synodicum ornat de confirmata religione decretum.* Quin sanctus Leo Pontifex solennibus illi literis gratias egit, estque adgratulatus. Attamen Nestoriani perrexerunt jactare ut suum, & Eutychiani odisse & aversari ut Nestorianum. Etenim ad quintam Synodum dixit Constantinus sacri Palatij Quæstor de Sergio Ecclesiæ Cyrensis Episcopo Nestoriano, quod ejus Clerici Theodoreti imaginem rhedæ impositam psallentes cum processione deduxerint, ipse verò Diodori Tharsensis, Theodori Mopsuesteni Episcopi, Theodoreti, ac Nestorij tamquam Martyris festũ egerit, ideòq; per Justinũ Augustũ fuerit ejectus de Episcopatu. At verò Dioscorus Presbyter & Cheremon Lector, Ecclesiæ Alexandrinæ in Regia civitate Apocrisarij, Cresconio & Germano Episcopis, Anastasij secundi Pontificis ad Anastasium Augustum Legatis, dixere sese huc usque fuisse aversatos dogmaticam sancti Leonis Epistolam, quod eam in pravum sensum *interpretati essent hi, qui cum Theodoreto Cyrorum civitatis Episcopo tunc fuerant Nestorianæ hæresis sectatores.* Et Episcopi Severiani dixêre in Collatione Constantinopolitana. *In tantum per dolum Anathematizavit, Chalcedone Nestorium Theodoretus, quia postquom anathematizavit, dixit,* VALETE. Synodum Chalcedonensem tamquam Nestorianam fuerunt detestati, quod à Theodoreto, Iba, alijsque, quos Nestorianos existimabant, Episcopis esset subscripta. Et reverà in Synodo Chalcedonensi Theodoretus ad Episcopos dixit, VALETE. Exponit in laudata Collatione Hypatius Episcopus Ephesiorum. *Volens Theodoretus satisfacere, quemadmodùm saperet, nec tamen permissus est propter anticipatos quosdam atque in eo scandalizatos, postquam vidit non suscipi satisfactionem suam, anathematizans Nestorium & Eutychen addidit,* VALETE. *Cur autem hoc ipsum dixerit,* VALETE, *superiùs manifestavit, dicens:* QVONIAM NEC SEDEM AMBIO, NEC PRO EPISCOPATV SOLICITVS VENI, SED UT PERSVADEAM, QVEMADMODVM CREDO, PROPTER QVOD ANATHEMATIZO, SICVT IVBETIS, ET VALEFACIO VOBIS. *Vndè neque sanctum Concilium, neque Gloriosissimi Iudices ad iniuriam hunc sermonem susceperunt, scientes, quia antequam sanctum illud Concilium fieret, pacificatus esset beato Cyrillo, qui ab eo iniuriatus est in contradictorijs librũ duodecim Capitulorum.* Quinta tandem Synodus composuit quæstionem.

Post Con. Chalc.
Ep. 19. 11.
Epist. 63.
Collat. 7.

Ex-

Exindè nostra Synodus Ephesini latrocinij ac utriusque sub sancto Flaviano Constantinopolitanæ adversùs Eutychen Synodi Acta & Episcopos discussit, occupata *usque ad ultimam vesperam*, tandemque auditis partibus interlocuti sunt Gloriosissimi Judices. *Quoniam Flavianus religiosæ memoriæ, & Eusebius reverendißimus Episcopus ex gestorum & cognitionum scrutatione, & ipsâ voce quorumdam, qui tunc Synodo præfuerunt, confitentium se errasse, & frustra eos damnasse, quia nihil circa fidem monstrantur errasse, ostenduntur iniustè depositi.* Acclamârunt omnes Episcopi integri: *Hæc iusta sententia, iustus Senatus, iustum Concilium, Deus Martyres vindicavit.* Et alio in loco. *Flaviano æterna memoria, orthodoxi æterna memoria, ecce ultio, ecce veritas, Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis oret.* Acclamârunt & ipsi ejus in Ephesino latrocinio damnatores: *Omnes erravimus*, à Dioscoro aut seducti aut compulsi, *omnes veniam mereamur.* Eum omnis passim antiquitas vocat secundum Abel. Quare meritò Martianus Augustus Præcessoris sui Theodosij adversùs illum pro latrocinio Ephesino legem, tamquam *iniquam sceleratorum obreptione extortam sententiam*, cassat & damnat, addens de nostra hac Synodo: *Flaviano & anteactæ vitæ palmam & mortis tribuit gloriosa.* Eum etiam Romana Ecclesia inscripsit suis Sanctorum tabulis: *Constantinopoli, sancti Flaviani Episcopi, qui cùm fidem catholicam Ephesi propugnaret, ab impij Dioscori factione pugnis & calcibus percussus post triduum vitam finivit.* Colit non mortis, sed translationis per Martianum Augustum, ex Epypa, seu Hypepa Lydiæ civitate, factæ diem, quam Nicephorus Calixtus errat factam à Principe Theodosio. Porrò pravæ illius legis extortor fuit Chrysaphius Eunuchus, de quo Comes Marcellinus ad Consulatum Auvieni: *Martianus imperium adeptus est, Chrysaphius Eunuchus, Pulcheriæ Theodosii sororis nutu, sua cum pecunia interemptus est.* Ità optimi Principes imperij sui exordia dedicârunt in sanguine peccatoris.

Act. 3.

Act. 11.

Febr. 17.

L. 14. c. 49.

Pergunt Gloriosissimi Judices. *Videtur nobis iustum esse, si placuerit Divinißimo ac pijßimo Domino nostro, eidem pœnæ Dioscorum reverendißimum Episcopum Alexandriæ, & Iuvenalem reverendißimum Episcopum Hierosolymorum, & Thalaßium reverendißimum Episcopum Cæsareæ Cappadociæ, & Eusebium reverendißimum Episcopum Ancyræ, & Eustatium reverendißimum Episcopum Beryti, & Basilium reverendißimum Episcopum Seleuciæ Isauriæ, qui tunc potestatem & Principatum Synodi tenuerunt, subiacere, & à sancto Concilio secundùm Regulas ab Episcopali dignitate fieri alienos.* Et acclamârunt Episcopi: *Iustum iudicium.* Hæc judicum verba, *A sancto Concilio &c.* Exponit Joannes Germaniciensis Episcopus dicens ad Dioscorum. *Gloriosißimi Iudices & sacratißimus Senatus de-* Act. 3.

cer-

cernens adversùs tuam Reverentiam promulgavit sententiam, si hoc placuisset sanctissimus Episcopus, quibus hanc inferre à Domino Deo creditum est. Adeò olim in generalibus Synodis laici Episcopos non judicabant. Quin immò Dioscoro, Gloriosissimos judices examini suæ caussæ adesse postulanti, respondit Cecropius Sebastopolitanus Episcopus: *Quando Regularia*, id est, Episcoporum in Ecclesiasticas Regulas delicta, *examinantur, neque judices, neque aliquos laicos interesse oportet.* Solis fidei quæstionibus, & quidem merè audiendis, poterant adesse. Legatis itàque Apostolicis simplicem damnandi & judicandi Dioscori licentiam dedêre Gloriosissimi judices; Necessariam, quod sese ille adversùs Synodum Principis protectione munijsset.

Suscepit itàque Synodus accusatorios adversùs illum libellos, non tantùm ab Eusebio Doryleensi Episcopo, sed etiam à Theodoro & Ischyrione Diaconis, Athanasio Presbytero, ac Sophronio fideli laico Ecclesiæ Alexandrinæ, sancti Cyrilli consanguineis, per Dioscorum variè & graviter adflictis; tamquam in quos Cyrillus Ecclesiasticas opes malè contulisset. Tertiò per Legatos Episcopos à Synodo juxta antiquum Canonem ad satisfaciendum citatus Dioscorus est variè tergiversatus, ideòque coacti tandem Legati Apostolici adversùs illum pronunciârunt. *Sanctissimus ac Beatissimus Archi-Episcopus magnæ & senioris Romæ Leo, per nos & per præsentem sanctam Synodum, unà cum ter beatissimo & omni laude digno beato Petro Apostolo, qui est Petra & crepido catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum, nudavit Dioscorum tam Episcopatus dignitate, quàm etiam ab omni sacerdotali alienavit ministerio.* Eamque sententiam omnes omninò Patriarchæ, Primates, Metropolitæ, Episcopi confirmârunt, addentes suo suffragio: *Sicut beatissimus Pater noster Leo per Vicarios suos interlocutus est, his ego concors effectus, &c.* Ex quo vides generalium Synodorum decreta in solum Romani Episcopi nomen condi & edi non esse, uti quidam garriunt, recens posteriorum Pontificum commentum & usurpationem, sed antiquissimum Ecclesiæ Canonem & consuetudinem.

Act. 3.

Porrò crimina, ob quæ dejectus Dioscorus, fuêre varia. Primum est, quod Eutychen sibi similia sapientem, & regulariter in Synodo Constantinopolitana à proprio Episcopo sancto Flaviano damnatum, præsumens sibi in Ephesino latrocinio Primatum, irregulariter in communionem recepisset, & quidem priusquam considêret synodaliter cum Episcopis; atque ità prævaricatus esset & fidem orthodoxam & quintum Canonem Nicenum. Relatio synodalis ad Leonem Pontificem ità exponit. *Multa priùs pessimè operatus Dioscorus priora sequen-*

quentibus superavit. Nam beatum illum inter Sanctos Constantinopolis Pastorem Flavianum, Apostolicam proferentem fidem, & Dei amantissimum Episcopum Eusebium, præter omnem Canonum consequentiam, deposuit atque damnavit, & Eutychen pro impietate damnatum suæ tyrannidis decretis innoxium statuit, & dignitatem, quæ à vestra illi ablata fuerat Sanctitate, illi restituit: Et in summa, sicut singularis ferus in vineam irruens, quam optimam reperit plantationem, evertit; quam verò ut infructuosam eradicatam, rursùs induxit, & eos quidem, qui ea, quæ sunt Patrum, sapiunt, abscidit, eos verò, qui lupi demonstrati sunt, super oves imposuit. Et Relatio synodalis ad Valentinianum & Martianum Augustos. *Eutychi ægrotanti impietate Manichæi, & legitimè abdicato, tam Sacerdotium quam monachorum Principatum ante decretum Synodale irregulariter reddidit. Et hoc, cùm beatissimus & sanctissimus magnæ Romæ Archi-Episcopus Leo per literas convenientia decrevisset, & scelestam Eutychis in Scriptis damnasset perfidiam, dicentis:* CONFITEOR QVIDEM ANTE ADVNATIONEM EX DVABVS NATVRIS DOMINVM NOSTRVM JESVM CHRISTVM, POST UNITIONEM VERO UNAM ESSE NATVRAM. *Et in Dei amantissimum Episcopum Eusebium iniqua commisit. Adhuc autem & quosdam à diversis Concilijs ritè damnatos in communionem propriâ auctoritate suscepit.* Eutychetis damnationem à sede Romana confirmatam exufflare fuit non solummodò quintum Nicenum, sed & Divinum Evangelij Canonem prævaricari. Et hæc omnia fecit *irregulariter, propriâ auctoritate, ante synodale decretum, priusquam cum Episcopis in Epheso consideret.* Numquam enim, uti frequenter inculcat Theodoretus, à scabiosa damnati Eutychetis communione abstitit, & hanc suam prævaricationem per violentam in Ephesino latrocinio tyrannidem firmavit decreto synodali. Facinùs adeò fœdum, ut etiam Severiani Episcopi de illo erubuerint, dicentes in Collatione Constantinopolitana: *Eutychen tamquam actâ forsitan pœnitentiâ Dioscorus iustificavit.* At fabula est, solidè refutata per Hypatium Episcopum Ephesiorum.

Secundum ejus crimen ità exposuère Legati Apostolici. *Super hæc neque Epistolam legi permisit beatissimi Papæ Leonis, scriptam ad sanctæ memoriæ Flavianum, & hoc frequenter rogatus à portitoribus recitari eam, & cum iuramento fieri lectionem promittens: Quâ non lectâ scandalum & læsionem sanctæ Dei Ecclesiæ per totum orbem pertulerunt.* Lapsi enim in Ephesino latrocinio Episcopi post auditam in hac Synodo Epistolam exclamârunt: *Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides, Petrus per Leonem ità locutus est, hæc in Epheso cur lecta non sunt?* Relatio synodalis ad Valentinianum & Martianum Augustos, à Nicolao primo Pontifice in literis ad Michaëlem Augustum laudata, primum & principale Dios- Act. 3. Epist. 9.

 cori

cori crimen fuisse affirmat, *quod Epistolam à Sanctissimo Archi-Episcopo senioris Romæ Leone directam ad sanctæ memoriæ Flavianum recitari prohibuit Episcopis Ephesi congregatis, & hoc post promissiones suas & iuramenta plurima.* Criminis radicem aperit laudatus Nicolaus, dicens Apostolicas de fide literas in generalibus Synodis consuesse non tantùm legi, sed & publicè adfigi, tamquā Episcopis regulam credendi & suffragandi. Et hìnc Hincmarum Remensem Episcopum, literas suas auctoritate Regiâ suspendentem, idem Pontifex secundum Dioscorum appellavit. Quin & S. Ignatium Patriarcham ob similem, fictam tamen, in Benedicti tertij literas injuriam ità appellavit ipse Photius.

Pergunt Legati Apostolici de tertio Dioscori crimine. *Secundis excessibus priorem iniquitatem valdè transcendit. Præsumpsit enim & excommunicationem dictare adversùs sanctissimum & beatissimum Archi-Episcopum magnæ Romæ Leonem.* Et Relatio synodalis ad laudatum Pontificem. *Et post hæc omnia insuper & contra ipsum, cui vineæ custodia à Salvatore commissa est, extendit insaniam, id est, contra tuam quoque Apostolicam Sanctitatem, & excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus Ecclesiæ unire festinas.* Et Relatio ad Valentinianum ac Martianum Augustos. *Super alias suas nequitias & adversùs ipsam Apostolicam Sedem latravit, & excommunicationis literas adversùs sanctissimum ac beatissimum Papam Leonem facere conatus est.* Rectè dicit, *Latravit*, &, *Facere conatus est*: Etenim Romani Episcopi excommunicatio in nullius hominis potestate est, sed in solo hominum, ad extremam impietatis insaniam, caninumque latratum ac rabiem dejectorum, vano & irrito conatu.

De hocce crimine ad Gloriosissimos judices, Dioscorum de Eutychiana hæresi traducentes, reposuit Anatolius Episcopus Constantinopolitanus: *Propter fidem non est damnatus Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit Domino Archi-Episcopo Leoni.* De quo dicto scribit Facundus Episcopus Hermianensis. *Labor nobis est Concilium Chalcedonense contra Nestorianos defendere pro interlocutione sancti Anatolij Constantinopolitani Antistitis, qui Dioscorum confirmatorem Eutychiani dogmatis, & fidei Catholicæ oppressorem dixit non pro fide fuisse damnatum. Vndè nobis Nestoriani dicunt, Quomodò illam Synodum recepistis, in qua non solùm multi, sed etiam potiore loco sederunt Episcopi, qui & ab Eutychianis ordinati sunt, & Eutychis atque Dioscori dogma sectati esse probantur? Aut quomodò adseritis eam pro damnanda Eutychis atque Dioscori perfidia congregatam, cum ibi Constantinopolitanus Anatolius perfidiam Dioscori, quæ illi communis cum Eutyche fuerat, approbavit, pronuncians eum non pro fide damnatum?*

Act. 5.
L. 5. c. 3.

Res-

Respondet idem Facundus. *De interlocutione sancti Anatolij, quam super Dioscori persona protulit, respondemus, quia non ad hæresis crimen pertinere dicendum est aliquâ parte de Dioscoro benè sensisse. Non enim ipsam perfidiam Dioscori sanctus Anatolius approbavit, sed eum potiùs ab ipsa perfidia fieri voluit excusatum. Aliud enim est ideò hæreticum excusare, quod catholicus putetur; & aliud ipsam hæresin approbare atque defendere: Quemadmodùm aliud ideò accusare Catholicum, quod putetur hæreticus; & aliud ipsam improbare ac reprehendere catholicam fidem. Nam potest castitatis approbator atque dilector, non approbatâ fornicatione, fornicatorem, dum in persona fallitur, approbare; & non improbatâ castitate, castum, dum in persona similiter fallitur, improbare.* Anatolius fuerat Dioscori Archi-Diaconus & Apocrisarius, nec non Ephesi ab ipso promotus & consecratus in Episcopum, atque ità consecrationem suam à varijs calumnijs defensurus etiam Dioscorum ab hæresi defendere est conatus. Et sanè fieri possit, quod sola malevolentia, non perfidia ad tantam Ephesinam tyrannidem seduxerit Dioscorum. Quidquid sit, certum est Eutychianam perfidiam ab illo defensam, eum de illa damnatum meritò, atque ità dicta Anatolij interlocutio, quod etiam Facundus fatetur, graviter exorbitavit. L. 7 c. 3.

Adrianus secundus Pontifex, in literis ad sanctum Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum recitatis in Synodo octava, agens de Photij Nicolaum primum Pontificem excommunicare ausi insolentia, Anatolij interlocutionem exponit in sensum penitùs alium. *Vniversalis Chalcedone habita Synodus adeò huiusmodi temeritatem detestata est, ut in sententia, quam in Dioscorum protulit, hoc maximè memorare videatur, cùm de ipso dicit:* SECVNDIS EXCESSIBVS PRIOREM INIQVITATEM VALDE TRANSCENDIT; PRÆSVMPSIT ENIM ET EXCOMMVNICATIONEM DICTARE ADVERSVS SANCTISSIMVM AC BEATISSIMVM ARCHI-EPISCOPVM MAGNÆ ROMÆ LEONEM. *Priorem autem iniquitatem, pravitatem utique dicit hæreticam. Vndè nota, quod Dioscorus secundis excessibus, quos in excommunicatione Romani Papæ dictata patravit, etiam hæresin Eutychianam valdè transcendisse referatur. Hinc & Anatolius ait:* PROPTER FIDEM NON EST DAMNATVS DIOSCORVS, SED QVIA EXCOMMVNICATIONEM FECIT DOMINO ARCHI-EPISCOPO LEONI. Est sensus verissimus, ast ab Anatolio non intentus. Act. 3.

Quartum Dioscori crimen fuit, *quod tertiò per Episcopos regulariter vocatus minimè voluit obedire, propriâ utique conscientiâ stimulatus.* Quam contumaciam plerique in suo suffragio Episcopi admodùm exaggerânt. Rationem dat Relatio synodalis ad Pontificem. *Quoniam Salva-*

vatoris nos profitemur esse discipulos, qui omnes homines salvos fieri vult & ad agnitionem veritatis accedere, opere hanc misericordiam in Dioscoro festinavimus confirmare, & eum cum fraterna mansuetudine ad iudicium vocabamus, non quasi tentantes abscindere, sed excusationis ei locum, salvandi causâ, tribuentes: Et orabamus eum declarari victorem contra eos, qui eum diversis criminationibus accusabant, ut festivâ celebriq́s lætitiâ Conciliũ dimittentes in nullo superaremur à Sathana, sed ille in semetipso inscriptam convictionem conscientiæ habens, refutatione iudicij accũsationibus suis adsensit, & legitimas ad se factas tres evocationes abiecit. Gratiosa potiùs, quàm judicialis fuit evocatio, plenam veniam correcto spondens, idque contra antiquum Canonem, mandantem hæreseon Coryphæis nihil donari, nisi misericordem gratiam laicæ communionis. Nihilominùs non tantummodò impœnitens, sed *& glorians ille permansit in ijs, pro quibus eum oportebat gemere, & se terra prosternere.* A suprà memoratis Ecclesiæ Alexandrinæ Clericis objecta illi sunt & alia crimina: Verùm operosæ erant probationis, & jam adducta quatuor ad judicium sufficiebant, datum die Sabbathi, decimo tertio Octobris. At neque sic homo ferocissimus inclinari potuit: Sprevit judicium, divulgans Episcopatum sibi in brevi, etiam Synodo invita, reddendum. Quin & impurus Eutychianistarum monachorum, quos inter pessimus Barsumas, grex præsumpsit à Principe & Synodo postulare caussæ retractationem, firmarique solum, excluso Constantinopolitano, Symbolum Nicenum: Addidit non Dioscorum solummodò, sed & ipsum Eutychetem passum calumnias de hæresi, ideòque restituendos. Hinc coacta fuit Synodus ad publicandum Edictum, quod immobilis sit dejectio Dioscori, nullaque illi spes restitutionis. Tunc, uti scribit Liberatus Diaconus, deportatus est Gangras in Paphlagoniam, juxta assiduam Synodi exclamationem: *Ægyptium exilio.* Ac tandem in ejus locum ordinatus est sanctus Proterius.

Cap. 14.

Porrò de Episcopis Ephesi per Dioscorum lapsis addunt in sententia Legati Romani. *Illis Apostolica Sedes veniam præstitit de ijs, quæ ibi non voluntariè ab eis gesta sunt, qui & hactenùs permanserunt obedientes sanctissimo Archi-Episcopo Leoni, & omni sancto & universali Concilio: Huius gratiâ & in sua communione eos sicut confideles suscepit.* Quosdam ante Synodum per Lucentium Episcopum ac Basilium Presbyterum, ea de caussa legatos Constantinopolim, quosdam in ipsa Synodo, videlicet Juvenalem Hierosolymitanum, Thalassium Cæsareensem, Basilium Seleuciensem, Eusebium Ancyranum, ac Eustatium Berytensem, vetitos recitari ab Anatolio ad altare, & à Gloriosissimis judicibus traditos damnationi in plenam Synodi potestatem, pro quibus

pæ-

pænitentibus clamârunt Episcopi alij : *Ipsi etiam quinque Episcopi fidei, dogmaticæ S.Leonis Epistolæ, subscripserunt, rogamus eos intrare.* Recepti tandem sunt ad Anatolij intercessionem, rursùmque acclamârunt Episcopi: *Hac integra adunatio, hac pax Ecclesiarum.* Quare ad Theodoretum Cyri Episcopum verè scribit sanctus Leo solum impænitentem Dioscorum, nullum cum illo Episcopum in hac Synodo perijsse. Et Gelasius Pontifex in literis ad Episcopos Dardaniæ: *In Synodo Chalcedonensi Sedes Apostolica Pontificibus innumeris, qui latrocinio corruerant Ephesino, veniam poscentibus sola concessit, & in sua perfidia permanentes nihilò minùs suâ auctoritate prostravit, quam congregatio, quæ illic pro veritate reparandâ collecta fuerat, est secuta. Quoniam sicut id, quod prima Sedes non probaverat, constare non potuit; sic quod illa censuit iudicandum, Ecclesia tota suscepit.* Act. 4. Ep. 13 c. 2.

Restabat fidei definitio ac dogmatica sancti Leonis Epistola, per Eutychetis ac Dioscori fæcem de Nestoriana scabie pessimè diffamata, quam etsi Pontifex nullis retractationibus aut disceptationibus voluerit subijci, dubitantes tamen de illa Episcopos paternè instrui permisit, Episcopósque Illyricanos ac Palestinos instruxerunt laudatus Theodoretus, ac Ætius Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archi-Diaconus, reliquos Anatolio ejusdem civitatis Episcopo instruendos Gloriosissimi judices tradidêre. Permissionis caussam exponit Pontifex in literis ad eundem Theodoretum. *Ne aliarum Sedium ad eam, quam cæteris omnium Dominus voluit præsidere, consensus assentationis videretur, aut alia qualibet obrepere posset adversa suspicio, inventi priùs sunt, qui de iudicijs nostris ambigerent. Et dum nonnulli, dissensionum incitati auctore, ad contradictionis bella prosiliunt, ad maius bonum, malum eius auctore totius bonitatis dispensante, perventum est. Dulcius siquidem munera Divina gratiæ proveniunt, quoties non sine magnis sudoribus acquiruntur.* Etenim jam instructis Episcopis fuit post Nicenum & Constantinopolitanum Symbolum denuò lecta Epistola, admissaque tantis acclamantium gaudijs, ut eam Relatio synodalis ad Martianum Principem vocet fidei orthodoxæ columnam, & addat. *Impenetrabilem in omni errore propugnatorem Deus providit nobis, & Romanæ Ecclesiæ Papam ad victoriam præparavit, doctrinis eum per omnia veritatis accingens, ut quemadmodùm fervens affectu Petrus, & hic affectu ferventiore decertans, omnem ad Deum sensum intelligentiamq́ue perducat.* Texit insignem Epistolæ apologiam adversùs criminatores Eutychianistas, ostendens Divinis Scripturis & Patrum confessioni per omnia conformem. Et Relatio ad ipsum Pontificem: *Vocis beati Petri es omnibus constitutus interpres, eius fidei beatificationem super omnes adducens.* Ep. 63 c. 1.

Etiam fidei decretum nullam regulam, nisi laudatam Epistolam habuit. Formata fuerunt decreta duo. Primum, quod Rusticus Romanæ Ecclesiæ Diaconus, Synodi compilator, noluit *gestis inserere*, placebat Episcopis omnibus, eique à cunctis fuit acclamatum. *Epistolam definitio firmavit: Archi-Episcopus Leo, ut credimus, sic credit. Definitio subscribatur.* Et ipse Eusebius Episcopus Doryleensis: *Alia definitio non fiat.* Et alij plurimi Episcopi: *Aut definitio persistat, aut discedimus.* Soli cum quibusdam Orientalis Diœceseos Episcopis Romani Legati pauculas in illa, ambiguas & equivocationi obnoxias, voces improbârunt, ideòque constanter adversùm acclamatores cunctos ad Gloriosissimos judices fuêre interlocuti. *Si non consentiunt Epistolæ Apostolici ac beatissimi viri Papæ Leonis, iubete nobis rescripta dari, ut revertamur, & ibi Synodus celebretur.* Et judices omninò obedierunt: Fieri mandârunt aliud, Dominis Romanis placiturum, decretum, addentes. *Si hoc non velit vestra Sanctitas, cognoscite, quia in partibus Occidentalibus habet fieri Synodus, eò quod Religiositas vestra hic noluit de vera & orthodoxa fide indubitanter definire.* Quare factum decretum aliud, cui plenè adclamari potuit: *Epistolam definitio firmavit.* Verè itàque ad Michaëlem Augustum scribit Nicolaus primus Pontifex. *Epistola sancti Leonis Papæ apud omnes Orientales Episcopos adeò exstitit venerabilis, ut hanc columnam Orthodoxiæ vocarent, & omnes in ea, Præsule Constantinopolitano Anatolio præcedente, subscriberent: Ità ut Chalcedonensis magna Synodus nil definiisse, nil respuisse, nil suscepisse, nisi quod vel illa vel vices Apostolicæ Sedis ibi reservantes diffinierunt, proiecerunt, vel admiserunt, penitùs agnoscatur.* Tanta apud tantam Synodum fuit Romanæ Sedis potestas. Laudatum decretum egregiè exponit Theorianus, Manuelis Comneni Augusti Legatus, in disputatione cum Niercese Patriarcha Armeniorum.

Act. 5. Epist. 9.

Acta hæc sunt per quinque Actiones seu sessiones synodales, quarum novissima facta fuit undecimâ Calendas Novembris. Easdem Calendas octavo facta est sexta Actio, cui tandem Martianus Augustus cum pijssima uxore Pulcheria interfuit, cunctaque huc usque gesta recitari audivit, probavit, ac à sancto Leone Pontifice confirmanda supplicavit. *Nos*, inquit, *ad fidem confirmandam, non ad aliquam potentiam exercendam, exemplo religiosi Principis Constantini, Synodo interesse volumus, ne vel ulteriùs populi pravis suasionibus separentur.* Adeò Augusti Principes olim Synodis non præsederunt. Hoc anno factum est, quod scribit Aurelius Cassiodorus in Chronico: *Romani, Ætio duce, Gothis auxiliaribus, contra Attilam in campis Catalaunicis pugnârunt, qui virtute Gothorum superatus abscessit.* Eum priùs, pietatem mu-

munerante & adjuvante Deo, Marcianus ex Illyrico fugârat, atque ità tandem potuit, quod semper optarat, Synodo adesse.

Et in hac Actione fuit omninò finita Synodus, uti solidè in literis ad Eliam Aquilegiensium Metropolitam ac Histriæ Episcopos ostendit Pelagius Papa secundus. Etenim in hac Actione persuncti mandato Apostolico ac omni synodali officio Episcopi clamavére ad Principem: *Supplicamus, dimitte nos; pie Imperator dimitte nos.* Respondit verò Princeps: *Multùm quidem estis itinere fatigati, laborem perferentes, verumtamen sustinete adhuc tres aut quatuor dies*, utique ad finiendas speciales quasdam Episcoporum atque Ecclesiarum lites & caussas. C.17.18. 19.
Et ad Constantium Metropolitam Mediolanensem scribit sanctus Gregorius magnus: *In quinta Synodo de personis solummodò; non de fide aliquid gestum est, & de his personis, de quibus in Chalcedonensi Concilio nihil continetur, sed post expressos Canones facta contentio, & extrema Actio de personis ventilata est.* Et in literis ad Secundinum monachum. *Sancta Chalcedonensis Synodus usque ad definitionem fidei & prolationem Canonum de generalibus caussis locuta est: Nam post prolationem Canonum specialia Episcoporum certamina sopire curavit.* Generalium Synodorum mos est, inquit laudatus Pelagius secundus, peractis fidei definitionibus Canones condere, atque ità conventum finire, *ut servato ordine priùs ad fidem corda ædificent, & tunc per Regulas Canonum mores Ecclesiæ actusq; componant*: At verò nostra sexta Actio fidei definitionem conclusit, tres Canones edidit, & petijt abeundi licentiam: Ergo & istic Synodus seipsam finivit. Pergit Pelagius, *Quia verò & apud Episcopos; qui in Chalcedone resederunt, in veneratione Synodus non nisi usque ad fidei definitionem fuit, per hoc apertè ostenditur, quod plerique Græci antiquiores codices continere Synodum non nisi in sex Actionibus, subiunctis Canonibus, demonstrantur, ut omninò cætera, quæ privato studio fuerant mota, non habeant.* Probat ex literis Alipij Cæsareensis in Cappadocia Primatis ad Leonem Augustum, testantis à suo Antecessore Thalassio solam fidei definitionem, id est, solas sex priores Actiones fuisse in Provinciam delatas. Porrò tres Canones sextâ Actione editi sunt inter triginta à nobis explanatos tertius, quartus, & vigesimus. Quæ omnia ob futuras de quinta Synodo quæstiones sunt benè notanda. L.3.Ep.37. L.7.Ind.2. Ep.54. C.17.

CAPUT III.

Exponuntur Acta Episcoporum post Synodum.

PRima quæstio fuit inter Photium Tyriorum Metropolitam & ejus suffraganeum Eustatium Episcopum Berytensem, qui à sacro Theo-

Theodosij Principis Pragmatico non vacuum Metropoliticæ dignitatis nomen, sed & potestatem extorserat in Biblon, Botryn, Tripolim, Orthosiaden, Arcas, & Autaradon, civitates Tyriæ Metropoli subtractas. Berytus à Tyria, quæ Ibæ Edesseni Episcopi caussam discussit, Synodo vocatur *Pulchra civitas*, eamque novâ Ecclesiâ & novâ Episcopali domo ornârat Eustatius, & hâc viâ etiam in Metropolim impetrârat elevari. Caussam priùs Constantinopoli in collecta ex advenis Episcopis Synodo judicârat Anatolius, definiens Ecclesiasticas, quas ex consuetudine Augustus facit, Metropoles esse solius honoris ac nominis: Verùm quia non ad Constantinopolitani, sed ad Antiocheni Patriarchæ Diœcesin ac tribunal spectabat prima Phœnicia, nutabat istud judicium, ideòque submissum est huic Synodo retractandum, & ab ipsa, quia justum, confirmatum in hæc verba. *Photius Reverendissimus Episcopus Tyriorum Metropolis omnem potestatem ordinandi in omnibus civitatibus primæ Phœnices Provinciæ habebit; Eustatius verò Reverendissimus Episcopus è sacro Pragmatico typo nihil ampliùs sibi vindicet, quam reliqui Episcopi eiusdem Provinciæ.* Confirmata est & hæc Cecropij Sebastopolitani apud Gloriosissimos judices intercessio adversùs quotidianum & Canonibus inimicissimum Metropoliticæ dignitatis à Principe ambitum. *Ne Potestas vestra accusationem & querimonias à quacumque persona accipiat, & fatigetur, ne nos conteramur, petimus ut sine contradictione cessent ea Pragmatica, quæ in detrimentum Canonum à quibusdam facta sunt in omni Provincia, Canones autem per omnia teneant. Sic enim & fides custoditur, & unaquæque Ecclesia tutum statum habebit: Ac ne liceat aliquos præter Canones ordinare.* Et adclamavit universa Synodus. *Omnes eadem dicimus. Vniversa Pragmatica cessabunt: Regulæ teneant.*

Inserta hæc habentur in quartam Synodi Actionem: At certum est facta post Actionem sextam. Liquet vel ex sola adducta intercessione Cecropij. Ad eam enim interlocuti sunt Gloriosissimi judices: *De quibus interlocutio facta est, effectui mandabuntur*, id est, hoc præsens decretum redigetur in Canonem, redactumque est in Canonem duodecimum, factum patenter non sextâ Actione, sed in decima quinta.
L. 7. Ind. 2 Epist. 54. Et sanctus Gregorius magnus in literis ad Secundinum monachum disertè dicit à prioribus sex Actionibus solas caussas generales, omnesque speciales priùs postmodùm tractatas & decisas. Perperam igitur hæc intrusa sunt in Actionem quartam. Neque mireris. Etenim & & Pelagius secundus in literis ad Eliam Aquilegiensium Metropolitam testatur sextam Actionem à quibusdam codicibus dividi in duas, adeòque veris gestis synodalibus septem Actiones describi. Et Facundus

dus Hermianensis Episcopus scribit Actionem tertiam apud quosdam præponi secundæ. Esse malum vetustum ostendit hæc primæ Actionis subnotatio. *Explicit prima Cognitio Chalcedonensis Concilij, quæ finita, emendata, & collata est anno Domini quadringentesimo quinquagesimo sexto, duodecimo Calendas Aprilis, feria quarta, indictione nona. Rusticus per gratiam Dei Diaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ contuli, annotavi, distinxi.* Et ad Julianum Coënsem Episcopum scribit sanctus Leo. *Gestorum Synodalium, quæ in omnibus diebus Concilij in Chalcedonensi civitate confecta sunt; parùm clara propter linguæ diversitatem apud nos habetur instructio: Et ideò Fraternitati tuæ specialiter iniungo, ut in unum Codicem universa facias congregari, in Latinum sermonem absolutissimâ interpretatione translata, ut in nulla parte Actionum dubitare possimus, neque ullo modo esse possit ambiguum, quod ad plenam intelligentiam te fuerit studente perductum.* Data est Epistola *Opilione viro Clarissimo Consule*, id est, anno Domini quadringentesimo quinquagesimo tertio. Quocircà laudatus Julianus videtur mandata non adimplevisse: Hinc enim tribus post annis Rusticus Diaconus *contulit, annotavit, distinxit.* Eadem Actorum confusio apud alias Ecclesias haud dubiè fuit major. Et apud nos & àpud Græcos fuisse semper in tres libros divisa liquet ex secunda Actione Synodi sextæ, ubi Antiochus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Lector & Notarius legisse dicitur eorum librum primum. Laudata Rustici Diaconi subnotatio ostendit modum per Christi Domini annos computandi in Romana Ecclesia dudùm fuisse ante Dyonisium Exiguum. Ep 56.c 3.

Alteram à septima Actione decisam quæstionem exponit Maximus Patriarcha Antiochenus. *Placuit mihi & Reverendissimo Episcopo Iuvenali post multam contentionem per consensum, ut sedes quidem Antiochensium maximæ civitatis beati Petri habeat duas Phœnicias & Arabiam; Sedes autem Hierosolymorum habeat tres Palestinas.* Et post auditos Primates Episcopos Gloriosissimi judices. *Et hoc opus fuit sanctæ Trinitatis, & propositi Divinissimi & piissimi Principis nostri, quatenus ea, quæ in lite erant apud eos, qui contendere videbantur, concordi proposito deciderentur. Per placitum igitur Maximi sanctissimi Antiochensium civitatis Episcopi & Iuvenalis sanctissimi Hierosolymorum Episcopi facta consensio, sicut utriusque attestatio declaravit, firma etiam per nostrum decretum & sententiam sancti Concilij in omni tempore permanebit: Hoc est, ut Maximus quidem sanctissimus Episcopus seu Antiochensium sanctissima Ecclesia duas Phœnicias & Arabiam sub propria habeat potestate; Iuvenalis autem sanctissimus Hierosolymorum Episcopus, sive sanctissima Ecclesia, quæ sub eo est, tres Palestinas itidem sub propria habeat potestate, vacantibus scilicet,*

secundùm iussionem Divinissimi & Pyssimi Principis, omnibus Pragmaticis, & quocumque modo sacris ab utraque parte literis impetratis, insuper & multatione, quæ in huius rei caussa noscitur contineri.

Ecclesiarum rapinis atque invasionibus semper adsuetus Juvenalis non solummodò tres Palæstinas, sed & duas, maritimam sub Tyrio, & Libanesiam sub Damasceno Metropolita, Phœnicias, & Arabiam subtraxerat Patriarchæ Antiocheno. Tres fuerunt Arabiæ: Fælix, deserta, & Bostrensis, dicta à Bostra Metropoli. Etenim huic nostræ Synodo subscribitur *Constantinus Episcopus Bostrenæ civitatis Metropolis Arabiæ.* Et conventiculo Ephesino Joannis Patriarchæ Antiocheni *Antiochus Bostrorum Metropolitanus.* Neque refert, quod nostræ Synodo subscribat etiam *Eulogius Episcopus Philadelphiæ Metropolis Arabiæ.* Exponit enim sanctus Hieronymus in Commentarijs Nahum Prophetæ:

Cap 3. *Ammon hodie vocatur Philadelphia.* Et in Commentarijs Prophetæ Sophoniæ:

Cap. 2. *Ammon, quæ & ipsa urbs Arabiæ, secunda post Bosram, Philadelphia dicitur.* Erat Metropolis solo nomine & honore. Quare errant, qui Petram existimant fuisse olim Arabiæ Metropolim, & Bosram priùs exaltatam à Justiniano. Etenim à Synodo Sardicensi & sancto Athanasio laudatur Asterius in Petra Arabiæ Episcopus, dura passus ab Eusebianis, lucidèque insinuatur fuisse dumtaxàt Episcopus Provincialis. Arabia deserta carebat Ecclesijs, Fælicem Romani numquam habuerunt, ideòque Romana Acta unius dumtaxàt meminêre. Ecclesia Arabiæ fælicis erat barbarica.

Et hanc suam invasionem diversis Pragmaticis, & sacris, etiam pænalibus, jussionibus firmari impetrârat Juvenalis, adversásque Pragmaticas & jussiones elicuerat etiam Ecclesia Antiochena. Lis dura & longa, ideòque præsenti concordato, quod etiam probârunt Legati Apostolici, tandem exstincta. Verùm non probavit, uti etiam in literis contra Hincmarum Laudunensem Episcopum advertit

Epist. 33. c. 23. Hincmarus Metropolita Remensis, sanctus Leo Pontifex. Hocce enim etiam concordatum omninò respicit in literis ad Maximum Pa-

Epist 62. c 3.4. triarcham Antiochenum. *Dignum est te privilegia tertiæ sedis agnoscere, ut in nullo cuiusquam ambitione minuantur: Quia tanta apud me est Canonum Nicenorum reverentia, ut ea, quæ sunt à sanctis Patribus constituta, nec permiserim nec patiar aliquâ novitate violari. Et facilius erit quarumlibet consensionum pacta dissolvi, quam prædictorum Canonum Regulas ex ulla parte corrumpi.* Mox exprimit nomen & ambitum Juvenalis. Et reverà sexto ac septimo Niceno Canoni pactum istud adversabatur. At parvi id fecit homo ambitiosus. Etenim sub Leone Augusto Synodum Præses fecit, cui Irenæus Metropolita Cæsareensis & conse-

quen-

quenter trium Palestinarum Episcopi subscripsêre. Et ad Synodum Constantinopolitanam sub Menna Patriarcha scripsit Joannes Hierosolymæ Episcopus, ejusque Synodo subscribunt Joannes Cæsareensis, & Theodosius Schytopolitanus Metropolita, eorumque omnes Episcopi. Idem Theodosius & Elias Cæsareensis cum suis Episcopis subscribunt Synodo Petri Episcopi, tamquam Patriarchæ. Et in quinta Synodo Justinianus Augustus confirmavit invasionem, dissimulavitque Romana Ecclesia, uti liquet ex varijs literis Hormisdæ Pontificis, Martini primi literis ad Ioannem Episcopum Philadelphiensem, ac Responsis Nicolai primi ad quæstiones Bulgarorum. Rationem dat Justinus Augustus in Relatione ad laudatum Hormisdam: *Ecclesiæ Hierosolymitanæ omnes favorem impendunt, quasi matri Christiani nominis, ut nemo audeat ab ea sese discernere.* Exindè non tantùm Patriarchalis, sed & Apostolica sedes perrexit appellari. Posterioribus sæculis ei subfuisse etiam Tyrium, Nazarenum, ac Petrensem Metropolitas scribit Matthæus Paris. Videatur & Gulielmus Tyri Metropolita in Historia belli sancti, attamen errori obnoxius, & cautè illic legendus. Epist. 5. Relat. 1. post E. 74. A. 1099. L. 14. c. 14.

Actio octava discussit ac retractavit caussam Theodoreti Cyrensis Episcopi, eumque professum veram fidem, & Nestorianæ caussæ ac personæ dicentem lucidum anathema reposuit definitivè in sedem Episcopalem. Item Sophronium Constantinensem in Eufratesia provincia, Joannem ibidem Germaniciensem Episcopum, & Amphilochium Sidensem in Pamphylia, suspectum de Eutychete.

Nona Actio & decima retractârunt Synodòs Tyriam ac Berytensem de Iba Metropolita Edesseno, ejusque famosam Epistolam & omnem caussam, de qua fuit hæc, definitiva sententia Legatorum Romanorum, probata per omnem Synodum: *Relectis chartis, agnovimus ex sententia reverendissimorum Episcoporum*, Photij Tyrij & Eustatij Berytensis, *Ibam reverendissimum innoxium approbari. Relectâ enim eius Epistolâ, cognovimus eum esse orthodoxum. Et ob hoc decernimus & honorem Episcopatus, & Ecclesiam, à qua iniustè & absens expulsus est* per Ephesinum latrocinium, *ei restituendam. De sanctissimo igitur Episcopo Nonno, qui pro eo paulò antè factus est, existimationis erit venerabilis Episcopi Antiochena Ecclesia, quid oporteat de eo servari.* Nonnus enim dejecto Ibæ fuerat superordinatus, & huc usque tamquam Edessenus Episcopus interfuit & subscripsit Actis synodalibus: Eum cedere cogit Synodus, traditque arbitrio Patriarchæ Antiocheni.

Decima Actio discussit item benevolentiam Maximi Patriarchæ Antiocheni in Domnum Antecessorem suum, Ephesi dejectum, & à

 san-

ſancto Leone Pontifice in miſeria iſta ex cauſſis confirmarum. *Laudo & ego*, inquit Anatolius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, *condolentiam beatiſſimi Epiſcopi Antiochiæ Maximi, in quibus ſpontaneâ voluntate ipſe tales precatorias obtulit, ut ſumptus præſtaret Domno, qui fuit Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ, quæ ſub eo eſt, præter hoc prædicto nihil requirente.* Adeò antiquæ ſunt Eccleſiaſticæ penſiones.

Actio undecima & duodecima finiunt longam litem Baſſiani & Stephani contendentium de Epiſcopatu Epheſino. Baſſianus à Juvenili ætate vivens pauperibus, Epheſinæ Eccleſiæ Presbyter languentibus & ulceratis ptochium fecit ſeptuaginta lectorum, ideòque ab omni populo dilectus cecidit in Memnonis Epiſcopi invidiam, & invitus ab illo, quò amoveretur Epheſo, ordinatus eſt Epiſcopus Evazorum. *His*, inqnit, *ità geſtis ego ſic permanſi, neque ad civitatem vadens, neque penitùs Eccleſiæ illi communicans, in qua nominatus fueram, neque ipſam videns civitatem.* Memnoni intereà ſuccedit Baſilius, qui violentam Ordinationem miſeratus viro, quaſi juxta Canonem de Epiſcopis à populo ſuo non receptis, dedit nomen, honorem, & communionem Epiſcopi, ac Evazis alium ordinavit. Dico, *Quaſi ex Canone.* Canon enim nequaquam favet Epiſcopis populum ſuum accedere nolentibus, ſed ſolis ab illo rebelli non receptis. Pergit Baſſianus. *Contigit & Baſilium vitæ finem accipere, me autem cum multa neceſſitate & vi Inthronizarûnt Epheſi populus, & Clerus, & Epiſcopi* Aſiatici, adverſùs Epiſcopi Conſtantinopolitani attentata & invaſiones zeloſi & vigiles pro Eccleſiæ ſuæ Primatialis autocephalia. Nihilominùs non tantùm à Theodoſio Auguſto, ſed & à Proclo Conſtantinopolitano Epiſcopo Epiſcopatum ſibi confirmari impetravit Baſſianus, Regiam accedens civitatem, atque ità per quatuor annos quietè ſedit. Interim de intruſione apud ſanctum Leonem Pontificem accuſatur, utpotè ex Evazis tranſlatus, & per collectam Arenariorum ac ſimilis fæcis violentam multitudinem ab uno Olympio Epiſcopo Theodoſiopolitano in tantam Metropolim contra Canones & morem injectus, non inthronizatus. Etiam Eccleſiæ pauperes dicebatur oppreſſiſſe. Quocirca à Pontifice juſſus eſt deijci, ejuſque judicium ſanctus Flavianus Conſtantinopolitanus, Dioſcorus Alexandrinus adhuc catholicus, & Domnus Antiochenus Epiſcopus comprobârunt, atque ità horum omnium curator Stephanus Presbyter illum miſit in vincula, & per Epiſcopos illi adverſantes fecit ſeſe conſecrari. Meliphtongus Juliopolitanus Epiſcopus ex antiqua, quâ & ſeſe ſanctus Cyprianus defendit adversùm Feliciſſimi rebellis Diaconi factionem, quadriennalis poſſeſſionis regula eſt pro Baſſiano interlocutus: *Oportebat eum, qui*

qua-

quatuor annis sine contentione Episcopatum obtinuit, aut accusari, aut sine iudicio ità non iactari. Et placuit plurimis Episcopis acclamantibus: *Iustitia Bassianum vocat.* At verò Legati Apostolici judicârunt Bassianum *per invasionem*, Stephanum *per pravas adinventiones & conjurationes* promotum, utrumque contra Canones, obtinuitque hæc eorum sententia. *Removeantur à sancta Ephesiorum Ecclesia Bassianus & Stephanus reverendissimi, habeant autem dignitatem Episcopi, & de redditibus memoratæ sanctissimæ Ecclesiæ, nutrimenti gratiâ & consolationis, annis singulis solidos aureos ducentos accipiant.* Alium Ephesijs Episcopum ordinare parans Anatolius Constantinopolitanus est ab Asiaticis Episcopis ad sextum Nicenum Canonem provocantibus generosè repulsus.

Actio decima tertia definit caussam Eunomij Nicomediensis adversùs Anastasium Metropolitam Nicenum de Ordinatione Episcopi Basilinopolitani. Basilinopolim Nicenæ civitatis regionem seu oppidum Julianus Augustus in civitatem erexit, salvo jure & communione Nicenæ Curiæ: *Etenim si fortè defuerit in Basilinopoli Curialis, de Nicæa mittitur ibi, & rursùs de Basilinopoli transfertur in Nicæam.* Hinc Nicenus Episcopus salvam voluit & suam priorem potestatem, dictæque novæ civitatis Episcopum à se, non à Nicomediensi ordinandum, præsertim cùm & ipse esset Bythiniæ Metropolita, *Sunt Epistolæ*, inquit præfatus Anastasius, *beati Ioannis Chrysostomi, Episcopi Constantinopolitani ad Nicenum Episcopum, ut iret & emendaret Ecclesiam, tamquam sibimet competentem.* Nempè Metropolitæ Nicomedienses Episcoporum Constantinopolitanorum invasionibus generosè restiterant huc usque, ideòque isti Nicenum adversùs illos adjuvabant, ex antiqua paræmia: *Divide, & imperabis.* At verò Eunomius provocavit ad Nicenos Canones, mandantes uni Provinciæ esse unum dumtaxàt Metropolitam, atque ab illo omnes Provinciales Antistites consecrari. Addidit Nicæam ex Valentiniani ac Valentis Augustorum diplomate esse, citra Nicomediensium præjudicium, solo nomine & honore Metropolim, atque ità à cunctis Ponticæ Diœceseos Collegis obtinuit hoc testimonium. *Canones unum faciunt Metropolitam antiquiorem: Et manifestum est, quoniam Episcopo Nicomediæ Ordinationes competunt, & quia leges etiam nomine Metropolis solummodò honoraverunt Nicenam civitatem, & præponitur reliquis Provinciæ honore solummodò.* Et hanc à Synodo sententiam. *Auctoritatem Metropolitani inter Ecclesias Provinciæ Bythiniæ Nicomediensis habebit Episcopus, Niceno habente honorem Metropolitani tantummodò, subiacente autem ad exemplum aliorum.*

: At intercessit Ætius Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archi-Diaconus, apud Glorisissimos judices protestatus. *Suggerimus vestra Magnificentia rogantes, ut nullum praiudicium Constantinopolitana sanctißima Ecclesia fiat ex his, qua nunc proferuntur. Sanctißima enim Constantinopolitana sedes aut Ordinationem ipsa facit Basilinopoli cum reliquis, aut eam permittit fieri, sicut literis, qua fiunt, vel facta sunt sapiùs, ostendere possumus.* Respondit verò Synodus: *Canones teneant, Canonibus satisfiat.* Et Domini Judices: *Quacumque sedi Constantinopolitana de Ordinationibus Provincia competunt, suo ordine examinabuntur.* Et Eunomius Episcopus Nicomediensis: *Diligo Archi-Episcopum splendidißima Constantinopolis, obtinentibus utique Regulis*, id est, salvis Canonibus Nicenis. Ex quo vides omnem consensum, datum à trium Diœceseon Metropolitis in Canonem vigesimum octavum, fuisse vi extortum.

Actio quarta decima definit caussam Athanasij ac Sabiniani contendentium de Episcopatu Parthensi in Provincia Eufratesia. Athanasium à Panolbio Hierapolitano Episcopo Metropolita, nec non à Domno Patriarcha Antiocheno damnatum reposuerat, ac ei suffectum Sabinianum, inauditum & non vocatum, ejecerat in Ephesino latrocinio Dioscorus, laudato Domno ac omnibus Orientalis Diœceseos Episcopis juratus hostis, ideòque Sabiniani caussa videbatur lucida & facilis. Quia tamen de nullo crimine confessus aut convictus, sed dumtaxàt in contumaciam, coram judicibus, uti aiebat, adversarijs evocatus adesse nolens, damnatus fuerat Athanasius, percussus hìc non fuit judicio definitivo. Cassatâ sententiâ latrocinali, Sabinianus, utpotè in hominis synodaliter dejecti locum canonicè ordinatus, jussus est provisionaliter manere Episcopus, additumque de Athanasio. *Caussas ei illatas examinandas esse decernimus apud sanctißimum Episcopum Antiochia Maximum, & Concilium, quod cum eo est; ità tamen, ut intra octo menses, à prasenti die numerandos, examinatio fiat: Et si quidem convictus fuerit, non solùm eum alienum esse ab Episcopatu, sed etiam legibus publicis subdendum. Si verò intra hoc tempus non agatur adversùs eum, neque convincatur; Episcopatum recipiat & Ecclesiam: Sabinianus verò & dignitatem Episcopatus habeat, & substitutus sit, & pascatur, sicut Episcopus Antiochenorum Maximus, secundùm facultatem Parthenorum Ecclesia, disposuerit.* Actio quinta decima edidit Canones, decima sexta audijt Legatorum Romanorum intercessionem contra Canonem vigesimum octavum.

De Eutychetis Hæresiarchæ persona nullam Synodus facit penitùs mentionem. Suum ac sancti Flaviani de illo judicium voluit sanctus Leo esse irretractabile, ideòque, Marsiano ad imperium evecto & latro-

trocinij Ephesini ruinas juxta Apostolicæ Sedis decreta reparante, mox scripsit ad Pulcheriam Augustam. *De Eutyche, totius scandali & pravitatis auctore, hoc Clementia vestra præcipiat, ut ab eo loco, qui Constantinopolitanæ urbi nimis vicinus est, longiùs transferatur: Ne frequentioribus solatijs eorum, quos ad impietatem suam traxit, utatur.* Adeò illum ampliùs audiri noluit, aut Synodo adesse. Et tribus post Synodum annis scripsit ad Principem Martianum. *Significatum mihi est fratris & Coëpiscopi mei Iuliani sermone, Eutychen impium pro suis quidem meritis exulare, sed in ipso suæ damnationis loco multa adversùs integritatem catholicam blasphemiarum desperatiùs venena profundere: Et quod in illo totus mundus horruit atque damnavit, impudentiâ maiore, ut innocentes decipere possit, evomere. Plenum itàque rationis æstimo, ut vestra Clementia ad longinquiora loca subeat & secretiora transferri.* Quo tandem deportatus sit, & ex qua mundi plaga ad inferna descenderit, ignoratur.

Ep.45.c.3

Ep.70.c.1

CAPVT IV.

De auctoritate Synodi Chalcedonensis.

CHalcedonense de fide decretum tantæ semper in omni sub cælo Ecclesia fuit auctoritatis, ut ipsum sanctus Leo magnus in literis ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum, Mansuetus Archi-Episcopus Mediolanensis in literis ad Constantinum quartum Imperatorem exstantibus ante sextam Synodum, & omnis populus Constantinopolitanus in acclamationibus relatis in Synodo sub Menna Patriarcha, eminentissimo titulo appellârit *Symbolum Chalcedonense.* Theodosij Abbatis per Regiæ civitatis plateas clamor solennis, *Quisquis quatuor Synodos quatuor Evangelijs non adæquat, anathema sit,* caussa hujus nostræ præsertim factus est, ejusdemque præsertim caussa toties illum in suis literis repetijt S Gregorius magnus, & omnis jam pridem Ecclesia in Regulam suscepit, utique ex quo Justinianus, aut potiùs Justinus Augustus laudatas Synodos, præsertim hanc nostram, sacris Ecclesiæ tabulis per Joannem Constantinopolitanum Episcopum inseri, & ad Divina Missarum officia solenniter, tamquam cælestes Scripturas, jussit recitari. Addi jussit & nomen S. Leonis, de quo in literis ad Michaëlem Augustum Nicolaus primus Pontifex: *Leonis Pontificis laus in quarta Synodo magnificatur.* Ejus namque de fide decretum non dumtaxàt confirmavit, sed & severissimis Martiani Augusti adversùm rebelles & facinorosissimas Eutychianistarum ac Nestorianorum turbulentias Edictis roborari fecit, atque indè orti sunt Melchitæ, de quibus Nicephorus Calixtus. *Qui Imperatoris sententiam*

Ep.77.

Act.5.f.84

Niceph. l.16.c 33.

Epist.2.

L.18.c.52.

sunt

A. 561. *sunt secuti, vocati sunt Melchitæ, id est, Imperiales.* Et Ecclesiæ Alexandrinæ Chronicon, Eutychianâ labe fœdissimum. *Eo tempore defunctus est Imperator Chalcedonensis:* Utique Justinianus, Chalcedonensis Synodi zelosus defensor. *Constituit Apollinarem Alexandriæ Præfectum & Patriarcham, qui clausit Ecclesias, occiditq; ex Iacobitis plusquam ducenta millia virorum, mulierum, & puerorum, & promulgavit fidem Melchitarum.*
A. 611. Et iterùm. *Anastasius plures condidit Ecclesias, pluresq; alias, quas Melchitæ occupârant, recuperavit.* Quid Syris sit *Melchi* seu *Malchus*, edicit in vita sancti Malchi monachi sanctus Hieronymus: *Erat quidam senex nomine Malchus, quem nos latinè Regem possumus dicere.* Quomodò igitur hodie Lutherani & Calvinistæ nos orthodoxos, Domini Papæ Divinam potestatem agnoscentes & mandatis obedientes, Papistas; ità olim profani Eutychianistæ Catholicos, Martiani Augusti pro fide Chalcedonensi Edictis parentes, per contumeliam vocârunt Melchitas, sive Imperialistas. Eâdem ex contumelia Justinianus dictus est *Imperator Chalcedonensis.* Melchitæ igitur dudùm fuêre orthodoxi; jam pridem autem declinârunt in hæresin, hærentes præsertim in Syria & Arabia: Etiamnum tamen sex Synodorum fidem adversùs Nestorianos & Eutychianistas profitentur.

Restant aliquot quæstiones. Prima est, Quot à nostra Synodo sint editi Canones? Respondeo alios editos Actione sextâ, alios decimâ quintâ. Sexta solos tres, quinta decima edidit viginti octo, eosque inter repetiit tres laudatos. A Pelagio primo Pontifice in literis ad Narseten Comitem adductus, tamquam Chalcedonensis, est Antiochenus: A Gratiano adductus est Synodi nescio cujus recentioris. Neque refert, quod triginta adduxerimus & exposuerimus: Duo namque posteriores reverà non sunt Canones, sed simplices quædam, Canonis formam præferentes, & Canonibus per nescio quem adnexæ, synodales Legatorum Romanorum de propositis quæstionibus interlocutiones. Rectè item Hermannus Contractus, Gratianus, & passim alij aiunt editos solos viginti septem. Sequuntur Dyonisium Exiguum, qui solos tot suæ Collectioni inseruit, & vigesimum octavum quasi non editum duxit & abjecit. Rationem dat Anastasius Bibliothecarius in præfatione ad Synodum octavam. *Generalibus Ecclesiæ Synodis quid addere, & tamquam verum Synodi decretum imperitis vendere, est familiaris Græcorum præsumptio, & singularis quodammodò ambitionis indicium. Siquidem in quartæ Synodi quibusdam Codicibus quoddam de Privilegiis Constantinopoleos ostendunt capitulum, quod inter Canones einsdem Synodi ab universa Ecclesia veneratos nec latinitas nec alia lingua sub sole recipere comprobatur. Quodque licet ab Anatolio & Imperatore,*

Epist. 5.

3. q. 4. c. 2.

re, vel eorum fautoribus post omnia gesta Synodi & prolatos Canones in absentia Romanorum loci Servatorum clam deprompium exstiterit; mox tamen ibi ipsum ab eisdem loci Servatoribus est repulsum, & a Sede Apostolica, quæ ut eadem Synodus fieret, sola decrevit, solaq; ius habuit eos recipiendi, quos Synodica decreta protulerant, non solum non admisit, verum etiam continuò respuit, quodque Anatolius, vel Imperator, quia ut firmaretur à Sede Apostolica, cui tunc magnus Leo præsidebat, impetrare non potuit, in eius positum potestate confessus est.

Secunda quæstio est, An laudati viginti septem Canones fuerint à sancto Leone Pontifice confirmati? Pro parte affirmativa facit jam adductus Anastasius, disertè dicens eos ab universa Ecclesia venerari. Eos item Codici suo per Romanam Ecclesiam comprobato Dyonisius Exiguus inseruit. Et agens de Synodi nostræ in Ibæ Edesseni Episcopi Epistolam sententia scribit Facundus Hermianensis. *Haccine dicenda erant, ut ostenderemus Epistolam venerabilis Ibæ non ad decreta ipsius Concilij pertinere, quia post fidei definitionem de illa iudicatum est? Sic igitur etiam Canones Ecclesiasticæ disciplinæ, qui utiliter ibi sunt post definitionem constituti, non ad eandem Synodum pertinere dicantur. Et utinam docerent, cui Synodo illos debeamus adscribere, si ea, quæ a Chalcedonensi Concilio gesta sunt, Chalcedonensis Concilij non sunt?* Et in alio capite ejusdem libri. *Beatissimus Leo non sententiam super Epistolam Ibæ prolatam, neque Episcopatum prædicto Ibæ redditum, & cætera, quæ in Chalcedonensi Synodo de quibusdam personis decreta sunt, neque Canones Ecclesiasticæ disciplinæ salubriter illic à Patribus constitutos attendit, cùm diceret,* UT SANCTAM SYNODUM AD EXSTINGVENDAM SOLAM HAERESIN ET AD CONFIRMATIONEM FIDEI CATHOLICAE STVDIO CHRISTIANISSIMI PRINCIPIS CONGREGATAM IN OCCASIONEM AMBITVS TRAHAS, *Et his similia, sed superbam potiùs elationem Constantinopolitani Episcopi, sicut ipsa verba eius indicant. Nam nec aliud invenitur in eisdem suis Epistolis arguisse. Sic nobis intelligenda sunt verba Romani Leonis, sic Apostolicorum Scriptorum exemplis asserenda sunt Sedis Apostolicæ scripta, si nolumus omnes Canones utiliter à sanctis Patribus in eadem Synodo constitutos, & cætera, quæ in specialibus caussis quorumcumque ibi firmata sunt, in maiorem, quam nunc patimur, conturbationem Ecclesiæ commovere.* Docet à Leone Pontifice improbatum solum Anatolij ambitum, id est, solum Canonem vigesimum octavum: Hoc ipsum etiam de alijs asserere habet pro grandi absurdo. Addit in alio libro. *Beatus Leo nihil in Chalcedonensis Concilij gestis reprehendisse atque arguisse monstratur, nisi quod referretur venerabilis Anatolius Constantinopolitanus Episcopus priore, quam Maximus Antiochenus,* lo-

L.5.c.3.
Cap. 4.
L.6.c.2.

loco sedisse. Et in literis ad Michaëlem Augustum in Synodo octava
Act. 4. lectis ac probatis Nicolaus primus Pontifex profitetur se sequi *Concilij Chalcedonensis synodicas constitutiones.* Eisdem tamquam authenticis usos fuisse varios Romanos Pontifices & variarum regionum conventus Episcopales, suprà in earum expositione est abundè ostensum. Et nominatim Gregorius magnus frequenter ait simoniacam hæresin damnari à sacris Canonibus: Rectè verò advertit Hinc-
Ep.33.c.24 marus, quod nullum tunc de hac re decrevisset Concilium, nisi Chalcedonense.

Respondeo tamen hosce Canones à sancto Leone Pontifice nequaquam fuisse confirmatos. Nimiùm frequenter ille scribit nullum à se probatum synodale decretum, nisi de quo speciale mandatum habuêre Legati ejus: Habuêre autem mandatum solummodò de stabilienda contra Eutychianos & Nestorianos orthodoxâ fide, Ephesinâ præsertim Synodo ac Apostolicâ ad sanctum Flavianum Epistolâ, ac de Episcopis in Ephesino latrocinio lapsis aut justè puniendis aut gratiosè recipiendis. Et in sexta decima Actione Legati protestati sunt datum sibi rigidum mandatum de refutando tertio Canone Constan-
Epist 33. c. 24. tinopolitano, & nihil admittendo adversùs sextum Nicenum: At verò rectè advertit laudatus Hincmarus non tantummodò vigesimum octavum, sed etiam nonum ac decimum septimum Canonem jam laudato sexto adversari, & addit. *Quia Sedes Apostolica Canones Chalcedonensis Concilij præter illud unum Capitulum in decimo septimo recapitulatum, quod contra Nicenos Canones est constitutum, recipiat, beatus Gregorius in Epistola ad Secundinum evidenter ostendit.* Nonum & decimum septimum, hasce præsertim in illis voces, *Ad Primatem Diœceseos*, pessimè intelligit; rectè tamen dicit omnes tres sextò Niceno repugnare. Errat reliquos omnes probari à sancto Gregorio in literis ad Secundinum: Agit namque istic Pontifex de solis tribus editis Actione sextâ. Et Alypius Cæsareensis in Cappadocia Primus, in literis ad Leonem Augustum exstantibus post hanc Synodum, dicit ab Ante-
Epist. 50. cessore suo Thalassio solùm fidei definitionem fuisse allatam in Provinciam, eamque Nicenæ, Constantinopolitanæ, ac Ephesinæ fidei esse penitùs conformem; Canones autem, licèt à se non visos adserit repugnare Nicenis Regulis, ideòque egere correctione: Aliud est Canones à sancto Leone esse damnatos, aliud esse non probatos: Damnavit ille solum vigesimum octavum, nonum, ac decimum septimum, reliquos indiscussos reliquit. Eos esse utiles advertit successu temporis latina Ecclesia, Romani Pontifices ac variæ Synodi cœperunt in usum adsumere, Codici suo inseruit Dyonisius Exiguus, atque ità tan-

tandem ut bonas Regulas omnis latina Ecclesia admisit. Et huc respicit Anastasius Bibliothecarius. Facundus Hermianensis Episcopus est nullius hìc auctoritatis: Cæcavit illum zelus trium Capitulorum. Hanc Synodum fuisse in sexta Actione finitam, reliquaque Acta ad ipsam non spectare, est perpetuus & unanimis Ecclesiæ sensus, confirmatus à Pelagio secundo & Gregorio magno, coram quibus tacere debet facundissimus Facundus.

Tertia quæstio est, An datæ post sextam Actionem de varijs caussis sententiæ fuerint à sancto Leone confirmatæ? Respondeo non fuisse. Etenim facta inter Maximum Antiochenum & Juvenalem Hierosolymitanum de tribus Palestinis transactio lucidè repugnat sexto Niceno Canoni, ideòque, quod etiam Hincmarus advertit, est per laudatum Pontificem non tantùm non probata, sed & damnata. Probavit tamen, uti ex datis ad ipsum literis liquet, plenam restitutionem Theodoreti. De cæteris scribit ad Maximum Patriarcham Antiochenum. *Si quid sanè ab his fratribus, quos ad sanctam Synodum vice meâ misi, præter id, quod ad fidei caussam pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius est penitùs firmitatis: Quia ad hoc tantùm ab Apostolica Sede directi sunt, ut excussis hæresibus Catholicæ fidei essent defensores. Quidquid enim præter speciales caussas synodalium Conciliorum ad examen Episcopale defertur, potest aliquam diiudicandi habere rationem, si nihil de eo est à sanctis Patribus apud Nicæam definitum. Nam quod ab illorum regulis constitutioneq; discordat, Apostolicæ Sedis numquam obtinebit consensum.* Distinguit triplicia Synodi Chalcedonensis decreta. Prima sunt ejus speciales caussæ, Legatis singulariter mandatæ & delegatæ: Hæc autem fuit sola fidei definitio, quod etiam fatentur synodalis Relatio ad Pontificem,& edita per D. Lucam Holstenium Epistola Martiani Augusti. Alterum decretum sunt Canones, statuta aut pacta Canonibus Nicenis adversa: Tertium fuerunt quævis alia dictis Canonibus non adversa statuta, & hæc *aliquam possunt habere* firmitatem seu *rationem*. Ea discutere noluit Pontifex, sed juxta antiquum Romanæ Ecclesiæ morem dimisit in statu suspenso. Inter hujusmodi caussas momentosissima olim fuit Nectarij ad Regiæ civitatis Episcopatum promotio facta per Synodum Constantinopolitanam, scribitque de illa in literis per numquam satis laudandum Lucam Holstenium editis Bonifacius primus Pontifex ad Rufum Episcopum Thessalonicensem. *Clementissimæ recordationis Princeps Theodosius Nectarij Ordinationem propterea, quia in nostra notione non erat, habere non existimans firmitatem, missis è latere suo Aulicis cum Episcopis, Formatam hinc à Sede Romana dirigi regulariter depoposcit, quæ eius Sacerdotium roboraret.*

Epist. 63. Ep. 62. c. 5. Epist. 105

raret. An tamen roborârit sanctus Damasus, huc usque non liquet? Synodales Græcorum contentiones Romanæ Sedis providentia, nisi lucidissimè ac plenissimè instructa, nunquam voluit definire aut ab ipsis definitas firmare.

Quarta quæstio est quorumdam Acacianorum dubitatio, de qua Gelasius Pontifex in tomo de vinculo anathematis lati in Acacianos. *Ne fortè, quod solent, dicant, quod si Synodus Chalcedonensis admittitur, omnia constare debeant, quæ illic videntur esse deprompta. Aut enim ex toto eam admitti oportere, aut si ex parte repudiabilis est, firmam ex toto constare non posse.* Respondet Xixtus tertius Pontifex in literis Holstenianis ad universos Illyrici Episcopos, agens de prima Synodo Ephesina. Epist.17. *Nec his vos, fratres charissimi, constitutis, quæ præter nostra præcepta Orientalis Synodus decernere voluit, credatis teneri, præter id quidem, quod de fide nobis consentientibus indicavit.* Etiam solam Synodi Constantinopolitanæ fidem confirmavit Damasus Pontifex, reliqua projecit aut suspensa dimisit. Quin & ex Ephesini latrocinij Actis Domni Antiocheni Patriarchæ dejectionem, & Maximi Successoris, licèt contra Canones ab Anatolio Constantinopolitano, & quidem vitioso, Episcopo factam Consecrationem roboravit sanctus Leo, roburque istud omnis Ecclesia probavit. De hac Romanæ Sedis potestate scribit Nicolaus primus Pontifex ad Episcopos Orientales. Epist. 7. *In universalibus Synodis quid ratum, quid prorsùs acceptum, nisi quod Sedes Beati Petri probavit, ut ipsi scitis, habetur? Sicut è contrario, quod ipsa sola reprobavit, hoc solummodò consistit hactenùs reprobatum.*

QVINTI

QVINTI GENERALIS CONCILII CAPITVLA CONTRA ORIGENEM.

CAPITVLVM PRIMVM.

SI quis dicit aut ſentit præexiſtere hominum animas, utpotè quæ anteà mentes fuerint & ſanctæ virtutes, ſatietatemque cepiſſe Divinæ contemplationis, & in deterius converſas eſſe, atque idcircò refrixiſſe à Dei charitate, & indè ψυχὰς *græcè, id eſt animas eſſe nuncupatas, demiſſaſque eſſe in corpora ſupplicij cauſsâ: Anathema ſit.*

SCHOLION.

ORigenis verba refert Nicephorus Calixtus. *Mentes à principio erant abſque omni numero & nomine: Ex unitate principium ducentibus, & rationabilibus exiſtentibus omnibus, ſubſtantiâ, efficaciâ, & virtute eadem. Vt autem eas ſatietas cæpit Divinæ charitatis & contemplationis, iuxta proportionem cuiuſque propenſionis in deterius, vel tenuiora vel craſſiora ſumpsère corpora & nomina. Vndè cœleſtes etiam & miniſtrantes ſubſtitère virtutes. Ipſe quoque ſol & luna, & ſtellæ omnes ab unitate illa rationalium ex propenſione in deterius ſunt factæ. Ea verò rationalia, quæ magis à Divina charitate refrixerunt, animæ ſunt appellatæ, & in craſſiora corpora noſtra coniectæ. Quæ verò ad ſummam malitiæ & vitioſitatis fuerant progreſſa, frigidis & caliginoſis incluſa corporibus dæmones & facti & nominati ſunt.* Verba erroribus undequaque pleniſſima. L. 5. c. 33.

Primus error eſt, quod omnes omninò mentes ſeu creaturas intellectuales dicat naturaliter eſſe ejuſdem nominis, ſubſtantiæ, efficaciæ, virtutis. Eumdem Origeniſtis attribuit ſanctus Hieronymus in commentarijs Aggæi Prophetæ: *Omnium rationabilium unam dicunt eſſe naturam, & ob hanc cauſſam homines, qui Deo placuerunt, æquales Angelis fore,* utpotè à quibus non eſſentia, ſed carneo dumtaxàt pœnalis cor- Cap. 2.

poris

poris ergastulo sint distin&a. Et sanctus Sophronius Hierosolymæ Episcopus in literis ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum
Act. 11. recitatis ac probatis à Synodo sexta: *Omnium rationabilium, Angelorum, hominum, dæmonum differentias in unitatem fabulosam profundunt.* Porrò adsertio, omnes Angelos in unam miscens infimam speciem, licèt existimem temerariam, damnari nequit erroris. Liquet ex sancto Augustino adversùm Origenistas scribente ad Paulum Orosium Presby-
Cap. 11. terum. *Ait Apostolus,* SIVE SEDES, SIVE DOMINATIONES, SIVE PRINCIPATVS, SIVE POTESTATES. *Et esse itaque Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates in cœlestibus apparatibus firmißimè credo, & differre inter se aliquid indubitatâ fide teneo. Sed quo me contemnas, quem magnum putas esse Doctorem, quænam ista sint, & quid inter se differant, nescio. Nec eâ sanè ignorantiâ periclitari me puto, sicut inobedientiâ, si Domini præcepta neglexero.*

Secundus error est, quod omnes creaturæ intellectuales simul ab initio factæ sint, idque absque numero & nomine. Exponit laudatus
Cap. 8. Augustinus: *Illud, quod aiunt, in Dei sapientia jam fuisse facta omnia, antequam in istas formas & modos proprios proferrentur, atque in suis ordinibus apparerent, non sobriè dicitur.* Eas Origenes factas dicit sine nomine, quod earum nulla è Dei Creatoris manibus exierit Seraphin, Dominatio, Potestas, Archangelus, Angelus, Dæmon, aut Anima; sed simpliciter mens, nullum umquàm à socia discrimen, nisi ex spon-
L. 117. taneo propriæ electionis merito sortitura. Ità illum docuisse fatetur apud Photium in Bibliotheca incognitus Apologus. Quin immò apud Facundum Hermianensem Domitianus Ancyræ Episcopus ac primæ Galatiæ Metropolita dogma hoc, scripto ad Vigilium Pontificem libro, pertinaciter defendit, addens de nostræ hujus Synodi Episco-
L. 1. c. 2. pis. *Prosilierunt ad anathematizandos sanctißimos & gloriosißimos Docto-*
L. 4. c. 4. *res sub occasione eorum, quæ de præexistentia mota sunt, dogmatum, sub specie quidem Origenis, omnes autem, qui ante eum & post eum fuerunt, Sanctos anathematizantes.* Ast hallucinatur homo Origenista. Etenim dudùm ante quintam Synodum scripsit ad Julianum Coënsem Epis-
Epist. 11. copum sanctus Leo magnus. *In Origene meritò damnatum est, quòd animarum, antequam corporibus insererentur, non solùm vitas, sed & diversas fuisse asseruit actiones.*

Tertius à quibusdam existimatur error, quod asserat omnes mentes conditas in Divinæ essentiæ contemplatione ac dilectione. Ast malè. Etenim quidquid in libris de Genesi ad literam sanctus Augustinus disputat de matutina & vespertina creaturarum in Divino Verbo cognitione, disputat causâ Angelorum, eosque videtur adse-

rere

rere omninò conditos in notitia etiam matutina. Undè & in libris de civitate Dei eosdem ait numquam à Deo per fidei ænigma fuisse peregrinatos. Eodem tendunt, quæ in libro de correptione & gratia agitat de eorum merito, perseverantia, mercede. Et in libris soliloquiorum scribit. *Illam singularem, veramq; pulchritudinem cum viderit anima, plùs amabit: Et nisi ingenti amore oculum infixerit, nec ab illo adspiciendo usquam declinaverit, manere in illa beatissima visione non poterit.* L. I c. 7.
Docet animam solâ intuitione non firmari in Deo, sed insuper esse opus immobili ac indeclinabili ipsam firmante charitate. Et hanc doctrinam, de qua ab hodiernis scholis non recepta ego dubitare malim, defendunt Hugo de sancto Victore, & apud sanctum Bernardum Auctor libelli de Divino amore. Defendunt quoad solos Angelos: Nam de primis parentibus, num in Dei intuitione sint conditi, meritò ob animale corpus dubitat in dictis de Genesi libris sanctus Augustinus. Ejus fidissimus interpres sanctus Prosper, in libro contra Collatorem. in fide, non in visione conditos disertè, rectèque adfirmat. Quocircà tertius Origenis error sit, quod blasphemè dixerit beatas mentes Divinâ essentiâ fuisse satiatas, atque ità ex fastidio apostatasse. Pravi Angeli nequaquam Deum fastidierunt, sed illo non fuêre contenti, volentes etiam in semetipsis gloriari: Et hæc est avara superbia ac superba avaritia, quam Apostolus scribit esse radicem omnis mali ac iniquitatis.

Quartus error est, quod mentes à Deo apostatas dicat in varia juxta varium variæ apostasiæ meritum corpora & nomina pœnaliter detrusas, atque ità aliam factam esse Dominationem, Sedem, Principatum, Potestatem, aliam dæmonem, animam, Angelum, solem aut lunam. Exponit sanctus Epiphanius in literis ad Joannem Hierosolymæ Episcopum. *Origenes dicit, quod Animæ fuerint Angeli in cœlis, & postquam peccaverint in supernis, dejectas esse in istum mundum, & quasi in tumulos & sepulchra, sic in corpora ista relegatas luere pœnas antiquas peccatorum, & corpora credentium non templa esse Christi, sed carceres damnatorum. Quod corpus ità animam in se clausam habeat, quomodò sepulchra & tumuli cadavera mortuorum.* Quod humana generatio sit Divina, non benedictio, sed maledictio: *Quia Deus generi humano non posset animas per benedictionem dare, nisi Angeli peccaverint, & tot in cœlo sint ruinæ, quot in terra nativitates.* Hinc Origenistæ, teste sancto Hieronymo, ad suas ipsorum quæstiones, Quare hæc anima de fidelibus, illa de gentilibus & barbaris nascatur parentibus, Quare hic aut ille infans innoxius à Dæmone corripiatur aut morbo regio, reponebant soliti: Quoniam Deus justus maculatas à semetipsis in cœlo ani-

Cap. 2.
Epist. 8.

animas damnavit in corpora, tamquam in vallem lacrymarum, carceremque pœnalem veterum peccatorum.

L.11.c.23. *Origenes*, inquit in libris de civitate Dei sanctus Augustinus, *dicit animas peccasse recedendo à Deo, & diversis progressibus pro diversitate peccatorum à cœlis usque ad terras diversa corpora, quasi vincula meruisse: Et hunc esse mundum. Eamq; caussam fuisse mundi faciendi, non ut conderentur bona, sed ut mala cohiberentur.* Diversos illos progressus exponit sanctus Hieronymus in literis ad Pammachium adversùs errores Joannis

Ep.61.c.3. Episcopi Hierosolymitani. *Finge aliquem tribunitia potestatis suo vitio regradatum per singula militiæ equestris officia ad tyronis vocabulum devolutum: Non statim fit tyro, sed antè Primicerius, deinde Senator, Ducenarius, Biarchus, Circitor, Eques, Tyro.* Eodem modo mentes delirat Origenes non statim ex nativa fælicitate cadere in extremam calamitatem dæmonis, sed priùs in statum Seraphin, Throni, Dominationis, Angeli, Animæ, solis, lunæ, variumque & proportionatum corpus: Et hoc innumeris successivè de loco in locum prolapsibus juxta innumeros prolapsus in crimina successivè plura aut majora. *Tot*, juxta ejus nugas, *eadem mens mutat corpora, quot de cœlo ad terram mutaverit mansiones.* Hæc illi est scala Iacob, quam gradatim descendunt mentes magis & magis in dies delinquendo. Est error stultus & blasphemus. Quis namque ferat Thronos, Dominationes, Potestates, aliaque suprema Divinæ majestatis ministeria esse non Divinæ gratiæ dona, sed pœnalia supplicia? Quis ferat admirandam mundi fabricam non à paterna Dei bonitate, sed ab irati Domini vindicta prodiisse? Quis ferat solem ipsum non esse totius humani generis solatium, sed nescio cujus iniquæ mentis ergastulum? *Per hoc*, inquit sanctus Augustinus in loco laudato, *si non una, sed duæ, decem, aut centum mentes æqualiter ac similiter peccassent, centum soles haberet hic mundus.* Addit errorem, qui ple-

L.ad Oros. nè tandem purgatis promittit cœlum novum & terram novam, sibi

c.8. ipsi non cohærere. *Quid enim purgatis opus est cœlo novo & terrâ novâ, si purgata ad hoc restituuntur, ut sint, quemadmodum fuerunt ante cœlum & terram, sine cœlo & terra?*

Ex eadem radice affirmat Origenes Ioannem Baptistam, Malachiam, Aggæum, Melchisedech fuisse veros in carne Angelos; laudati item Ioannis exultationem & fratris à fratre in utero supplantationem fuisse motus plenè rationales. Est radix pessima, involvens non dumtaxat animarum, sed quarumvis mentium per varia corpora mi-

Cap.28. grationem, de qua Tertullianus in libro de anima. *Pythagoras, etsi bonus cætera, tamen ut hanc sententiam adstrueret, non turpi modo, verùm etiam temerario mendacio incubuit. Cognosce, qui nescis, & nobiscum crede.*

Mor-

Mortem simulat, subterraneo latitat, septenni se illic patientiâ damnat, intereà quæ de posteris defunctis ad fidem rerum esset relaturus, ab unica conscia & ministra matre cognoscit. Vt satis sibi visus est corpulentiam interpolasse ad omnem mortui veteris horrorem, de adytis fallaciæ emergit ut ab inferis redditus. Quis non crederet revixisse, quem crediderat obiisse? Audiens præsertim ab eo, quæ de posteris mortuis nisi apud inferos non videretur cognoscere potuisse. Sic ex mortuis vivos effici senior sermo est. Hæc, inquam, est prima origo & unicum fundamentum erroris de transmigratione animarum, propagati postmodùm à Platone, nec non à Saturnino, Carpocrate, Basilide, pessimâ fæce Christianitatis. Ex eodem etiam Iudæi & Herodes Rex putârunt Dominum esse Hieremiam, unum è Prophetis, aut Ioannem Baptistam à morte suscitatum. Quæritur, An Origenes mentes devolvi crediderit etiam in bestiarum corpora? Negat Apologus apud Photium, affirmat sanctus Hieronymus in literis ad Avitum. L. 117. Ep. 59. c. 2.

CAPITVLVM II.

SI quis dicit aut sentit Domini animam priùs extitisse, atque unitam fuisse Deo Verbo ante Incarnationem & generationem ex Virgine: Anathema sit.

CAPITVLVM III.

SI quis dicit aut sentit primùm conformatum esse corpus Domini nostri Iesu Christi in utero beatæ Virginis, ac posteà unitum ei esse Deum Verbum, & animam, utpotè quæ antè fuisset: Anathema sit.

SCHOLION.

EXponit Nicephorus Calixtus. *Nugatur Origenes, quòd ex Angelica quidem constitutione facta sit animata constitutio, ex animata autem dæmoniaca & humana. Vnam porrò mentem ex universa rationalium unitate inconcussam & immotam à charitate & contemplatione Divina permanere, quæ mens & Christus, & Rex, & homo sit facta.* Loquitur ex literis Iustiniani Augusti ad quintam Synodum, recitatis à Georgio Cedreno. Et sanctus Hieronymus, in libris contra Ruffinum. *Docet Origenes animam Salvatoris fuisse, antequam nasceretur ex Maria, & hanc esse,* QVAE CVM IN FORMA DEI ESSET, NON RAPINAM ARBITRATA EST AEQVALEM SE ESSE DEO, SED SE EXINANIVIT, FORMAM SERVI ACCIPIENS. Et sanctus Sophronius in literis suprà me- L. 5. c. 33. L. 2. c. 3.

moratis. *Origenistæ docent nihil à nobis differre Christum gloria, sive honore, sive regno, sive dominatione.* Et hinc Eutycheten, duas in Domino ante adunationem naturas delirantem, meritò sanctus Leo habuit de Origine suspectum. Ejus namque congerronem Dioscorum *semper,*
Act 3. *quæ Origenis sunt, sapuisse,* dixit ad Synodum Chalcedonensem Theodorus Diaconus Ecclesiæ Alexandrinæ.

CAPITVLVM IV.

SI quis dicit aut sentit omnibus cælestibus Ordinibus assimilatum esse Deum Verbum, Cherubimq́ factum esse ipsis Cherubim, & Seraphim ipsis Seraphim, ac omnibus planè supernis virtutibus similem esse factum: Anathema sit.

SCHOLION.

Epist 75. EXponit sanctus Hieronymus in literis adversùs Vigilantium: *Origenes Filium Dei & Spiritum sanctum in commentaryis Esaiæ Seraphim esse testatur.* Dei Verbum ac Spiritum sanctum docet esse non verum Deum, sed animabus nostris consubstantiales mentes, quarum prior à lapsu pura seipsam spontaneâ humilitate priùs inter lapsos Cherubinos ac Seraphinos, deindè inter reliquos Angelorum reos ordines & rea corpora cælestia, ac tandem in pænalem hominis carnem dederit, doctrinâ, exemplo, passione hasce cunctas socias variè damnatas mentes ad Deum reductura. Hinc garrit Domini animam ante Incarnationem & formatum corpus non solummodò exstitisse, sed & Deo Verbo unitam fuisse, immò fuisse ipsum Dei Verbum dictis successivè sociabus variè assimilatum. Porrò *Domus pudici pectoris templum repentè fit Dei, intacta nesciens virum verbo concepit filium.* Eo verbo, de quo ipsa intacta ad Angelum: *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Eo ipso instanti *Beatus Auctor sæculi servile corpus induit:* Animatum spiritu & mente
S. Leo ep. 11. intellectuali. *Natura quippè nostra,* & corpus & anima, *non sic adsumpta est, ut priùs creata post adsumeretur, sed ut ipsâ adsumptione crearetur.* An corpus sit instantaneè, an more nostro successivè in sua organa forma-
L. 83 qq. q 56. tum, est longa quæstio, de qua videatur sanctus Augustinus.

CAPITVLVM V.

SI quis dicit aut sentit in Resurrectione corpora hominum orbiculata suscitari, nec confitetur nos suscitari rectos: Anathema sit.

Sco-

SCHOLION.

EXponit sanctus Sophronius. *Origenistæ istorum corporum, quibus nunc amicti sumus, perimunt resurrectionem, multa callidè balbutientes impiissima & fabulosis suis figmentis condigna.* Ipse apud sanctum Hieronymum Origenes tradit duplicem in Ecclesia grassari errorem: Nostrorum adfirmantium carnis, & Marcionitarum negantium etiam corporis resurrectionem. Marcionitas hac in re nostris omninò præfert, *Corporales substantias dicens penitùs dilapsuras, aut in fine omnium hoc futura corpora, quod nunc est æther & cœlum, & si quod aliud corpus syncerius & puriùs intelligi potest.* Corpora esse existimat non necessaria à Deo provisa instrumenta, sed pænalia peccatricum mentium vincula, ideòque destructa velit, ac reducta omnia in primævum statum sine omni corpore: Ast unicam Christianitatis spem timuit palàm offendere. Etiam de Domino à mortuis suscitato sibi ipsi non constat, dicens *comedisse, ne phantasma putaretur*; & tamen sine dentibus, & reliquis membris in nullo aut nescio quo æthereo corpore, adeòque omninò phantasma, fuisse.

Ep.61.c.8.

Ep.59 c.1.

Ep.61. c 13.

CAPITVLVM VI.

SI quis dicit cœlum & solem, & lunam & stellas, & aquas, quæ super cœlos sunt, animatas & materiales esse quasdam virtutes: Anathema sit.

SCHOLION.

EXponit sanctus Epiphanius in literis suprà memoratis. *Illas præstigias quis non statim abjiciat atque contemnat, dicente Origene de aquis, quæ super firmamentum sunt, non esse aquas, sed fortitudines quasdam Angelicæ potestatis, & rursùm aquas, quæ super terram sunt, hoc est, sub firmamento, esse virtutes contrarias, id est, dæmones?* Et sanctus Hieronymus in literis adversùs Joannem Hierosolymæ Episcopum. *Origenes aquas, quæ super cœlos in Scripturis esse dicuntur, sanctas supernasq; virtutes, quæ super terram, & infra terram contrarias & dæmoniacas esse arbitratur.* Etiam per quatuor Paradisi flumina intelligit *cœlestes virtutes, totumq; Paradisum sic allegorizat, ut historiæ auferat veritatem.* Et sanctus Augustinus in libris de civitate Dei. *Nonnulli putaverunt aquarum nomine significatos quodammodò populos Angelorum, & hoc esse, quod dictum est,* FIAT FIRMAMENTVM INTER AQVAM ET AQVAM: *Vt supra firmamentum Angeli intelligantur; infra verò vel aquæ istæ visibiles, vel malorum Angelorum multitudo, vel omnium hominum gentes.* Et in libris Confessionum. *Sunt aliæ aquæ super hoc firmamentum, credo, immor-*

C.3.

Ep.61 c.3.

L.11.c.34

L.13.c.15. 32.

mortales & à terrena corruptione secreta: Laudent nomen tuum, laudent super cœlestes populi Angelorum tuorum. Loquitur ex Platone, atque Origene, fundante se in auctoritate Psalmi: *Aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.* Alij adsertionem eandem fundârunt in ordine & lege ponderum, quæ supra rarissimum ac levissimum ætherem fluitare non sinit aquas densas & graves. Hinc quidam vetusti Ecclesiæ Doctores Origeni fuêre patrocinati. Humili Augustino semper placuit pacifici Cypriani sententia: *Singuli, quid sentiamus, proferamus, neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes.* In nullum, licet suspectum graviter, dummodò ab Ecclesia toleratum, dogma præsumpsit unquam agere censorem. At verò in istis ipsis jam adductis locis, in libro super Genesim
Cap. 8. imperfecto, in explanatione Psalmi centesimi tertij, ac in libris de Genesi ad literam constanter docet aquas illas super cœlestes esse natura-
L.2.c.1.2. les ac veras, utpotè rarissimæ ac levissimæ, quæ in mundi exordio om-
3 4.5. nem à terra usque ad supremum cœlum intercapedinem occuparat, abyssi partem, & addit: *Quoquo modo, & qualeslibet aquæ ibi sunt, esse eas ibi minimè dubitemus; maior est quippè Scripturæ huius auctoritas, quam omnis humani ingenij capacitas.* Hinc quidquid pro Origene aut Platone fuerat disputando interlocutus, egregiè moderatur in libris Retra-
L.2.c 6. ctationum. *Illud, quod in decimo tertio Confessionum dixi firmamentum factum inter spiritales aquas superiores & corporales inferiores, non satis consideratè dictum est: Res autem in abdito est.* Et in primo libro de Genesi contra Manichæos: *De hac re nihil temerè affirmandum est, obscura est enim & remota à sensibus hominum.*

De altera Capituli parte scribit ad sanctum Augustinum Presbyter Orosius. *Creaturam subiectam corruptioni non volentem dicunt Origenistæ intelligendam esse solem & lunam, & stellas, & hæc non elementares esse fulgores, sed rationales potestates; præbere autem servitium corruptioni propter eum, qui subiecit in spe.* Et sanctus Hieronymus in literis adversùs
Ep.61.c.5 Joannem Hierosolymæ Episcopum. *Origenes docet solem ipsum & lunam, & omnium astrorum chorum esse animas rationalium quondam & incorporalium creaturarum, quæ nunc vanitati subiectæ, ignitis videlicet corporibus, quæ nos imperiti & rudes luminaria mundi appellamus, liberabuntur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Erroris ita-
Cap.8. que fundamentum desumpsit Origenes ex Apostolica ad Romanos Epistola, dicente omnem creaturam esse subditam vanitati cum spe liberationis, & ex libro Prophetæ Iob, ubi scriptum est: *Nec stellæ sunt mundæ ante eum.*

Cap.8. Respondet autem Orosio sanctus Augustinus. *De sole & luna, cæte-* ris-

risq; sideribus, quod cœlestia sint corpora videmus, quod animata sint, non videmus: De Divinis hoc libris legatur, & credimus. Eodem modo loquitur in libris de civitate Dei, in Enchyridio, in libris de Genesi ad literam, in Epistola ad Nebridium, in sermone de tempore, ac in libris Retractationum, addens ejusmodi animas temerè adseri. Eas ex consueta modestia plenè non proscribit. Rem itàque huc usque in Ecclesia controversam discussit nostra Synodus, ac præsenti Capitulo non solummodò lapsam cælo mentem, sed & quamvis animam astris abjudicavit. Secuta est hasce voces sancti Basilij. *Neque ulla anima cæli informantur, aut naturæ sunt ratione prædita, quia gloriam Dei narrant. Neque firmamentum animans sensu præditum esse censemus, quod effectionem manuum eius ibidem adnunciat, ut adstruat aliquis & interpretetur cælos posse esse virtutes quasdam contemplationi concreatas. Secundùm enim hanc interpretandi formulam ros, pruina, frigus & æstus, quod apud Danielem iussa sint concelebrare hymnus universorum opificem, mentes quædam erunt, nimirùm intellectu præditæ simul & invisibiles naturæ. Aquæ itàque & ea, quæ ratione carent, ad Dei laudem invitantur tamquam ea, in quibus resplendet bonitas, sapientia, ac potentia Dei.* Apostoli ac Prophetæ Job loca ab Origene in erroris patrocinium adsumpta elucidat sanctus Augustinus in libro ad Orosium. Eadem docent sanctus Hieronymus, Lactantius, Ambrosius, Joannes Damascenus, ideòque nostrum Capitulum non recedit à confessione Patrum.

L. 13. c. 16.
C. 58.
L. 2. c. 18.
Ep. 115.
Ser. 143.
c 8.
Homil. 3. in Hexam.
C 8. 9. 10. 11.

CAPITVLVM VII.

SI quis dicit aut sentit Dominum Christum in futuro sæculo crucifixum iri pro dæmonibus, sicuti & pro hominibus: Anathema sit.

SCHOLION.

EXponit sanctus Hieronymus in Epistola ad Avitum. *Cùm dixisset Origenes, iuxta Ioannis Apocalypsim, Evangelium sempiternum, id est, futurum in cœlis; tantùm præcedere hoc nostrum Evangelium, quantùm Christi prædicatio legis veteris Sacramenta; ad extremum intulit (quod & cogitasse sacrilegium est) pro salute dæmonum Christum etiam in aëre & in supernis locis passurum. Et licèt ille non dixerit, tamen, quod consequens sit, intelligitur, sicut pro hominibus homo factus est, ut homines liberaret; sic pro salute dæmonum Deum futurum, quod sunt ij, ad quos venturus est liberandos.* Addit Nicephorus Calixtus. *Docet Origenes, quod pro dæmonibus quoque Christum crucifigi, atque idipsum sæpiùs sæculis futuris pati oportebit, à spiritibus malignitatis, qui in cœlestibus sunt.* Et Hieronymus

Ep. 59. c. 4.
L. 17. c. 27.
C. 2.

mus in laudata Epistola. *Origenes asserit mundos innumerabiles, non juxta Epicurum uno tempore plurimos, & sui similes, sed post alterius mundi finem alterius esse principium, & ante hunc nostrum fuisse alium, & post hunc esse alium futurum, & post illum alium, rursùmq; cæteros post cæteros.* Hinc adjungit Presbyter Orosius in literis ad sanctum Augustinum. *De corpore Domini sic tradunt Origenistæ: Quia cùm usque ad nos veniens filius Dei post tot millia annorum otiosus eò usque non fuerit, sed prædicans remissionem Angelis, Potestatibus, atque universis superioribus, cùm qualitatem formæ eorum, quos visitaret, adsumeret, usque ad palpabilitatem carnis adsumptionis specie transivisse; hoc passione & resurrectione determinans rursus, donec ad Patrem veniret, adscendendo tenuasse. Ità neque depositum unquam fuisse corpus, nec in corpore ullo regnantem circumscribi.* Christum Dominum in anterioribus statim à Mentium lapsu sæculis & mundis fuisse Dominationem, Thronum aut alium Angelum, in nostro hominem, in futuris dæmonem, ac tandem post purgata & liberata omnia futurum sine omni corpore Origenes blasphemat ac delirat.

CAPITVLVM VIII.

SI quis dicit aut sentit vel finitam esse Dei potestatem, vel eum tanta fecisse, quanta comprehendere potuit: Anathema sit.

SCHOLION.

ORigenis verba refert Iustinianus Augustus in suo adversùs illum Edicto ad Mennam Patriarcham Constantinopolitanum: *Finitam esse Dei potestatem, dicendum: Nec prætextu laudis circumscriptio eius tollenda est. Tanta enim fecit, quanta sub manu comprehendere & habere poterat, & continere sub providentia sua: Quemadmodùm & tantam construxit materiam, quantam poterat administrare & exornare. Nemo sermone offendatur, si modum statuimus etiam Dei potestati: Infinita enim complecti naturâ impossibile est. Nam cùm semel finita sint, quæ Deus ipse comprehendit, necesse est terminum esse, ad quot usque finita ipse sufficiat.*
L. 12. c. 18. Est error gentilis, à S. Augustino refutatus in libris de civitate Dei.

CAPITVLVM IX.

SI quis dicit aut sentit ad tempus esse dæmonum, & impiorum hominum supplicium, ejusq; finem aliquando futurum, sive restitutionem, & redintegrationem fore dæmonum

num aut impiorum hominum: Anathema sit. Anathema & Origeni, qui & Adamantius, qui hæc exposuit, unà cum nefaria atque execrabili, scelestaque ejus doctrina, & cuivis, qui ea sentiat aut defendat, aut ullo modo prorsùs quocumque tempore tueri præsumat.

SCHOLION.

EXponit sanctus Hieronymus in Epistola ad Pammachium & Oceanum. *Docet Origenes post multa sæcula atque unam omnium restitutionem id ipsum fore Gabrielem, quod diabolum; Paulum, quod Caipham: Virgines, quod prostibulas.* Et in libris contra Ruffinum. *Docet in restitutione omnium, quando indulgentia principalis venerit, Cherubim & Seraphim, Thronos, Principatus, Dominationes, Virtutes, Potestates, Archangelos, Angelos, Diabolum, Dæmones, animas omnium hominum, tam Christianorum, quam Iudæorum & gentilium, unius conditionis & mensuræ fore: Cùmque ad formam & libram æquitatis pervenerint, & rationales creaturas, omni corporum fæce deposita, novus de mundi exilio populi revertentis monstraverit exercitus, tunc rursùs ex alio principio fieri mundum alium, & alia corpora, quibus labentes de cœlo animæ vestiantur, ut verendum nobis sit, ne, qui nunc viri sumus, posteà nascamur in fœminas, & quæ hodie virgo, tunc prostibulum sit.* Et in literis adversùs Joannem Hierosolymæ Episcopum. *Origenes dicit cunctas rationales creaturas paulatim ad inferiora labi, & iuxta qualitates locorum, ad quæ defluunt, adsumere sibi corpora; cùmq; ad vicina terræ pervenerint, craßioribus circumdari, novißimè humanis carnibus alligari: Ipsosq; Dæmones, si paululùm resipiscere cœperint humanâ carne vestiri, ut actâ deinceps pœnitentiâ post resurrectionem eodem circulo, quo in carnem venerant, revertantur ad visionem Dei, liberati etiam äëriis æthereisq; corporibus.* Tunc dicit ei omne cœlestium, terrestrium, ac inferorum genu Deo flectendum, Deumque fore omnia in omnibus. Hæc illi est duplex scala Jacob, per quam mentes gradatim descendunt, redeuntque in cœlum. Nec solummodò Gabrielem ac Beelzebud, Paulumque & Caypham dicit istâ restitutione æquandos, sed etiam Judam & Christum, utpotè qui depositâ carne sit in simplicem ac alijs parem mentem rediturus. Erit tamen restitutio mobilis & mutanda: Purgatas namque mentes denuò capiet beatitudinis ac Divinæ contemplationis satietas, atque ità denuò fiet nova Apostasia, novus semper mundus, nova miseria, quin immò nova Orige-

Ep. 59. c. 2.

L. 2. c. 3.

Ep. 61. c. 5

nis

nis à gentilibus mutuata stultitia, fingens omnem Dei creaturam in perpetuo falsæ beatitudinis & veræ miseriæ circuitu ambulare. *Nec falsò*, inquit in libro de hæresibus sanctus Augustinus, *Origenem Ecclesia arguit, nec potest ab eius defensoribus excusari, maximè de purgatione & liberatione, ac rursùs post longum tempus ad eadem mala revolutione rationalis universæ creaturæ. Quis enim non exhorreat etiam eos, qui hanc vitam in flagitijs & facinoribus maximis finierunt, ipsum etiam postremò diabolum atque angelos eius, quamvis post longissima tempora, purgatos atque liberatos regno Dei lucique restitui, & rursùs post longissima tempora omnes ad hæc mala relabi, & has vices alternantes beatitudinum & miseriarum rationalis creaturæ semper fuisse, semper fore?* Anathema Origeni, plurimorum errorum fonti, Patriarchæ omnium hæreticorum, qui Ario, Marcello, Apollinari, Fotino, Pelagio, Nestorio, Eutycheti, cunctis hæreticis arma & principia præbuit, nec-non gentilismum in Ecclesiam reducere, & fidem Christianam in mimum convertere est conatus.

Addit Capitulum: *Origeni, qui & Adamantius*. Adversùm illos, qui Origenem antiquum à recentiori, qui Adamantius dictus sit, malè distinguunt, quos inter dudùm etiam post hanc Synodum fuisse sanctum Sophronium Hierosolymæ Episcopum, advertit Photius in Bi-
L. 231. bliotheca, rectè adfirmans fuisse unicum, edicensque caussam adjecti nominis. *Origenem Adamantium cognominatum ex eo tradunt, quod rationes, quas colligaret, adamantinis quibusdam quasi vinculis non absimiles viderentur.* Etiam sanctus Epiphanius ac ex illo sanctus Augustinus di-
Cap. 43. stinguunt duos Origenes, nostrum tamen dicunt vocari & Adaman-
L. 11. c. 18. tium. Ejus hunc novissimum, ac inter omnes longè pestilentissimum
19. 20. 21. errorem idem Augustinus in libris de civitate Dei copiosè revincit.

QVINTI CONCILII

Capitula contra Nestorianos ac Eutychianistas.

CAPITVLVM PRIMVM.

SI quis non confitetur Patris & Filij & Spiritus sancti unam naturam sive substantiam, & unam virtutem & potestatem, Trinitatem consubstantialem, unam Deitatem in tribus subsistentijs sive personis adorandam, talis anathema

ma

ma sit. Vnus enim Deus & Pater, ex quo omnia, & unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & unus Spiritus sanctus, in quo omnia.

CAPITVLVM II.

SI quis non confitetur Dei Verbi duas esse nativitates, unam quidem ante sæcula ex Patre sine tempore incorporaliter, alteram verò in ultimis diebus ejusdem ipsius, qui de cœlis descendit & incarnatus, de sancta gloriosa Dei genitrice & semper Virgine Maria, natus ex ipsa, talis anathema sit.

CAPITVLVM III.

SI quis dicit alium esse Deum Verbum qui miracula fecit, & alium Christum qui passus est, vel Deum Verbum cum Christo esse nascente de muliere, vel in ipso esse, ut alterum in altero, & non unum, eumdemq; Dominum nostrum Iesum Christum, Dei Verbum incarnatum & hominem factum, & ejusdem ipsius miracula & passiones, quas voluntariè carne sustinuit, talis anathema sit.

CAAPITVLVM IV.

SI quis dicit secundùm gratiam, vel secundùm operationem, vel secundùm dignitatem, vel secundùm æqualitatem honoris, vel secundùm auctoritatem aut relationem, aut affectum, aut virtutem, unitionem Dei Verbi ad hominem factam esse, vel secundùm bonam voluntatem, quasi quod placuit Deo Verbo homo, eo quod benè visum est ei de ipso, sicut Theodorus insaniens dicit, vel secundùm homonymiam, per quam Nestoriani Deum Verbum Filium & Christum

vocantes, & hominem separatim Christum & Filium nominantes, & duas personas evidenter dicentes, per solam nominationem & honorem, & dignitatem, & adorationem, unam personam, & unum Filium, & unum Christum confingunt dicere: Sed non confitentur unitatem Dei Verbi ad carnem animatam animâ rationabili, & intellectuali secundùm compositionem, sive secundùm subsistentiam factam esse, sicut sancti Patres docuerunt, & ideò unam eius subsistentiam compositam, qui est Dominus noster Iesus Christus, unus de sancta Trinitate, talis anathema sit. Cùm enim multis modis unitas intelligitur, qui impietatem Apollinarij, & Eutychetis sequuntur, interemptionem eorum, quæ convenerunt, colentes, unitionem secundùm confusionem dicunt: Theodori autem & Nestorij sequaces, divisione gaudentes, affectualem unitatem introducunt. Sancta Dei Ecclesia utriusque perfidiæ impietatem reijciens, unitionem Dei Verbi ad carnem secundùm compositionem confitetur, quod est secundùm subsistentiam. Vnitio enim per compositionem in mysterio Christi non solùm inconfusè ea, quæ convenerunt, conservat, sed nec divisionem suscipit.

SCHOLION.

Rectè Capitulum dicit naturarum in Domino unionem esse *secundùm compositionem*, & addit: *Sicut sancti Patres dixerunt.* Eâ namque voce usus est in Synodo Antiochena adversùs Episcopum suum Paulum Samosatensem disputans Malchion, ejusdem Ecclesiæ Presbyter longè doctissimus, sanctus Athanasius in tractatu, cui titulus, *Quod unus sit Christus*, & sanctus Gregorius Nazianzenus in oratione de Dei Filio, uti etiam in libro ad sanctum Fulgentium ac alios in Sardinia exulantes Africæ Episcopos adverterunt Petrus, Leontius, ac Joannes, Græcorum ad Romanam Ecclesiam Legati,

ad-

addentes Paulum Samosatensem ob ejus negationem fuisse per laudatam Synodum de Ecclesia ejectum. Et reverà vox, *Compositio*, non simplicem participationem aut inhabitationem importat, sed naturalem nexum, quo disparatissimæ in Domino naturæ tamquam compartes in eandem Hypostasin adunantur. Vocabulo, *Pars*, & Presbyter Malchion & sanctus Athanasius omninò utuntur. Et hìnc de Joanne Maxentio ac ejus asseclis, nec non de nescio quo Victore Diacono, Nestorianismi suspecto, scribit ad Hormisdam Pontificem Dioscorus, Romanæ Ecclesiæ Diaconus, & ad Justinum Augustum Legatus. *Cum Victore Diacono habuerunt intentionem de Christo composito.* Nestoriani enim non minùs vocem, *Compositio*, quam vocem, *Vnio secundum hypostasin*, pertinaciter aversabantur. Post Epist. 67 Relat. 1.

Rectè item Capitulum addit esse *compositionem secundùm subsistentiam, sicut sancti Patres docuerunt*, & ideò non Domini naturam, sed solam *subsistentiam esse compositam*. Rationem dat in libris de fide sanctus Joannes Damascenus. *Composita natura cum neutra earum naturarum, ex quibus conflata est, eiusdem substantiæ esse potest: ut quæ ex alijs aliud effecta sit. At verò Christus non est ex alijs aliud, quemadmodùm ex anima & corpore homo, aut ex quatuor elementis corpus; sed ex alijs eadem.* Aliam rationem suprà adduxi ex Facundo Hermianensi. Nec obstat exemplum animæ & corporis passim à Patribus adductum: Adduci ad ostendendam, non naturæ, sed solius personæ compositam unitatem, ostendunt variè idem Facundus, S. Maximus Abbas, & Theodoretus. L.3.c.3.

CAPITVLVM V.

SI quis unam subsistentiam Domini nostri Iesu Christi sic intelligit, tamquam suscipientem plurimarum subsistentiarum significationem, & per hoc introducere conatur in mysterio Christi duas subsistentias, seu duas personas, & duarum personarum, quas introducit, unam personam dicit secundùm dignitatem & honorem, & adorationem, sicut Theodorus, & Nestorius insanientes conscripserunt, & calumniatur sanctam Chalcedonensem Synodum tamquam, secundùm istum impium intellectum, unius subsistentiæ utentem vocabulo, sed non confitetur Dei Verbum carni secundùm

ſubſiſtentiam unitum eſſe, & propter hoc unam eius ſubſiſtentiam, ſeu unam perſonam, & ſic & ſanctum Chalcedonenſe Concilium unam ſubſiſtentiam Domini noſtri Ieſu Chriſti confeſſum eſſe, talis anathema ſit. Nec enim adjectionem perſonæ vel ſubſiſtentiæ ſuſcepit ſancta Trinitas ex incarnato uno de ſancta Trinitate Deo Verbo.

CAPITVLVM VI.

SI quis abuſivè & non verè Dei Genitricem dicit ſanctam glorioſam ſemper Virginem Mariam, vel ſecundùm relationem, quaſi homine puro nato, ſed non Deo Verbo incarnato & nato ex ipſa, referendâ autem, ſicut illi dicunt, hominis nativitate ad Deum Verbum, eo quod cum homine erat naſcente, & calumniatur ſanctam Chalcedonenſem Synodum tamquam ſecundùm iſtum impium intellectum, quem Theodorus execrandus adinvenit, Dei Genitricem Virginem dicentem, vel qui hominis genitricem vocat, aut Chriſtotocon, id eſt, Chriſti Genitricem, tamquam ſi Chriſtus Deus non eſſet, & non propriè & verè Dei Genitricem ipſam confitetur, eo quod ipſe, qui ante ſæcula ex patre natus eſt Deus Verbum, in ultimis diebus ex ipſa incarnatus, & natus eſt, & ſic piè & ſanctam Chalcedonenſem Synodum Dei Genitricem eam eſſe confeſſam, talis anathema ſit.

SCHOLION.

HOcce Capitulum reſpexit Theotianus, Manuelis Comneni Auguſti Legatus, in diſputatione cum Niercefe Patriarcha Armeniorum. *Non ignorat magna Sanctitas tua vocem aliquando non malam, quæ malè tamen ab aliquibus intelligeretur & exponeretur, reiectione dignam à Patribus eſſe iudicatam: Qualis &* CHRISTIPARAE *vox eſt,*

est, Deipara Virgini tributa. Nam & CHRISTIPARAM dicere poteramus, Christum enim peperit Deum & hominem, quod ipsum nomen propriè denotat; sed quod ejus nominis significatum à Nestorio nequiter acciperetur, velut sacrilegum à sanctis hominibus repudiatum est. Et sanctus Joannes Damascenus in tractatu contra insanam Nestorij hæresin: *Sanctam Virginem, Deiparam prædicamus, ut quæ Deum ex se incarnatum verè & propriè peperit; CHISTIPARAM verò illam scimus quidem, nam Christum genuit: Verùm quia perditissimus Nestorius eâ voce abusus est ad negandam DEIPARAE vocem, non CHRISTIPARAM, sed à potiori DEIPARAM appellamus.* Ad quæ verba rectè in Florentinæ Synodi adversùs Marcum Ephesiorum Episcopum Apologia ait Gregorius Proto-Syncellus: *Vides agnosci quidem ab illo nomen CHISTIPARAE, sed non usurpari, non quod Virgo CHRISTIPARA non sit, sed quod non vocetur.* F.728.
Quod Nestorius voce *Christipara* primus abuti cœperit, testatur etiam Theodorus Hierosolymæ Patriarcha in literis ad septimam Synodum, ibidem lectis & comprobatis: *Nestorius vocem, quâ sacrâ Virgo DEI GENITRIX appellatur, maledictus abiurans, CHRISTOTOCON hanc vocari nequissimè sanxit.* Act. 3. Et sanctus Cyrillus in literis ad Valerianum Metropolitam Iconiensem: *Orientales Episcopi confessi sunt, quia Dei genitrix sit sancta Virgo, & non addiderunt, quia CHRISTI GENITRIX sit, sicut inquiunt, qui Nestorij infelices & respuendas opiniatiunculas curant.*

Attamen Ephesina Synodus vocem *Christipara* non damnavit. Et hìnc Eutychiana factio tam ejus, quàm Chalcedonensis Synodi pro voce, *Deipara*, definitionem titubare fecit etiam apud multos in Oriente orthodoxos, de quibus Facundus Episcopus Hermianensis. *Insinuandum est, quod hanc confessionem, quâ beatam Mariam verè & propriè dicimus Matrem Dei, quidam etiam communicantes Ecclesiæ putant non debere suscipi, cùm Nestorium fateantur, propter quod eam matrem Dei negabat, debuisse damnari. Et audent insuper hoc Eutychiano dogmati deputare.* L. 1. c. 4. Eutychianum dogma non adsumptam solummodò humanitatem, sed & ipsam Domini Deitatem delirat natam è Virgine: Hìnc illi orthodoxi vocem, *Deipara*, eidem blasphemiæ existimabant obnoxiam, aut certè ejus fotricem & suspectã, scandalosam, piarum aurium offensivam, ideòque ab omni ore veraciter orthodoxo proscribendam. Rei successum edisserit Liberatus, Ecclesiæ Carthaginensis Archi-Diaconus, testis oculatus, utpotè tunc Romæ Legatus Reparati sui Archi-Episcopi. *Ad Ioannem secundum Pontificem missi sunt à Iustiniano Imperatore Hypatius Ephesiorum Episcopus, & Demetrius à Philippis, consulere Sedem Apostolicam contra legatos Acemetarum, Cyrum & Eulogium, nega-* C. 20.

gantes esse confitendum beatam Mariam verè & propriè Dei genitricem. Sed Papa Ioannes hoc confitendum Epistolâ suâ firmavit & Imperatori direxit. Addiderat Princeps ad Pontificem etiam literas hujus tenoris: *Sanctam Virginem Mariam propriè & verè Dei matrem dicimus, non quia Deus Verbum ex ipsa principium sumpsit, sed quia in ultimis diebus est ex*
Epist. 3. *ipsa incarnatus.* Papalis ad Regiæ civitatis Senatores Epistola ità habet, *Iustinianus Imperator filius noster orta certamina fuisse signavit,* AN PROPRIÈ ET VERACITER MATER DOMINI DEI NOSTRI MARIA SEMPER VIRGO DEBEAT APPELLARI. *Probavimus Catholicam Imperatoris fidem, & ità esse Propheticis & Apostolicis vel Patrum exemplis evidenter ostendimus.* Acœmetæ monachi non ità vocem *Deipara*, sed potiùs hocce Principis suasu factum additamentum, *Verè & propriè*, fuerunt äversati, proindè malentes vocem, *Christipara*, induci in popularem sermonem. Et verè Justinianus retulerat fuisse orta certamina: Populum namque Constantinopolitanum fuisse in factiones divisum, & adversis in Ecclesia acclamationibus pugnasse in invicem, liquet ex Synodo sub Menna Patriarcha. Tangebatur auctoritas Synodi Ephesinæ & Chalcedonensis, ideòque rectissimè dicti monachi sunt secuti antiquam regulam, de qua ad Valerianum Patricium scribit in literis per D. Lucam Holstenium editis Pelagius Papa primus: *Nec licuit aliquando, nec licebit particularem Synodum ad dijudicandam generalem Synodum congregari; sed quoties aliqua de universali Synodo aliquibus dubitatio nascitur, ad recipiendam de eo, quod non intelligunt, rationem aut sponte ad Apostolicas Sedes conveniant, aut ad easdem trahantur.* Ex varijs sancti Gregorij magni locis persuasus legendum existimo: *Ad Apostolicam Sedem.* At pessimè eidem monachi Apostolico, per Facundum Hermianensem facundissimè defenso, decreto recalcitrârunt, de qua re laudatus Liberatus. *A Pontificis communione discedentes quidam Romani monachi Acœmetarum Legatos secuti sunt, & usque nunc hanc confessionem non suscipiunt.* Adversùm hosce rebelles ad preces Principis Apostolicum decretum confirmavit nostra Synodus, unaque vocem *Christipara* circumscripsit & abolevit. Scio eam esse sanctam, innoxiam, orthodoxam: At eam pessimæ vipræ in dolosum erroris latibulum demutârant, atque ex illa, tamquam melleo poculo, venena propinantes simplici plebi insidiabantur. Eversas oportuit istas scabiosas latebras. Hinc pergit laudatus Theorianus. *Debes, sanctissime Domine, illam quoque vocem, iudicatam à Sanctis Sacrilegam, ut sacrilegam missam facere, nec iudicium tuum illorum iudicio firmius ducere, nec pati, ut suum iudicium pluribus occasionem offendiculi præbeat.* Ejusmodi tamen offensivas & scandalosas, idque ad solum quandoque tempus,

voces nolim ego dicere sacrilegas. Dico, *Ad solum quandoque tempus.* Etenim vocem, *Christipara*, hodie usurpamus liberrime: Quod liberata sit à doloso Nestoriani veneni periculo.

CAPITVLVM VII.

SI quis in duabus naturis dicens, non ut in Deitate & humanitate, unum Dominum nostrum Iesum Christum cognosci confitetur, ut per hoc significet differentiam naturarum, in quibus inconfusè ineffabilis unitio facta est, neque Deo Verbo in carnis naturam transmutato, neque carne in Verbi naturam transducta (manet enim utrumque hoc quod est naturâ, etiam factâ unitate secundùm subsistentiam) sed pro divisione per partem, talem excipit vocem in Mysterio Christi, vel numerum naturarum confitendo in eodem Domino nostro Iesu Christo, Deo Verbo incarnato, non intellectu tantummodò differentiam excipit earum, ex quibus & compositus est, non interemptam propter unitatem (unus enim ex utraque, & per unum utraque) sed in hoc numero utitur, ut separatim unaquâque naturâ suam habente subsistentiam, talis anathema sit.

CAPITVLVM VIII.

SI quis ex duabus naturis Deitatis & humanitatis confitens unitatem factam esse, vel unam naturam Dei Verbi incarnatam dicens, non sic ea excipit sicut Patres docuerunt, quod ex divina natura & humana, unitione secundùm subsistentiam factâ, unus Christus effectus est, sed ex talibus vocibus unam naturam, sive substantiam Deitatis & carnis Christi introducere conatur, talis anathema sit. Secundùm subsistentiam enim dicentes unigenitum Deum Verbum carni

ni unitum eße, non confusionem aliquam naturarum in se invicem factam esse dicimus; sed magis permanente utrâque hoc quod est, unitum eße carni Deum Verbum intelligimus. Propter quod & unus est Christus, Deus & homo, idem ipse consubstantialis Patri secundùm Deitatem, & consubstantialis nobis idem ipse secundùm humanitatem, æqualiter enim & eos, qui per partem dividunt vel incidunt, & eos, qui confundunt divinæ dispensationis Mysterium Christi, rejicit & anathematizat Dei Ecclesia.

CAPITVLVL IX.

SI quis in duabus naturis adorari dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt separatim Deo Verbo, & separatim homini; vel si quis ad interemptionem vel ad confusionem Deitatis & humanitatis, unam naturam sive substantiam eorum, quæ convenerunt, introducens, sic Christum adorat, sed non unâ adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio Dei Ecclesiæ traditum est, talis anathema sit.

SCHOLION.

HAsce voces, *Christus est una Dei Verbi natura incarnata*, sanctus Athanasius induxit in Ecclesiam, uti assiduè dixerunt non tantùm in Ephesino latrocinio Eutyches, Dioscorus, eorumque Symmistæ, sed etiam varijs in locis sanctus Cyrillus, & jam adductus Theorianus. Est vox, uti in Tharsensi apud Clementem Galanum Synodo dixit Gregorius Armeniorum Primas, æquivoca, lanaque ovina ad tegendos etiam lupos apta, ideòque eas statim arripuere omnes tres Apollinaristarum classes, de quibus apud Photium in Bibliotheca sanctus Eulogius Patriarcha Alexandrinus. *Nam & una verbi natura incarnata diceretur ab ijs, qui putant inanimatam carnem adsumptam, & qui ex coëuntium permistione naturam adsumptam blasphemant, & qui naturam verbi in carnem mutatam insa-*

Cap. 22. f. 333.

L. 230.

insaniunt. Eorum vestigia secutus est Eutyches cum omni suo grege. Etenim in Ephesino latrocinio palmare Eustatij Berytensis Episcopi fundamentum fuêre hæc verba sancti Cyrilli: *Non oportet intelligere duas naturas, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam.* Et Orientalibus Episcopis adversùm illa in Synodo Chalcedonensi clamantibus, *Ista Eutyches dicit, ista Dioscorus dicit,* reposuit producto ipso sancti Cyrilli codice: *Si malè dixi, ecce codex; Liber Cyrilli anathematizetur, & anathematizer.* Et ipse Dioscorus. *Manifestè ideò damnatus est Flavianus, quoniam post adunationem dixit duas naturas: Ego autem testimonia habeo sanctorum Patrum Athanasii, Gregorii, Cyrilli in multis locis, quia non oportet dicere post adunationem duas naturas, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam. Ego cum Patribus eijcior. Ego defendo Patrum dogmata: Non transgredior in aliquo. Et horum testimonia non simpliciter atque transitoriè, sed in libris habeo.* Et Episcopi Severiani in collatione Constantinopolitana. *Beatus Cyrillus, & beatus Athanasius, Alexandrinæ civitatis Episcopi, Felix etiam & Iulius Romanæ Ecclesiæ, Gregorius quin etiam mirabilium factor, & Dyonisius Areopagita unam naturam Dei Verbi,* utique incarnatam, *decernunt post unitionem.* Hìnc *Duarum naturarum* vocem, à Synodo Chalcedonensi canonizatam, dixêre esse novam, peregrinam, noxiam.

Et hìnc varij orthodoxi dictam sancti Athanasij propositionem fuerunt abominati, adeò ut in laudata Collatione Hypatius Ephesiorum Episcopus cuncta à Severianis adducta Patrum testimonia adseveret spuria, fictaque per Apollinaristas, addens de præsenti propositione: *Arius & Apollinarius unam naturam Dei Verbi incarnatam noviter protulerunt, ut creatam & passibilem ipsam Divinam Verbi naturam introducerent.* Adstipulatur Leontius Scholasticus, addens primùm è catholicis Doctoribus eâ uti cæpisse S. Cyrillum, ideòque apud Orientalis Diœcesis Episcopos de Apollinarij scabie fuisse dudùm & graviter suspectum. Propositionem sanè dicti Episcopi nec in inita cum sancto Cyrillo pace voluerunt recipere, caussamque in literis ad illum edicit Successus Dio-Cæsareensis in Isauria Episcopus. *Si post unionem una intelligitur natura Verbi incarnata, consequitur omninò, ut ipsum in sua natura passum esse dicamus. Si una est natura Verbi incarnata, omninò necesse est dicere permixtionem, confusionemq; factam fuisse, imminutâ quodammodò in ipso atque subtractâ hominis naturâ.* Voces illas ab Eutychiana scabie credit non posse purgari. Et hìnc eas asserentem Dioscorum, licèt protestaretur, *Neque confusionem dicimus, neque conversionem, anathema dicenti confusionem, commixtionem, aut conversionem,* damnavit Chalcedonensis Synodus, sprevitque & hanc protestationem Eustatij Bery-

 ten-

tensis Episcopi: *Qui dicit unam naturam ad negationem carnis Christi, anathema sit.* Quid per seipsas ipsæ voces vellent, non quid illi in eis mente restringerent, Synodus attendit. Quin & in Ephesina Synodo ipse S. Cyrillus, licet Præses admodùm potens, adsertam illam à se toties propositionem nec semel laudavit, longè minùs in fidei regulam promovit. Eandem in Petro Fullone Pseudo-Patriarcha Antiocheno damnavit Felix tertius Pontifex, ac ejus Romana Synodus. Et apud Photium in Bibliotheca laudatus sanctus Eulogius ait se ejus caussâ fuisse graviter reprehensum à Domitiano Episcopo Melitinensi.

Habuit tamen propositio etiam validos defensores. Etenim ad Acacium Domitiani Prædecessorem scribit sanctus Cyrillus in literis exstantibus in tertio libro Synodi Ephesinæ. *Vnam verbi naturam esse certissimum est; sed eam incarnatam & inhumanatam novimus.* Et in literis ad Eulogium, suum Presbyterum & in Regia civitate Apocrisarium: *Nos unam Dei naturam incarnatam dicimus.* Et in literis ad Successum Diocæsareæ in Isauria Episcopum voces illas ab omni Apollinaristici erroris suspicione & periculo operosissimè expurgat. Et sanctus Flavianus Constantinopolitanus Episcopus in literis ad Theodosium Augustum: *Vnam Verbi Dei naturam, incarnatam tamen & inhumanatam, dicere non negamus.* Et Epiphanius Pergensis Episcopus ac Pamphyliæ Metropolita in literis ad Leonem Augustum exstantibus post Synodum Chalcedonensem. *Nihil differt, sive duarum naturarum unitas inconfusa dicatur, sive ex duabus eodem modo referatur: Sed neque si una dicatur verbi natura, inferatur autem incarnata, aliud quid significat, sed idem honestiori sermone declarat. Nam & invenimus hoc sæpius dixisse sanctos Patres.* Et sanctus Maximus Abbas & Martyr in disputatione cum Pyrrho Patriarcha Constantinopolitano. *Si ea tantùm confiteri oportet, quæ à Synodis dicta sunt, nec unam Dei Verbi naturam incarnatam, quæ totam pietatem Mysterij complectitur, dicere oportet: Quia non est dicta synodicè,* id est, per nullam Synodum, quomodò vox, *Consubstantiale*, aut vox, *Vnio secundùm Hypostasin*, in universalem Ecclesiam introducta, præcepta, aut confirmata. Præsens namque Capitulum eam solummodò exponit ac permittit. Suo tamen modo confirmatam ostendit idem Doctor: *Quinta Synodus decrevit, ut amplecteremur omnia scripta sanctorum Athanasii, Basilij, Gregorij Nazianzeni, & aliorum.* At verò hi omnes utuntur dictâ voce. Et in Collatione Constantinopolitana dixit Hypatius Archi-Episcopus Ephesiorum: *Cognoscens sanctum Chalcedonense Concilium, quia nihil ità recreat eos, qui cum Eutyche adversantur orthodoxis & duarum naturarum confessioni, quam confusa & commixta & imaginaria & Mani-*

Epist. 35.
Epist. 37.
Epist. 43.

nichaa unius natura confessio, explanativam potiùs vocem praposuit, ut in duabus naturis unam personam & unam subsistentiam consitentem. Sed & beati Flaviani fidem rectam collaudans, omnia, qua ab eo dicta sunt, confirmavit. Agit de jam adducta sancti Flaviani Epistolâ, ejus omnia, inter quæ est & *una Dei verbi natura incarnata*, dicit confirmata per Synodum Chalcedonensem, edicitque caussam, quare voces, *Dua natura*, seu, *In duabus naturis*, quam *Vna Dei Verbi natura incarnata*, sint potiùs in fidei decretum insertæ: Quia nempe adversùm dolosos Eutychianistas opus fuit voce, non æquivocâ, qualis est posterior; sed explanativâ, quales omninò sunt duæ priores.

Cuncti Patres huc usque adducti Christum Dominum nequaquam dicunt simpliciter *unam naturam*, sed cum addito, *incarnatam*. Seriò admodùm & assiduè cavent de illo additamento. Rationem dat Basilius Seleuciensis Episcopus ac Isaurorum Metropolita in Constantinopolitana sancti Flaviani Synodo dicens ad Eutycheten additamenti interpolatorem. *Quod si* VNAM NATVRAM *dicas absolutè post adunationem, confusionem dicis & commixtionem, si verò addideris* INCARNATAM ET INHVMANATAM, *& iuxta beatum Cyrillum intellexeris incarnationem & inhumanationem, eadem nobiscum dicis.* Et in latrocinio Ephesino. *Dicente monacho*, EX DVABVS NATVRIS DICO DOMINVM JESVM CHRISTVM, POST ADVNATIONEM VERO VNAM NATVRAM, & non addente INCARNATAM ET INHVMANATAM, *scio me dixisse* verba jam adducta. Ejusque dictum omninò probavit Synodus Chalcedonensis. Et sanctus Cyrillus in literis ad Successum Episcopum Dio-Cæsareæ. *Si* VNAM NATVRAM *dicentes Dei Verbi tacuissemus non inferentes* INCARNATAM, *sed velut abijcientes dispensationem, erat illis forsan non improbabilis sermo simulantibus interrogare*, VBI EST IN HVMANITATE PERFECTIO, *aut* QVOMODO SVBSTANTIA NOSTRA SVBSISTIT? *Quoniam verò & perfectio, qua in humanitate est, & essentia nostra manifestatio illata est per id, quod dictum est*, INCARNATI, *iam desferant arundineam virgam sibimet supponentes.* Et ad Niercelem Armeniorum Patriarcham dixit Theorianus. *Sanctus Cyrillus non dixit* VNAM IN CHRISTO NATVRAM, *sed* VNAM NATVRAM VERBI, *at deindè subijcit*, INCARNATAM, *Tua verò Sanctitas nescio quo pacto incogitanter & liberè* NATVRAM VNAM *in Christo dixit.* Et Patriarchæ sese purganti, *Non mutavi, nam idem significat* NATVRA CHRISTI, *&* NATVRA VERBI INCARNATI, rectè reposuit: *Non idem significat, absit.* Quocircà *unam Dei Verbi naturam incarnatam* adserere est commune & orthodoxis & hæreticis; at verò *unam* simpliciter *naturam* adserunt soli cum Apollinario Eutychiani.

Nequaquam verò idem Apollinarius aut Arius in orbem terrarum, neque in Ecclesiam sanctus Cyrillus induxit hanc nostram propositionem, sed omninò sanctus Athanasius. Hypatius Ephesiorum Episcopus in Collatione Carthaginensi aliud adserens est omninò hallucinatus. Inductionis caussam adducit laudatus Theorianus. *Fortaßis, sanctißime Domine, illius magni Athanasii librum adversùs Arianos quartum non legisti: Quippè si legisses, nullam mens tua succußionem experiretur. Nam ex eo cognoscere licet Arium tradidisse duas naturas Verbi, unam creatam & alteram increatam.* Arianum dogma audiamus ab ipso Athanasio in oratione, horum in Niceno Symbolo verborum, *Deum de Deo*, expositiva. *Qui ista dicunt, non verentur distinguere Verbum à Filio, dicereq; aliud quidem esse Verbum, aliud autem Filium, priùsq; fuisse Verbum, deindè Filium. Est autem istorum hominum diversa temeritas. Isti enim hominem, quem adsumpsit Salvator, Filium esse volunt; hi contra utrumque simul hominem & Verbum Filium tunc genitum fuisse, cùm ista in unum coaluissent. Alij rursùm sunt, qui affirmant tunc Filium effectum esse, cùm hominem induisset: Ex Verbo enim, aiunt, factus est Filius, cùm anteà Filius non esset, sed Verbum dumtaxat.* Pergit Theorianus. *Igitur adversùs hanc opinionem magnus ille Athanasius dimicans unam naturam Sermonis seu Verbi incarnatam dicebat; non unam increatam & Dei substantiæ propriam, aliam creatam & ab eodem alienam.* Deum Verbum ac Deum Filium dixit esse diversa solùm nomina, rem penitùs eandem, unamque naturam, atque eam incarnatam esse Dominum nostrum Jesum Christum. *Et hinc beatus ille Cyrillus id Verbum mutuatus est.* Respondit que Niercesses. *Plurimùm mihi profecisti, mi frater. Ignorabam enim ex hæreticis aliquem id dixisse. Nunc mea mens perceptis magni Athanasii verbis quietem adepta est.*

I. 229. Eodem modo sanctum Athanasium in Photij Bibliotheca exponit sanctus Efremius Patriarcha Antiochenus. *Una natura incarnata nihil aliud ostendit, quam unam personam Dei Verbi oportere incarnatam prædicare. Quæ sententia est fidei nostræ & Synodi Chalcedonensis. Confessor enim Athanasius ait unam tantùm naturam Dei Verbi incarnatam, non ad tollendam naturarum differentiam, sed ipse volens ostendere unum esse Filium incarnatum cum Paulo Samosatensi præcipuè pugnat, qui alium ante secula Filium, alterum verò posteà summâ dementiâ asseruit.* Et infrà. *Sapiens ille vir, Iulius* Pontifex Romanus, à quo, utique in Epistola illi ab Apollinaristis adficta, eandem propositionem probari blaterabant Eutychianistæ, *id contra Paulum Samosatensem prolatum esse declaravit. Una natura in Christo pro hypostasi à Iulio relicta est: Naturam pro hypostasi accepit.* Adstipulatur apud eundem Photium sanctus Eulogius Pa-

triarcha Alexandrinus. UNA *hic* NATVRA *pro persona dicta est*, INCARNATA *verò pro humana natura, ut nihil intersit dicere* VNAM VERBI NATVRAM INCARNATAM, *vel unam verbi personam adsumpsisse naturam humanam.* Et pacis inter Cyrum Alexandriæ Patriarcham ac Theodosianos initæ hic fuit sextus articulus: *Si quis non confitetur ex duabus naturis unum Christum, unum Filium,* VNAM DEI VERBI NATVRAM INCARNATAM, *secundùm sanctum Cyrillum, sive unam subsistentiam compositam, anathema sit.* Scio pacem illam ultrò citròque fuisse hæreticam: Attamen solum ejus septimum de unica Domini operatione articulum Ecclesia semper improbavit. Quod vox *natura* à Patribus, etiam sancto Athanasio, fuerit non raro accepta pro persona seu hypostasi, superiùs ad Synodi Ephesinæ Capitula est abundè ostensum. Ostensum est eandem acceptionem fuisse sancto Cyrillo familiarem: Eâque ille usus videtur, quoties dixit Dominum Jesum Christum esse *unam Dei Verbi naturam incarnatam.* Quocircà probare nequeo hæc verba sancti Joannis Damasceni in libris de orthodoxa fide. *Sanctus Cyrillus Verbi naturam in natura* humana *collocavit*, id est, in nostra hac propositione vocem, *Natura*, non pro hypostasi, sed pro natura accepit. Addit Damascenus. *Consimilem etiam in modum Leontius Byzantinus de natura hunc* sancti Cyrilli in literis ad Successum Episcopum *locum intellexit, non de persona.* At neutrius argumenta evincunt, potiùsque est Eulogio ac Efremio Patriarchis adhærendum. Et fatetur Damascenus vocem *Naturà* à sancto Cyrillo quandoque omninò accipi pro persona.

L. 230.

L. 3. c. 11.

Rectè item sanctus Efremius sanctum Athanasium, quem Theorianus contra Arium & Arianos, loqui asserit contra Paulum Samosatensem. In laudata enim oratione pergit sanctus Athanasius. *Quidam ex discipulis Samosatensis, dividentes Verbum à Filio, dicunt Filium quidem esse Christum, Verbum tamen alium.* Et infrà. *Stolidè discipuli Samosatensis id seiungunt, quod manifestè demonstratur unitum fuisse cum homine ex Maria genito.* Singulos hosce cum suis fundamentis obsoletos errores non vacat disquirere atque elucidare: Liquet à Samosatensibus quoque discipulis aliam Deo Verbo, aliam Dei Filio adfictam naturam ac personam, atque ità etiam adversùs illos sanctus Athanasius prædicat unicam Dei Verbi naturam, unicamque hypostasin in homine adsumpto incarnatam. Notanda sunt verba: *Quidam ex discipulis Samosatensis.* Ipse etenim Samosatensis magister de Christo Domino & Deo Verbo sensit plenè cum Sabellio ac Judæis, illum docens purum hominem, ex eis ipsis, quibus postmodùm usus Nestorius, argumentis, eâdemque blasphemiâ laboravit omninò etiam Arius. Eorum

F. 286.

discipuli, quò lucida Divinarum Scripturarum de Divini Verbi æternitate testimonia eluderent, cæperunt Verbum à Filio, tamquam æternum à temporali, separare. Et hinc adversùm Arianos de hac distinctione disputans S. Athanasius frequenter concludit in hunc modum: *At istiusmodi est Samosatensis sententia, quam vos toto animo & ope fovetis, titulo dumtaxat Samosatensium, ob metum hominum repudiato.* Distinctionem asseverat esse vanam, merumque pallium erroris Samosatensis.

Quocircà Petrus Diaconus, alijque Schytarum monachorum ad Romanam Ecclesiam Legati, optimè scribunt ad sanctum Fulgentium, ac alios Africanos Episcopos in Sardiniam à Wandalis deportatos. *Iuxta sanctorum Patrum traditionem, Dominum nostrum Iesum Christum in duabus naturis unitis & inconfusis, id est, Divinitatis & humanitatis, in una persona sive subsistentia confitemur: Nec illis acquiescentes, qui* VNAM DEI VERBI NATVRAM INCARNATAM *prædicantes, venerabilis Chalcedonensis Concilij fidem refugiunt, nec illos admittentes, qui duas naturas dolosè pronunciantes,* VNAM DEI VERBI NATVRAM INCARNATAM *minimè confitentur, æstimantes hoc duarum naturarum professioni contrarium: Quasi aliquid aliud, quàm duas naturas ineffabiliter unitas* VNA DEI VERBI NATVRA INCARNATA *significet.* Ostendunt propositionem esse æquivocam, atque tam ab orthodoxis quàm Eutychianistis in sensus oppositos usurpari: Ob latentes horum in ipsa dolos nolunt simpliciter admittere, ob sanctorum Athanasij & Cyrilli auctoritatem verentur damnare aut circumscribere, ideòque de ipsa ambulare permissa aperiunt suum sensum. Et hocce eorum judicium à præsenti Capitulo confirmatur. Hujus porrò propositionis nullam in responsorio de Incarnatione & gratia Christi libro mentionem fecit sanctus Fulgentius, quod ea contentio vexârit solas Orientales Ecclesias, latinis penitùs ignota.

Cap. 2.

CAPITVLVM X.

SI quis non confitetur Dominum nostrum Iesum Christum, qui crucifixus est carne, Deum esse verum, & Dominum gloriæ, & unum de sancta Trinitate, talis anathema sit.

SCHOLION.

POst exstinctum ab Hormisda Pontifice & Justino Augusto schisma Acacianum remansit lis de hisce tribus æquivocis propositionibus:

nibus: *Christus est unus è Trinitate, Sacra Virgo est Deipara, Deus seu unus è Trinitate est passus atque crucifixus.* Per eas & Eutychiani & Nestoriani in invicem atque Catholicos digladiati Romanam Rempublicam ac omnem sub cœlo Ecclesiam dirè concusserant, sperantes tandem evertere Synodum Chalcedonensem. Lis præcipua fuit de propositionibus prima & tertia conflatis in hanc unam: *Vnus è Trinitate est passus.* Ejus exordium edicit Liberatus Diaconus Carthaginensis in Cap. 10. Breviario. *Proclus* Constantinopolitanus Episcopus *accipiens Armeniæ Episcoporum* adversùs Theodori Mopsuestensis Episcopi scripta *libellos*, nec non quoddam ejusdem *Theodori volumen, diligentiùs utraque examinans tomum Armenijs scripsit & dictavit, in quo ad intermendas Nestorianorum versutias, qui duas in Christo inducunt personas, posuit* VNVM DE TRINITATE INCARNATVM. Hæc sunt Procli verba. *Dicentes paßibilem Deum, id est, Christum, confitemur eum non esse passum, quod est, sed quod factus est, id est, propriâ carne. Et ità prædicantes nullo modo fallimur: Quoniam quidem* VNVM EX TRINITATE SECVNDVM CARNEM CRVCIFIXVM *fatemur, &* DIVINITATEM PASSIBILEM *minimè blasphemamus.* Taxat hanc Acacij Melitinensium in secunda Armenia Metropolitæ, unius ex consultantibus, propositionem, *Deitas est paßibilis*, ad quam, ut impijssimam Apollinarij blasphemiam, Theodosius Augustus non ità pridem vestimenta lacerârat. Et quia dolosa Nestorij hæresis grassabatur per Orientalem præsertim Diœcesim, Joanni Antiocheno Patriarchæ ac ejus Synodo tomum seu Rescriptum suum direxit idem Proclus subscribendum, fuitque omninò subscriptus. Procli namque, utpotè sancto Joanni Chrysostomo familiarissimi olim Diaconi ac discipuli, erat apud Ecclesiam summa auctoritas: Atque exindè Eutyches & ejus asseclæ cæperunt propositionem illam, nequissimè intellectam, adsumere in palmare erroris sui fundamentum. Etenim Dorotheus & Carosus, impudentissimi monachi, ausi sunt blaterare ad omnem Synodum Chalcedonensem: *Salvatorem nostrum Iesum Christum ex Trinitate esse fatemur, credimus illum passum Trinitatis esse, & aliam fidem non novimus.* Act. 4. Et hanc audaciam notat Dioscorus Romanæ Ecclesiæ Diaconus, & ad Justinum Augustum ac omnem Ecclesiam Orientalem Legatus, in literis ad Hormisdam Pontificem: *Istud & Eutychetis discipuli in Synodo Chalcedonensi* Relat. 1. *proposuerunt.* Attamen eos nullus illic Episcopus de istis verbis repre- post Ep. 65 hendit: Quin immò, uti laudatus Carthaginensis Diaconus advertit, plena Synodus Chalcedonensis in Relatione ad Martianum Augustum laudavit & probavit jam dictas Procli & Joannis Epistolas, quibus hæc nostra propositio, ut orthodoxa, stabilitur.

Do-

Dorothei & Carosi vestigia secutus est Petrus Fullo, Pseudo-Patriarcha Antiochenus, homo etiam profano sacri Trisagij additamento & varia in Ecclesiæ ritus attentatâ novitate infamis, adversùs quem scribit Felix tertius Pontifex. *Ex pluribus Orientalibus Provincijs literas suscepimus, significantes nobis, quomodò Veneratio tua dudùm sopitum Valentini dogma resumpsit, & irritatur à vobis Salvatoris incarnatio, quoque in Manichæorum dogma, & Arij, & Apollinaris, Paulíq; Samosatensis inciditis.* Et post quædam. *Tu in Ecclesia ausus es dicere, quod* VNVS INCREATÆ ATQVE INDIVIDVÆ TRINITATIS PASSIONEM SVBIIT: *Et per hoc consubstantialem Trinitatem solvere niteris, ac Deum subijcere numero,* seu inducere plures Deos. Et in literis ad Zenonem Augustum. *Petrus, primogenitus Diaboli filius, qui sanctæ Antiochenæ Ecclesiæ indignißimè se ingeßit, ausus est dicere non oportere Christum etiam Dei Filium nominare secundùm Divinam Salvatoris sanctionem, & traditionem Divinarum Scripturarum, Patrumq; expositionem, sed* VNVM DE TRINITATE PASSIONEM PRO NOBIS PERTVLISSE *in substantia Deitatis, iuxta Arij, & Apollinaris, Eunomijq; blasphemiam, volens hâc voce evacuare salutarem Domini incarnationem, secundum quam* CHRISTVS PASSIONEM SVBIIT. Et Acacius Constantinopolitanus Episcopus, adhuc Sedi Apostolicæ obediens & orthodoxus, in literis ad eundem Fullonem. *Dicere* VNVM TRINITATIS PATI *ostendit ipsum Verbum passibile.* Petrus itàque Fullo distinxit inter hasce propositiones, *Christus est passus*, & *Deus Verbum* seu *unus è Trinitate est passus*, & primam abijciens secundam adsumpsit, cum Ario, Apollinari, Eutychete blasphemans passum Deum Verbum in ipsa Deitate. Munda erat ista propositio; attamen versatilis lana, quam sibi facilè poterat lupus circumponere, atque ex illa contagiosam rabiem in imperitam Christi plebem despumare. Hìnc eam abolevit & circumscripsit Felix Pontifex tamquam adversam phrasi Apostoli, qui non Deum, sed Christum passim maluit passum & mortuum prædicare. Et hìnc Quintianus, doctissimus Ecclesiæ Asculanæ sub eodem Pontifice Episcopus, eidem Petro misit hunc Anathematismum. *Si quis confundit duas Christi naturas, dicens* DEVM PASSVM CARNE, *& non* PASSVM CHRISTVM CARNE, *secundùm Apostolum, damnetur.* Rectè item dixit laudatus Pontifex à Fullonis dogmate solvi consubstantialem Trinitatem, ac induci plures Deos: Etenim Deus Pater impassibilis ac Deus Filius in Deitate passibilis nequeunt esse consubstantiales, ejusdem naturæ, aut idem & unus Deus. Horrendis Eutychianistarum turbis supervênit schisma Acacianum, atque ità invaluit ista adversùs Apostolicæ Sedis decretum propositio, & sub ipsa ut sub apto pallio blasphemus Fullonis error.

Suc-

Epist. 3.

Epist. 5.

Successerunt monachi Schytæ, cum Paterno Episcopo suo Metropolitano de eadem propositione litigantes, pro quibus Anastasius Augustus dictum schisma compositum velle simulans scripsit ad Hormisdam Pontificem. *His præfatis initiis, hortamur, ut ad ea, quæ de Schytiæ partibus mota sunt, undè & Concilium fieri convenire perspeximus, mediatorem se Apostolatus vester faciat, ut contentionibus amputatis, unitas sanctæ restituatur Ecclesia.* Et in alia ad eundem Pontificem Epistola. *Quia dubitationes quædam de orthodoxa Religione in Schytiæ partibus videntur esse commotæ, id specialiter Clementiæ nostræ placuit, ut venerabilis Synodus in Heracleotana,* totius Thracicæ, ad quam spectabat Schytia, Diœceseos Metropolitanâ *civitate Provinciæ Europæ celebretur, quatenùs concordantibus animis, & omni veritate discussâ, vera fides nostra omni terrarum orbi manifestiùs innotescat, ut deinceps nulla possit esse dubitatio. Quapropter Sanctitas tua, cum quibus placuerit reverendissimis Episcopis sub sui Sacerdotii cura constitutis, ad præfatam civitatem intra diem Calendarum Iuliarum venire dignetur.* Latebat anguis pessimus in formosa hac blandientium verborum herba, ideòque nequaquam Heracleam accessit Pontifex secutus morem suorum Antecessorum, sed Ennodium Ticinensem, & Fortunatum Episcopum Catanensem, Venantium Presbyterum, ac Vitalem Romanæ Ecclesiæ Diaconum legavit, aiens nùllâ opus esse Synodo novâ, sed solâ observantiâ fidei Chalcedonensis & dogmaticæ Epistolæ sancti Leonis. Multus, & irritus fuit Legatorum labor, atque ità tunc factum est, quod ad Pontificem ex alia postmodùm legatione scripsit Dioscorus Romanæ Ecclesiæ Diaconus: *Istud, præsentem propositionem, Anastasius Imperator magnoperè Catholicis imponere festinavit.* Et Victor Tonnonensis Episcopus ad Consulatum Joannis Gibbi: *Anastasius, Flaviano Antiocheno & Philoxeno Hierapolitano Præsulibus, Synodum congregat, & contra eos, qui non confitentur* VNVM DE TRINITATE CRVCIFIXVM, *unà cum Leone Episcopo Romano, & eius tomo, & Synodo Chalcedonensi inferre anathema persuasit.*

Post Ep. 1. Relat. 1.

Post Ep. 3. Relat. 1.

Post Ep. 65 Relat. 1.

Anastasio defuncto successit Justinus, Princeps pientissimus, tandemque per novos Romanæ Ecclesiæ Legatos, Germanum Capuanum Episcopum, Blandum Presbyterum, ac Felicem & Dioscorum Diaconos, & grandes eorum labores, exstinctum est schisma Acacianum, firmataque pax Ecclesiarum. Scribit verò Dioscorus ad Pontificem. *Et quia in his quotidie proficit Ecclesia, insidiator antiquus suscitavit monachos de Schytia, qui de domo Magistri militum Vitaliani sunt, omnium Christianorum votis adversarii, quorum inquietudo non parvas moras generavit unitati Ecclesiarum.* Eorum nomina edicit Comes Justinianus in literis ad Pontificem: *Eorum nomina sunt Achilles, Ioannes, Leontius*

& Mauritius. Leontius jactabat se *Parentem* laudati *Magistri militum,* qui unà cum Justiniano Comite in Justini Augusti palatio erat omnia: Utique parentem ex Baptismo, quomodò Eutyches monachus fuerat Crysaphio Eunucho. Joannes ille est Joannes Maxentius, de quo Dioscorus Legatus. *Maxentius, qui sub Abbatis vocabulo dixit se congregationem habere, si interrogetur, aut cum quibus monachis vixit, aut in quo monasterio, aut sub quo Abbate monachus factus est, dicere non potest. Similiter et si de Achille dicere voluero, rem facio supervacaneam, cui sufficit semper latere propter conscientiam suam ab omnibus Catholicis damnatam.*

Post Ep. 67 Relat. 1.

Hi itàque monachi, quomodò coram Romanis ad Anastasium Augustum, ità coram novis hisce ad Justinum Principem legatis mox in ipso ingressu proposuere sua, confirmari postulantes, Capitula, atque ità & Ecclesiarum paci moras injecerunt, & Legatis caussarunt tribulationes varias, de quibus ipsi ad Pontificem. *Monachi isti de sua Provincia Episcopos accusant, inter quos est Paternus Tomitanæ civitatis Antistes. Petitiones obtulerunt, & coacti piissimi Principis & Domini Vitaliani jussione frequenter ad audientiam caussæ convenimus, non quasi volentes nos in hisce negotiis occupare, quia nobis ante oculos sunt Beatitudinis vestræ præcepta, quibus præcepistis, ut caussæ tantùm, cui veneramus, intenti nullis aliis negotiis misceremur. Sed sperantes posse intentiones eorum pacari, descendimus. Et quia nobis diu laborantibus, & illis nullam suscipientibus rationem, nihil proficiebat in quo tendebamus, Clementissimus Imperator in conventu publico, ubi & nos interfuimus, Paternum prædictum Episcopum, & magnificum virum Vitalianum reduxit ad gratiam: Accusatores quoque eius suo præcepit Episcopo supplicare. Monachi verò cùm similiter ad concordiam quærerentur, fugâ lapsi maluerunt de civitate discedere, quam ad concordiam pervenire. Magnoperè ad Italiam venientes aliquanta Capitula proponere habent, inter quæ & VNVM DE TRINITATE CRVCIFIXVM continetur, sperantes ità confirmari ex auctoritate Beatitudinis vestræ, sicut & in aliis literis significavimus. Et modò hoc dicimus, ut nulla novitas à Sede Apostolica scribatur, quia & nos ante Imperatorem & ante Senatum hæc indicavimus, dicentes:* EXTRA SYNODOS QVATVOR, EXTRA EPISTOLAS PAPÆ LEONIS NEC DICIMVS, NEC ADMITTIMVS QVIDQVID NON CONTINETVR IN PRÆDICTIS SYNODIS, AVT QVOD NON EST SCRIPTVM A PAPA LEONE NON SVSCIPIMVS. *Quia si voluerit Dominus noster qualemvis novitatem scribere, peius erit istud initium, quàm illud, quod factum est per Eutychen. Sufficere debet Ecclesiæ, quod per sexaginta annos ab Eutychete usq; modò sustinuit. Nobis quod visum est scripsimus; in vestra potestate est deliberare, quod vobis Deus imperaverit: Quoniam hæc illi nituntur asserere, eo modo sibi satisfacere cupientes, ut ità profiteamur & dicamus* VNVM DE TRINITATE PASSVM ESSE, *quod nec Patres nec Synodi dixerunt.*

Post Ep. 65 Relat. 2.

Legati itàque Apostolici, licèt nullum de hac re à Pontifice habentes mandatum, compulsi audivêre monachos, qui propositionem suam videntes non probari, abiere, Legatis non salutatis, Romam, sperantes istic meliora. Addit Dioscorus Legatus in alia Relatione ad Papam. *Significastis mihi à monachis datam contestationem, ut non mihi hæretici iungerentur. Quos dicunt hæreticos, ego ignoro, nisi illos fortè, qui Synodum Chalcedonensem suscipiunt, quos ego Catholicos dico.* Nondumtaxàt à Legatorum judicio Romam appellavêre, sed & Legatos, præsertim Dioscorum, apud Pontificem accusaverunt de familiaritate & collusione cum Nestorianis: Nestoriani namque propositionem illam, utpotè sui erroris penitùs eversivam, hostilissimè insequebantur. Et certè monachorum suspicio potest habuisse aliquid fundamenti, & hæc Dioscori purgatio, *Nisi fortè illos, qui Synodum Chalcedonensem suscipiunt*, fuisse non plenè sufficiens. Eo namque tempore ob Principis orthodoxi metum & Eutychiani & Nestoriani Chalcedonensem Synodum pleno ore, ast corde dolosissimo profitebantur, uti liquèt ex hisce toties adversùm illos repetitis nostrorum Capitulorum verbis: *Et calumniatur Synodum Chalcedonensem, tamquam secundùm istum impium intellectum, &c.* Etiam hi ipsi monachi de Eutychiana lepra graviter suspecti eandem profitebantur, dicentes ad Legatos: *Nos Synodum Chalcedonensem suscepimus, hoc speramus, ut iubeatis eam nobis exponere, quia non sufficit sic, quomodò exposita est, contra hæresin Nestorianam.*

Post Ep 67 Relat. 1.

Pro eis Vitalianus Magister, adversùm eos Justinianus Comes, & præsertim Legati Apostolici stabant potentissimè, uti liquet ex eorum relatione jam addducta, nec non ex hac solius Dioscori. VNVM DE TRINITATE CRVCIFIXVM *nec in sanctis Synodis dictum est, nec in Epistolis sancti Papæ Leonis, nec in consuetudine Ecclesiastica. Quod si permittitur fieri, mihi videtur dissensiones & scandala non mediocria nasci inter Ecclesias. Istud Anastasius Imperator magnoperè Catholicis imponere festinavit: Istud & Eutychetis discipuli in Synodo Chalcedonensi proposuerunt. Quia quotiescumque Patres de Dei Filio Domino nostro Iesu Christo disputaverunt, Filium Dei Verbum consubstantiale Patri dixerunt: Iste autem sermo ideò numquam est in Synodis à Patribus introductus, quia procul dubio catholicæ fidei minimè poterat convenire. Cuius sermonis si subtiliter attendatur intentio, ad quantas hæreses pateat, & quæ mala per eum possunt Ecclesiasticis disputationibus introduci, quoniam longum est, præsentes poterimus insinuare. Vndè sanum mihi videtur & utile, & ad pacem Ecclesiarum conveniens, nihil aliud responsum dari, nisi:* SVFFICIT SANCTVM CHALCEDONENSE CONCILIVM, IN QVO ET ALIAE SYNODI CONTINENTVR; SVFFICIVNT EPISTOLAE PAPAE LEONIS, QVAS SY-

SYNODVS CONFIRMAVIT: NOVITATEM IN ECCLESIAM INDUCERE NEC VOLUMUS NEC DEBEMUS. Propositionem illam, licèt æquivocam, absolutè Eutychianam duxit Dioscorus, ideòque ab Eutychianistis, ac eorum fautore Anastasio Augusto, homine Manichæo, semper defensam. Et quam Romana adversùm eos Ecclesia constantissimè hucusque damnârat, nolebat nunc ut Catholicam probari: Indignissimè ferebat Chalcedonensem Synodum, tamquam adversùs errores Nestorianos insufficientem, traduci, & cui addi deberet, *Vnus de Trinitate est passus.* Dolosam aiebat esse subtilitatem, tendentem ad hoc, ut disputaretur de laudata Synodo: *Quod si factum fuerit, dubia & infirma ostenditur, & hæreticorum omnium patet errori.* Eam retractari Eutychianistæ à Martiano, Leone, Zenone, Anastasio Augustis, & quidem per preces horrendissimis in omnem Orientem facinoribus armatas, ipsique Augusti à Sede Apostolica instanter, at in vanum, postulârant: Longè minùs paucis monachis, & quidem adversùs Justini Principis pientissimi & ejus nepotis Justiniani sensum, volebat Dioscorus concedi.

Quid Romæ egerint insolentes monachi, audiamus ab ipso Pontifice Hormisda in literis ad Possessorem Africanum Episcopum, agentem tunc Constantinopoli. *Vbi non varij tentationis aculei? Quales per hunc ferè ingem annum quorumdam Schytarum, qui se monachos præ se ferebant specie, non veritate, subtili tectas calliditate versutias, & sub religionis obtentu famulantia odijs suis venena pertulimus, studentes eos medicinalis patientiæ moderamine sanare?* Eos dicit contentiosos, pertinaces, *contemptores auctoritatum veterum, novarum cupidos quæstionum, eò usque tumoris elatos, ut ad arbitrium suum utriusque orbis puteut inclinandum iudicium, nec in numero fidelium deputantes sequaces traditionis paternæ, si suæ viderint cedere nolle sententiæ.* Eos nec monitis nec auctoritate potuit Pontifex frænare. *In publicum usque prodière conventum, ad concussionem quietis circa Regum etiam statuas inclamantes*, id est, pro suis Capitulis à Pontificis judicio ad laicum Principem provocantes. Animabat ipsos sancti Fulgentij ac aliorum, sanctissimorum pariter ac doctissimorum, in Sardinia ob fidem Romanam exulantium Episcoporum auctoritas, quos ante Almæ urbis ingressum consuluerant, & laudati Fulgentij de Incarnatione & gratia Christi librum, tamquam commune suffragium, impetrârant mentiti se totius Orientalis Ecclesiæ Legatos: Infælicis enim insulæ circumscripto exilio vincti Episcopi Latini Græcorum lites & strophas ignorabant, ideòque hisce monachis fuerunt, limatissimo tamen & cautissimo vocum controversarum libramine, quasi patrocinati. Adeò verè Justinianus Comes

Epist 70.

Pon-

Pontifici scripserat eos esse solo nomine monachos, livoris & discordiæ, non charitatis & pacis studiosos. Longum sit eorum turbidos conatus edisserere. Nam per Vitalianum Magistrum in partem suam traxere tandem & ipsum Comitem Justinianum, fecerunt que ad Pontificem scribere in hæc verba. *Quidam asserunt Christum Filium Dei Dominum nostrum, pro salute nostra crucifixum*, VNVM DE TRINITATE *debere prædicari: Quod si suscipiendum sit, paternâ provisione Reverentia vestra cautissimo suo rescripto, quid sequi, quidve super hoc evitare debeamus, nos certiorare dignetur. Quoniam verba videntur facere dissensionem: Nam sensus inter Catholicos omnes unus esse probatur.* Addit monachos Romam accessisse *pro traditione Patrum & ordine regularum.* Et in alijs ad Pontificem literis. *Nobis videtur, quoniam Filius Dei Dominus noster Iesus Christus, quem prædicat summus Apostolorum carne passum, rectè dicitur* VNVS IN TRINITATE *cum Patre & Spiritu sancto regnare. Sicut enim videtur ambiguum dicere simpliciter* VNVM E TRINITATE, *non præmisso nomine Domini Iesu* CHRISTI, *sic eius personam in Trinitate cum Patris & Spiritus sancti personis non dubitamus esse.* Distinguit hasce propositiones; *Vnus è Trinitate est passus*, & *Christus unus è Trinitate est passus*: Posteriorem per additam vocem *Christus* existimat plenè securam ac liberam ab omni Eutychiano dolo, ideòque pro ejus comprobatione non desijt interpellare Pontificem, addens Ecclesiarum pacem alioquin periculo non carituram. Quin & omnes Antiochenæ & Hierosolymitanæ Diœceseos Episcopi & Clerici suas preces adjunxêre. Et reverà potuit esse dissensio de solis verbis: Verùm enim verò verba etiam cum addita voce *Christus* adhuc manebant ambigua, cothurnus ad omnem pedem aptus, lanaque versatilis, sub qua & orthodoxi agni, & Eutychiani lupi poterant occultari. Quocircà Legatorum suorum, præsertim Dioscori Diaconi, consilia & rationes, ac Antecessorum suorum judicium secutus Hormisda Pontifex propositionem proscripsit atque abolevit. Ad excludendos Eutychianorum dolos dici voluit, uti scribit Facundus Hermianensis Episcopus, *non unum de Trinitate pro nobis crucifixum, sed potiùs unam de Trinitate personam.* Loquendi formulam haud dubiè adversùs Petrum Fullonem statuit Felix Tertius. Hìnc enim hanc benè Fucatam monachorum Schytarum confessionem: *Trinitas etiam post incarnationis Mysterium Trinitas mansit, quia idem Deus Verbum, etiam cum propria carne*, VNVS EST EX TRINITATE, *non quod caro eius sit de substantia Trinitatis, sed quia caro Dei Verbi est, qui est* VNVS E TRINITATE. *Quapropter & Deum Verbum* CARNE PASSVM *dicimus*: Secundùm beatum Cyrillum in duodecimo adversùs Nestorium Anathematismo. Hanc, inquam, confes-

Post Ep. 65, Relat. 4.
Relat. 6.
Post Ep. 72 Relat. 2.
L. 1. c. 3.
C. 4.

fessionem, licèt orthodoxam, probare noluit in libro de incarnatione & gratia Christi sanctus Fulgentius, sed correxit ac polivit in hæc
Cap. 10. verba: *Non Trinitas, sed solus Filius, id est,* VNA E TRINITATE PERSONA, *Christus Dei filius unicus, carne conceptus est, & natus,* & crucifixus. Ex quo vides ejus patrocinium monachis impensum fuisse omninò plenum prudentiæ atque cautelæ.

At erant dies mali, & tempora periculosa: Ecce aliud malum. Exultaverunt ad Pontificis sententiam Nestoriani, de quibus idem Facundus. *Rectè dicitur &* VNVS EX TRINITATE CRVCIFIXVS, *& una ex Trinitate persona. Sed unam dicere personam Nestorianorum nova subterfugia minùs excludit, qui convicti innumeris testimoniis Patrum, quod Deus Verbum & adsumptus homo una persona sit, pro auctoritatis dignitate ab eis hoc existimant dictum, vel existimare se fingunt: Ut sic homo Iesus Christus dicatur Verbi gessisse personam, sicut etiam gessit Apostolus, qui scribens ad Corinthios dicit,* NAM ET EGO QVOD DONAVI, PROPTER VOS IN PERSONA CHRISTI. *Non ut unus idemq; esset Deus & homo.* Et Joannes Maxentius. *Secundùm hunc modum hæretici Christum asserunt unam esse ex Trinitate personam, non quod hic Christus* VNVS SIT E TRINITATE, *sed quia Dei Verbi in se habitantis personam habeat, quæ est una ex Trinitate, ut iam sic Vicarius quodammodò sive minister sit Dei Verbi Christus, non ipse Deus Verbum sit Christus: Quod quam sit impium, etiam ipsi, qui hoc asserunt, credo, animadvertunt. Hác denique calliditate unam quidem personam Christum fatentur è Trinitate,* VNVM *autem* E TRINITATE *eum penitùs nolunt confiteri.* Erat res utrimque admodùm perplexa. Hormisda Pontifex excluserat quidem dolos Eutychianos, at porta latissima patebat Nestorianis, palàm gloriantibus ex Romanæ Ecclesiæ decreto Christum pro nobis crucifixum non esse unum è Trinitate, adeòque non esse Deum, sed hominem purum.

Quocircà Justinianus ex Orientis Comite factus totius mundi Princeps Augustus ad Joannem secundum Pontificem legavit Hypatium Ephesinum & Demetrium Archi-Episcopum Philippensem cum hisce literis. *Manifestum facimus vestræ Sanctitati, quod pauci quidam infideles contradicere Iudaicè & Apostaticè ausi sunt adversùs ea, quæ ab omnibus Sacerdotibus secundùm vestram doctrinam rectè tenentur, denegantes Dominum nostrum Iesum Christum esse* VNVM SANCTÆ TRINITATIS. *Videntur Nestorii sequi malam doctrinam, secundùm gratiam dicentis unum Filium Dei, & alium Christum.* Addidit propositionem admitti ab omnibus per Orientem Episcopis & monachis, refutari à solis Nestorium professis aut de illo suspectis, ipsamque ad eorum destruenda latibula esse omninò admittendam. Neque curandum de Eutychiani-

nistis: Eorum technas jam abundè notas. Et laudatam propositionem non esse in Ecclesia novam aut peregrinam: Eam varijs in locis adseri à sancto Augustino. Loca hæc varia adduxit Princeps, haud dubiè edoctus ab Africanis Episcopis & Clericis, quorum tunc ad Regiam urbem erat frequens accessus.

Habuit propositio etiam potentissimos adversarios, monachos Acæmetas seu insomnes, Sedis & obedientiæ Apostolicæ in Acaciano schismate strenuos defensores. Romam legavêre Cyrum & Eulogium doctissimos, urgentes circumscriptionis signaculum à Felice tertio & Hormisda Pontificibus, propositioni adpositum solvi non posse sine prævaricatione, & comprobatione aut sanè grandi fomento iniquitatis Eutychianæ. *Inter hæc ambigua*, inquit Dominus Cardinalis Baronius, *dum varia hinc indè* à Romanæ Ecclesiæ Proceribus *decerentur, Anatolius Diaconus consuluit Ferrandum Diaconum Ecclesiæ Carthaginensis, virum doctrinâ insignem, quæ ipsius esset de proposita quæstione sententia*: Immò quæ esset sententia sancti Augustini, in cujus auctoritate fundabat preces suas Justinianus Augustus. Ferrandus consuluit sanctum Fulgentium, totius Africæ eo tempore Magistrum, à quo tunc scriptus est liber exponens ejus quæstiones, quas inter est & hæc nostra. Et à Ferrando & à Fulgentio responsum est: *Rectè dici* VNVM DE TRINITATE PASSVM, *sed securiùs addi* PASSVM CARNE. Utique ad excludendos dolos Eutychianistarum.

Rei finem audiamus à Liberato Diacono Carthaginensi, teste etiam oculato. *Ioannes Sedis Apostolicæ cæpit Præsulatum. Ad quem missi sunt ab Imperatore Iustiniano Hypatius Ephesiorum Episcopus, & Demetrius à Philippis, consulere Sedem Apostolicam contra Legatos Acæmetarum Cyrum & Eulogium, negantes esse confitendum* VNVM DE TRINITATE INCARNATVM & CARNE PASSVM. *Sed Papa Ioannes hoc confitendum Epistolâ suâ firmavit, & Imperatori direxit. A cuius communione discedentes Romæ quidam Acæmetarum Legatos secuti sunt, & usque nunc hanc de Christo confessionem non suscipiunt.* Credidêre Ioannem Pontificem ab Hormisdæ Antecessoris, licèt non fide, tamen decreto ad Ecclesiæ pacem & puritatem necessario dissonum, & colludentem aut certè conniventem Theodoræ Augustæ, de qua in Chronico Victor Episcopus Tonnonensis. *Theodoræ Augustæ factione Iustinianus Augustus* VNVM DE TRINITATE PASSVM, *non adserens secundùm quid, sed absolutè suscipiendum, cunctis generali lege imponit: Atque à Clericis & monachis subscriptiones violenter exegit. Qua de caussa plurimi se ab Ecclesia & Epiphanij Constantinopolitani Episcopi ad hæc tacentis commu-* Cap. 20.

nio-

nione subtraxerunt, & monachi à proprys monasterys recesserunt, asserentes sibi sufficere fidem eorum, qui in quatuor Synodos convenerant. Theodoræ Augustæ palàm ac nequiter Eutychianæ commixtio reddebat suspecta omnia: Insomnes monachi existimabant Iustinianum Anastasio, Epiphanium Patriarcham & Ioannem Papam similes Flaviano Antiocheno & Philexeno Hierapolitano Episcopis, quorum pro eadem propositione temeritatem suprà audivimus à Dioscoro Romanæ Ecclesiæ Diacono, & laudato Episcopo Tonnonensi. Et sanè laici Principis Edictum, quo *unus è Trinitate* non secundùm quid, id est, non additâ voce *Christus*, aut voce *in carne*, sed absolutè prædicabatur passus & crucifixus, isto tempore non poterat non esse suspectũ. Quare monachi non sine fundamento putarunt etiam Ioannis Papæ communionem refutari. Verùm ille firmis anchoris nitebatur: Duodecimo sancti Cyrilli adversùs Nestorium Capitulo, per Ephesinam Synodum, Romanam Sedem, ac omnem sub cœlo Ecclesiam comprobato, judicio Ferrandi Carthaginensis Diaconi atque totius Ecclesiæ Africanæ, nec non auctoritate variorum Patrum, præsertim sancti Augustini, cujus & addidit hocce aureis literis in omnì schola & Ecclesia scribendum elogium. *S. Augustini doctrinam, secundùm Prædecessorum meorum statuta, Romana sequitur & servat Ecclesia.* Acæmetas monachos à communione suspendit, nisi acquiescerent, tamquam Nestorij fautores damnandos. Quæ omnia ad Iustiniani Augusti preces
Epist. I. confirmavit Ioannis successor Agapetus in hæc verba. *Cupis, venerabilis Imperator, ut tuæ Pietatis Epistolam, de fidei vestræ expositione nuper ad beatæ memoriæ Prædecessorem nostrum Ioannem per Hypatium atque Demetrium Episcopos destinatam, atque à præfato Præsule roboratam, nostrâ quoque auctoritate firmemus: Laudamus, & amplectimur, confirmamus, atque roboramus.* Etiam Facundus Hermianensis facundissimè laudat ac defendit, tandemque ad ejusdem Principis preces nostra hæc Synodus præsenti Capitulo in perpetuam Ecclesiæ Regulam provexit. Addit: *Crucifixus carne.* Ob auctoritatem Romanæ Ecclesiæ: Quod namque decreto suo addiderit, Ferrandi Diaconi consilium ad Eutychianos dolos excludendos secutus, etiam Ioannes Pontifex, testatur disertè Liberatus. Neque Pontifex, neque Synodus suspecta esse voluit de conniventia cum Theodora Augusta, non secundùm quid, sed absolutè præsentem propositionem susceptam volente. Etiam *ipse* Justinianus in supplicibus ad Pontificem literis addiderat vocem *Carne.* Integer non est hac in re Victor Tonnonensis: Quis enim nesciat Iustinianum in dogmatis caussa Conjugi Theodoræ nihil concessisse?

Ex

Ex quo vides eandem æquivocam propositionem posse ab Ecclesia successivè & probari & damnari. Etenim propter subdolos, & communibus vocibus, tamquam communibus lanis, tectos hæreticos facit frequenter Ecclesia de signis vocalibus, quod propter versipelles Manichæos de signis sacramentalibus fecit sanctus Leo magnus Pontifex, dicens ad populum in quarto sermone de quadragesima. *Cùm* Cap 5. impij Manichæi *ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysterijs, ità in Sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutiùs lateant. Ore indigno Christi corpus accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omninò declinant. Quod ideò vestram volumus scire Sanctitatem, ut nobis huiusmodi homines & his manifestentur indicijs, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & proditi à sanctorum societate, sacerdotali auctoritate, pellantur.* Dominus Stanislaus Cardinalis Hosius, & cum illo Synodus Petricoviensis, statutum hoc emanasse existimant adversùs nescio quem paradoxum Nestorij de sancta Eucharistia errorem: At certum est emanasse contra Manichæos. Communio sub sola panis specie fuit olim non tantùm licita, sed & recepta in multum usum Ecclesiarum, etiam Romanæ: At quoniam profani Manichæi sub illa, tamquam sub ovina pelle, lupum obtegebant, eam Româ proscripsit & abolevit Pontifex, præcipiens per Italiam omnibus & singulis speciem utramque, adeò ut omnis se à Calice sacro abstinens esset suspectus de Manichæismo, tamquam id non faciens Christianâ libertate, sed servili atque hæreticâ superstitione, quæ vinum abominatur & horret, quasi sit non Dei creatura & Sacramenti elementum, sed maledictum fel Principis tenebrarum. At verò hæc nostra novissimorum dierum tempora infælicissima in mundum abortivêre Hussitas, Lutheranos, & Calvinistas, laici populi sub sola panis specie communicandi morem, ex gravissimis ac justissimis caussis jam pridem inductum in omnem Ecclesiam latinam, damnantes tamquam adversum Christi Domini instituto ac Legi Evangelicæ: Hìnc Constantiensis & Tridentina Synodus proscripsêre communionem sub utraque specie, ut quisquis illam attentârit, tractetur ut professus Hussita, Lutheranus, aut Calvinista. Dictæ Synodi & sanctus Leo statuerunt omninò contraria, attamen uno spiritu: Quomodò in luto & cera idem sol eâdem virtute adversas qualitates; ità idem sanctus Jesu Christi Spiritus per varios ejusdem potestatis Rectores Ecclesiasticos in diversis temporibus aut locis ob adversas rationes adversa & contraria decreta operatur. Vivit & manet sub illis invariata fides, quomodò idem invariatus homo sub alijs & alijs vario tempore vestimentis. Eodem jure præsentem Propositionem Felix

tertius & Hormisda, item Joannes secundus & Agapetus Pontifices tractârunt. In Istiusmodi, inquam, æquivocis propositionibus, non orthodoxa sententia damnatur, sed circumscribuntur solæ voces, earumve nescio qui occulti sinus & secreti recessus, in quibus dolosi hæretici possint fætidos suos vomitus abscondere, & nostris exindè simplicioribus tamquam ex formoso poculo mortiferam potionem propinare. Hìnc nebulonibus istis profligatis, omniq́ue insidiarum soluto metu, possunt voces illæ in pristinam reddi libertatem. Fit illis, quomodò mundis vestibus, quibus quis immundus affricuit suam scabiem: Quomodò eleganti domui, quam quis leno occupavit ac prostitutam sanavit in lupanar: Quomodò amænis sylvis, quas homicidę & latrones demutârunt in specum ac asylum suarum insidiarum. Vitia hæc sunt & rebus & vocibus adventitia, & contra naturam violenta, ideòq́ue sanabilia. Nam sanctus Paulus primus Anachoreta sanctissimo incolatu suo purgavit specum suam, de qua sanctus Hieronymus: *Hunc locum Ægyptiorum literæ ferunt furtivæ monetæ officinam fuisse, eâ tempestate, quâ Cleopatræ iunctus est Antonius.*

CAPITVLVM XI.

SI quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Nestorium, Eutychen, Origenem cum impijs eorum conscriptis, & alios omnes hæreticos, qui condemnati, & anathematizati sunt à sancta Catholica & Apostolica Ecclesia, & à prædictis sanctis quatuor Concilijs, & eos qui similia prædictis hæreticis sapuerunt, vel sapiunt, & usque ad mortem in sua impietate permanserunt, vel permanent, talis anathema sit.

CAPITVLVM XII.

SI quis defendit impium Theodorum Mopsuestenum, qui dixit alium esse Deum Verbum, & alium Christum à passionibus animæ & desiderijs carnis molestias patientem, & à deterioribus paulatim recedentem, & sic ex profectu

operum melioratum, & à conversatione immaculatum factum, & tamquam purum hominem baptizatum esse in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti, & per Baptisma sancti Spiritus gratiam accepisse, & filiationem meruisse, & ad similitudinem imperialis imaginis in persona Dei Verbi adorari, & post resurrectionem immutabilem cogitationibus, & impeccabilem omninò factum fuisse. Et iterùm dixit idem impius Theodorus, talem factam esse unitionem Dei Verbi ad Christum, qualem dixit Apostolus de viro & muliere: ERVNT DVO IN CARNE VNA. Et super alias innumerabiles blasphemias ausus est dicere, quod post resurrectionem cùm insufflasset Dominus discipulis, & dixisset, ACCIPITE SPIRITVM, non dedit eis Spiritum sanctum, sed figuratim tantummodò insufflavit. Ipse enim & confessionem, quam fecit Thomas, cùm palpasset manus, & latus Domini post resurrectionem dicens, DOMINVS MEVS, ET DEVS MEVS, inquit non esse dictam à Thoma de Christo. Nec enim dicit Theodorus Deum esse Christum, sed ad miraculum resurrectionis stupefactum Thomam glorificasse Deum, qui Christum resuscitavit. Et quod pejus est, etiam in interpretatione, quam in Actus Apostolorum scripsit Theodorus, similem fecit Christum Platoni, & Manichæo, & Epicuro, & Marcioni dicens, quod sicut illorum unusquisque ex dogmate, quod invenit, suos discipulos fecit vocari Platonicos, & Manichæos, & Epicuræos, & Marcionistas; simili modo & cùm Christus dogma invenisset, & ex ipso Christianos vocari. Si quis igitur defendit prædictum impium Theodorum, & impia eius conscripta, in quibus tam prædictas, quam alias innumerabiles blasphemias

 effu-

effudit contra magnum Deum & Salvatorem Iesum Christum, & non anathematizat eum, & impia eius conscripta, & omnes qui suscipiunt, vel defendunt eum, & dicunt orthodoxè eum exposuisse, & qui scripserunt pro eo, & eadem illi sapuerunt, vel scribunt pro eo, vel impijs eius conscriptis, & eos qui similia illi sapiunt, vel aliquando sapuerunt, & usque ad mortem permanserunt, vel permanent in tali impietate, talis anathema sit.

CAPITVLVM XIII.

SI quis defendit impia Theodoreti conscripta, quæ contra rectam fidem, & contra primam Ephesinam sanctam Synodum, & sanctum Cyrillum, & duodecim eius Capitula exposuit, & omnia quæ conscripsit pro Theodoro & Nestorio impijs, & pro alijs, qui eadem prædictis Theodoro & Nestorio sapuerunt, defendens eos, & eorum impietatem, & propter hoc impios vocans Doctores Ecclesiæ, qui unitatem secundùm subsistentiam Dei Verbi ad carnem confitentur, & non anathematizat ea, & eos qui similia eis sapuerunt, vel sapiunt, insuper autem & omnes, qui scripserunt contra rectam fidem, & sanctum Cyrillum, & duodecim eius Capitula, & usque ad mortem in tali impietate permanserunt, talis anathema sit.

CAPITVLVM XIV.

SI quis defendit Epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam hæreticum scripsisse, quæ abnegat quidem Deum Verbum de sancta Dei Genitrice semper Virgine Maria incarnatum, hominem factum esse, dicit autem purum hominem

ex ipsa natum esse, quem templum vocat, ut alius sit Deus Verbum, & alius homo, & sanctum Cyrillum, qui rectam fidem Christianorum prædicavit, tamquam hæreticum, & similiter Apollinario impio scripsisse criminatur, & inculpat primam Ephesinam sanctam Synodum tamquam sine examinatione, & quæstione Nestorium condemnantem, & duodecim Capitula sancti Cyrilli impia, & contraria rectæ fidei vocat eadem impia epistola, & defendit Theodorum, & Nestorium & impia eorum dogmata, & conscripta. Si quis igitur memoratam impiam epistolam defendit, & non anathematizat eam & defensores eius, & eos qui dicunt eam rectam esse, vel partem eius, & eos qui scripserunt vel scribunt pro ea, vel pro impietate quæ in ea continetur, & præsumunt eam defendere, vel insertam ei impietatem nomine sanctorum Patrum, vel sancti Chalcedonensis Concilij, & in his usque ad mortem permanent, talis anathema sit.

S C H O L I O N.

HÆc sunt tria Chalcedonensis, vel potiùs Episcoporum post peractam Synodum ad Martiani Augusti preces Chalcedone remanentium Capitula seu decreta, per hanc nostram Synodum retractata & correcta, compendio expressa ab Eustatio Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbytero in vita sancti Eutychij Patriarchæ Constantinopolitani: *Theodoreti scripta contra duodecim Capita sancti Cyrilli, Epistola Ibæ* Edesseni Archi-Episcopi *ad Marim Persam* Episcopum *conscripta, & Theodori Mopsuestiæ* in secunda Cilicia *Episcopi Iudaicæ nugæ & maledicta.* Passim vocatur *scandalum trium Capitulorum.* Et meritò. Fuit scandalum adeò enorme, ut ejus motor Theodorus, Cæsareæ in Cappadocia Archi Episcopus, moriens, teste Liberato Diacono Carthaginensi, desperabundè exclamârit *se & Pelagium*, Romanæ Ecclesiæ Diaconum, *Vivos incendendos, per quos hoc scandalum introivit in mundum.* At Pelagium, utpotè innoxium, iniquè sibi adsociavit. Qui tria famosa Capitula existimant fuisse tria à Schytiæ monachis agitata, errant toto cœlo.

DIS-

natus. Plurimos Palestinæ monachos fuisse hoc tempore ex Origene leprosos testatur etiam Cyrillus monachus in vita sancti Euthymij, sancti Quiriaci, & sancti Sabbæ Abbatum, à quorum postremo per Petrum Hierosolymæ Patriarcham ad Comitatum Legato ait rogatum fuisse Principem in hæc verba. *Origenis dogmata conturbant Ecclesias. Et ideò à Tua Potentia magnum adhibendum est studium, ut tantùm malum procul expellas. Hæc si feceris, in Deo confido fore, ut mox dives sequatur remuneratio, Romaq; universa & Carthago cernentur rursùs partes tui imperij.* Pergit Cyrillus. *Vt magnus pollicitus est Sabbas, Africa universa & Roma eius accesserunt imperio.* Jure itàque Justinianus in Origenis damnationem propendebat.

Facta est damnatio ante quintam Synodum à Menna Patriarcha & Pelagio Diacono in Synodo ex Episcopis ob negotia propria in Regia civitate repertis, qualium Synodorum mos & dignitas sunt abundè superiùs elucidata. Et quoniam Romani Pontificis ac reliquorum Patriarcharum confirmatio accessit, damnationi nihil defuit ad irretractabilem auctoritatem. Ejusdem confirmatricem legem Iustiniani, directam ad Mennam Patriarcham, publicavit D. Cardinalis Baronius. Verè nihilominùs addit Cyrillus monachus. *Post hæc cùm sancta & Oecumenica quinta Synodus congregata fuisset Byzantij, Origenes & impia de praexistentia & restitutione dogmata generali fuerunt subiecta anathemati.* Et sanctus Sophronius Hierosolymæ Patriarcha in literis ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum, lectis & probatis à Synodo sexta, post quatuor primas Synodos profitetur & quintam, ad-
Act. 11. dens de ipsa. *Perimit ac in interitum proijcit principaliter Origenem insanum & omnes eius pomposas somnolentias, & plena multæ impietatis commenta: Evagrij quoque & Didymi cum eo dogmata, nec non & fabulosa deliramenta.* Et Constantinus quartus Augustus in Edicto sextæ Sy-
Act. 18. nodi confirmatorio. *Suscipimus quoque & quæ in temporibus Iustiniani Divæ memoriæ in nostra fælicissima civitate congregata est Synodus contra Dei impugnatores Origenem videlicet, Didymum & Evagrium.* Et plena septima Synodus in sermone acclamatorio ad Principes. *Etiam Origenis, & Evagrij, & Didymi fabulas anathematizamus, sicuti & Constantinopoli congregatum quintum Concilium egisse dignoscitur.* Et Pseudo-Sy-
L. 2. nodus latrocinalis contra sacras imagines. *Quæ Constantinopoli convenit Synodus sub Iustiniano Divæ recordationis, anathematizavit Origenem, Evagrium, Didymum cum paganis conscriptis eorum.* Ex quibus patet labi nuperum Apologum, ausum scribere Origenem à quinta Synodo minimè fuisse damnatum. Damnatus est non obstante Domi-
L. 4. c. 4. tiani in prima Galatia Ancyrensis Episcopi Metropolitani ad Vigi-

lium

lium Pontificem provocatione & Apologia, relata à Facundo Hermianensi.

Repetitæ damnationis caussam edicit Evagrius Epiphaniensis. *Eustochius* Macarij de Origene suspecti, ideòque sede pulsi, post Petrum, datæ à Menna Patriarcha & Pelagio Diacono in Origenem sententiæ approbatorem, in sede Hierosolymitana Successor, *Vbi illi, qui Origenis dogmata tuebantur, cùm alijs in locis, tùm maximè in nova Laura invalescerent, omne studium eò contulit, ut eos expelleret. Qui ad novam profectus Lauram, omnes indè eiecit, & tamquam communem perniciem longè fugavit. Illi in varia loca dispersi multos in suam pellexerunt opinionem.* Adversùm hosce Gyrovagos existimat à quinta Synodo resumptam caussam Origenis & damnationem innovatam. At certum est labi. Longè enim aliter scribit Cyrillus monachus in vita sancti Sabæ. *Cum Deo conservandus Imperator misisset Hierosolymam ea, quæ in Synodo gesta sunt, & omnes Episcopi Palestinæ manu & ore confirmassent & roborassent, præter Alexandrum Abilæum, qui ob hoc ab Episcopatu proiectus, & Byzantij à terræ motu absorptus est, quidam Novi-Laurenses à catholica se separarunt communione: At verò Patriarcha Eustochius diversis modis eos aggressus per octo menses admonitionem fecit circa illos, & precibus suis cùm non valuisset eis persuadere, quò Ecclesiæ catholicæ communicarent, Imperialibus iussionibus usus per Anastasium Ducem à nova illos Laura proiecit, Provinciamq; totam ab eorum pestilentia liberavit.* Non ergò ante, sed post Synodum facta est ista persecutio. Et hæc Cyrilli monachi verba, quæ desunt apud Laurentium Surium, habes in prima Actione septimæ Synodi. Codex D. Cardinalis Baronij legebat, *Eutychius*: At omninò, *Eustochius*, est legendum.

L. 4. c. 37. F. 397. A. 553.

Porrò Synodi nostræ adversùs Origenem Acta latent, aut interierunt: Interpolata haud dubiè per damnatos Origenistas. Nam septimam quoque & octavam Actionem fuisse à Monothelitis vitiatam ostenderunt in sexta Synodo Legati Sedis Apostolicæ, dixeruntque Gloriosissimi Judices: *Sed & in superiùs posita tertia Actione, dum relegeretur primus liber gestorum quinti Concilij, inventi sunt additi tres falsi quaterniones.* Mennæ Patriarchæ Constantinopolitani ad Vigilium Papam, & hujus ad Iustinianum Augustum ac ejus conjugem Theodoram literas suæ impietatis confirmatrices dictis Actionibus infarcinârant Monothelitæ, fueruntque per sextam Synodum de impostura convicti & puniti. Acta integra ad Theodelindam Longobardorum Reginam misit Gregorius magnus, ad sextam Synodum deportavére Legati Agathonis Papæ, variaque eorum exemplaria, latina & græca, in plures libros digesta, habebat tunc Ecclesia Constantino-

 poli-

politana. E cunctis in Origenem Actis hodiè habemus solùm undecimum Anathematismum seu Canonem, & Justiniani Augusti, Origenem denuò damnari postulantis, ad Synodum literas apud Georgium Cedrenum. Et quidem dictus Anathematismus præcedit Anathematismos contra tria Capitula. Item sanctus Sophronius in literis ad Sergium Constantinopolitanum, ubi dixerat à quinta Synodo damnatum cum Evagrio & Didymo Origenem, pergit: *Post quos & Mopsuestenum evellit Theodorum, scripta quoque Theodoreti, & Epistolam Ibæ.* Eodem modo loquuntur in locis suprà adductis Constantinus quartus & septima Synodus: Atque ità errat Nicephorus Calixtus volens tria Capitula ante Origenem damnata.

Damnata sunt ejus non solummodò scelerata dogmata, sed & mortua persona, quam etiam vivam fuisse damnatam verè Liberatus Carthaginensis affirmat. Confirmat apud Gennadium Massiliensem in catalogo virorum illustrium Theophilus Alexandrinus Episcopus, damnans in sua Synodo Origenem, *Ac simul edocens non à se eum primum, sed & ab antiquis Patribus, & maximè Heracla* Patriarcha Alexandrino *fuisse & à Presbyterio eiectum, & de Ecclesia pulsum, & de civitate fugatum.* Etiam à Demetrio Episcopo id factum ostendit Photius in Bibliotheca. Et in libris contra Ruffinum sanctus Hieronymus adducit Origenis Epistolam, quâ Demetrium lacerat, & in totius orbis Episcopos & Clericos invehitur, tamquam iniquè ab Ecclesijs excommunicatus. Excommunicationis fuit varia caussa. Unam principalem adducit laudatus Hieronymus in literis ad Pammachium & Oceanum. *Ipse Origenes in Epistola, quam scribit ad Fabianum, Romanæ Ecclesiæ Episcopum, pænitentiam agit, cur talia scripserit, & caussam temeritatis in Ambrosium refert, quod secretò edita in publicum protulerit.* Ambrosius erat vir nobilis ac opulentus, Origenis, per quem à Marcione conversus ad Ecclesiam, literarios labores juvans suis facultatibus. Aliam caussam adducit Justinianus Augustus in lege Origenianæ damnationis confirmatrice ad Mennam Patriarcham. *Origenes post atroces* doctrinæ suæ in Deum *blasphemias in ipso martyrij articulo Christum abnegavit, cultamq; à Paganis Deorum multitudinem, quam ipse inducit, adoravit: Atque ità Dei providentiâ factum est, ne in Ecclesia pro martyre acciperetur, atque indè gregi Christi inferretur aliquid detrimenti.* Pergit sanctus Hieronymus in libris contra Ruffinum. *Totus orbis*, utique ob dictas caussas, *in Origenis odia exarsit.* Et in alio libro. *Omnis tam Orientis quàm Occidentis Catholicorum Synodus pari sententiâ & spiritu illum hæreticum denunciat.* Eum cum Nestorio, Eutychete, Dioscoro, alijsque Hæresiarchis in inferno ardentem vidit & hospiti suo Theophani osten-

L. 118. / L. 2. c. 3. / Ep. 65. c. 4. / L. 1. c. 3. / L. 2. c. 6.

ostendit Quiriacus monachus, uti refert sancti Sophronij pratum spirituale. Quare ejus Apologum agere est æthiopem lavare. Cap.26.

At verò *Theodorus*, inquit Liberatus Diaconus, *Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, dilectus & familiaris Principum, secta Acephalus, Origenis autem defensor acerrimus, &* Pelagio Romanæ Ecclesiæ *Diacono æmulus, cognoscens Originem* ab ipso & Menna Patriarcha *fuisse damnatum, dolore damnationis eius, ad Ecclesiæ conturbationem, damnationem molitus est & in Theodorum Mopsuestenum, eò quod Theodorus multa opuscula edidisset in Origenem, exosusq; & accusabilis haberetur ab Origenistis, & maximè quod Synodus Chalcedonensis laudes eius susceperat in tribus Epistolis.* Consonat Facundus Hermianensis ità alloquens Justinianum Augustum. *Quia per instantiam Tuæ Religionis profani dogmatis iterata damnatio est, hinc eius sectatores exarserunt adversus Ecclesiam, quærentes eam quacumque possent immissione turbare. Et hoc totum publicam notitiam non effugit: Præsertim cùm & Domitianus Ancyrensis civitatis Episcopus Provinciæ primæ Galatiæ, qui fuit ipsius Origenianæ hæresis manifestus assertor, per libellum, quem ad beatissimum Papam Vigilium scripsit, Deo extorquente confessus est, quod eius complices Origeniani, cùm viderent se non posse proprium dogma defendere, neque sibi quidquam spei de conflictu restare, ad ultionem eorum, quæ contra Origenem gesta sunt, hæc Ecclesiæ scandala commoverunt.* Quod ipsum, cum quadam tamen varietate, scribit Evagrius Epiphaniensis. Cap. 23. L.1.c.2. L.4.c.37.

Theodorum Cæsareæ in Cappadocia Archi-Episcopum fuisse Principum familiarem ac dilectum verè asserit Liberatus. Erat sorex palatinus, unus eorum Episcoporum, quos unà cum Justiniano in multam quotidiè noctem de Ecclesiæ & Reipublicæ caussis lucubrasse scribit Procopius Cæsareensis. Undè & in ejus postmodùm damnatione ait Vigilius Pontifex: *Tu Theodore, hactenùs ab ordinationis tuæ tempore, unius anni spacio in Ecclesia, cuius gubernacula susceperas, non passus es residere.* Licet sectâ Acephalus, non tantùm Theodoræ Augustæ, sed & Justiniano erat acceptus: Iustiniani enim & Theodoræ in religione discordiam fuisse dolosam, ad utriusque partis sequaces captandos compositam, Evagrius suspicatur. Pergit Liberatus. *Theodori* Mopsuesteni *damnationem Theodorus* Cappadox *tali machinatione perfecit. Scribente Principe contra Acephalos in defensionem Synodi Chalcedonensis, accedens idem Theodorus unà cum suis satellitibus, qui sub nomine catholico Acephalis studebant, cum Theodora Augusta favore Imperatori suggessit scribendi laborem non eum debere pati, quando compendio possit Acephalos omnes ad suam communionem adducere. Siquidem illi, inquit, hoc offenduntur in Synodo Chalcedonensi, quod laudes suscepit Theodori* Cap.24.

Mopsuesteni Episcopi, Epistolamque Ibæ, quæ per omnia Nestoriana esse cognoscitur, Synodus ipsa indicio suo pronunciaverit orthodoxam. Qui Theodorus si cum dictis suis & hâc Epistolâ anathematizetur, tamquam retractata Synodus atque purgata suscipietur ab eis per omnia, & in omnibus, & sine Pietatis vestræ labore Ecclesiæ catholicæ societati, gaudente universali Ecclesiâ, Clementiæ vestræ laus erit sempiterna. Hæc audiens Imperator, & dolum dolosorum minimè perspiciens, suggestionem eorum libenter accepit, & hoc se facere promptissimè respondit. Consonat Facundus Hermianensis. *Origenistarum fungens satellitio Eutychiana perfidia ea, quæ per se contra Chalcedonense Concilium nequidquam sæpè tentaverat, per ipsos latenter aggressa est, qui nobis non videbantur in hac parte esse suspecti. Nec tamen & illi magnam Synodum palàm reprehendere præsumpserunt: Magis autem sub quadam specie defensionis, quam commendabat fallax eorum promissio, robur eius infirmare conati sunt. Iactabant enim, quod omnes Eutychiani, qui decretis eius offenduntur, communicarent Ecclesiæ,* si Theodori Mopsuesteni persona & libri, Ibæ Epistola, & quædam Theodoreti scripta damnarentur. Circa hæc tria aiebant circumscriptam Synodum, ideòque purgandam. Erat dolus nequissimus, Synodi, quod nullis huc usque grassationibus aut Anastasij Augusti minis potuerat, retractationem, adeòque plenam exauctorationem, sub inimicæ defensionis fuco per Iustiniani Principis pietatem impetraturus. Ità existimabant & ipsi cum Origenistis Eutychianistæ, & omnes Catholici illi, quotquot pro tribus Capitulis schisma fecerunt. Existimabant Romanam Ecclesiam, Capitulorum damnationem comprobando, factam esse Synodi Chalcedonensis damnatricem, ac sibi Divinitùs delegatæ in Synodalia constituta custodiæ prævaricatricem. Vana item erat Eutychianorum promissio: Romani enim dogmatis simulatores in Ecclesiam inducere est confusionem facere, non communionem.

L.1.c.2.

Hæc Liberati verba, *Theodoræ Augustæ favore,* exponit victor Tonnonensis ad annum secundum post Consulatum Basilij. *Theodoræ factione Augustæ, quæ occulta Synodi Chalcedonensis nunquam destitit esse inimica, Sylverius Romanus Episcopus exilio mittitur, & pro eo Vigilius ordinatur, à quo memorata Augusta, priùsquam ordinaretur, occulto chirographo elicuit, ut Papa effectus in proscriptione Synodi Chalcedonensis tria Capitula condemnaret.* Non itàque, ut multi errant, Romanæ & Chalcedonensis fidei prævaricationem, sed solam trium Capitulorum, in quorum facto dicebatur errasse Synodus, damnationem præsumpsit à futuro Romano Episcopo stipulari dolosa & hæretica mulier, ità gradatim & ad dogma tentandum viam factura. Addit Tonnonensis. *Horum exordia malo-*

lorum generalis orbis terrarum mortalitas sequitur, & inguinum percussione maior pars populorum necatur. Plurimis tùm calamitatibus Divina Iustitia peccatrices hominum animas & corpora percussit.

CAPVT II.

An quis, præsertim Episcopus, qualis fuit Theodorus Mopsuestiensis, in Ecclesiæ pace & communione defunctus possit damnari post mortem?

THeodorus Mopsuestiensis in secunda Cilicia Episcopus per triginta sex annos, Diodori Tharsensis ac Flaviani Antiocheni Episcopi unà cum sancto Ioanne Chrysostomo & Maximo Seleuciensi Episcopo discipulus, Polychronij Apameensis Episcopi frater, Nestorij hæresiarchæ magister, vir longè doctissimus, admirandum & miserandum universæ sub cœlo Ecclesiæ mortuus exhibuit spectaculum. De ipso, quasi de Christianitatis fundamento, est à scissis in factiones Episcopis disceptatum. Adversarij adduxerunt plura accusationis capita. Primum ex Hesychij Presbyteri Hierosolymitani Ecclesiastica historia desumptum est, quod Ecclesiæ Antiochenæ Clericatum carnali libidine victus adolescens apostata deseruerit, & per sodalem Joannem Chrysostomum ad sola carnis meliora reductus Tharsum primæ Ciliciæ Metropolim migrârit, atque indè tandem, occultato mentis veneno, profecerit in Episcopum Mopsuestiensem. Arguitur dolosæ hypocriseos, translationis, ac indispensabilis irregularitatis? Fidelem namque adolescentem carne lapsum antiquus Ecclesiæ Canon à sacro ordine perpetuò ac indispensabiliter excludebat.

Secundum ac præcipuum accusitionis caput est in hisce verbis relatis à Facundo Hermianensi. *Theodorus Nestorij magister fuit, maiore autem, quam ille, impietate blasphemavit, & omnia eius adversus Christum dicta diaboli transgrediuntur insaniam.* Evenit Theodoro, quod de Marcello Ancyræ Episcopo Fotini Syrmiensis Episcopi magistro scribit Sulpitius Severus: *Marcellum gravabat, quod Fotinus auditor eius fuisse in adolescentia videbatur.* Rectè enim Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem: *Magistrorum silentia profert rabies discipulorum.* Quin immò errores suos non siluerat Theodorus: Quod enim Antiochiæ in populari sermone blaterârit *Sacram Virginem non esse Deiparam,* & à tumultuante fideli ad blasphemiam populo coactus fuerit ad solennem palinodiam, fatetur Joannes Patriarcha Antiochenus in literis ad Nestorium exstantibus in prima parte Synodi Ephesinæ. Adversùm grassantes Arianos atque Apollinaristas, teste laudato Joanne, *decem*

L. 2. c. 2.

Cap. 4.

millia libros conscripsit Theodorus, atque ità verè illi contigit, quod falsò Gennadius Massiliensis, homo Semi-Pelagianus, imponit sancto Augustino: *Ex multiloquio non effugies peccatum.* Divinæ incarnationis Sacramentum, dum Apollinarísticam confusionem nimis fugit, divisionis Nestorianâ blasphemia inhonoravit, more stultorum, qui dum vitant vitia, in contraria currunt. Ei quinta Synodus imponit judaicum symbolum ad Charisy Philadelphiensis in Lydia Presbyteri delationem damnatum ab Ephesina Synodo, ac insuper sexaginta articulos, quos in suo Constituto Vigilius Pontifex fatetur esse hæreticos, præsertim Nestorianos. Et hinc post damnatos atque exustos Nestorij
Cap. 10. libros scribit de Nestorianis Liberatus Carthaginensis: *Cœperunt Theodori proferre volumina*, transferre in varias linguas, dicereque *nova non sapuisse Nestorium, sed antiquorum Patrum prosecutum fuisse doctrinam.*

Tertium accusationis caput profert Justinianus Augustus in literis ad hanc præsentem Synodum. *Considerate, quæ de Theodoro & eius blasphemijs sancti Patres conscripserunt, & Antecessores vestri promulgarunt, nec non & quæ Ecclesiasticarum historiarum Scriptores de eo exposuerunt. Ex his enim omnibus cognoscetis, quod ab illo tempore condemnatus est tam ipse, quàm blasphemiæ eius à sanctis Patribus, & quod propter istas superioribus temporibus deletum est nomen eius è sacris Dypticbis Ecclesiæ, cuius fuit Episcopus.* Credidit Iustinianus eum non tantùm à sancto Cyrillo, sed & à sancto Leone Pontifice, & quidem in ipsa Ephesinæ Synodi confirmatione, tamquam Nestorij magistrum fuisse notatum, scriptumque à sancto Proclo ad Armenios, ut ejus Capitula judaicæ impietatis plena, etiam præfixo auctoris nomine, sub anathemate damnarentur. Per Ioannem Anazarbi Episcopum, secundæ Ciliciæ Metropolitam, fieri jussit Synodum, inquisituram, An, cur, & quando Theodori nomen rasum esset de Ecclesiæ Mopsuestenæ sacris tabulis: Responsumque est rasum à tempore immemoriali, ejus loco inscriptum nomen sancti Cyrilli, caussam & modum ignorari. Et hinc à quibusdam creditus est numquam fuisse inscriptus, sed vivus fuisse damnatus. Quæ omnia considerans Rusticus, Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis dixit ad Vigilium Pontificem: *Non solum nomen & scripta Theodori debere damnari, sed & ipsum territorium, ubi positus est; & quod si ossa eius evulsa quisquam de sepultura eijceret, & cum eodem territorio incenderet, gratanter acciperet.*

Ex adversa etiam parte defensores animosissimi Theodoro non defuerunt. Eum dixêre laudatum & probatum in varijs magnorum Episcoporum Epistolis admissis & canonizatis à sancta Synodo Chalcedonensi. Etenim Ibæ Edesseni Metropolitæ ad Marim Persam Episto-

Epiſtola priùs per Berytenſem, deindè per Chalcedonenſem Synodum in judicio contradictorio diſcuſſi & probata arguit Rabulam Eccleſiæ Edeſſenæ tyrannum potiùs, quàm Epiſcopum, quod fidei occaſione laceraret non vivos tantummodò, ſed & in Domino mortuos, eoſque inter beatum Theodorum, veritatis Prædicatorem & Doctorem Eccleſiæ, qui in vita ſua cæcîdit hæreticos, & poſt mortem ſpiritualia arma in ſuis opuſculis Eccleſiæ dereliquit. Et Joannes Patriarcha Antiochenus in literis ad ſanctum Proclum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ejus ad Armenios tomi confirmatorijs, laudatiſque & probatis à Synodo Chalcedonenſi in Relatione ſeu allocutione ad Principem Martianum, beatum Theodorum mirè extollit, tamquam præſtantiſſimum Orientalium Eccleſiarum per quadraginta quinque & ampliùs annos Magiſtrum, Theodoſio Auguſto ſeniori chariſſimum, à Flaviano Patriarcha Antiocheno in ſacris dogmatibus enutritum, graviterque queritur illum à neſcio quibus, volentibus conturbare Eccleſias, calumnijs gravari. Addit ab illis teri veſtigia Apollinarij, qui Eutychianiſtarum parens etiam de duobus Dei filijs, ſeu Neſtorianâ Chriſti Domini diviſione admirabilem & divulgatiſſimum Theodorum eſt criminatus. Et laudatus Proclus in literis ad dictum Joannem canonizatis item à Synodo Chalcedonenſi. *Quando ego ſcripſi Tuæ Sanctitati oportere Theodorum anathemati ſubdi?* Purgat ſe à rumore, quo ob damnata in ſuo ad Armenios tomo quædam Capitula ferebatur etiam Theodorum, ex cujus libris illa excerpta erant, velle damnare. Has, inquam, tres Theodori laudatrices Epiſtolas probavit Chalcedonenſis Synodus, ideòque Theodori damnatio ab ejus defenſoribus credita eſt eſſe ipſarum Epiſtolarum injuria, & Synodi prævaricatio, atque ità illi, pro Theodoro non quaſi pro Theodoro, ſed quaſi pro ipſa Synodo ac omnium generalium Synodorum irretractabili auctoritate pugnaverunt. Legendus Facundus Hermianenſis Epiſcopus, plenus Theodori laudibus, & hujuſmodi apologijs.

Theodorum à ſancto Leone fuiſſe culpatum, oſtendit eſſe mendacium; à ſancto Cyrillo fatetur reprehenſum, at non damnatum. ideòque ſequenda dicit hæc verba Joannis Antiocheni in literis ad Theodoſium Auguſtum. *Si quidquam, Sancte Imperator, obſcurum aliquis inveniri dicat in Theodori vel aliorum libris, retractari neceſſarium non eſt. Quorum enim vita in Sacerdotio & Miniſterio optimum habuit finem, his prælatam gloriam dedicamus, & non ex illis eos iudicamus, de quibus aliqui atrociter nos accuſant.* Fatetur Theodorum liberè locutum, & excerpta ex ipſius libris Capitula quoad vocis ſonum eſſe Neſtoriana; at ſen-

L. 3. c. 2.

L. 8. c. 5.

sensu per ipsum intento asseverat orthodoxa. Locutiones varias longè liberiores ostendit reperiri in Sanctis Gregorio Thaumaturgo, Dyonisio Alexandrino, Eustatio Antiocheno, Athanasio, Amphilochio Iconiensi, Gregorio Nysseno, Joanne Chrysostomo, Cyrillo Alexandrino: Quos absit, ut de hæresi vel accusemus. Theodoro vult impendi illud Christianæ charitatis officium, quod Gregorio Thaumaturgo sanctus Basilius, & Dyonisio Alexandrino sanctus Athanasius impendit, ejus dicta duriora cogens ad metas sensus orthodoxi. Quin immò ab omni Ecclesia laudari ait sanctum Hilarium Pictaviensem, quod eam benevolentiam præstiterit etiam Synodis Seleuciensi atque Syrmiensi, conventiculis Eusebianis. Ità sanè Theodorum tractavit in suo Constituto Vigilius Pontifex: Et sanctus Augustinus Iuliano Pelagianistæ, quorumdam Patrum verba Originali peccato in speciem adversa objicienti, respondit: *Vobis necdùm litigantibus liberè loquebantur.*

Alterum pro Theodoro fundamentum erat, quod Episcopus in pacifica Ecclesiæ communione mortuus nequidem de hæresi posset post mortem judicari & damnari. Ejusmodi judicium huc usque non viderat Ecclesia. Hinc Evagrius Epiphaniensis primam præsentis Sy-
L.4 c.37. nodi quæstionem fuisse dicit, *Si sit mortuus anathema denunciandum, an non?* Eadem de caussa Origenis negotium astutè tractatum fuit ante tria Capitula, damnatusque mortuus, qui vivus fuerat antè damna-
Cap. 24. tus: *Vt Ecclesiæ adversarij*, inquit Liberatus Carthaginensis, *sibi aditum reserarent* ad damnandos etiam in Ecclesiæ pace defunctos. Quæsita sunt undequaque argumenta, quæ Theodorum ostenderent mortuum extra Ecclesiæ pacem: At aliud evicerunt vel sola Ecclesiæ Mopsuestiensis dypticha, habentia in ejus loco nomen sancti Cyrilli. Ejus proindè nomen fuerat omninò inscriptum, at posteà nescio à quo aut quare erasum.

Acerrimè igitur de hac quæstione cæptum est disceptari. Pro parte negativa facit apud Eusebium Cæsareensem auctoritas sancti Dyonisij
L.7.c.19. Patriarchæ Alexandrini, qui Nepotis Arsenoitis Episcopi erroneos de Divinis promissionibus libros damnans personam attingere non præsumpsit, propterea *quod ex hac vita* in pace Ecclesiæ *migrasset*. Quod exemplum etiam Vigilius Pontifex in suo ad quintam Synodum pro hac ipsa quæstione Constituto adduxit & magni fecit. Et sancto Epiphanio defunctum Origenem damnare volenti respondit apud Socra-
L.6 c.11. tem & Hermiam Zozomenum Theotimus Schytiæ Episcopus *ne-*
L.8. c.14. *quaquam esse fas eum, qui iam pridem esset mortuus, iniuriâ afficere.* Et sanctus Gelasius Pontifex in Romana Synodo Misenum Episcopum de-

degradatum restituente, laudata per Vigilium Pontificem in Constituto ac Facundum Hermianensem in libro contra Mocianum, nec non in Commonitorio ad Faustum Magistrum, ac in literis ad Dardaniæ Episcopos, constanter docet mortuos ab Ecclesia nec absolvi posse nec damnari, quod eos Christus Dominus dicens Apostolis, *Quæ ligaveritis aut solveritis super terram*, suo judicio reservârit. *Nec audet Ecclesia sibimet vindicare, quod ipsis Apostolis conspiciat non fuisse concessum, quia alia sit caussa superstitum, alia defunctorum.* Elias Aquileiensis Episcopus in literis ad Pelagium secundum, ac in Constituto Vigilius Pontifex adfirmant eamdem fuisse mentem sancti Leonis, utique in Epistola ad Theodorum Episcopum Foro-Juliensem. Consonat Anastasius secundus in literis ad Anastasium Augustum. Et suum Constitutum concludit Vigilius Pontifex definiendo esse perpetuam Romanæ & omnium Ecclesiarum consuetudinem & Regulam, ut Sacerdotum in pace Ecclesiastica defunctorum personæ serventur illæsę, & nulli liceat de illis judicare, sed in hoc oporteat eorũ unumquemq; relinqui, in quo illum dies supremus invenit. Et Joannes nonus Pontifex adversùs Antecessorem suum Stephanum septimum, qui Formosum in pace Ecclesiæ defunctum suum Antecessorem judicârat & damnârat, hæc statuit. *Quod numquam Decessorum nostrorum temporibus factum fuisse traditum est, penitùs abdicamus. Et ne ulteriùs præsumatur fieri per quodlibet Spiritus sancti iudicium, interdicimus: Quia ad iudicium vocari mortuus non potest, cum persona, quæ ad iudicium vocatur, ideò vocetur, ut aut fateatur obiecta aut convincatur obiectis. Et omnibus patet, quia mortui cadaver pro se nec respondere nec satis facere potest.* Existimo textum vitiatum, & legendum: *Ne ulteriùs præsumatur fieri per quemlibet, Spiritus sancti Iudicio interdicimus.* Et de Egabrensi Episcopo sacrorum Ordinum perperam datorum reo statuit secunda Synodus Hispalensis: *Poterat accusatus damnari, si adhuc in corpore positus non fuisset mortis vocatione præventus, sed iam examini Divino relictus humano iudicio accusari non potest.* Et sanctus Ivo Carnotensis Episcopus in responso ad similem quæstionem Capituli Suessionensis. *Rata nobis hæc sententia videtur, quoniam defunctis communionem interdicere non debemus, quibus vivis non interdiximus: Sicut defunctis illis communicare non debemus, quibus vivis non communicavimus. Non enim data est potestas Ecclesiæ alia ligare vel solvere, nisi quæ sunt super terram. Vndè constat ea Divino reservanda iudicio, quæ inter viventes humano non sunt terminata.*

Epist. 4.
Epist. 11.
Ep 91. c. 3.
Cap. 5.
Epist. 96.

Hujus sententiæ tenacissimus fuit Facundus Episcopus Hermianensis. Hìnc enim scribit ad Justinianum Augustum. *Quid amplius tam multiplicibus documentis & rationibus persuadere mortalibus conor,* L. 10. c. 1.

quam ne præsumant esse iudices mortuorum? Hoc quippè nullius suasionis est indigens, nec in tali caussa vellem tempus expendere, cuius nemo poterit recuperare iacturam. Sed cùm viderem quosdam sub falso propugnatorum nomine impugnare latenter Ecclesiam, & tamquam in eius purgationem ut hereticos damnare, quos illa semper habuit honoratos, tacendum mihi esse non credidi. Et infrà in eodem libro facundè ostendit id esse contra Apostolicum Canonem, perpetuamque sine adverso exemplo consuetudinem. *Nam Ecclesiæ suæ nullam Dominus in mortuos ligandi & solvendi tribuit potestatem. Quapropter etiam beati Patres desinierunt, quia non est nostrum iudicare eos, qui honoratè defuncti sunt*, sed solius judicis vivorum & mortuorum. Addit similium defunctorum memoriam olim fuisse adeò venerabilem, ut etiamnum ante centum annos nec eorum crudioribus aut erroneis dictis infligeretur Anathema, longè minùs personis. Et pergit. *Quod si tam certus error est aliquorum in pace Ecclesiæ defunctorum, ut nequeat excusari, sine illorum infamia, sine offensione & conturbatione Ecclesiæ, tacitis eorum nominibus, ipsis erroribus occurratur, ut & debita reverentia exhibeatur Prædicatoribus in Ecclesiæ pace defunctis, & nulli catholico sit offensa defensio veritatis.* Laudat sanctum Cyrillum & Joannem Patriarcham Antiochenum, usos hâc regulâ in missi sibi Capitula, quæ ex Theodori libris dicebantur excerpta, ac præsertim sanctum Proclum Episcopum Constantinopolitanum, ad cujus preces Theodosius Augustus promulgavit hanc legem: *Ne quis adversùm eos, qui in Ecclesiæ pace defuncti sunt, quidquam de cætero tale præsumat.* Adversùs quosdam Theodorum damnare parantes populus Antiochenus eruperat in apertas turbas, ideòque publicæ quieti per legem Imperialem judicarat Proclus prospiciendum. Lege Imperiali roborandam duxit legem Evangelicam ac naturalem, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, ex qua rescripserat & sanctus Cyrillus: *Grave est insultare defunctis; vel si laici fuerint; nedum illis, qui in Episcopatu hanc vitam deposuerunt.* Singulariter Facundus invehitur in eos, qui in pace quiescentium volebant etiam *busta refodere, & ossa conrodere mortuorum.* Lucas Dacherius, Monachus Benedictinus, ejus nuper publicavit Epistolam, quâ demonstrare nititur mortuorum damnatores esse omninò hæreticos, utpotè prævaricatores Symboli Apostolici atque Niceni, in quo solum Christum Dominum esse eorum Judicem profitemur. Esse dicit superbiam plusquam Luciferianam, quæ supremum justitiæ ventilabrum tentet Christo Domino de manibus extorquere. Et hosce Facundi libros laudat & probat Victor Episcopus Tonnonensis, dicens editos anno decimo post Consulatum Basilij, anno Domini quingentesimo quinquagesimo primo, triennio ante Synodum præsentem.

Cap. 4.

L. 11. c. 3.

L. 8. c. 3.

L. 3. c 6.

L. 9. c. 5.

Eadem fuit mens Reparati Archi-Episcopi Carthaginensis, & plerorumque Episcoporum Afrorum, è quibus Pontianus Iustiniano Augusto rescripsit in hæc verba. *Quid nobis cum mortuis inire bellum, ubi, nulla invenitur in congressione victoria? Apud Iudicem verum iam tenentur, ad quem nullus appellat. Per ipsum, in quo nos honoratis & diligitis, supplicamus Clementiam tuam, ut pax permaneat temporibus tuis, ne, dum quæris damnare iam mortuos, multos inobedientes interficias vivos, & exindè compellaris reddere rationem ei, qui venturus est iudicare vivos & mortuos.*

Erat res ardua. Scripserat quidem Iustinianus ad Synodum. *Hortamur etiam illud disceptare, quod vanè profertur ab eis, qui dicunt non oportere post mortem hæreticos anathematizari; & sequi in hoc doctrinam sanctorum Patrum, qui non solùm viventes hæreticos condemnaverunt, sed & post mortem, utpotè in sua impietate mortuos, anathematizaverunt.* Attamen nullum adduxit authenticum exemplum. Adfuit autem Constantinopoli Eutychius Presbyter & monachus, Episcopi Amaseni per Helenopontum Metropolitę legatus, de quo in ejus vita apud Laurentium Surium scribit Eustatius Presbyter Ecclesię Constantinopolitanæ. *Cùm quidam negarent eos anathemate feriendos, qui post mortem deprehensi essent hæretici, Eutychius Divinarum Scripturarum testimonijs anathemate demonstravit esse puniendos. Rex enim Iosias, inquit, cùm id prophetia anteà significasset, ossa eorum, qui vitulis immolârant, post mortem effodit atque combussit. Idem ergò in hæreticos servandum est, ut post mortem anathemate damnentur.* Exemplum non erat ad rem, undè nec Actis synodalibus est insertum: Etenim illi, qui vitulis palàm immolârant, mortui non fuerant in Ecclesiæ pace. Attamen Principi adeò placuit, ut monachum, defuncto Mennâ, evexerit ad Regiæ civitatis Patriarchatum. April. 6.

Post multos auditos prodijt tandem Sextilianus Tuniensis Episcopus, Primosi Carthaginensis Archi-Episcopi Vicarius & Legatus, dixitque ad Synodum. *Quoniam proposita sunt sancta Evangelia, & oportet unumquemque ea, quæ sunt suæ scientiæ, ad propositam quæstionem pertinentia facere manifesta, doceo sanctum vestrum Concilium, quod anterioribus temporibus in nostra Provincia multi Episcopi congregati, & quædam de diversis caussis ad Ecclesiasticum statum pertinentibus disponentes, statuerunt de Episcopis, qui hæreticis suas facultates relinquunt, ità ut post mortem anathemati subijciantur. Sunt verò etiam beati Augustini sanctæ memoriæ Epistolæ dicentes, quod si qui in vita sua non rectè sapuerunt, licèt non condemnati fuissent adhuc viventes, ut demonstrato peccato isti & post mortem anathemati subijciantur.*

Adductus Canon est in Ecclesiæ Africanæ Codice octuagesimus primus: *Si quis Episcopus hæredes extraneos à consanguinitate sua, vel hæreticos etiam consanguineos, aut Paganos Ecclesiæ prætulerit, saltem post mortem ei anathema dicatur, atque eius nomen inter Dei Sacerdotes nullo modo recitetur.* Rectè tamen Synodus ad eum non attendit, & de solis sancti Augustini testimonijs dixit ad Fotinum Diaconum & Notarium: *Recitentur.* Etenim vetitum testamentum condens Episcopus nequaquam in Ecclesiæ pace, sed in finali prævaricatione impænitens moritur, similis illi Victori civi Furnitano, qui moriens Geminium Faustinum Presbyterum filijs suis tutorem scripserat, contra Ecclesiæ
Epist. 66. Canonem, ideòque per sanctum Cyprianum fuit fidelium suffragijs privatus. Est peccatum ad mortem, quod hominem moriendo ponit extra pacem Ecclesiæ, atque ità iste Canon à Sextiliano Episcopo non fuit ad rem laudatus.

Quapropter Fotinus Diaconus recitavit sola sancti Augustini loca, ex quibus unicum adduco. *Non in hominibus spes ponenda est Ecclesiæ, si boni sunt; neque si mali sunt, iudicanda est Dei Ecclesia perisse. Sed tamen etiam ipsorum caussam tamquam fratrum nostrorum suscipimus, & si nobis ostendi potuerint criminosi, hodie illos anathematizamus.* Agit de Cæciliano Carthaginensi Episcopo, quem certum est fuisse in Ecclesiæ pace defunctum. Desumptus est locus ex Carthaginensi collatione Ca-
L. 3 c. 187 tholicorum cum Donatistis, ideòque demonstrat nobis sensum totius Ecclesiæ Africanæ. Admiror Reparatum Carthaginensem Episcopum, & Liberatum ejus Diaconum, Facundum Hermianensem, Victorem Tonnonensem Episcopum, Felicem Gillitani monasterij Præfectum, aliosque id genus doctissimos Afros ad ejusmodi Augustini loca oculos clausisse. Ea attendit omninò nostra Synodus, decreto
Collat 8. suo inserens hæc verba. *Etiam Augustini religiosæ memoriæ, qui inter Africanos Episcopos splenduit, diversæ Epistolæ recitatæ sunt, significantes quod oportet hæreticos & post mortem anathematizari. Talem autem Ecclesiasticam traditionem & alij Africani reverendissimi Episcopi servaverunt: Sed & Romana sancta Ecclesia quosdam Episcopos & post mortem anathematizavit, licèt pro fide in vita sua non essent accusati. Et utrumque*
Sess 7. *apud nos habita gesta significant.* Quare meritò in Synodo Florentina dixit Andreas Rhodiorum Metropolita latinus: *Beatus Augustinus, præclarissimus & præstantissimus Doctor latinorum, quem quinta Synodus recepit.* Porrò quinta Collatio hæc verba, *Et utrumque apud nos habita gesta significant,* justificatura adducit Apollinarium à S. Athanasio, Origenem à Theophilo Alexandrino, & Eutycheten damnatum à S. Leone, additq́: *Et multos quidem alios invenimus post mortem anathematizatos.*

Ve-

Verùm responderi possit ex Facundo Hermianensi. *Quidam sanctitatis & modestiæ regulam malè transgressi, ne vel serò confiteantur errorem, dicunt probare se posse nescio quos hæreticos post mortem fuisse damnatos. Quasi verò per hoc probent, quod non etiam viventes damnati sint, vel si nostram memoriam ac notitiam fugit. Non enim quisquam scire aut reminisci omnia potest, quia nec omnia, quæ scripto mandata sunt, hactenùs perseverant.* Errat ac turbato per nimium in tria Capitula zelum mentis oculo loquitur Facundus, non omni tamen caret fundamento. Etenim & Apollinarium, & Origenem, & Eutycheten quis ignoret etiam in vita & accusatos & damnatos? Et huc usque neminem à Romana Ecclesia damnatum fuisse post mortem disertè adserit Vigilius Pontifex in Constituto. Mortuorum damnandorum potestatem semper habuit Ecclesia, at ejusmodi necessitas huc usque non occurrerat: Primus eam induxit Theodorus Mopsuestiensis, pro quo, licèt, quod absit, innoxio, trium Capitulorum Defensores non debuerant universam Ecclesiam per tot annos lacerare. L. 10. c. 4.

Rectè tamen dixêre Origenistas & Acephalos fuisse duos titiones dolosè invicem junctos ad Synodi Chalcedonensis auctoritatem quasi sùb defensionis & purgationis fuco circumscribendam. Liquet ex primo eorum in Theodorum decreto, formato ante Synodum per factionem Theodori Cappadocis. *Si quis non anathematizat Theodorum Mopsuestiæ, & eius dogmata, eosque, qui aut similia ei sapuerunt aut sapiunt, anathema sit.* Ejusmodi namque *formulam*, inquit Facundus, *in nullius hæretici damnatione meminimus contigisse, ut illi quoque Anathema essent, qui anathema ei non dicerent. Siquidem multorum hæreticorum multos & dogmata latent & nomina, qui anathema esse non debent, quoniam non anathematizant eos, quos nesciunt.* Edicit & scopum ab ista nimiùm crudeli formulâ intentum. *Vt Synodus Chalcedonensis catholica non esse firmetur, quæ Theodorum non damnavit, cùm ex Iba Epistola recitari laudes dogmatum eius audiret.* Et hìnc formulam probare noluit nostra Synodus, sed temperavit in hæc verba: *Si quis defendit Theodorum, &c. Anathema sit.* L. 3. c. 1.

Adversæ partis argumenta in speciem videntur urgere. Ea solvit Maximus Ecclesiæ Aquileiensis Episcopus, in Synodo Lateranensi dicens ad Martinum primum Pontificem adversùs Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum Episcopos Constantinopolitanos, aliosque Monothelitas, quorum singulorum accusatores, testes, & personæ non erant ad manum. *Si placet vestræ Beatitudini, convenienter de his, quæ proponuntur, cognoscamus per conscripta eorum adversùs fidem exposita, quæ & sine accusantis persona redarguere apertissimè demon-* Secret. 1.

stantur. Propterea enim accusatio extranea superflua esse dignoscitur, quoniam à suis temerarijs conscriptis apertiùs accusantur, quibus omnem mundum conturbasse noscuntur. Ita namque Dominus ait: EX ORE TVO IVDICABO TE. *Et,* EX VERBIS TVIS IVSTIFICABERIS, ET EX VERBIS TVIS CONDEMNABERIS. *Contra Theodorum & Origenem in sancta quinta Synodo accusator quidem nullus, sed tantummodò eorum conscripta ad accusationem ipsorum & reprehensionem sufficisse noscuntur.* Consonat sexta Synodus in sermone acclamatorio ad Principem. *Quintum Concilium constitutum est, ut eorum opuscula, quæ latenter reperta sunt repleta abominatione, anathematizarentur.* Et Theodoretus, Ephesini latrocinij in se sententiam retractari postulans cunctos à se conscriptos libros distinctissimè enumerat, ac assiduè clamat: *Rogamus, ut iudicium ex scriptis constituatur.* Quocircà Canones & Patres, negantes mortuos posse ab Ecclesia judicari aut damnari, agunt de judicio ex partium interrogationibus & responsis formando, quale in Formosum Pontificem attentavit successor aut veriùs invasor Stephanus septimus, & quale in Petri Archi-Diaconi Patrem parabat Capitulum Suessionense reprehensum à sancto Ivone: Ex scriptis authenticis defuncti possunt omninò judicari & damnari.

Act. 18.

Epist. 116.

CAPVT III.

Exponitur Synodi nostræ iudicium de Theodoreto Episcopo Cyrensi.

THeodoreti Cyrensis in Provincia Eufratesia Episcopi pro Nestorij persona adversùs sanctum Cyrillum, ejusque per Ephesinam Synodum & omnem Ecclesiam approbata duodecim Capitula saxeam pertinaciam, nec non pessimas criminationes superiùs abundè exposui, rectèque de illis scribit Pelagius secundus Pontifex ad Eliam Archi-Episcopum Aquileiensem. *Non omnia Theodoreti scripta damnamus, sed sola, quæ contra duodecim Cyrilli Capitula & rectam fidem aliquando scripsisse monstratur: Quæ tamen & ipse damnasse dignoscitur, qui in sancta Chalcedonensi Synodo vera confessus invenitur.* Ejus à bonis moribus & recto dogmate quoad seu sensum seu sententiam devios libros enumerat, & pergit. *Quis non videat, quantâ temeritate plenum sit Theodoreti scripta superbiendo defendere, quæ eundem ipsum constat, recta post profitendo, damnasse? Dum verò eius & personam recipimus, & ea, quæ dudum latuerant, prava scripta reprobamus, in nullo à sanctæ Chalcedonensis Synodi Actione deviamus: Quia sola eius hæretica scripta respuentes & cum Synodo adhuc Nestorium insequimur, & cum Synodo Theodoretum recta profitentem veneramur.*

Cap. 10.

Pro-

Proindè sola quædam ejus scripta damnata sunt, nequaquam persona. Attamen & in illis damnandis dolosum Acephalorum & Origenistarum animum fuisse cooperatum ostendit Facundus. *Sed nec illa, quæ dicuntur à Theodoreto Cyri Episcopo contra beatum Cyrillum nescio quando scripta, ob aliud modò damnata sunt, nisi ut per hoc quoque Synodus Chalcedonensis quasi notabilis videretur, quod idem Theodoretus deliberationi ac definitioni ejus interfuit, atque Epistolam Papæ Leonis, Eutychetis dementiam confutantem, ibi defendit, & quibusdam minùs intelligentibus rectam esse monstravit. Nam, ut inferiùs ostendetur, & alij, quorum memoriæ communicamus, scripserunt adversùs beatum Cyrillum, verumtamen in hoc anathemate denominati non sunt, quoniam in Chalcedonensi Concilio non fuerunt.* Infrà ostendit etiam Isidorum Pelusiotem, Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyterum, & Gennadium Episcopum Constantinopolitanum sensisse & scripsisse pessimè de sancti Cyrilli Capitulis, & tamen eorum scripta aut personas postulata non fuisse ad damnationem. Eadem de caussa dicit ab illis tactum non fuisse Diodorum Tharsensem Episcopum, primæ Ciliciæ Metropolitam, Theodori Mopsuesteni magistrum. Eum non solummodò Flavianus Antiochenus & Xenaias seu Philoxenus Hierapolitanus Episcopus in Synodo Constantinopolitana, ut suprà audivimus à Victore Tonnonensi, per Anastasium Augustum adunatâ damnârunt, sed & sanctus Cyrillus in literis ad Joannem Patriarcham Antiochenum exstantibus in tertia parte Synodi Ephesinæ, ac in literis ad Successum Dio-Cæsareæ Episcopum, de infamibus opinionibus unà cum discipulo Theodoro notavit. Hinc pergit Facundus de Theodori Cappadocis factione Acephala parante machinas in quinta Synodo perficiendas. *Cur adversùs Theodorum nimis, adversùs Diodorum nihil? Quis in hæc paululùm cordatus attendens non statim factionis hæretica dolos intelligat, quod solus denominatus est in caussa communi Theodorus, cùm Diodorum potiùs nominari oporteret?* Diodorum præ Theodoro aut Theodoreto illæsum abire siverunt, quod nullum illi fuisset commercium cum Synodo Chalcedonensi. Quod ipsum in Constituto sensit Vigilius Pontifex, vetans Theodoretum ullâ obtrectatione pulsari, aut damnari ulla scripta sub ejus nomine, quod in Synodo Chalcedonensi fuisset vir probatissimus, eidem subscripsisset Epistolæ sancti Leonis promptè consentiens, atque ità sine ejusdem Synodi injuria nequiret de pravis scriptis notari.

L. 2. c. 1.

Cap. 4.

Epist. 44.

Epist. 1.

L. 4. c. 2.

Notanda sunt hæc Facundi verba, *Et alij, quorum memoria communicamus, scripserunt adversùs beatum Cyrillum.* Ostendunt Theodori Cappadocis factionem ad damnandam etiam Theodoreti memoriam seu per-

personam, atque ità & Chalcedonensem, à qua ille susceptus, Synodum, tamquam à damnatis jam Nestorianis subscriptam, exauctorandam collimasse. Et hìnc ejusdem factionis Episcopi Severiani in collatione Constantinopolitana dixére Theodoretum dolosè in Synodo Chalcedonensi anathematizasse Nestorium, ideòque illam à se admitti non posse, nisi è sacris Dyptichis in priorem damnationem rejecto Theodoreto. Hìnc item Rusticus & Sebastianus, Ecclesiæ Romanæ Diaconi rebelles, Vigilium Pontificem calumniati sunt, *quod in suo iudicato Ibæ ac Theodoreti Episcoporum personas damnasset.* Sparsere illum cum dolosis Acephalis colludere. Verùm in literis ad Valentinianum Schytiæ Episcopum operosissimè se purgat Pontifex, additâ clausulâ potenti: *Quod absit.* Proindè dolosos istos conatus compressit Synodus, solaque quædam Theodoreti scripta damnavit. Personam enim & Synodus Chalcedonensis & sanctus Leo Pontifex palàm approbarant.

Culpari tamen possit præsens Synodus, quod inter damnanda Theodoreti scripta numerârit non solummodò reprehensa ab illo sancti Cyrilli Capitula, & quasdam adversùm illa Epistolas, sed & probrosam Epistolam de ejusdem Cyrilli morte ad Joannem Antiochenum: Opus nequaquam Theodoreti aut ullius Christiani Episcopi, sed pessimi scurræ, prostibuli, nebulonis. Etenim de Cyrillo scribit Theodoretus ad ejus successorem, adhuc in pace Ecclesiæ degentem, Dioscorum. *Beatæ memoriæ Cyrillum sæpè ad nos literas dedisse, perspectum esse opinor Sanctitati vestræ. Sed & quando suos adversùs Iulianum libros misit Antiochiam, similiterq́ue librum de Emissario, beatum Ioannem rogavit Episcopum Antiochenum, ut illos spectatis per Orientem magistris ostenderet, literisque obsequens beatus Ioannes nobis libros misit. Quos legentes suspeximus, & beatæ memoriæ Cyrillo scripsimus, & ille ad nos rescripsit, diligentiamq́ue & benevolentiam nostram commendavit. Quæ literæ apud nos servantur.* Quod ipsum repetit in literis ad sanctum Flavianum Episcopum Constantinopolitanum. Ex quo vides Theodoretum cum Cyrillo in plenam gratiam rediisse, ideòque fuisse remotissimum ab illis literis, nullo homine, sed solo diabolo dignis. Et apud Theodorum Balsamonem exstant literæ Canonicæ Cyrilli ad Domnum Joannis in Patriarchatu Antiocheno successorem: Obiit ergò Joannes ante Cyrillum, atque ità ad illum de hujus morte nequit Theodoretus scripsisse. D. Cardinalis Baronius existimat falsatam Synodum, easque infernales literas ei à nescio quo intrusas. Esse possit: Quomodò enim nullus in hac Synodo Episcopus scivisset Cyrillum Joanni supervixisse? Attamen Apostolici in sexta Synodo Legati,

Epist. 83. (margin, beside "tem, Dioscorum.")
Epist. 86. (margin, beside "retum cum Cyrillo")

gati, singulas hujus Synodi falsationes accuratè satis disquirentes, nullam hujus fecêre mentionem. Et quis diffiteri velit Synodum hanc, utpotè Apostolicæ Sedis directrice assistentiâ orbam, in variis claudicasse?

CAPUT IV.

Exponitur iudicium de Epistola Ibæ Archi-Episcopi Edesseni.

TErtius Synodi Chalcedonensis prætensus nævus, purgandumque Capitulum fuit Ibæ Edesseni Episcopi, per Osrhoënam Provinciam Metropolitæ, ad Marim Persidis Episcopum Epistola, probata per laudatam Synodum in judicio contradictorio, & apud Theodori Cappadocis Acephalam factionem admodùm exosa. *In* L.2.c.3. *ipsam*, inquit Facundus, *congerunt multa crimina*: Præsertim quod Theodorum Mopsuestiensem, tamquam nobilissimum Ecclesiæ Doctorem, laudarit. Hinc ut Nestorianam voluêre proscriptam. Eorum Edictum habebat hæc verba: *Oportet apertè inspicere ad Marim Epistolam, omnia quidem sine Deo & impiè dicentem; illud tantummodò ostendentem benè, quia ex illo Theodorus per Orientem in Ecclesia anathematizatus est*. Rabulam, quod Theodorum publicè in Ecclesia tamquam hæreticum anathematizasset, ut civitatis Edessenæ tyrannum, non Episcopum traducit Epistola, istudque anathema ac Ibæ de illo testimonium adseverat factio esse unicum in ipsa contentum bonum. Et hinc ad Vigilium Pontificem dixit in Conventu Constantinopolitano idem Facundus. *Ego fateor simpliciter Beatitudini vestræ, non pro Theodori Mopsuesteni damnatione me à contradicentium communione subtraxisse. Hoc enim, vel si approbandum non sit, ferendum tamen existimo, nec tantam esse caussam iudico, pro qua deberemus à communione multitudinis segregari, sed quia ex persona Theodori Epistolam Ibæ Nestorianam probare conati sunt, & ex Epistola Synodum, à qua suscepta est, improbare.* Addit in libro contra Mocianum. *In his verbis meis cognoscitis pro statu generalis Synodi me fuisse solicitum, ne quod Acephali semper quæsierunt, in retractationem deducta frangeretur eius auctoritas.*

Quapropter Epistolæ sine Synodi Chalcedonensis manifesto vulnere damnandæ varias quæsivit vias dicta factio. Eam aliqui fassi sunt susceptam & probatam à Synodo, ast addidere datam pro illa sententiam ad istius decreta minimè pertinere, utpotè datam post Eutychis & Dioscori damnationem, & definitionem fidei. Quo in fundamento, quoniam longè verissimo, utinam perstitissent. Restantem enim Chalcedone à sexta Actione peracta Episcoporum congregationem non fuisse synodalem, nec ejus Acta confirmata à sancto Leone Pon-

tifice, superiùs est ostensum. Et hæ sunt tenebræ, in quibus Facundus cum reliquis trium Capitulorum defensoribus cæcutiens animam suam & omnem Ecclesiam gravissimè læsit.

Alij à Synodo Chalcedonensi susceptam dixêre non ad Marim Persidis Episcopum *Epistolam, sed nescio quam scripturam postulationis & deprecationis, quam Photio, & Eustatio, & Vranio Episcopis* in Synodo Berytensi adunatis *omnis Clerus Edessenæ civitatis pro Iba Episcopo miserat.* At
L. 1. c. 3. illis rectè respõdet Facundus. *Aperto nos mendacio decipere voluerunt.* Varia ejus refutatio videatur apud eundem Scriptorẽ. Et hìnc Theodorus in Cappadocia Cæsareensis, Andreas Ephesinus, Megetius in Thracia
Collat. 6. Heracleensis, & Eusebius Tyriorum Archi-Episcopus aliam viam & fundamentum præsenti Synodo suggesserunt: *In Concilijs non unius aut secundi interlocutionem attendere oportet, sed hæc, quæ communiter ab omnibus vel amplioribus definiuntur.* Addiderunt Ibæ Epistolam non à cunctis Chalcedone Episcopis, sed à solis paucis judicatam orthodoxam. Quin immò pergunt. *Si aliquis requisierit & ea, quæ ab uno vel secundo quasi pro eadem Epistola dicta sunt, plenissimam in ipsis inveniet Epistolæ eiectionem.* Aiunt non susceptam, sed dissimulatam, Ibamque pænitentem dispensatoriè receptum, gratiâ ejus senij & odio latrocinij Ephesini. Et hanc viam probasse videtur nostra Synodus, & addi-
Collat. 8. dit: *Quomodò præsumunt aliqui dicere istam impiam Epistolam susceptam esse à sancto Concilio Chalcedonensi?*

Quæ omnia non sunt penitùs aliena. Etenim in Epistolam nullum firmatum fuit synodale judicium, sed variè de ipsa ac Ibæ persona sunt interlocuti Episcopi, longas ejus miserias miserati, atque ità quasi per acclamationem est redditus honori & Sedi Episcopali. Legati Romani sunt interlocuti hoc modo: *Relectis chartis* Synodi Berytensis, *agnovimus Ibam innoxium approbari; relectâ eius Epistolâ, agnovimus eum esse orthodoxum.* Et Juvenalis Hierosolymæ Episcopus. *Qui convertuntur, hos Scriptura Divina suscipi iubet: Quapropter & eos, qui ab hæreticis revertuntur, suscipimus. Vndè provideo reverendissimum Ibam impetrare clementiam, quia & senex est, ut habeat Episcopatus gradum orthodoxus existens.* Et Eunomius Metropolita Nicomediensis. *Dudùm ex relectis innoxius demonstratus est reverendissimus Ibas: In quibus etiam visus est culpare malè loquens beatissimum Cyrillum, in posterioribus rectè confessus respuit illa, quibus culpaverat.* Malè Facundus hoc unius Episcopi suffragium laudat tamquam judicium synodale. Ambigua est Synodi sententia: Nam & ut suspectus jussus est Ibas Nestorium abjurare. Nihilominùs Legati Apostolici, quos cuncti in hoc Episcopi videntur secuti, Epistolam innoxiam, utique ab hęresi Nestoriana, pronunciarunt.

Eam

Eam omni non carere nævo, liquet, ac ipse Facundus fatetur. De sancto Cyrillo, ejus duodecim Capitulis, ac Ephesinâ Synodo pessimè loquitur Epistola: Ait à Cyrillo, dum cum Joanne Patriarcha Antiocheno ac ejus Synodo pacem inijt, dicta Capitula, quod Apollinarium fæterent, fuisse recantata. *Putavit, quod beatus Cyrillus, directâ sibi ab Orientalibus confessione, non communem fidem in ea cognoverit, sed proprium errorem correxerit.* De quibus omnibus rectè Facundus. *Quod neque nos, neque Synodus Chalcedonensis approbavit.* Pravas, inquam, istas suspiciones improbavit & gratiâ pacis donavit Synodus, earum tamen causâ Epistolam de Nestorio non damnavit: *Quoniam longè alterius erroris hoc nomen est. Non de Christo, sed de beato Cyrillo Ibas malè credidit: Quæ duo si discriminaveris, Nestorianam non dices Epistolam, quam Synodus Catholicam dixit.* L.6.c.1. Cap. 1. Cap. 4.

Præsens nihilominùs Synodus damnavit ut Nestorianam, mandans anathematizari & ipsam *& defensores eius, & eos, qui dicunt eam rectam esse, vel partem eius, & eos, qui scripserunt vel scribunt pro ea, vel pro impietate, quæ in ea continetur, & præsumunt eam defendere, vel insertam ei impietatem nomine sanctorum Patrum, vel sancti Chalcedonensis Concilij, & in his usque ad mortem permanent.* Eam damnat, non solummodò ob calumniosas in S. Cyrillum & Ephesinam Synodum criminationes, sed & ob contentam in ipsa impietatem Nestorianam, quâ non Deum Verbum natum è Virgine, sed hominem purum adfirmat. Hæc sunt Epistolæ verba de quarto Capitulo sancti Cyrilli. *Hæc omni impietate plena sunt. Quomodò enim accipi potest hoc, quod est in principio Verbum, de templo, quod factum est in Maria?* Existimat Epistola adsumptum naturæ nostræ templum ac ipsum inhabitantem Deum Verbum à sancto Cyrillo misceri non in unam solummodò hypostasin, sed & in unam naturam; ipsa verò à præsenti Synodo existimatur ea non tantùm in duas naturas, sed & in duas hypostases distinguere, ideòque de Nestorio laborare.

Hæc Synodi verba, *Qui dicunt eam rectam esse, vel partem eius*, impetunt suffragium Eunomij Metropolitæ Nicomediensis, dicentis Epistolam in priori sui parte, quâ sanctum Cyrillum & Ephesinam Synodum culpat, loqui malè; in posteriori autem seipsam corrigere & recta profiteri. Hæc verba, *Nomine sanctorum Patrum vel sancti Concilij Chalcedonensis*, tendunt in Facundum, aliosque Capitulorum defensores, errantes ea probata per Chalcedonensem Synodum, ideòque sine ejus prævaricatione non posse damnari.

Et hìnc est prima quæstio, An adducta Epistolæ verba reverà contineant errorem Nestorianum? Constanter negat Facundus. *Cui,* L.6.c.4.

inquit, *Catholico potest displicere differentia naturalis inter templum & inhabitantem in eo, cùm Dei Ecclesia sic confiteatur* VERBVM CARNEM FACTVM, *ut non deneget, quod ibi subiunctum est, quia* ET HABITAVIT IN NOBIS? *Nam* VERBVM *quidem* CARO FACTVM EST, *quia sempiternus Filius, qui Verbum est Patris, ipse in plenitudine temporum factus est homo;* HABITAVIT *autem* IN NOBIS, *quia nullam conversionem sustinuit inconvertibilis eius Divinitas, sed manens, quod erat, naturam inhabitavit adsumptam. Et ideò* VERBVM CARO FACTVM EST, *Nestorianos expugnat, Eutychianos autem vel Apollinaristas eorum progenitores,* ET HABITAVIT IN NOBIS. *Quia* VERBVM CARO FACTVM EST *unam significat esse personam;* HABITAVIT AVTEM IN NOBIS, *duas inconfusè naturas. Non enim possunt duæ esse personæ, quando is, qui Verbum est, ipse etiam* FACTVS EST CARO, *aut duæ non esse naturæ, quando aliud sit, quod*
L. 1. c. 3. 8. *inhabitat, & aliud, quod inhabitatur.* Loquitur ex sancto Cyrillo in libris contra Nestorium. Ostendit eam fuisse fidem omnium Orientalium, quos inter & Ibas, Episcoporum, dum cum illo ac ejus Ægyptiacâ Synodo inicre pacem, ipsamque patenter exprimi hisce Epistolæ verbis: *Ecclesia sic dicit, quomodò Tua Religiositas novit, duæ naturæ, una virtus, una persona.* Hanc professionem dicit esse sine exceptione orthodoxam, ac sine manifesta Christiani dogmatis injuria non posse damnari.

Pro nostra autem Synodo ac ejus Anathematismo facit, quod omnis ista professio sit æquivoca, dolosa, sepulchrum dealbatum, foris orthodoxè speciosum, intùs plenum fœtoribus Nestorianis. Nam hisce Evangelij verbis, *Et habitavit in nobis*, adsiduè ut palmari argumento abusus fuit etiam Nestorius, & hæc propositio, *Christus est duæ naturæ, & una persona*, est nequissimus Nestorianorum dolus, de quo ipse Fa-
L. 1. c. 1. cundus. *Vnam dicere personam Nestorianorum nova subterfugia minùs excludit, qui convicti innumeris testimonijs Patrum, quod Deus Verbum & adsumptus homo una persona sit, pro auctoritatis dignitate ab eis hoc dictum existimant, vel existimare se fingunt, ut sic homo Iesus Christus dicatur Verbi gessisse personam, sicut gessit Apostolus, qui dicit,* NAM ET EGO, QVOD DONAVI, IN PERSONA CHRISTI; *non ut unus idemque esset Deus & homo.* Hoc ipso dolo loqui Ibam existimat præsens Synodus. Nec sine fundamento. Duas enim naturas ait esse unam, non solummodò personam, sed & virtutem, seu unius aut æqualis virtutis: Quæ est phrasis dolosissimè Nestoriana. Et summo impetu laudat Theodorum, adeòque ea omnia in ejus sensum credita est dogmatizare. Quocircà meritò damnata est ut Nestoriana.

Et hinc nascitur quæstio secunda, An Synodus Chalcedonensis in hac

in hac dogmatica quæstione potuerit errare & circumscribi? Hanc namque quæstionem esse dogmaticam firmissimè Facundus asseverat, & addit. *Si tamquam Nestoriana debet ab omnibus illa Epistola condemnari, non ipsa tantum Synodus, verùm etiam Leo Præsul Apostolicæ Sedis, à quo illius Acta approbata sunt, hæresi Nestorianæ cohibuit.* Respondeo aliud esse Chalcedonensem Synodum, aliud Episcoporum Chalcedone sine Apostolicæ Sedis influentia post Synodum remanentium congregationem: Et hæc omninò potuit errare. Addo tamen non errasse. Evenit æquivocis Ibæ Episcopi verbis, quod suprà ostendi evenisse huic propositioni, *Vnus è Trinitate est crucifixus*. Alium in illis sensum ista Chalcedonensis congregatio, alium apprehendit quinta Synodus, ideòque variè de ipsis judicárunt. Congregatio bonum, Synodus pravum de Ibæ animo & sensu judicavit, altera haud dubiè circumscripta est, placetque mihi sancti Augustini regula in libro de utilitate credendi: *Quibus argumentis mortui hominis voluntatem ità intelligam, ut de illa jurare possim?*

L. 2. c. 6.

Cap. 5.

CAPVT V.

Exponitur Iustiniani Augusti progressus in damnatione trium Capitulorum.

CAlamitatis hujus progressum exponit Liberatus Diaconus Carthaginensis, de Theodori Cappadocis, qui Justiniano Augusto Acephalorum, immò omnium Eutychianistarum cum Ecclesia communionem à trium Capitulorum damnatione promiserat, factione pergens. *Rursùs illi callidâ fraude rogaverunt Iustinianum Principem, ut dictaret librum in damnationem trium Capitulorum: Quo libro ejus edito, & toti mundo manifesto, dùm emendare Princeps erubescit, irrevocabilis caussa fieret. Sciebant enim Principem solitâ pietate, scandalo emergente, sententiam suam posse corrigere, seseq; in periculum pervenire. Annuit eis Princeps, & hoc se lætus implere promisit. Et relinquens operis sui studium, unum in damnationem trium Capitulorum condidit librum, pro delictis nostris nobis omnibus notissimum.* Et Facundus Hermianensis alloquens Principem. *Egerunt callidè per suos complices, sicut solent, adversarii veritatis, ut ea ipsa, quæ scribi fecerunt, etiam titulo nominis tui prænotarentur, existimantes quod proposito terrore tuæ personæ condemnationem vel etiam convictionem suæ temeritatis & falsitatis effugerent. Verùm nos illa scripta nolumus dici tua, quæ scimus cognitæ nobis tuæ fidei esse contraria:* Et Victor Episcopus Tonnonensis. *Iustinianus Imperator per diversas Provincias in regni sui finibus constitutas instantissimè scribit, & Antistites cunctos tria Capitula damnare compellit.* Factum id dicit anno octavo post Consula-

Cap 24.

L. 2. c. 1.

sula-

ſulatum Baſilij, Chriſti Domini quingenteſimo quadrageſimo nono, Vigilij Pontificis decimo tertio, vigeſimo ſecundo ipſius Principis, laudantis hocce ſuum Edictum in literis ad quatuor Orientis Patriarchas & omnem præſentem Synodum. *Nos ſequentes ſanctos Patres, & volentes rectam fidem ſine macula in Dei Eccleſiis prædicari, & impiorum conatum reſecare, primùm quidem & in veſtris vos ſedentes Eccleſiis interrogavimus de impijs tribus Capitulis, & veſtram nobis voluntatem manifeſtam feciſtis, pro qua & comprobamus vos, quod indubitanter & cum omni alacritate rectam fidem confeſſi eſtis, & impiam condemnaſtis.* A Capitulorum defenſoribus accuſabatur avitam Synodi Chalcedonenſis auctoritatem & reverentiam, nec non Eccleſiarum exſtincto Acaciano ſchiſmate pacem, inter Hormiſdam Pontificem & Juſtinum Patruum ſtipulatam, hâc novitate turbare: Hìnc profitetur ſe ſequi ſanctos Patres, addiditque hanc clauſulam Edicto: *Si quis dicit hæc nos ad abolendos aut excludendos ſanctos Patres, qui in Chalcedonenſi fuere Concilio, dixiſſe, anathema ſit.* Et ad præſentem Synodum legavit Conſtantinum ſacri Palatij Quæſtorem, demonſtraturum tria Capi-
Collat. 7. tula etiam Juſtino patruo graviſſimè ſemper diſplicuiſſe.

Erat res ardua, tangens generalis Synodi auctoritatem, ideòque non peragenda ſine Eccleſia Romana. Hìnc ergò conſultus fuit Vi-
L. 4 c. 3. gilius Pontifex. Rectè verò reſpondet Facundus. *Hoc eſt mirabile, ut poſtquam Capitulorum condemnationem fecerant, dicerent quod Eccleſiam Romanam conſulerent, & ſententiam Vigilij eius Præſulis exſpectarent: Cui, quantùm ad illos attinet, non permiſerunt cenſere quid ſenſerit, ante ſtatuentes, ut ſi quis Theodorum Mopſueſtiæ Epiſcopum cum ſuis dogmatibus, & Epiſtolam venerabilis Ibæ non anathematizat, anathema ſit.* Erat audacia Euſebiana, de qua Julius Pontifex in literis ad Epiſcopos ejus auctores. *Nunc nos, quos certiores* per Relationem præviam *minimè fecerunt, poſtquam iam egerint, quod libuit, ſuffragatores ſuæ damnationis,*
L. 2. c. 6. *cui non interfuimus, eſſe volunt.* Pergit Facundus. *Experientur, quantùm illos ſuſpicio ſua fefellerit. Quia Romanus Epiſcopus non in deſtructionem paternæ ſententiæ, ſed potiùs in defenſionem atque ultionem accepit primam & maximam poteſtatem: Nec aliquid contra veritatem, ſed pro veritate plus cæteris ſuis Conſacerdotibus poteſt.* Tria Capitula exiſtimat per Synodum Chalcedonenſem ac Leonem Pontificem fuiſſe confirmata, ideòque non poſſe retractari.

L. 4. c. 4. Reverà illi experti ſunt, *quantùm ſeſe fefellerit ſua opinio.* Edicit Facundus. *Venerabiles Pelagius & Anatolius, Romani Diaconi, debitam officio ſuo & loco ſolicitudinem pro Eccleſia Dei gerentes, laudabilis in Chriſto memoriæ Ferrando Carthaginenſi Diacono ſcripſerunt, ut habito de hac*

caussæ diligenti tractatu cum Reverendissimo eiusdem Carthaginensis Ecclesiæ Episcopo Reparato, *vel alijs, quos zelum fidei & Divinæ Scripturæ sciret habere notitiam, consulentibus responderet, quid observandum in communi omnibus videretur. In ipsa verò consultationis Epistola non tacetur, quod hac immissione Acephalorum, quos Semi-Eutychianos significantiùs appellare possumus, contra Chalcedonense Concilium & decreta Leonis Papæ mota fuerint per eos, qui sub nomine Catholico ipsorum parti studium præbent. Sed & ille, qui consultus fuerat, rescribens interrogantibus retractandam doculit non esse Epistolam,* nec alia duo Capitula, *quæ universalis Synodus approbavit. Quoniam si fieret, non ipsius tantùm, sed omnium Conciliorum statuta deducerentur in dubium.* Hæc est illa consultatio, quam suprà laudari audivimus à D. Cardinali Baronio, quam item in libro de viris illustribus laudat sanctus Isidorus Episcopus Hispalensis: *Ferrandus Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus ad Pelagium & Anatolium Romanos Diaconos, consulentes eum, utrùm liceat quemquam damnare post mortem, edidit Rescriptum.* Quin & Stephanus Romanæ Ecclesiæ Diaconus & Vigilij Pontificis in Regia civitate Apocrisarius *pro hac caussa à Menna* Episcopi Constantinopolitani, Edicto faventis, *se communione suspendit, & eos, qui ei communicaverant, sub debita satisfactione suscepit. Suspendit se cum Christianis plurimis, quamdiu vixit.* Etiam universus Italiæ Clerus in literis ad Francorum Legatos, proficiscentes Constantinopolim, censuit per Capitulorum damnationem omninò solvi Synodum Chalcedonensem, datamque illi à sancto Leone confirmationem, & moveri hæc omnia à dolis Acephalorum.

Cap. 12.

Facund l. 4 c. 4. L. cont. Mocian.

Pergit laudatus Italiæ Clerus. *Græci Episcopi damnaverunt Capitula.* Et dat caussam. *Græci Episcopi habent divites & opulentas Ecclesias, & non patiuntur duos menses à rerum Ecclesiasticarum dominatione* per immissæ manus Regiæ violentiam *Suspendi: Pro qua re secundùm tempus & secundùm voluntatem Principum, quidquid ab eis quæsitum fuerit, sine altercatione consentiunt.* Ab Episcopis *lucra temporalia diligentibus,* & ab hoc Prophetico præcepto, *Loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non confundebar,* alienis facta esse hæc omnia queritur etiam Facundus, edicitque omnem rei seriem. *Primus* Edicti *confirmator Mennas Constantinopolitanus Episcopus, cùm adhuc cunctaretur scripto, sicut præceptum fuerat, præbere consensum, contra Synodum Chalcedonensem fieri protestatus est. Sed & posteaquam consensit, à venerabilis memoriæ Stephano Ecclesiæ Romanæ Diacono & Apocrisario conventus, cur priori sententiæ suæ contrarius acquievisset his, quæ antè culpaverat, & de quibus se nihil acturum sine Apostolica Sede promiserat, sub ea se condicione cessisse, & iuratum sibi fuisse respondit, quod chyrographum suum reciperet, si hac*

L. 4. c. 4.

Ro-

Romanus Episcopus non probaret. In quo satis ostendit se de iudicio potiùs humano, quàm Divino fuisse solicitum. Zoilus quoque Alexandrinæ urbis Antistes, cùm Romanum Episcopum venire cognosceret, obviam illi ad Siciliam misit, conquerens necessitate se ad ipsius decreti affirmationem fuisse compulsum: Quod hic ei Romanus Episcopus in facie palam, nobis quoque inter alios præsentibus, exprobravit. Nec non & Effremius Antiochenus, cùm primùm ei mandaretur, ut hoc etiam ipse rescribendo firmaret, consentire noluit: At postquam ei denunciatum est, quod excludendus esset, nisi faceret, sui potiùs honoris, quàm veritatis dilector inventus est. Quid etiam Petrus Hierosolymitanus? Nonnè publica notitia refert, quoniam conveniente ad se multitudine monachorum iuratus pronunciavit, quod si quis eidem decreto novitio consentiret, contra Chalcedonense Concilium faceret? Nec tamen se ab eius consensione suspendit. Iam de aliarum civitatum Episcopis quid loquamur? Qui & cùm subscribere compellerentur, reclamaverunt contra magnam Synodum fieri, & post subscriptionem memorato Stephano Romano Diacono libellos dederunt, Sedi Apostolicæ transmittendos, consitentes in eis, quod à Constãtinopolitano Episcopo coacti subscriberent. Addit in libro cõtra Mocianum. *Cui præiudicio quia communicare timuerunt beatæ memoriæ Marianus Doracenus, & Basiliscus Serdicensis Episcopus, sed & Lampridius Bresbyter & Abbas Hierosolymitani monasterij, Mocianus eos Constantinopoli in gehennam abiisse dicebat.* Porrò gloriosissimus ille Stephanus Romanæ Ecclesiæ Diaconus fuit Pelagij in Apocrisarij munere successor, ante Vigilij Pontificis adventum Constantinopoli defunctus. Hinc enim ad Mennam Patriarcham scripsit de illo laudatus Pontifex ex itinere: *Quamdiu vixit, à tua se communione suspendit.* Eique in hac constantia adjunxit se Dacius Archi-Episcopus Mediolanensis.

L. cont. Mocian.

L. 4. c. 4. Ab illo territus Justinianus Augustus Vigilium Pontificem, quem *sibi solum contradicere querebatur*, evocavit Constantinopolim, immò potiùs, uti ad Francorum Legatos scribit Italiæ Clerus, *Violenter deduci iussit*, additis literis, ut pacem, quam Christus Dominus super omnia holocausta diligit, cum Menna Patriarcha & alijs Græcorum Episcopis stabili firmitate servaret: Utique à Stephano Diacono interruptam. Hinc exclamat Facundus: *Ecce ad quid confirmandum adducitur Romanus Episcopus, ne quid mansum videretur ambitiosa hæreticorum subreptio reliquisse.* Pontificis ex urbe Romana egressum largè describit liber Pontificalis. Addit Facundus. *Romana universitas egredientem, venientem Africa etiam atque Sardinia, quamquam non per eas transierit, per ipsius tamen Consiliarium publicâ eum contestatione pulsavit, sicut Hellas & Illyricus Provinciæ, per quas venit, ut nullatenùs novitati, quæ facta est, acquiesceret.* Tunc item factum est, quod scribit Victor Tonnonensis.

L. 3. c. 5.

L. 4 c. 3.

Illyri-

Illyriciana Synodus in defensione trium Capitum Iustiniano Augusto scribit: Et Benenatum primæ Iustinianæ civitatis Episcopum, obtrectatorem eorumdem trium Capitum, condemnavit. Illyriciana namque Diœcesis spectat ad Romanum Patriarchatum, ideòque, uti ad Joannem Patriarcham Antiochenum sanctus Cyrillus, & ad Nestorium dictus Joannes scribunt, à Romanæ Ecclesiæ *sententia non solet recedere.* Hæc est Synodus, de qua sanctus Isidorus in catalogo virorum illustrium. *Iustinianus Imperator condidit Rescriptum contra Illyricianam Synodum.* Eandem damnat in suæ fidei professione. Quæ omnia à Dacio Mediolanensi ac alijs Episcopis, sibi in Sicilia occurrentibus, cognovit Pontifex, atque indè ad Mennam Patriarcham Constantinopolitanum, primum Imperialis Edicti confirmatorem, scripsit acres literas, relatas à Facundo in libro contra Mocianum, arguens de excessu, qualem nullus huc usque Regiæ civitatis Episcopus commisisset. In Dominicæ nativitatis vigilia, anno nono post Consulatum Basilij, Constantinopolim ingressus, & grandi, per librum Pontificalem relato, honore susceptus, omnia huc usque per Principem gesta cassavit, ac Mennam, aliosque Patriarchas & eis adhærentes Episcopos ad quatuor menses communione privavit, uti in historia Ecclesiastica ex Theophane scribit Anastasius Bibliothecarius. Tamen in gratiam recepit ad preces Theodoræ Augustæ, de qua ad hunc annum Victor Tonnonensis. *Theodora Augusta, Chalcedonensis Synodi inimica, canceris plaga toto corpore perfusa, vitam prodigiosè finivit.* Atque ità nullas de fide quæstiones in Oriente deinceps cæpit formidare Ecclesia, uti scribit Pelagius primus Pontifex ad Childebertum Regem Francorum.

Con. Ephe. l 1 c 21. 25.
Cap 31.
Epist. 12.

Pergit in suis literis Italiæ Clerus. *Cùm Papa Vigilius ad damnanda tria Capitula non vellet adhibere consensum, iam tunc talis violentia facta est, ut publicè in conventu clamarit:* CONTESTOR, QVIA ETSI ME CAPTIVVM TENETIS, BEATVM PETRVM APOSTOLVM CAPTIVVM FACERE NON POTESTIS. *Posteà tamen tractatu habito, prædictus sanctus Papa Vigilius sub aliqua dispensatione prædictam caussam ordinavit, sollicitè monendo, ne per occasionem aliquam Chalcedonensis Synodus pateretur iniuriam.* Cum septuaginta Episcopis tractatum seu Synodum Constantinopoli fecit, de qua Facundus, testis oculatus, in præfatione sui operis. *Cum gestis super hac caussa disceptaremus, mediante conflictu interrumpi Acta præcepit Vigilius, & ab universis Episcopis, qui aderamus, expetijt, ut scripto unusquisque responderet, quid ei de his* Capitulis *videretur.* Istic Acta exponit latiùs in libro contra Mocianum. Ab hoc conventu prodijt in paschali vigilia Judicatum, Mennæ Patriarchæ directum, à Rustico Romanæ Ecclesiæ Diacono Cardinali, promo-

tum omni conatu, laudatum mirificè, per omnes Eccleſiæ Provincias divulgatum, & comparatum dogmaticæ ſancti Leonis Epiſtolæ, uti refert multis Vigilius Pontifex in ſententia, quâ eumdem Ruſticum damnavit. Voce *Iudicatum* utitur etiam Facundus in libro contra Mocianum, at verò Italiæ Clerus vocat *Conſtitutum*: Pontifex utrâque voce eſt uſus. Perijt aut latet hocce decretum, longè diverſum ab illo adhuc exſtante, quod ad præſentem Synodum direxit Pontifex, ideòque vitandæ confuſionis gratiâ prius paſſim *Iudicatum*, ſecundum vocatur *Conſtitutum*. In iſto itàque judicato tria Capitula, generoſiſſimè huc uſque propugnata, imperialibus tandem violentijs inflexus damnavit Vigilius, at *ſub aliqua diſpenſatione*: Adjectâ hâc clauſulâ, *Salvâ in omnibus reverentiâ Synodi Chalcedonenſis*. Conformiter ad clauſulam Edicti Imperialis: *Si quis dicit nos hac ad abolendos aut excludendos ſanctos Patres, qui in Chalcedonenſi fuere Concilio, dixiſſe, anathema ſit.* Videre cæpit tria Capitula ad Synodum Chalcedonenſem non ſpectare, & decreta de ipſis Chalcedone poſt Synodum à Leone Pontifice non fuiſſe confirmata. Addidit & hanc condicionem expreſſam in damnatione Theodori Cappadocis: *Vt omni in poſterum perturbatione ſopitâ, nihil ultra nec verbo nec literis quiſquam facere ex eadem cauſſa præſumeret.*

Judicatum hoc etiam in Africam miſit Ruſticus Diaconus, factumque tunc eſt anno decimo poſt Conſulatum Baſilij, quod ſcribit Victor Tonnonenſis. *Africani Antiſtites Vigilium Romanum Epiſcopum, damnatorem trium Capitulorum, ſynodaliter à catholica communione, reſervato ei pœnitentiæ loco, recludunt, & pro defenſione memoratorum trium Capitulorum literas ſatis idoneas Iuſtiniano Principi per Olympium Magiſtrianum mittunt.* De vario exceſſu, relato per Facundum in libro contra Mocianum, Vigilium arguerunt. Primus eſt in hiſce verbis. *Iudex aſſerit, quod invitus protulerit iſtud Iudicatum: Nos contra reſpondemus, quod ultrò per ambitionem pollicitatione factâ peccaverit, nec ulla ſuſtinuerit tormenta, quibus ceſſiſſe credatur.* Et in hiſce verbis. *Ob hoc etiam de Romani Epiſcopi chyrographis, vel priùs ambitionis impulſu, cùm fieri arderet Epiſcopus, vel poſteà venalitate parti alteri factis, neceſſarium duximus non tacere, ne auctoritate nominis eius præiudicium vera fides ſufferret.* Agunt de ambitione, quâ Romanum extruſo Sylverio Pontificatum à Theodora Auguſta pro trium Capitulorum damnatione Vigilius emerat, fœdumque iſtud pactum aiunt jam non terroribus aut cruciatibus, ſed aliâ venalitate adimpletum. Secundus exceſſus eſt in his verbis. *Poſt hæc etiam videri vult nihil in præiudicium Chalcedonenſis egiſſe Concilij. Cui nos ſuas excuſationes opponimus: Quia niſi hoc egiſſet quod præiudicaret,*

nu-

nequaquam Se vel de Principum violentia, vel de sua ignorantia purgare atque absolvere conaretur. Adjectas Iudicato clausulas dicunt esse frivolas: Chalcedonense enim de tribus Capitulis decretum fuisse à sancto Leone confirmatum duxerunt Afri esse longè certissimum. Tertius excessus est in hisce verbis. *Quod si hoc non fuisset, neque ipse priùs universam anathematizasset Ecclesiam, servare nos in illo oportuit sententiam suam, sequi, quod nobis præbuit, priscæ integritatis exemplum.* Aiunt, quod Vigilius priori suâ mutatâ sententiâ seipsum prævaricatorem constituerit, universam veritati constanter inhærentem Ecclesiam anathematizans, atque ità justissimè sit communione privatus. Quartus excessus est in hisce verbis. *Suscipiens ille Episcoporum* de tribus Capitulis responsiones *post aliquot dies ad Palatium detulit, atque alteri tradidit parti. Verùm ne suis traditor videretur, talibus eos verbis fefellit, ut diceret:* QVID APVD NOS RESERVAMVS ISTA CONTRARIA SYNODO CHALCEDONENSI RESPONSA, VT INVENTA QVANDOQVE IN ECCLESIAE ROMANAE SCRINIO A NOBIS APPROBATA CREDANTVR? SED ADFERAMVS EA IN PALATIVM, VT DE ILLIS AGANT IPSI, QVOD NOVERINT. Eum arguunt proditionis, mendacij, collusionis cum Acephalis, & confessionis, quod sua hæc Acta adversarentur Synodo Chalcedonensi.

Etiam Rusticus & Sebastianus, Romanæ Ecclesiæ Diaconi à Vigilio & Iudicato defecerunt, sparsis per omnem Ecclesiam literis pessimè criminatricibus de exauctorata per ipsum laudatâ Synodo. Hic est ille Rusticus, Vigilij ex fratre nepos, Iudicati olim summus præco, cujus à patruo extorquendi caussâ dixerat Theodorum Mopsuestiensem Episcopum, non solummodò dignum damnari, sed & exhumatum cum toto sepulchri sui territorio incendi. Ejus literæ varias usque ad cædes & sanguinem Ecclesias turbârant, & acerbè moverant in Pontificem, atque ità coactus ille fuit ad mittendas in omnem orbem Apologias, duosque illos rebelles Diaconos dignitate & ordine privandos. Româ tunc Constantinopolim revocavit Pelagium Diaconum, suum hìc nuper Apocrisarium, peritissimum omnis hujus caussæ. Etiamnum exstant Apologiæ ad Valentinianum Schytiæ Episcopum, & Aurelianum Archi-Episcopum Arelatensem. Rusticus etiam adversùs præsentem Synodum mansit pertinax, scribitque Victor Tonnonensis: *Rusticus Romanæ Ecclesiæ Diaconus Thebaida in exilium transmittitur.*

Ex omni latere angustiatus fuit Vigilius. Etenim judicato, quod omnis damnabat latina Ecclesia, non contentus Justinianus *caput illum compellere, ut absolutè Capitula sine Synodi Chalcedonensis mentione,* Cler Ital.

& omni modificante clausulâ, *damnaret. Sed Papa non acquiescens hoc facere, & videns se nimiùm ingravari, dixit tunc serenißimo Principi:* VENIANT HUC FRATRES NOSTRI EX OMNIBUS PROVINCIIS QUINI VEL SENI EPISCOPI, ET QUIDQUID SUB TRANQUILLITATE HABITO TRACTATU OMNIBUS VISUM FUERIT, CUM PACE DISPONEMUS, QUIA SINE CONSENSU OMNIUM ISTA, QUÆ ET CHALCEDONENSEM SYNODUM IN DUBIUM VENIRE FACIUNT, ET SCANDALUM FRATRIBUS MEIS GENERANT, SOLUS FACERE NULLATENUS ACQUIESCAM. Judicatum suum & natos indè Ecclesiarum motus considerare materiùs, ipsius pænitere, incussam sibi violentiam & obreptionem caussare cæpit Vigilius, *Dixitq; Principi, ut si ei non sufficeret illud, quod antè decreverat, redderet, & tamquam de novo caussa cum his, qui venire invitati sunt, tractaretur. Præstitit igitur Deus, ut hâc ratione sanctus Papa Vigilius Constitutum, quod in ipsa caussa fecerat, publicè in conventu reciperet, denuncians, quia si quis Græcorum Episcoporum usque ad universalis Concilij tractatum de istis Capitulis aliquid fecisset, aut facientibus acquievisset, à communione Sedis Apostolicæ alienus existeret.* Et tunc quam maximè doluit Iudicatum suum fuisse ubique à Rustico Diacono divulgatum.

Missi sunt ergò à Clementißimo Principe ad Africam & Illyricum, ut venire Episcopi debuissent. Sed de Illyrico nullus venire voluit. Ex Africa venit Reparatus Carthaginensis Episcopus, Firmus Numidiæ Primas, & alij plurimi, at pro Capitulis pertinacissimi, & nec blandimentis nec terroribus potuit eis aliud extórqueri. Hinc *Reparato concinnata est caussa*, quasi cum Gunthariṫh barbaro in Rempublicam conspirasset, *sub hoc* colore deportatus est, ac in ejus locum ordinatus Primosus, ejus Diaconus & Apocrisarius, idque *cum nimia effusione sanguinis & interitu multorum innocentium*. Omnis quippè Clerus & populus Reparato & Capitulis firmissimè adhærebat. Ità Deus insolentes, ac in Ecclesia Latina huc usque inauditas in Sedem Apostolicam præsumptiones vindicavit. Addit Victor Tonnonensis. *Apolinarius Zoilo, tria Capitula damnare nolenti, Episcopus Alexandrinæ Ecclesiæ surrogatur.* Zoilus publicâ, quam suprà à Facundo audivimus, Vigilij Pontificis exprobratione correctus nullâ violentiâ potuit deinceps in aliud latus impelli.

Videns verò Justinianus nullam sibi spem à Latinis, cæpit palàm tyrannum agere, & Pontificem *compellere, ut cum Græcis Episcopis Capitula condemnaret. Sed illo nullatenùs acquiescente, Edicta ex nomine imperiali tam in Ecclesia Constantinopolitana, quàm in diversis locis suspendi fecerunt, per quæ eadem Capitula damnarentur. Quo facto beatißimus Papa omnes Episcopos admonuit dicens:* QUICUMQUE EDICTIS ISTIS CON-

SEN-

SENSVM PRÆBERE VOLVERIT, SCIAT SE AB APOSTOLICAE SEDIS COMMVNIONE SVSPENSVM. *Sed & beatus Datius Mediolanensis Episcopus contestationem omnibus sub magna vociferatione deposuit dicens:* ECCE EGO, ET PARS OMNIVM SACERDOTVM, INTER QVOS ECCLESIA MEA CONSTITVTA EST, ID EST, GALLIÆ, BVRGVNDIÆ, HISPANIÆ, LIGVRIÆ, ÆMILIÆ, VENETIÆ, CONTESTOR, QVIA QVICVMQVE IN EDICTA ISTA CONSENSERIT, SVPRASCRIPTARVM PROVINCIARVM PONTIFICES COMMVNICATORES HABERE NON POTERIT: QVIA CONSTAT APVD ME EDICTA ISTA SANCTAM SYNODVM CHALCEDONENSEM ET FIDEM CATHOLICAM PERTVRBARE. Tunc item factum est, quod scribit Facundus in libro contra Mocianum. *Contigit, ut in libellis suis Episcopi ordinandi* tria Capitula *damnarent.* Ità Oziam Regem & Zenonem Augustum æmulatus Justinianus nullum omisit genus violentiarum.

Nam & cum laudato Datio Pontifex, quasi capitaliter reus, ad sancti Petri in Hormisda Basilicam fugere coactus est, & neque ibi *tutas sedes accepit, in tantùm ut Prætor, ad quem fures & homicidæ tantummodò pertinent, eò mitteretur. Qui cum multitudine militum, spathas nudatas & arcus tensos portantium, basilicam introivit. Quo viso sanctus Papa columnas altaris amplexus est. Sed ille ferocitate & animo concitatus primò de altari Diaconos eius & clericos à capillis tentos eiecit, postea verò ipsum sanctum Papam alij à pedibus, alij à capillis & barba tentum crudeliter abstrahebant. Sed cùm ille altaris columnas non dimitteret, cecidit altare, & columnæ aliquæ fractæ sunt, & quantùm ad ipsos, ibi super ipsum altare in partibus mitti habuit.* Addit Liber Pontificalis dixisse tunc Pontificem: *Non me fecit ad se venire Iustinianus, sed Diocletianus.* Expertus tunc item est, quod prudenti consilio nullus huc usque Pontifex voluisset interesse Synodis Græcorum. A commiserante & indignante populo fuit de manu Prætoris liberatus, acceptoque Principis Sacramento rediit ad Palatium Placidianum.

At ecce novæ contra Sacramentum injuriæ: Atque ità ille noctu fugit Chalcedonem ad Basilicam & corpus sanctæ Eufemiæ. Istic Theodori Cappadocis damnationem jam pridem decretam publicavit, Mennam verò Patriarcham Constantinopolitanum, aliosque Græcorum Episcopos, Edictis Imperialibus & dicto Theodoro adstipulatos, à communione suspendit, quousque eadem Edicta revocarentur, & ipsi prævaricationem suam debitâ satisfactione delerent. Pati non poterat, quod profanus Theodorus ad interdictam, in qua pendebant Edicta, Ecclesiam Missarum solennia celebrasset. Neque mireris hanc in captivo à Græcis Pontifice constantiam: Quod namque etiam in Theodoram Augustam & quosvis Acephalos *promulgâ-*

rit damnationis sententiam, testatur in literis ad Hiberiæ Episcopos sanctus Gregorius magnus. Adeò delirant, qui garriunt Reges à Pontifice damnari non posse. Et Dei verbum in ipso non fuit alligatum. Etenim Edicta sua Princeps refixit, & Mennas Patriarcha supplex venit ad sanctam Eusemiam, errorem confessus, & addens: *De iniurijs, quæcumque Beatitudini & Sedi vestræ facta sunt, eas quidem non feci, sed velut si eas fecissem, veniam postulo.* Eodem modo & alij Episcopi pœnituere. Acta hæc sunt anno undecimo & duodecimo post Consulatum Basilij, defunctusque tùm est laudatus Mennas, ac ejus in locum suffectus Eutychius monachus Amasenus: Atque ità ejus pro mortuorum damnatione argumentum, ex Josiæ Regis facto desumptum, non in quinta Synodo prodijt, sed ante illam in nescio quo Episcoporum coram Principe conventu.

CAPVT VI.

Præsentis Synodi Acta & auctoritas.

PRomotus ad Patriarchatum Eutychius etiam captivo ad sanctam Eusemiam Pontifici mox professus est omnem obedientiam, & nihil definire de tribus Capitulis, nisi synodaliter *suâ Beatitudine præsidente*. Quin & ipse Princeps legavit cum varijs Proceribus Ducem Belisarium, ac Petrum Referendarium, datis denuò Sacramentis Pontificem ad Regiam urbem reducturos; verùm nullas ille admisit condiciones, nisi generalem in Italia aut Sicilia Synodum, in qua Africani, Illyriciani, ac alij Latini Episcopi, Capitulorum damnatione scandalizati, Græcis Episcopis in pari numero adsiderent. Et tunc videtur afflictissimus Pontifex ad universam Ecclesiam scripsisse literas Encyclicas de suis calamitatibus. Tandem verò conventum est in ejusmodi generalissimam Synodum, ast coram Principe in Regia civitate celebrandam.

Invitati itàque sunt Latini Episcopi, at nulli venerunt, nisi aliquot Afri, de quibus Italiæ Clerus. *Præfectus Africæ, si quos invenit in Africa Episcopos aut caussas proprias habentes, aut simplices, aut ignaros, aut venales & paratos ad præmium, collegit & direxit indè unumquemque. Ex quibus tamen unus ante istos septem annos pro adulterijs suis tunc de civitate Regia cum opprobrio eiectus, & in navem impositus ad Africam est directus. Ecce per quales homines in singulis Provincijs sanctæ Ecclesiæ dissensiones & scandala generantur.* Erat tum Constantinopoli nescio quis Anastasius, Clericus Ecclesiæ Arelatensis, *qui cùm exire non posset, usus est consilio, ut promitteret se omnium Episcoporum Gallicanorum ad damnanda Capitula*

ani-

animos inclinare. Cui & præmia multa dantes districtè ibi de hoc implendo Sacramenta præstare fecerunt, & non permiserunt beatissimum Papam per eumdem Anastasium, quid in ipsa caussa ageretur, fratribus suis Episcopis Gallicanis scribere, nisi tantùm de alijs caussis, & quia fidem Catholicam & quatuor Synodorum reverentiam custodit. Quin immò in ejus, nec non & Dacij locum conati sunt alios Episcopos, *qui novitatibus consentiant*, ordinare.

Quocircà Latinorum Episcoporum adventum desperans Justinianus inchoari jussit Synodum imperij sui anno vigesimo septimo, decimo tertio post Consulatum Basilij, Vigilij decimo octavo, Christi Domini quingentesimo quinquagesimo quarto, die quarto nonas Maij. Pontifici ad sanctam Eufemiam per Theodorum Palatij Decurionem misit suum de tribus Capitulis judicium; & sexaginta articulos ex Theodori Mopsuesteni libris defloratos per Benignum Heracleæ in Paphlagonia Episcopum, authoritate Apostolicâ qualificari expostulans; ipsa autem Synodus legavit viginti Episcopos Primates, quos inter erant Eutychius Constantinopolitanus, Apollinarius Alexandrinus, & Domninus Patriarcha Antiochenus, supplicantes, quatenùs sua Beatitudo dignaretur sibi in Synodo præsidere. Fœdè errant, qui Pontificem garriunt à Synodo citatum. Respondit verò ille *non posse unà convenire, eò quod plurimi quidem hic sint Orientales Episcopi, pauci verò cum eo: Facere autem per semetipsum suam sententiam, & offerre piissimo Domino. Ideò eum & inducias postulasse ab ejus Serenitate, ut intra eas suam voluntatem manifestaret.* Provocavit ad promissum Latinorum Episcoporum æqualem numerum, *constitutumque faciendæ collationis modum*, ob corporis ægritudinem postulavit viginti dierum inducias ad propositis à Principe quæstionibus respondendum, ac Græcis Episcopis ad Capitula damnanda prurientibus servandum edixit *antiquum & regularem ordinem, ne ante suæ promulgationem sententiæ quidquam proferre tentarent.* Ad Romanum namque Episcopum in Synodo generali spectat tractandæ quæstionis propositio, & primum de ipsa suffragium. Nam & de Synodo Ariminensi scribit ad Episcopos Orientales apud D. Lucam Holstenium Damasus Pontifex: *Præiudicium aliquod nasci non potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt, cùm constet Romanum Episcopum, cuius ante omnes fuit exspectanda sententia, huiusmodi statutis consensum aliquem non commodasse.*

Collat. 2.

Epist. 27.

Porrò synodales Legati Vigilio reposuerunt. *Scit vestra Beatitudo, quod in his, quæ inter nos in scriptis facta sunt, promisistis unà cum Episcopis, qui nobiscum & communicant & uniti sunt, convenire & requirere de his*

tribus

tribus Capitulis. Nos verò & communicamus, & uniti sumus vobiscum, & non decet omnium nostrum conventum differri propter Occidentales Episcopos. Nec enim in sanctis quatuor Synodis multitudo Occidentalium Episcoporum inventa est umquam; sed duo vel tres Episcopi, & certi Clerici. Nunc verò adest quidem tua Beatitudo, multi etiam alij ex Italiâ Episcopi præsto sunt, sunt etiam ex Africa Episcopi, & ab Illyrico, & nihil est quod prohibeat convenire vos unà nobiscum secundùm ea, quæ inter nos in scriptis facta sunt, & meliùs est cum charitate decente Sacerdotes convenire, & unam pro caussa sententiam statuere, ut tunc quæstio communem in scriptis definitionem suscipiat. Quod in quatuor prioribus Synodis fuerint paucissimi Latini Episcopi, est omninò verum: Sed & verum est, quod ob Eutychianæ duce Dioscoro factionis turbas in Synodum Chalcedonensem noluerit consentire sanctus Leo Pontifex, nisi stipulatus æqualem cum Græcis Latinorum Episcoporum numerum, solaque Martiani Augusti & Augustæ Pulcheriæ notissima pietas eum induxit à stipulatu resilire. At verò in hac nostra Synodo Justinianus Diocletianum ac Theodori Cappadocis satellitem induerat, ejus affectibus serviebant omnes Græcorum Episcopi, atque ità meritò Vigilius à pactis condicionibus nolebat recedere. Propositis tamen à Principe quæstionibus respondit, longo & erudito Constituto sexaginta articulos ex Theodoro Mopsuestiensi desumptos damnans ut hæreticos atque blasphemos, tria verò Capitula definiens non damnanda propter Synodi Chalcedonensis reverentiam, & Romanæ Ecclesiæ perpetuum morem non damnandi Episcopos in Ecclesiæ pace defunctos. De sensu per Theodorum in dictis propositionibus intento nihil volebat statuere. Et hocce suum Constitutum, pro synodali suffragio arripi nolens, non Græcorum Episcopis, sed Principi inscripsit. Quæ omnia videntes Itali, Afri, atque Illyriciani Episcopi etiam sese retraxere à Synodo. dicentes sine Romano Pontifice, suo Patriarcha, sese non posse adesse. At perrexerunt Græci: Fecere conventum Acephalum, & tria Capitula contra Sedis Apostolicæ interdictum atque judicium damnaverunt. Eos cogebat Justinianus Augustus, per Constantinum sacri Palatij Quæstorem significans Capitula jam pridem damnata à Vigilij Iudicato, primamque hanc ejus sententiam omni posteriori tergiversationi præferendam.

Quocircà errorem continent hæc verba Eustatij Presbyteri in vita sancti Eutychij Patriarchæ Constantinopolitani. *Cùm multa diversis locis atque temporibus sancta Concilia celebrata sint, nemo unquam, nisi sancti Eutychij tempore, quatuor simul Patriarchas convenisse meminit.* Convenisse dicit Vigilium Romanum, Eutychium Constantinopolitanum,

tanum, Apollinarium Alexandrinum, & Domninum Patriarcham Antiochenum, omniaque peracta *sine violentia, necessitate, partium studio, affectione.* Græca fides loquitur. Vigilius Pontifex non adfuit, & Apollinarium non pro Patriarcha, sed pro invasore habuit, damnans Theodorum Cappadocem, quod illum, expuncto Zoilo, sacris dyptichis intrusisset. Eustochius Hierosolymitanus adfuit per Legatos: Onuifrius Panuinus adfuisse dicit Episcopos centum sexaginta quinque. Acta synodalia præfixum habent annum Justiniani Augusti vigesimum septimum, duodecimum post Consulatum Basilij: At credendum Victori Tonnonensi, dicenti fuisse decimum tertium, Christi Domini quingentesimum quinquagesimum quartum, in quem omninò incidit vigesimus septimus Justiniani. Prima Collatio facta est quarto nonas Maias, pridie Idus Maias Pontifex Principi misit suum de tribus Capitulis Constitutum, quarto Nonas Junias fuit conclusa Synodus, scribitque Victor Tonnonensis: *His itàque gestis terra motus urbem Regiam à fundamentis concutiens ædificia plurima, porticusq; deiecit, & basilicis consistentibus altaria penè cuncta prostravit.* Majores postmodùm turbas excitavit Justinianus pro errore de incorruptibili Christi Domini corpore, atque ità, teste Evagrio Epiphaniensi, *cùm omnia omninò turba & tumultu complevisset, mercedemq; his rebus debitam in extremo vitæ suæ tempore reportasset, ad supplicia iusto Dei Iudicio apud inferos luenda est profectus.* L.5.c.1.

Restant aliquot quæstiones. Prima est, An quinta hæc Synodus à Vigilio Pontifice fuerit tandem confirmata? Respondeo fuisse. Hodiernis diebus prodijt è diuturnis latebris Epistola confirmatoria, ad Eutychium Patriarcham Constantinopolitanum directa, ac in facti sui justitiam adducens sanctum Augustinum, in sacris Scripturis Doctorem clarissimum, ac Romanæ eloquentiæ magistrum, qui etiam scripta sua retractavit. Habet hanc Subscriptionem: *Ante sextum Idus Decembres Imperij Domini nostri Iustiniani, æterni Augusti, anno vigesimo septimo, post Consulatum Basilij viri clarissimi duodecimo.* At longè aliter Victor Tonnonensis, testis oculatus. *Post Consulatum Basilij anno decimo septimo Vigilius Romanus in Insula Sicilia moritur.* Omnes quintæ Synodo refragantes Latinos Episcopos in varias regiones proscripsit Justinianus, atque adeò etiam Vigilium, qui ærumnis lassus, & libertatis ac sedis recuperandæ amore victus tandem consensit in Synodum, atque ità est ad propria remissus. Quocircà existimo dictum consensum non nisi decimo septimo post Basilij Consulatum anno fuisse extortum. Et quidem Pelagio Vigilij Archi-Diacono reclamante, de quo idem Victor ad annum sequentem. *Pelagius Romanus Archi-Dia-*

conius, trium defensor Capitulorum, Iustiniani Principis persuasione, de exilio redit, & condemnans ea, quæ dudùm constantissimè defendebat, Romanæ Ecclesiæ Episcopus à prævaricatoribus ordinatur. Romani Episcopatus amore ad recipiendam Synodum est inflexus.

De ejus ordinatione scribit liber Pontificalis. *Dum non essent Episcopi, qui eum ordinarent, inventi sunt duo Episcopi, Ioannes de Perusio, & Bonus de Ferentino, & Andreas Presbyter de Ostia, & ordinaverunt eum Pontificem.* Omnis Italia se ab ejus, quasi Synodum Chalcedonensem prævaricati, communione abstinuit, adeò ut Thusciæ Episcopi, proprij Comprovinciales, ejus nomen ad altare non recitarent, atque ità tertius ad ei manum imponendam Episcopus nequijt reperiri. De Dacio Mediolanensi Episcopo, secundo Italiæ Metropolita, scribit Victor Tonnonensis ad annum quartum decimum post Consulatum Basilij: *Constantinopolim venit, & damnationi trium Capitulorum consentiens eo die percussus occubuit.* De viro sancto temerè judicat homo schismaticus, attamen ejus successor Honoratus perstitit pertinax Capitula propugnare. Adjunxit se tertius Italiæ Metropolita, Paulinus Aquilegiensis Episcopus, à cujus duritia schisma vocatum est schisma Histrium, & ipse ejus Patriarcha. Hæc sunt vera exordia & natales Patriarchatus Aquileiensis. Etiam Childebertus Francorum Rex & Galliarum Episcopi communicare noluerunt Pelagio, nisi professo fidem Chalcedonensem & Tomum sancti Leonis. Duras undique tempestates passus est, rebelles Italiæ Episcopos per Narsetem Comitem & Principis Justiniani arma conatus compescere, at trium Capitulorum zelus omnia sprevit.

Epist. 13.

Secunda quæstio est, Quanta sit hujus Synodi auctoritas? Respondeo esse summam. Etenim Gregorius magnus in literis ad Sabinum Subdiaconum quatuor prima Concilia laudat & profitetur tamquam quatuor Dei Evangelia; & in literis ad Joannem Constantinopolitanum, Eulogium Alexandrinum, Anastasium Antiochenum, & Joannem Patriarcham Hierosolymitanum, eadem esse dicit quatuor Ecclesiæ lapides fundamentales, & addit. *Quintum quoque Concilium pariter veneror: Quisquis aliter sapit, anathema sit.* Ibæ Epistolam dicit esse plenam erroris, & Theodorum de divisa Domini persona convictum. Et in literis ad Episcopos Iberiæ. *In Synodo, in qua de tribus Capitulis actum est, apertè liquet nihil de fide esse convulsum, vel aliquatenùs immutatum, sed de quibusdam solummodò personis est illic actitatum, quarum una, cujus scripta evidenter à rectitudine catholicæ fidei deviabant, non injustè damnata est.* Et in literis ad Secundinum monachum. *Synodus, quæ post Chalcedonensem generaliter facta est, idcircò à nobis recipitur, quia*

L.1. Ep. 24.
L.2. Ep. 36.
L.7. Ind. 2. Ep. 57.

quia ejusdem Synodi in omnibus sequax honorem illius, auctoritatemq́; custodit. Ejusmodi encomijs nostræ Synodi scatent ejus Epistolæ.

Tertia quæstio est, An hæc Synodus habeat parem cum alijs quatuor auctoritatem? Respondeo non habere. Etenim in laudata ad Secundinum Epistola pergit sanctus Gregorius. *Quoties in quatuor præcipuis sedibus Antistites ordinantur, Synodales sibi Epistolas vicissim mittunt, in quibus se sanctam Chalcedonensem Synodum cum alijs generalibus Synodis custodire fatentur.* Exponit Apologus Gregorij septimi. *Consuetudo olim erat, ut quilibet in aliqua Patriarchalium Sedium noviter ordinatus se primas quatuor Synodos custodire, reliquis sedibus transmissâ Epistolâ profiteretur, antequam nomen eius apud reliquas sedes in dypticbis scribi mereretur, nomen videlicet Prædecessoris eius, licèt defuncti, reliquæ sedes computabant inter viventes, donec ipsius noviter inthronizati Præsulis Synodicam reciperent Epistolam: Quæ quia eumdem Episcopum quatuor Synodos recepisse denotavit, hoc sibi nomen* SYNODICAM *ab eisdem Synodis non incongruè videtur mutuasse. Hanc autem consuetudinem illius temporis fuisse sanctissimus Papa Gregorius in Epistola ad Secundinum servum Dei inclusum testatur, quam & usque ad beati Papæ Adriani tempora, quippè ad Carolum Regem, perdurasse Ioannes Romanæ Ecclesiæ Diaconus asserit, qui vitam sancti Gregorij ex præcepto Ioannis Papæ fideliter scripsit. Sed utrùm adhuc eadem consuetudo perduret, ignoro, quam præfatis temporibus fuisse non dubito.* Et hinc intelliges hanc populi Constantinopolitani, Acacianum schisma exstinctum volentis, acclamationem ad Joannem suum Patriarcham, laudatam in Synodo Constantinopolitana sub Menna illius successore: *Synodica Romana modò valeant.* Hoc est, Patriarcharum Synodica modò contineant professionem quatuor Synodorum, quomodò mandat Ecclesia Romana. Acaciani enim omiserant Synodum Chalcedonensem. Deindè, non quintum, sed sola quatuor prima Concilia, tamquam Dei Evangelia veneratur sanctus Gregorius: Ea item sola sacris Ecclesiæ dyptichis inscripsit Augustus Justinianus. Quæ omnia sunt lucida & firma argumenta dissimilis dignitatis. Cap. 2.

Rationem edicit laudatus Gregorius in literis ad Constantium Episcopum Mediolanensem. *De illa Synodo, quæ in Constantinopoli postmodum facta est, quæ à multis quinta nominatur, scirè vos volo, quia nihil contra quatuor sanctissimas Synodos constituerit vel senserit, quippè quia in ea de personis tantummodò, non autem de fide aliquid gestum est, & de his personis, de quibus in Chalcedonensi Concilio nihil continetur, sed post expressos Canones facta contentio, & extrema actio de personis ventilata est.* Utique post Canones editos Actione sextâ. Quis autem nesciat inter L. 3. Ep. 37.

Ecclesiastica de fide ac de personis judicia esse firmatum grande chaos, plurimamque dignitatis atque auctoritatis diversitatem?

Huic diversitati innititur ejusdem Pontificis dispensatio in literis ad eumdem Constantium. *Quod scripsistis, quia Epistolam meam Reginæ Theodelindæ minimè transmittere voluistis, pro eo quod quinta Synodus in ea nominabatur, si eam exindè scandalizari posse credidistis, rectè factum est, ut minimè transmitteretur: Vndè nunc ità facimus, sicut vobis placuit, ut quatuor Synodos solummodò laudaremus, & quintæ Synodi nullam memoriam faceremus.* Theodelindam Longobardorum Reginam pijssimam, utpotè Gariberti Ducis Bavariæ filiam, à tribus Episcopis seductam extra communionem Ecclesiæ, conatus est reducere Gregorius missis literis quintæ Synodi Apologeticis; at eas Constantius suppressit, ratus obfuturas apud fœminam à Synodo illa alienissimam, rogansque mitti alias ostendentes simpliciter Romanam Ecclesiam nullatenùs recessisse à quatuor Synodorum fide, sed Synodi præsertim Chalcedonensis esse omninò observantissimam: Judicavit de quinta Synodo penitùs tacendum. Per pravum ac erroneum de illa judicium existimavit non perdi Christianitatem, ideòque dispensatoriè posse ad tempus tolerari: Et Gregorius comprobavit. Reginam ad Ecclesiæ communionem reduxit, & tum meliora pedetentim docuit, ac tandem Synodi nostræ Acta transmisit, ostendens à vagantibus per Ecclesiam criminationibus esse plenè immaculata. Nempè de solis personis statuit Synodus: Nam circa fidei decreta dispensatoriè dissimulari non posse ostendit adversùm Monothelitas Imperialem Ecthesin ità pur-
Epist. 3. gare conatos Martinus primus Pontifex in literis ad Constantem Augustum.

Quin immò sanctus Isidorus Hispalensis Episcopus in catalogo de viris illustribus scribit de Theodoro Mopsuesteno. *Hunc Acephalorum Episcopi in præiudicio Chalcedonensis Concilij, Iustiniano Principe compellente, damnare post mortem cum Iba & Theodoro Episcopis censuerunt: Dum constet eum laudabilium virorum testimonijs clarissimum Ecclesiæ Doctorem fuisse.* Facundi Hermianensis libros pro eisdem tribus Episcopis apologeticos strenuè laudat, ac perversi in illos studij culpat Justinianum. Haud dubiè loquitur ex institutione germani fratris & proximi sui antecessoris sancti Leandri. Et hìnc ab eodem Leandro conversus Richaredus Hispaniæ Rex in fidei professione ad tertiam Synodum Toletanam directa, ipsaque hæc tertia Synodus laudant solas quatuor primas generales Synodos, altissimèque silent de nostra quinta. Eodem modo apud octavam Toletanam profitetur Rex Recessuintus.
Cap. 6. 7. Et Synodus quarta decima discutit Acta sextæ generalis, probat, & ad-

addit. *Habebunt ergò sui ordinis locum, quæ sublimationis habent & meritum. Vndè his Concilijs ea ipsa subnectenda decernimus, quorum & auctoritate fulta probamus.* *Post Chalcedonense igitur Concilium hæc debito honore, loco, & ordine collocanda sunt, ut cuius glorioso themate fulgent, ei & loci & ordinis coaptentur honore.* Sexta generalis Synodus est Hispanis quinta, quod nempe quintam nunquam recipiendam duxerint, utpotè factam *in præiudicio Synodi Chalcedonensis.* Et hocce in illis judicium haud dubiè culpârunt sanctus Gregorius ac ejus successores, nequaquam tamen ipsos damnavêre: Quod catholicam communionem non lacerarent. Sanctus Cyprianus Carthaginensis, & sanctus Firmilianus in Cappadocia Archi-Episcopus Cæsareensis eundem tenuerunt de data apud hæreticos baptismo errorem, solum tamen Firmilianum communione privavit sanctus Stephanus Pontifex: Quod ille Romanam Ecclesiam prævaricationis & pravi dogmatis ream ageret & aversaretur; pacificus verò Cyprianus uteretur hâc assiduâ protestatione, *Neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes.* Ex eadem regula pacificos Hispanos tractavit sanctus Gregorius.

Quarta quæstio est, An verè dicat laudatus Gregorius in quinta Synodo non esse actum de fide, sed de solis personis? Ratio dubitandi est auctoritas Martini primi Pontificis, qui in Synodo sua Lateranensi post Nicenum & Constantinopolitanum Symbolum, post duodecim sancti Cyrilli Capitula & Synodi Chalcedonensis de fide definitionem adducit etiam quatuordecim hujus Synodi Capitula, eisque præfigit hanc Epigraphen: *Definitio sancta quintæ Synodi.* Et sanctus Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus in literis Synodicis ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum post quatuor Synodorum professionem pergit: *Super his & quintam Synodum honoro, atque honorifico, & veneror, & cuncta eorum libenter suscipio, tam in dogmatibus & diversis doctrinis, quam hæreticorum anathematibus & definitionibus.*

Respondeo tamen sancti Gregorij dictum esse longè verissimum. Etenim ad nullam dogmatis quæstionem convénit hæc Synodus, nulla per ipsam tractata aut damnata fuit nova hæresis, sed Ephesinæ & Chalcedonenses adversùs Nestorium & Eutycheten definitiones fuerunt dumtaxat confirmatæ, eorumque nova quædam ad dictas definitiones eludendas dolosa machinamenta novis anathematibus retusa. Et Vigilius Pontifex in literis confirmatorijs nullam de ullo, ne quidem Origenis dogmate facit mentionem, sed solorum trium Capitulorum damnationem confirmat. Nam & Origenis dogmata erant jam pridem per Ecclesiam proscripta. Et sanctus Sephronius disertè ait

hocce

hocce Concilium non ad novas quæstiones, *sed ad confirmationem solummodò nominatissimi Chalcedonensis Concilij fuisse congregatum.* Quatuor primos conventus dicit esse magnos, universales, venerandos, sanctorum Patrum honore coæquandos, & ab illis stabilitum mathema seu Symbolum fidei, & hocce nostrum Concilium, non cum illis, sed post illos suscipit & veneratur: Atque ità palàm adserit ab ipso nihil actum de fide, ideòque non esse paris cum illis loci & auctoritatis. Neque aliud vult Martinus Pontifex: Laudat ejus quatuordecim Capitula, videlicet tamquam confirmatoria Synodi & fidei Chalcedonensis.

L.2.Ep.49 Quinta quæstio est, Quomodò in literis ad Sabinum Subdiaconum scribat sanctus Gregorius: *De personis, de quibus post terminum Synodi Chalcedonensis aliquid actum fuerat, Iustiniani temporibus est ventilatum, ità tamen ut nec fides in aliquo violaretur, nec de eisdem personis aliquid aliud ageretur, quam apud eamdem sanctam Synodum Chalcedonensem fuerat constitutum?* Etenim longè aliud Chalcedone, aliud in præsenti Synodo est de tribus Capitulis decretum. Item quomodò idem Gregorius in literis ad Secundinum monachum dicat: *Epistolam reverendissimus Ibas in Synodo Chalcedonensi denegat esse suam?* Ejusmodi namque negationis vestigium nullum est in Synodo Chalcedonensi. Ad primum respondeo Gregorij dictum esse longè verissimum. De tribus namque Capitulis nihil statutum est à Synodo Chalcedonensi, sed dumtaxàt post illam ab Acephalo Episcoporum conventu, ideòque quinta Synodus nihil egit diversum à Chalcedonensi. Et quidem etiam à conventu illo nihil actum est de primo Capitulo seu persona Theodori, sed dumtaxàt audita ejus laus in Epistola Ibæ. Ad secundum respondet D. Cardinalis Baronius Gregorium loqui ex Synodi nostræ collatione sexta, idipsum adfirmante, eamque esse falsatam. Malim ego dicere ità ad Epistolæ facilitandam damnationem fuisse Synodo ab Acephalis persuasum. Synodorum falsatio nequit sine firmo fundamento præsumi, & singula hujus Synodi Acta & verba non possunt plenè defendi.

Sexta quæstio est, quæ Histriorum, Afrorum, Hispanorum, ac aliorum Latinorum fuerint fundamenta, ex quibus adeò pertinaciter præsentem Synodum sunt aversati? Respondeo fuisse præsertim duo. Primum erat anterior Ecclesiæ mos neminem in orthodoxæ communionis pace defunctum damnandi post mortem, nec non auctoritas Theodori Mopsuestiensis Episcopi, qui celeberrimus olim Diœceseos Orientalis magister cernebatur effutijsse multas locutiones quoad verborum sonum Nestorianas, at credi à plurimis non poterat prava sen-

fisse.

fisse. *Necdùm exorto*, inquit Facundus, *Nestorio secura simplicitas loquebatur*. Erat fundamentum caducum, suspectum, hæreticis familiare. L.II.c.I.
Etenim in ipsa Nicena Synodo Symbolum ac fidei definitionem receperunt aut recipere simularunt Eusebius Nicomediensis & Theogius Episcopus Nicenus, ast Arij damnationem fuerunt penitùs aversati, dicentes eum solis vocibus, non sensu deviasse. Et de Marcello Ancyræ Episcopo, non pravorum dumtaxàt verborum, sed & sensuum reo scribit sanctus Hieronymus in catalogo: *Ille defendit se non esse eius dogmatis, cuius accusatur*. Et de Priscilliano: *Defendunt quidam non ità eum sensisse, ut arguitur*. Eàdem viâ Joannes Hierosolymæ Episcopus errores suos conatus est fucare. Etiam Joannes Wicleffus, ideòque ejus *conclusiones & propositiones, de bonis operibus & fide malè sentientes*, Gregorius Papa undecimus damnavit hâc adjectâ clausulâ: *Licèt eas proponentes sub quadam verborum seu terminorum curiosâ implicatione conentur defendere*. Eodem modo in caussa simili locutus est Pius quintus: *Quamquam aliquo pacto sustineri possent*. Et hìnc de Academia Oxoniensi & laudati Gregorij in Wicleffum diplomate, missò per Magistrum Edmundum Staffdorp, rectè scribit Thomas Walsinghamensis. *Vniversitatis moderni Rectores quantùm degeneraverint à prudentia seu sapientia antiquorum, per hoc facilè conjici poterit, quod auditâ caussâ adventus Papalis Nuntij diu in pendulo herebant, utrùm Papalem Bullam deberent cum horrore recipere, an omninò cum dedecore refutare. Oxoniense studium generale quam gravi lapsu à sapientia & scientia culmine decidisti, quod quondam inextricabilia atque dubia toti mundo declarare consuesti, iam ignorantia nubilo obfuscatum dubitare non vereris, quæ quemlibet è laicis Christianis dubitare non decet!* Rem tandem composuit Guilielmus Archi-Episcopus Cantuariensis, omnem Angliam inducens ad Wicleffi articulos *ut hæreticos & erroneos* damnandos, intelligendo *prout verba sonant*. Eodem tramite adversùs Theodorum processit nostra Synodus, ideòque rectè ad Hiberiæ Episcopos scribit Gregorius magnus illum *non iniustè damnatum, quod eius scripta evidenter a rectitudine Catholicæ fidei deviarent*. Et in literis ad quatuor Patriarchas Orientis: *Theodorus personam Mediatoris Dei & hominum in duabus substantijs separans ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur.* Proindè non minùs de Theodori, quam Nestorij, Eutychetis, Arij, aut Priscilliani perverso sensu dubitemus: Nam & ejus damnationem non fuisse caussam lacerandæ Catholicæ communioni sufficientem fassus est coram Vigilio Pontifice in conventu Constantinopolitano Facundus. Et qui hodie pro Tertulliano, Origene, Lucifero Sardorum Episcopo, Joanne Hierosolymitano Apologias in Ecclesiam spargunt,

Marginal notes: A.1378. (beside "ghamensis"); L.2 Ep 36 (beside "Gregorius magnus"); L.I.Ep.24 (beside "ter a rectitudine").

lavant æthiopes, compescendiique sunt ut ingenia libertina & noxia, nisi brevi etiam pro Martino Luthero & Joanne Calvino velimus Apologias videre.

Alterum & principale fundamentum erat Chalcedonensis & omnium in ipso generalium Conciliorum auctoritas, quam Latini Episcopi dolosâ Acephalorum immissione credebant retractari & exufflari Erat fundamentum erroneum. Est enim longè certissimum ac lucidissimum, quod Synodus Chalcedonensis in sexta Actione fuerit finita, quodque sanctus Leo magnus solám fidei definitionem in ipsa confirmârit. Eodem errore dudùm laboravit etiam Vigilius Pontifex, ejusque longè doctissimi Diaconi Anatolius, Pelagius, ac Stephanus: Redarguere autem cæpit Gregorius magnus, Ecclesiæ Romanæ adhuc Diaconus, in literis sub Pelagij secundi Pontificis nomine scriptis ad Eliam Archi-Episcopum Aquileiensem. Quocircà Facundus Hermianensis, alijque plurimi & nobilissimi Episcopi, carceres & exilia pro tribus Capitulis passi, habuêre Dei & Synodi Chalcedonensis zelum, at non secundùm scientiam. Vanè sese palpârunt de Martyrij gloria: Martyrém enim non facit pæna, sed caussa. Sine caussa Ecclesiam lacerârunt.

Septima quæstio est, A quo tandem hoc schisma fuerit plenè exstinctum? Respondeo à clementia ac prudentia sancti Gregorij magni. Etenim Romanæ Ecclesiæ Diaconus doctissimam illam Epistolam jam laudatam edidit, ostendens tria Capitula ad Synodum Chalcedonensem & sancti Leonis confirmationem non pertinere, ideòque liberrimè potuisse retractari ac reformari. Factus Pontifex eamdem Epistolam misit ad omnem Ecclesiam, atque ità ad Apostolicæ Sedis communionem reduxit Gallos, Italos, Iberos: In schismate perstiterunt soli quidam Histriæ ac Venetiæ Episcopi cum suo Metropolita Aquileiensi Severo, Eliæ successore, quod Mauritij Augusti Officiales, pecuniâ corrupti, optimi Pontificis conatum sacris, id est, execrandis jussionibus impedirent. Hæsit istìc malum usque Sergium primum Pontificem, de quo liber Pontificalis. *Huius temporibus Aquileiensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, & Synodus, quæ sub eo congregata est, qui sanctum quintum universale Concilium, utpotè errantes, suscipere diffidebant, eiusdem beatissimi Papæ monitis atque doctrinis instructi, conversi sunt, idemq; venerabile Concilium cum satisfactione susceperunt. Et qui priùs sub erroris vitio tenebantur, doctrinâ Apostolicæ Sedis illuminati, cum pace consonantes veritati, ad propria relaxati sunt.* Etiam Hispania jam pridem est ejusdem mentis. Quocircà compesci oportet hodiernos Synodi criminatores.

CAPUT VII.

An hæc Synodus nihil aliud tractârit.

GVilielmus Tyriorum Metropolita in libris de bello sancto laudat præsentem Synodum, quod sanctam Domini Resurrectionem honorans Ecclesiam Hierosolymitanam erexerit in Patriarchatum. *Et quoniam prædicta civitas quasi in limite Alexandrini & Antiocheni Patriarcharum erat, nec haberet Synodus unde illi ordinaret suffraganeos, nisi utrique Patriarchæ aliquid detraheret, visum est expedire ab utroque aliquid detrahere, ut eidem iuxta formam aliorum Patriarcharum ordinaret subiectos. Subtraxerunt ergò Antiocheno Cæsareensem & Schytopolitanum Metropolitas; Alexandrino autem Rubensem ac Berytensem item Metropolitanos.* Addit D. Cardinalis Baronius: *Eadem reperimus in Vaticana Bibliotheca in codice notissimo, cuius est titulus*, LIBER CENSVVM. L.14.c.12. A.553.

Nihilominùs non desunt rationes dubitandi. Etenim Cæsareensis & Schytopolitana Ecclesiæ, duarum Palestinarum Metropoles, transcriptæ sunt in sedem Hierosolymitanam à Synodo Chalcedonensi ex pacto inito inter Maximum & Juvenalem Patriarchas, cui, licèt per sanctum Leonem Pontificem reprobato, Episcopi Hierosolymitani nunquam cesserunt. Et Berytensis Metropolis nequaquam ad Alexandrinum, sed ad Antiochenum spectat, utpotè in prima Phœnicia Metropolis solo honore: Nullus antiquus scriptor refert ullas Alexandrini Patriarchæ Diœceses fuisse unquam transcriptas in Hierosolymitanum. Ei omnes Diœceses Saracenis à Balduino Rege Latino ereptas aut eripiendas largitus est Paschalis secundus; at intercedens Antiochenus limitari obtinuit ád eas, quæ suæ olim non fuissent. Ep.18 19. 20.28.19. Quod tamen primam Phœniciam, quæ tempore octavæ Synodi spectabat ad Antiochenum, obtinuerit Hierosolymitanus, liquet ex literis Innocentij secundi ad Wilhelmum Patriarcham. Epist.4.

Quidam ab hac Synodo editum putant etiam privilegium Episcopi primæ Justinianæ civitatis, de quo Justinianus Augustus in lege novella directa ad Petrum Præfectum Prætoriorum. L.131.c 3. *Sancimus beatissimum primæ Iustinianæ, nostræ Patriæ, Archi-Episcopum habere semper sub sua iurisdictione Episcopos Provinciarum Daciæ mediterraneæ, & Daciæ Ripensis, & Prævalis, & Dardaniæ, & Mæsiæ superioris, atque Pannoniæ, & ab eo hos ordinari, ipsum verò à proprio ordinari Concilio, & in subiectis sibi Provinciis locum obtinere eum Sedis Apostolicæ Romæ, secundum ea quæ definita sunt à sanctissimo Papa Vigilio.* Idem privilegium laudant Nicephorus Calixtus, Procopius Cæsareensis, Georgius Cedrenus, & alij

 plu-

plures, at nemo dicit à quinta Synodo prodijsse: Solus ergò Justinianus captivo Pontifici extorsit. Erat contra antiquum Romanæ morem, & vicariam dignitatem Ecclesiæ Thessalonicensis. Acquievit Vigilius, quod ità Provincias istas videret firmari Romano Patriarchatui: Acquieverunt & ejus successores, uti liquet ex literis Gregorij magni
L.4. Ep.10 ad Felicem Sardicensem, Constantium Scroditanum, & Joannem
L.10. Ep. Episcopum primæ Justinianæ. Quæ autem fuerit Justiniani patria, est
33. 34. longa quæstio, de qua videatur Guido Pancirolus in notitia Imperij Orientalis. Passim existimatur fuisse Acrida, Metropolis Bulgarorum.

Vigilius Pontifex suo ad Justinianum Augustum Constituto inseruit hunc articulum: *Si quis unum Iesum Christum, verum Dei & eundem ipsum verum hominis Filium, futurorum ignorantiam aut diei iudicij habuisse dicit, & tanta scire potuisse, quanta ei Deitas, quasi alteri cuidam inhabitans, revelabat, anathema sit.* Hìnc quæritur, An nostra Synodus nihil de illo statuerit? Audiamus verba Liberati Diaconi Carthagi-
Cap. 19. nẽsis. *Sub Timotheo* tertio Alexandrinę Ecclesię *Episcopo de corruptibili & incorruptibili apud ipsam Ecclesiam quæstio nata est hoc modo. Requisivit quidam monachus Severum,* Pseudo-Patriarcham Antiochenum, *quid oporteret dicere corpus Domini nostri Iesu Christi, corruptibile, an incorruptibile: Ille respondit sanctos Patres corruptibile illud dixiße. Hoc audientes quidam Alexandrinorum, cùm requisissent Iulianum* Halicarnassi Episcopum, *quid & ipse diceret de eadem quæstione, ille dixit sanctos Patres contraria dicere. Horum itàque singuli, statuere responsum proprium volentes, scripserunt libros adversùs alterum. Qui venientes in multitudinem civitatis Ecclesiam illam diviserunt, & alios quidem fecerunt Corrupticolas appellari; verùm incorruptibilitatis assertores, Phantasiastas. Timotheus verò magis sententiam Severi secutus est. Cui cùm diceret Themistius Diaconus eius,* SI CORPVS CHRISTI CORRVPTIBILE EST, DEBEMVS EVM DICERE ET ALIQVA IGNORASSE, SICVT DE LAZARO. *Hoc Timotheus negavit dicendum. A cuius communione Themistius desciscens schisma fecit. Et ab ipso dicti sunt in Ægypto Themistiani.* Eos voce græcâ Agnoëtas, id est, Ignorantes, aut ignorantię in Domino Dogmatistas passim appellamus.

Agnoëtæ fuère duplices. Primi sunt Ariani, de quibus sanctus
L.5. c.7. Ambrosius in libris de fide ad Gratianum Augustum. *Nonnè quotidie perstrepunt Ariani scientiam omnem in Christo esse non posse? Quia ipse, inquiunt, diei & hora se professus est esse ignarum. Scriptum est, inquiunt,* DE DIE AVTEM ILLO ET HORA NEMO SCIT, NEQVE ANGELI CAELORVM, NEQVE FILIVS, NISI SOLVS PATER. Ex hac ignorantia stabiliunt suum errorem de Deo Filio, dicentes esse non posse Deum plenum, Patri consubstantialem. Eis variè respondet idem Ambrosius,

ſius, ac præmittit. *Primùm veteres Codices Græci non habent, quod nec Filius ſcit. Sed non mirum, ſi & hoc falſarint, qui Scripturas interpolavêre Divinas. Quâ ratione autem videatur adiectum, proditur, dum ad interpretationem tanti ſacrilegij derivatur. Pone tamen ab Evangeliſtis ſcriptum.* Rectè addit hoc moderamen. Etenim ſanctus Hieronymus ait ſolum Matthæum additamento vitiatum: Sanctus Marcus etiam hodie habet, *Neque Filius.* Voces illas variè exponit laudatus Ambroſius, placet verò expoſitio ſancti Gregorij magni in literis ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum. *De eo, quod ſcriptum eſt,* QUIA DIEM ET HORAM NEQUE FILIUS NEQUE ANGELI SCIUNT, *omninò rectè veſtra Sanctitas ſenſit, quoniam non ad eumdem Filium iuxta hoc quod caput eſt, ſed iuxta corpus eius, quod ſumus nos, eſt certiſſimè referendum. Qua de re multis in locis ſanctus Auguſtinus eo ſenſu utitur.* Sancti Marci textus ità habet. *De die illo & hora nemo ſcit, neque Angeli, neque Filius, niſi Pater.* Exponit in Præfatione Hiſtoriæ de geſtis Francorum ſanctus Gregorius Epiſcopus Turonenſis. *Cognoſcant Ariani hunc Filium, Chriſtianum populum nuncupatum, de quo à Deo prædicitur,* EGO ERO ILLI IN PATREM, ET IPSI MIHI ERUNT IN FILIOS. *Si enim hæc de unigenito Filio prædixiſſet, nunquam ei Angelos præpoſuiſſet. Oſtendit non de unigenito, ſed de adoptivo populo hæc dixiſſe.* Eſt conſtans expoſitio etiam S. Athanaſij. Et adversùm hoſce Agnoëtas ſanctus Leander Hiſpalenſis Archi-Epiſcopus converſos ad fidem Gothos Arianos coëgit ad profeſſionem hujus etiam anathematis: *Quicumque neſcire Dei Filium, quæ Deus Pater ſciat, dixerit, anathema ſit.*

Cap. 13.

L 8. Ep. 42

Alterum, de quo ſolo hìc agimus, Agnoëtarum genus ſunt Themiſtiani à Themiſtio Eccleſiæ Alexandrinæ Diacono, de quo Photius in Bibliotheca: *Themiſtius, ſive Calonymus (hoc enim ſibi cognomentum quoque addidit) Agnoëtarum ſectæ caput fuit.* Et ſanctus Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus in literis ad Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum, lectis & probatis in Synodo ſexta. *Themiſtius ignorantiæ pater & genitor, atque ſeminator nefandiſſimus, qui Chriſtum verum Deum noſtrum diem iudicij neſciſſe delirabat, neſciens quæ ipſe iam à Deo proiectus aſſereret, & non recognoſcens quæ ignorando loquebatur. Niſi enim ignoraſſet verborum ſuorum virtutem, non utique lethiferam ignorantiam peperiſſet, & ignorantiæ fœditatem ferventer defenderet, ignorare Chriſtum, non ſecundùm id, quod Deus erat ſempiternus, ſed ſecundùm quod veraciter homo factus, diem conſummationis atque iudicij, ex inſipientia mentis eructans, & purum eum efficiens hominem, & hoc monſtruoſitatem ſibi defamans Acephalam, & naturam unam eiuſdem Chriſti Salvatoris noſtri compoſitam vaticinans.*

L. 108.

Act. 11. f. 168.

Hi ergò Agnoëtæ non Deo Verbo, sed adsumptæ humanitati adscribunt diei novissimi ignorantiam, verèque ait Sophronius, quod Dominum Jesum Christum efficiant purum hominem. Consonat
L.8.Ep.42 Gregorius magnus in laudatis literis ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum. *Res valdè manifesta est, quia quisquis Nestorianus non est, Agnoëta esse nullatenùs potest. Nam qui ipsam Dei Sapientiam fatetur incarnatam, quâ mente valet dicere esse aliquid, quod Dei Sapientia ignoret?* Et ex Vigilij Pontificis Capitulo liquet, quod juxta Agnoëtas Deitas homini, quasi alteri personæ inhabitans ea, quæ volebat, revelabat. Et hinc Themistius reverà fuit monstrum: utpotè Acephalus seu Monophysita transformatus in Nestorium, seu ex Nestorio & Eutychete malè consuta chymæra, qualem & nostra tempora viderunt conflatum ex inimicissimis Martino Luthero & Ulrico Swinglio Martinum Bu-
L. 230. cerum. Laudatus Eulogius apud Photium in Bliotheca ait quosdam Palestinæ solitudinis monachos excitasse pravum dogma, & Domino nostro Jesu Christo ex ijs, quæ ipse dixit, adsignasse ignorantiam: *Ubi posuistis Lazarum.* Non itàque solum judicij diem, sed & Lazari sepulchrum dixére ab homine Christo ignorari. Consuluère Themistium Ecclesiæ Alexandrinæ Diaconum, atque ille se constituit Principem nefandi erroris. Quod monachis plenissimè adsenserit, ostendunt hæc Liberati verba: *Sicut de Lazaro.*

Videtur non caruisse omni fundamento. Etenim apud Facundum Hermianensem Episcopum scribit in sexto contra Arianos libro san-
L.11.c.1. ctus Eustatius Patriarcha Antiochenus, Nicenæ Synodi ac omnis sub cælo Ecclesiæ magnum lumen. *Dicamus, cuius rei gratiâ filius hominis diem proprij adventûs ignoret. Neque enim dubium est, quia & hoc causâ utilitatis hominum providens adinvenit omnium creator & generis opifex Deus. Sicut enim hominem causâ salutis hominum Verbo coaptavit & Deo, sic & insignem iudicij diem causâ Divini beneficij homini competenter abscondit, ne fortè ineffabilia mysteria similis generis hominibus homo indicans & diem secundi adventûs ostenderet.* Et sanctus Cyrillus Alexandrinus in libro ad Reginas Nestorianis, volentibus hominem adsumptum no-
Cap.17. vissimi diei ignarum non posse esse unam cum Deo Verbo personam, respondet *Divinorum secretorum ignorationem neque probrosam esse creaturæ, neque inusitatam.* Addit ab adsumpto homine ignoratum fuisse & Lazari sepulchrum. Et Theodoretus in libro adversus Capitula sancti
Cap. 4. Cyrilli. *Si diem novissimum sciens Dominus Christus, ut rem occultaret, ignorare se dicit, vide in quam blasphemiam, quod colligitur, evadat, ut veritas mentiatur; si autem veritas non mentitur, neque Deus Verbum diem, quem fecit, ignorat, sed habet Patris cognitionem ut imago inconvertibilis,*

non

non igitur Dei Verbi est ignorantia, sed formæ servi, quæ tanta per illud tempus sciebat, quanta Deitas inhabitans revelabat. Et hanc doctrinam comprobat S. Cyrillus: *Itàque novit & ipse quidem Divinè ut Sapientia Patris; quoniam verò mensuram ignorantis humanitatis subivit, dispensativè proprium facit hoc cum alijs, quamquam ignorans nihil, sed sciens omnia cum Patre.* Dicit à Deo Verbo, quomodò famem & sitim, ità aliquorum ignorantiam adsumptam, ac Theodoretum solummodò culpat, quod Domini naturas ac personam videatur separare. Et S. Ambrosius in laudatis libris de fide. *Medium,* id est, utriusque naturæ significativum *nomen est filij. Nam & filius hominis dicitur: ut secundùm imprudentiæ adsumptionem nostræ diem futuri iudicij nescisse videatur.* Et S. Gregorius Nazianzenus adductus ab Eulogio Alexandrino apud Photium in Bibliotheca: *Scit ut Deus, nescit ut homo.* Adduci possunt & Patres alij. Adduxit Themistius & alia argumenta quatuor, revicta per Theodorum Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyterum, hominem Severianum: At ea tantùm memorat, non edicit Photius.

L. 5. c. 7. L. 230. L. 108.

Porrò laudatus Eulogius famosum S. Marci locum exponit variè, & addit. *Absit, ut Dominus Iesus Christus ignorârit. Quicumque vel Divinitati ipsius, vel humanitati ignorantiam adscribit, nunquam certissimæ temeritatis crimen effugiet.* Patrum loca in contrarium adducta exponit per hæc verba S. Gregorij Nazianzeni. *Quod si qui ex Patribus ignorantiam in Salvatore ex parte humanitatis admiserunt, id tamen non ut dogma sancierunt, sed Arianorum insaniam repressuri, qui omnia, quæ in Christo erant, humana ad unigeniti Divinitatem transtulerunt, ut increatum Dei Verbum creaturam ostenderent, rectiùs hæc de humanitate dici posse existimarunt, quam humana ab Arianis ad Divinitatem trahi.* Addit de suo. *Et si quis fortè dixerit etiam Patres figuratè seu anaphoricè loquutos esse, religiosiùs videbitur iudicasse.* Hic est ille Eulogij doctissimus liber, quem per omnia admiratus probavit sanctus Gregorius magnus, & Ecclesiæ Alexandrinæ dedit in regulam, atque ideò dicit de ipso Romanum Breviarium: *Agnoëtas Alexandriâ eiecit.*

Adsumptæ humanitati ignorantiam adscribere est omninò temeritas nefanda. Hinc Leporius Presbyter Gallicanus ex S. Augustini & totius Africanæ Synodi mandato scribit in libello suæ emendationis. *Vt & hinc nihil cuiquam in suspicione derelinquam, tunc dixi Dominum nostrum Iesum Christum secundùm hominem ignorare; sed nunc non solùm dicere non præsumo, verùm etiam priorem anathematizo sententiam: Quia dici non licet etiam secundùm hominem ignorasse Dominum Prophetarum.* Ferrandi Diaconi Carthaginensis quæstio fuit ad sanctum Fulgentium. *Vtrùm anima Christi susceptricis Deitatis plenam habeat omninò notitiam,* *Q. 3.

 & quem

& quemadmodùm invicem se nôrunt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, ità idem Filius seipsum per id, quod homo est, in eo, quod Deus est, noverit, ex utraque atque in utraque substantia totum capiens Patrem: An fortè sicut oculis corporalibus Deum Spiritum minimè videt, ne non homini dignitas addita, sed natura penitùs credatur commutata; sic rationalis animæ quamvis pro intellectu & corde mundissimo non videri neque comprehendi omnem Divinitatis essentiam, ne qualibet creatura inveniatur capere creatorem? Et respondet S. Fulgentius Divinam essentiam ac sanctam Trinitatem à Christi Domini anima omninò comprehendi, eamque esse sententiam Sanctorum Ambrosij & Augustini, omnium Patrum, Apostoli Pauli, ac ipsius Evangelij: Eam esse singularem gratiam adsumptæ humanitatis, cui communicavit & in qua abscondit Deus omnes scientiæ & sapientiæ suæ thesauros. Adjungit tamen. *Possumus planè dicere animam Christi habere plenam notitiam Deitatis suæ; nescio tamen utrùm debeamus dicere, quod anima Christi sic suam Deitatem noverit, quemadmodùm seipsam Deitas novit: An non potiùs dicendum est, quia novit quantùm illa, sed non sicut illa.* Solidè & lucidè inter illas propositiones distinguit, ostenditque priorem veram, posteriorem esse falsam atque blasphemam. Et ejus auctoritati insistens Synodus Basileensis meritò damnavit hanc

Sess. 22. propositionem Augustini de Roma Archi-Episcopi Nazareni: *Anima Christi videt Deum tam clarè & tam intensè, quantùm clarè & intensè Deus videt seipsum.* Dictam Fulgentij distinctionem non attendit Romanus iste Augustinus.

At verò sanctus Augustinus famosum sancti Lucæ locum passim exponit de scientia & ignorantia communicativa, quâ novissimum

Cap. 24. diem Filius nos scire non facit, eamque expositionem laudavit sanctus Hieronymus in commentarijs sancti Matthæi, & sanctus Gregorius magnus in laudatis literis ad sanctum Eulogium. Victor Presbyter

Cap. 13. Antiochenus in commentarijs sancti Marci rogat: *Cur diem illum prodere non voluit?* Et respondet: *Vt vigiles; huc enim spectat quod mox sequitur,* VIDETE, VIGILATE, ORATE, NESCITIS ENIM, QVANDO TEMPVS SIT. Nec indè, quod Theodoretus putat, colligitur veritas fuisse mentita. Adversùs Cyrilli Capitula loquitur istic Theodoretus, adeòq; liber ille est unus è damnatis per Synodum præsentem. At horum nihil per eamdem Synodum tractari curavit Justinianus: Adversùs sola tria Capitula vigilabat pro Acephalis. Postmodùm etiam pro Phantasiastis seu incorruptibilis in Domino corporis Dogmatistis pugnare cæpit, Sanctum Eutychium Constantinopolitanum, sanctum Anastasium Patriarcham Antiochenum, aliosque id genus Pa-

tres

tres clarissimos projecit in exilium, factus palàm hæreticus repentinâ morte extinguitur, &, teste Evagrio Epiphaniensi, ad inferna descendit luiturus pœnas sempiternas. Prodierunt & pro illo Apologiæ: At quæ illi apud supremum judicem non patrocinentur. L. 5. c. 1.

CAPUT VIII.

Exponitur Synodus Mopsuestiensis in caussa Theodori ibidem Episcopi.

OMnium fidelium, Episcoporum præsertim, in Ecclesiæ pace defunctorum nomina honoratis tabulis inscribere, & indies solenniter ad Missarum solennia altare & recitare, est antiquissima omnium sub cœlo Ecclesiarum consuetudo, & Apostolicum institutum, de quo in Apologia pro sancto Dyonisio Patriarcha Alexandrino scribit adversùm ejus criminatores Arianos sanctus Athanasius: *Magni certè argumenti est nihil eos verè dicere, & calumniis virum premere, quod ille nunquam ab aliis Episcopis de impietate convictus est, neque hæresim propugnando ab Ecclesia secessit, sed in ea cum pietate obdormivit, quodq; eius memoria hactenùs cum Patribus huc usque celebrata est, & in catalogum relata. Qui si cum istis eiusdem opinionis fuisset, minimè dubium, quin eadem, quæ illi, passurus fuisset.* Expunctus fuisset de tabula piorum Episcoporum. Et ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum scribit in literis post Synodum Chalcedonensem exstantibus contra Timotheum Ælurum suum Pseudo-Patriarcham Synodus Ægyptiacæ diœceseos: *Etiam in venerabili Dypticho, in quo piæ memoriæ transitum ad cælos habentium Episcoporum vocabula continentur, quæ tempore sanctorum mysteriorum secundùm sanctas regulas releguntur, posuit suum nomen & Dioscori, qui sub damnatione anathematis à Deo & universali* Chalcedonensi *Concilio esse decretus est, & delevit indè sanctæ memoriæ & secundùm Deum viventis Proterii nomen, regulariter Archi-Episcopi constituti.* Ep. 23. Et Apameensis per secundam Syriam Metropolitanæ Ecclesiæ Clerus in libellis, Constantinopolitanæ sub Menna Patriarcha Synodo insertis, apud eamdem Synodum queritur de Petro suo Episcopo: *Anathematizat sanctos Patres nostros, & delet de sacris dypticbis ipsorum vocabula, virorum qui honestè & sanctè vixerunt.* Act. 5. Eam nominum inscriptionem & recitationem inferiùs vocat *salutationem beatissimorum Episcoporum*, hoc est, istum cultum, quem exhibemus Sanctis cum Christo regnantibus, aut eorum sanè imaginibus, quæ aliud non sunt, quàm eorum nomina, sed scripta istis literis, quas intelligunt idiotæ.

Et hinc quidam existimant inscriptionem istam fuisse antiquam canonizationis ac beatificationis formam, omnemque ità inscriptum

Episcopum, dum ad altare recitaretur, fuisse à fidelibus cultum ac invocatum. At illos errare evincit sanctus Augustinus, Petiliano Donatistarum Constantiensi Episcopo, existimanti Cæcilianum Carthaginensem Archi-Episcopum à nobis coli ut sanctum & Patrem, respondens: *In Ecclesia sumus, in qua Cæcilianus Episcopatum gessit, & diem obijt. Eius nomen ad altare recitamus, eius memoriæ communicamus, tamquam memoria fratris, non tamquam patris aut matris.* Ejus nomen salutabant, verùm non ut sancti sed ut probi Episcopi, sacerdotali officio citra querelam persuncti, & à nobis cum pace & bona fama ad Deum profecti. Diversa enim fuisse salutandi & ad ad altare recitandi genera ostendit idem Augustinus frequenter dicens de sanctis Martyribus: *Nôrunt fideles, quo loco & ordine ad altare recitentur.* Et in quinta mystagogica catechesi sanctus Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus: *Postquam confectum est illud spirituale Sacrificium, ipsum offerimus ut meminerimus etiam ipsorum, qui ante nos obdormierunt. Primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum & deprecationibus suscipiat preces nostras. Deindè pro defunctis Patribus & Episcopis. Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vitâ functi, maximum credentes esse animarum iuvamen, pro quibus offertur precatio sancti illius & tremendi sacrificij.* Erât tres inscriptorum & recitandorum ordines: Primus palàm Beatorum, secundus palàm non Beatorum, tertius erat Patrum seu Episcoporum, quorum status erat incertus, ideòque illos neque invocabat Ecclesia, neque pro illis deprecabatur. Et istos tres defunctorum ordines habuere omnes Græcorum antiquissimæ liturgiæ, atque ità patet Lutheranos & Calvinistas, Sanctorum invocationem & nostra pro defunctis suffragia refutantes, longissimè ab antiquo Ecclesiæ universalis dogmate deviare.

L. 1. Collat. Carth. c. 230.

Ex medijs etiam illis tabulis expungi erat fœdissima nota: Innoxium expungere, aut noxium inscribere erat gravissimum crimen. Etenim inter Timothei Æluri & Petri Apameensis facinora numeratur. Et ad Atticum Constantinopolitanum Episcopum scribit sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus: *Legens literas à vestra Reverentia missas, cognovi nomen Ioannis in sacris dypticis scriptum. Interrogans autem indè venientes cognovi non in ordine laicorum, sed in Episcoporum taxari. Præsciens autem, & apud meipsum cogitans, si regulis sanctorum Patrum, qui Nicæam convenerunt, conveniant qui hæc fecerunt, & paululùm mentis oculum ad magnam illam congregationem eorumdem sanctorum Patrum extendens, video omnem illam congregationem velut quibusdam oculis abnuentem, & omni virtute probibentem nos concurrere in huiusmodi consensum. Qualiter enim Sacerdotibus Dei connumeretur, & induatur illorum*

rum

rum sortem, qui de Sacerdotio pulsus est? vel qualiter in ordine erit Pontificum, qui ab Ecclesiasticis muris exclusus est? Et infrà. *Iube ex catalogo nomen Ioannis auferri. Si enim nihil hoc esse arbitramur, non contristet etiam Apostolicum chorum Iudas eis connumeratus. Introducto autem Iuda nomine, ubi nobis Matthias ponitur? Si ergò nemo excludens Matthiam scribit Iudam in Apostolorum choro, maneat & servetur rogo post beata memoria Nectarium secundus gradus beati Arsacij, ut non per violentiam introductum huius nomen excludat beati memoriam.* Theophilus Patriarcha Alexandrinus sanctum Joannem Chrysostomum degradârat, de Episcoporum tabula raserat, inscripseratque nomen Arsacij, intrusi ac superordinati successoris. Et ante & post Joannis mortem intercessit Romana Ecclesia, mandans radi Arsacium, & Joannem reponi: Et Atticus Arsacij successor, jussus à Theodosio Augusto, obedivit. Theophili nepos & in Alexandrina cathedra successor proximus sanctus Cyrillus id improbat, volens Joannem fuisse legitimè degradatum & abjectum ad laicos, adeòque nomen ejus non plus inter Episcoporum nomina posse scribi, quam nomen Judæ inter nomina Apostolorum. Arsacium esse sancto Matthiæ similem, proindèque nomen ejus non posse radi. Ea omnia repugnare quinto Canoni Niceno, vetanti legitimè damnatum non reparari, nec vivum, nec mortuum, atque ità Joannem scribi non posse, nisi ad summum in tabulis laicorum. Eruditæ, & lectu dignę sunt istæ Attici & Cyrilli Epistolæ, quarum partem Facundus Hermianensis Episcopus, integras adduxit Nicephorus Calixtus. Joannis nomen recipere, aut Romanæ Ecclesiæ gratiam & communionem perdere debuit Cyrillus, ideòque tandem recepit. Etiam Eustatiani schismatis pacem habere ab Apostolica Sede non potuit Antiochena Ecclesia, nisi Paulini & Evagrij defunctorum Episcoporum nominibus receptis. Et Acacianum schisma in eo duntaxat hæsit, quod Euphemij & Macedonij Episcoporum, qui orthodoxi Acaciano nomini dumtaxàt communicârant, nomina radere nollet Ecclesia Constantinopolitana. Hæreticorum præsertim nomina radebantur.

L. 4. c. 1.
L. 14. c. 26. 27.

Porrò fervente trium Capitulorum lite, intellexit Justinianus Augustus Theodori Mopsuestiensis Episcopi nomen jam pridem fuisse rasum in propria Ecclesia, atque ità illum convincere sperans de hæresi & damnatione post mortem, Joanni Anazarbi Episcopo, secundæ Ciliciæ Metropolitæ, & Cosmæ Episcopo Mopsuestiensi per Marthanium Domesticorum Comitem scripsit Divales Epistolas & jussiones, fieri mandans istius Provinciæ Synodum, inquiri originem & caussam rasi nominis, & sibi fideliter referri. Datæ fuerunt literæ decimò Calendas Junias, post consulatum Basilij nono, Christi Domini

 quin-

quingentesimo quinquagesimo, Vigilij Pontificis quarto decimo, Justiniani Augusti anno vigesimo tertio. Facta fuit Synodus quinto decimo Calendas Julias à Joanne Metropolita & octo Episcopis in Ecclesia Mopsuestena.

Prolata sunt in medium sancta Evangelia, lectæ Divales ad Ioannem Metropolitam & Cosmam Episcopum literæ, adducti omnes civitatis seniores Clerici & nobiles laici, compulsi ad solenne de dicenda veritate juramentum, discreti in suos ordines, atque tunc præsentes Episcopi dixêre: *Reverendissimus sacrorum custos vasorum istius sanctissimæ Ecclesiæ adferat ad considerationem nobis & recitationem sacra dyptiuba, in quibus sanctæ memoriæ Sacerdotum ipsius optimæ civitatis continentur vocabula.* Ea mox protulit Ioannes ejusdem Ecclesiæ Presbyter, & dixit: *Secundùm iussionem vestræ Sanctitatis inter sacra vasa, quæ à me servantur, habentes dyptycha illa protuli, & ad recitationem porrigo. Habeo autem & duos alios membranaceos quaterniones veteriores istis, quæ nunc sunt & recitantur, quos & ipsos protuli, sicut videtis.* Ex quo liquet sacras hasce tabulas ad sacra vasa spectasse, & fuisse quaterniones membranceos, quales etiamnùm videmus in Sacristijs disciplinatorum monasteriorum. Constantinopolitanorum formam describit magnum
F. 379. Belgij Chronicon: *In Ecclesia sancti Laurentij prædictæ civitatis erat columna tota marmorea, cooperta ad modum Scacorum, sic ordinata ut incipiendo à principio in uno Scaco poneretur nomen Imperatoris, & in sequenti nomen Patriarchæ, qui præsidebat. Prædixit verò Philosophus quidam nomine Leo, columna Scacis omnibus expletis perditum iri civitatem Constantinopolitanam, & sic de facto accidit. Quia præsidentibus Imperatore Constantino, & Patriarchâ Gregorio, quorum tempore capta fuit civitas* à Turcis, *facta fuit impletio ultimorum Scacorum columna.* Imperator ille fuit Constantinus Paleologus, Ioannis, qui in Florentina Synodo adfuit, filius; Patriarcha erat Gregorius, eidem Synodo præsens, Proto-Syncellus, appellatus Gennadius secundus: Nam & Patriarchæ Constantinopolitani, imitati Romanos Pontifices, in sua promotione nomen mutant, semper tamen retinentes initialem literam nominis sui Baptismalis.

Mopsuestena defunctorum Episcoporum dypticha ita habebant: *Pro requiescentibus Episcopis, Protogene, Zozimo, Olympio, Cyrillo, Thoma, Bastiano, Auxentio, Palatino, Iacobo, Zozimo, Theodoro, Symeone.* Quæstio erat, quisnam erant Cyrillus ille, ac ille Theodorus? Respondit verò Martyrius Ecclesiæ Mopsuestenæ Presbyter, ætatis octuaginta, in istius autem civitatis Clero habens annos plusquam sexaginta: *Neque scio, neque audivi, quod recitatus est Theodorus,*

rus, olim factus istius civitatis Episcopus, in sacris dyptichis, sed audivi, quod sanctus Cyrillus, Alexandrinæ magnæ civitatis Episcopus, pro Theodoro taxatus est in sacris dyptichis, quibus inscripti sunt defuncti sanctissimi Episcopi, & usque huc ipse inscriptus est, & prædicatur cum alijs Episcopis, Episcopum enim in nostra civitate nomine Cyrillum neque scio, neque audivi factum. Qui autem nunc insertus est Theodorus, ante tres annos obijt. Et de Galatia erat. Ægypti Alexandriam vocat civitatem magnam, distinguens contra Alexandriam secundæ Ciliciæ oppidum, cujus Episcopus nomine Urbicius præsenti Synodo adsidebat. Quod ipsum de raso Theodori, & suffecto in ejus locum Cyrilli nomine alij decem Presbiteri, quinque Diaconi, & septemdecim honorati seniores laici sunt attestati, dicentes ita se audisse à suis majoribus, primamque originem & caussam ignorare. Ex quibus sibi lectis conclusit quinta nostra Synodus: *Sufficiunt, quæ prolata & dicta sunt, Ecclesiasticam traditionem demonstrare, eò quod oportet hæreticos & post mortem anathematizari.*

Verùm fuit conclusio infirma. Caussam dat Synodus Eliberina: *Energumeni nomen ad altare cum oblatione non recitetur.* Et *de his, qui animo iam deficientes pœnitentiam accipiunt, & ante communionem*, id est, Sacramentalem reconciliationem *moriuntur*, scribit ad Theodorum Foro-Iuliensem, & ad Rusticum Narbonensem Episcopum S. Leo magnus: *Horum caussa Dei iudicio reservanda est, in cuius manu fuit, ut talium obitus usque ad communionis remedium differetur. Nos autem, quibus viventibus non communicamus, mortuis communicare non possumus.* Eo in ipso seu communionis seu pœnitentiæ gradu, in quo vivus fuerat & à nobis decesserat, quisque olim etiam mortuus habebatur, atque ita qui vivus fuerat Flens, Audiens, Substratus, aut Consistens, etiam defunctus uti talis tractabatur. At verò Consistentis, quoniam sine oblatione communicabat, nomen ad altare recitari non poterat: Recitandi nominis & faciendæ oblationis Jus semper fuere connexa. Non solus adductus Eliberinus Canon, sed & sanctus Cyprianus in varijs Epistolis, in literis ad Decentium Eugubinum Episcopum sanctus Pontifex Innocentius primus, alijque antiqui Patres semper connectunt. Recitatio nominis, non minus quam oblatio, erat pars plenæ & perfectæ communionis. Quocirca ex raso è sacris Ecclesiæ dyptichis alicujus nomine nequaquam ejus anathematizatio aut degradatio, sed sola ad Consistentiam dejectio, à mysteriorum celebratione suspensio, aut quæpiam alia laicæ seu Clericalis communionis mutilatio rectè inferebatur.

Ep. 91 c. 3.
Ep. 92. c. 6.

Dura fuit hæc in mortuos Disciplina, ideoque postmodum miti-

Cap. 79. gata. Etenim ſtatuit quarta Synodus Carthaginenſis: *Pænitentes, qui attentè leges pænitentiæ exequuntur, ſi caſu in itinere vel in mari mortui fuerint, ubi eis ſubveniri non poſſit, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur.* Hoc eſt, recipiatur vivorum pro ipſis oblatio, celebretur pro ipſis ſacrificium, & eorum nomen ad ipſum recitetur. Nota non cunctis, ſed ſolis in mari aut alio itinere, ubi eis ſubveniri non poterat, defunctis gratiam hanc fuiſſe impenſam; & quidem ſolis pænitentiæ leges ſtrenuè executis, cujus rei judicium Epiſcopo deferebatur. De cunctis in pænitentia ante acceptam abſolutionem defunctis ſtatuit in ſuo Capitulari ex undecima Toletana Synodo Iſaac

L.1.c.14. Epiſcopus Lingonenſis: *Quamquam diverſitas præceptorum de hoc capitulo habeatur, eorum tamen nobis ſententia placuit, qui multiplici numero de hujuſmodi humanius decreverunt, ut & memoria talium in Eccleſiis commendetur, & oblatio pro eorum dedicata ſpiritibus accipiatur.* Unde eidem ſuo Pænitentium Capitulari inſervit non ſolummodò jam adductum Carthaginenſem, ſed & hunc ex quinto libro Capitularium Caroli magni deſumptum Canonem: *Placuit his, qui accepta pænitentia ante reconciliationem migrant ad Deum, communicari, pro eo quod honoraverint pænitentiam.* Eſt duodecimus, at verbis parumper immutatus, ſecundæ Arelatenſis Synodi Canon, diſertè addens: *Oblatio illius recipiatur.* Multò largior eſt gratia ſecundæ Synodi Aure-

Cap. 15. lianenſis: *Oblationes defunctorum, qui in aliquo crimine fuerint interempti, recipi debere cenſemus, ſi tamen non ipſi ſibi mortem probentur propriis manibus intuliſſe.* Et hoc jure nos hodie vivimus: Attamen ſui ipſorum homicidis addimus etiam in duello cæſos, & quoſvis in notorio mortali delicto exſtinctos.

Porrò defuncti Theodori tempore apud Græcos omninò vigebat primævi Canonis rigor, atque ità nominis raſura illum Neſtorianæ hæreſeos aut de illa damnationis reddebat ſolummodò ſuſpectum, non convincebat. Hæreſeos iſtius domitor ſanctus Cyrillus, ejus in locum ſuffectus, augebat ſuſpicionem: Sed ſolummodò augebat. Raſura tamen evincebat Theodorum in Eccleſiæ pace defunctum poſt mortem fuiſſe vocatum in judicium, convictum delicti, & communione mutilatum. Etenim Cyrillus non niſi in pridem defuncti Theodori locum poteſt fuiſſe ſuffectus. Rectè verò ſanctus Athanaſius ex retento conſtanter & ſemper recitato nomine concluſit Anteceſſorem ſuum Dyoniſium nunquam fuiſſe de hæreſi damnatum aut graviter notatum: Quod illa inſcriptio & recitatio ſint infallibilis character perfectæ ac plenæ communionis.

CAPVT

CAPVT IX.
Elucidantur Acta quintæ generalis Synodi.

COLLATIO PRIMA.

PRimæ Collationi, factæ post Basilij Consulatum tertiodecimo, Christi Domini quingentesimo quarto, Vigilij Pontificis decimo octavo, Justiniani Augusti anno vigesimo septimo, præsederunt Eutychius Constantinopolitanus, Apollinarius Alexandrinus, Domninus Antiochenus, & Eustochij Patriarchæ Hierosolymitani legatio Stephanus Raphiæ, Georgius Tiberiadis, & Damianus Episcopus Zozusenus. Synodum hanc fuisse vigesimo septimo Justiniani anno factam dixêre ad sextam Synodum etiam Legati Apostolici, adeòque Onuphrius Panuinus, anno vigesimo sexto adsignans, est lapsus. Memoratos Præsides regebat à Theodoro Cæsareensium in Cappadocia Archi-Episcopo rectus idem Imperator Justinianus, atque ad præsentem Collationem intromitti mox postulavit vir spectabilis Theodorus Silentiarius, & ad Eutychij Patriarchæ interlocutionem intromissus dixit: *Pijssimus & Christianissimus noster Dominus misit me ad vestram Beatitudinem dare vobis pijssimam formam legendam ante vestram sanctam Synodum.* Eam continentes Divales literas ad Domnini Patriarchæ Antiocheni interlocutionem legit Stephanus, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus, Notarius, atque Instrumentarius, id est, Commentariensis, Memorialis, aut sanè Monitor, quorum officia describit antiqua notitia ejusdem Ecclesiæ. Act. 3.

Sacra Divalis profitebatur ac edicebat varia. Primò, dicit avitam Romani Imperij pietatem esse, ut orthodoxam fidem & Ecclesiarum pacem Augustus Princeps defendat, procuret, & ab Erronibus læsam restauret per generalem Synodum, uti adversùs Arium, Macedonium, Apollinarium, Nestorium, Eutycheten fecerunt per Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam, & Chalcedonensem Synodum Augusti Constantinus, Theodosius primus, Theodosius secundus, & Marcianus. Laudatas Synodos illi coëgere, earum judicata legibus confirmârunt, & illis rebelles hæreticos compulerunt ad obedientiam, aut everterunt. Et hocce reverà est officium Christiani Principis. Istos sese imitari Justinianus profitetur. Profitetur mox à suscepto Imperio unicum sibi fuisse votum & conatum pacificare Occidentis & Orientis Ecclesias, longo Acaciano schismate, & horrendis Nestorianorum ac Eutychianistarum adversùs Synodum Chalcedonensem turbulentijs laceratam, & addit: *Fecimus prædicari eamdem sanctam Sy-*

nodum cum tribus alijs sanctis Concilijs in Dei Ecclesiis. Quod ipsum in libellis Agapeto Pontifici adversùs Anthymum sedis Constantinopolitanæ invasorem exhibitis, & in Synodo Constantinopolitana sub
Act. 1. Menna Patriarcha lectis, adfirmant Episcopi Orientales: *Imperator noster, tamquam Christi discipulus approbatam animam habens, statuit quatuor sanctas Synodos in Divinis ac Sacris initiationibus magnâ voce prædicari, quæ fortificant corda fidelium, & hæreticorum compungunt, sperans eos, qui errore ex simplicitate subducti sunt, converti.* Uti ad Francis suis, ex priorum Episcoporum & Regum Merovingiorum secordia nimiùm rudibus, reddendam necessariorum fidei mysteriorum firmam notitiam Carolus magnus cantari Symbolum, ità ad eliminandam omnem, ex Nestorianorum ac Eutychianorum turbulentia natam, fidelis populi de Synodo Chalcedonensi suspicionem, omnes quatuor generales Synodos solenniter ad Missarum Sacrificia recitari jussit Augustus Justinianus. Opus laude veraciter dignum. Hìnc enim quatuor illa Concilia, quod frequenter prædicat sanctus Gregorius magnus, tamquam quatuor Dei Evangelia cæpit novo modo omnis sub cœlo Ecclesia venerari. Etenim venerationem esse avitam & antiquissimam, solamque inscriptionem ac recitationem novam, quam novi scandali & dissensionis perperàm accusant Eutichianistæ, insigniter in Collatione Constantinopolitana cum Episcopis Severianis demonstravit Hypatius Archi-Episcopus Ephesiorum. Illam tamen Justino Augusto adscribit in literis ad Hormisdam Pontificem Epi-
Post Ep. 72. Relat. 3. phanius Patriarcha Constantinopolitanus: *Quatuor Conciliorum pro fide constantia prædicatur, & hoc ipsum omnibus sacrorum dyptichorum recitatione manifestum est.* Eo autem tempore necdùm Justinianus, sed adhuc Justinus regnabat. Et orthodoxorum monachorum ad Joannem secundum Patriarcham, Epiphanij Antecessorem, adversus Acacianum schisma publica in Ecclesia adclamatio & postulatio habuit hoc tertium Capitulum: *Vt pro maiori Scripturarum auctoramento quatuor Synodi ponantur in sacris dypticbis.* Et ejusdem Ioannis Constantinopolitana Synodus reposuit: *Quoniam honesta petitio est, dignum iudicavimus iuxta exclamationes populi, & acclamationem Vestræ Beatitudinis, & secundùm porrectum libellum à venerabilibus Archi Mandritis & Monachis, ipsas Synodos in dypticbis prædicari.* Rei series largè refertur in
Act. 8. Actis Synodi sub Menna Patriarcha, tandem concludentibus: *Et post lectionem sancti Evangelij ex more sacra* Catechumenorum *Missa finita, & ianuis* post eosdem Catechumenos & Pænitentes ejectos, *clausis, ac sancta lectione iuxta consuetudinem lecta, tempore dypticborum cucurrit omnis multitudo cum magno silentio circùmcircà altare, & audiebant. Et*

cùm solùm lecta fuissent à Diacono appellationes sanctarum quatuor Synodorum, voce magnâ universi clamaverunt: GLORIA TIBI DOMINE. Uti solet & lecto Evangelio acclamari. Et hinc discimus Missæ locum, quo apud Græcos sacra dypticha recitabantur. Proinde hanc Synodorum inscriptionem & recitationem Monachi à Ioanne Patriarcha postularunt, Ioannes ac ejus Synodus instituerunt, pro Ecclesia Constantinopolitana confirmavit Iustinus Augustus, ejus successor & nepos Justinianus ad omnes Orientis Ecclesias extendit, atque ita justo titulo boni operis laudem uterque sibi adscripsit. Videatur apud Laurentium Surium vita sancti Sabbæ Abbatis.

Secundò, adductæ Divales literæ in Theodori Mopsuestiensis Episcopi personam & dogmata, in Thodoreti Cyrensis Episcopi adversùm duodecim Sancti Cyrilli anathematismos scripta, ac in Ibæ Edesseni Metropolitæ famosam ad Marim persidis Antistitem Epistolam graviter & acerbè invehuntur, addentes tria hæc Capitula à quibusdam defendi eâ intentione, ut Deus verbum non dicatur homo factus, & sancta virgo non prædicetur Deipara, atque ita evertatur Chalcedonensis Synodus, & virus Nestorianum stabiliatur.

Tertiò dicunt eadem tria Capitula esse jam pridem non solùm à quatuor Græcorum Patriarchis, sed etiam à Vigilio Romanorum Pontifice & verbis & scriptis anathematizata. Istic hærebat nodus. Etenim sine Romano Episcopo nihil definiri potest: Sine ipso factus Episcoporum Conventus nequaquam Christiana Synodus esse possit, sed schismatica conspiratio, & factio seu parasynagoga. Hinc addunt literæ Vigilium in eadem sententia semper perstitisse, probantque ex ejus actis in Rusticum nepotem suum, & Sebastianum Romanæ Ecclesiæ Ex-Diaconos Cardinales, degradatos eâ de causa, quod Apostolicum tria Capitula condemnans judicatum, prius laudatum & probatum, improbassent, & ad Capitulorum Defensores adversùs proprium Pontificem apostatassent.

Verùm à suo judicato resilierat etiam ipse Vigilius, & à Justiniano firmam tandem harum contentionum definitionem rogatus noluerat adesse huic Synodo, promiserat tamen scripto mentem suam aperire. Hinc pergunt literæ Divales: *Adhortamur etiam vos de his disceptare.* Profitetur Iustinianus quatuor Generales Synodos cum cunctis suis definitionibus, & omnes Ecclesiæ Patres cum suis dogmatibus, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Nazianzenum, Gregorium Nyssenum, Theophilum, Ioannem Chrysostomum, Cyrillum, Augustinum, Proclum, & sanctum Leonem: Asseverat se rectis animi passibus gradi in hoc negotio, credereque non posse

 tria

tria ista impijssima Capitula per Synodum Chalcedonensem fuisse probata. Præsertim profani Theodori personam & dogmata, de quibus prosequitur: *Hortamur vos considerare ea, quæ à Theodoro impiè tam in alijs, quam in Iudaico Symbolo, quod & Ephesi & Chacledone prolatum, anathematizatum est ab utraque Synodo, cum his qui ita sapuerunt aut sapiunt.* Adjungit eorumdem Scriptorum caussa Theodorum pessimè notari à plerisque sanctis Patribus, & de propriæ Ecclesiæ dyptichis fuisse ejectum. At loquitur sine competenti testimonio. Etenim Iudaicum istud Symbolum est usque huc incerti auctoris.

Quartò, Divales literæ inquiri mandant, an in Ecclesiæ pace defunctus Episcopus ob comperta post ejus mortem crimina, maximè hæresin, possit damnari. Verùm sibi ipsis non cohærent. Nam quod Synodaliter inquiri mandant, ut definitum posse fieri adserunt, eamque esse doctrinam & praxim sanctorum Patrum, *qui non solùm viventes hæreticos condemnaverunt, sed & post mortem anathematizarunt, sicut eos, qui iniustè condemnati sunt, revocaverunt post mortem, & in sacris dyptichis scripserunt, quod factum est in Ioanne & Flaviano Episcopis* Constantinopolitanis. Quod quidam Patres doceant occultos in vita hæreticos posse damnari post mortem, verum est; quod aliquos damnârint, nullo exemplo ostendere possit Justinianus. Quosdam tamen, quoniam alia damnandi, alia absolvendi est ratio, iniquè in vita damnatos post mortem omninò absolverunt.

Quintò, Divales literæ discuti mandant etiam Theodoreti Cyrensis Episcopi scripta adversùm duodecim anathematismos sancti Cyrilli; item famosam Epistolam Ibæ Episcopi Edesseni, accusatam de varijs. Primò, quod Deum Verbum neget factum hominem. Secundò, quod sanctam Virginem inficietur Deiparam. Tertiò, quod damnet Ephesinam Synodum, tamquam quæ sine quæstione & judicio Nestorium degradârit. Quartò, quod sanctum Cyrillum ac ejus duodecim Capitula calumnietur esse hæretica. Quintò, quod Nestorium & Theodorum, eorumque impietates probet ac laudet. Hæc cum Synodo Chalcedonensi conferri, & an consonent definiri mandat Justinianus.

Post lectas hasce literas Theodorus Silentiarius, utpotè officio perfunctus, à Stephano Raphiæ Episcopo, Eustochij Patriarchæ Hierosolymitani Vicario & Legato, è Synodo dimissus est, ac Stephanus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus ac Notarius legere jussus quasdam Vigilij Pontificis & aliorum Patriarcharum de hac re literas, primùmque legit Epistolam Eutychij Patriarchæ Constantinopolitani ad laudatum Pontificem, quâ profitetur quatuor generalium Sy-

Synodorum fidem & legitimas definitiones, nominatim Ephesinum Chalcedone confirmatum Canonem de non addendo ad Symbolum Nicenum, à Synodo Constantinopolitana sufficienter auctum, rogat motas de tribus Capitulis quæstiones pacificè inquiri, & tandem aliquando finiri. Utraque pars quatuor Synodos, Chalcedonensem præsertim, adsiduè profitetur, quod altera alteram de hujus prævaricatione adsiduè accusaret. Ephesinum istum Canonem nominatim profitetur Eutychius, quod illum cum Justiniano Augusto existimaret editum adversùs Judaicum symbolum Theodori. Inquiri & definiri supplicat Vigilio Pontifice præsidente. Ex quo vides manifestum mendacium contineri in hisce Græcorum Episcoporum apud Sylvestrum Sguropulum verbis: *In quinta Synodo Eutychius Patriarcha Vigilio Papæ locum non cessit.* L. 2. c. 21.

Exindè idem Stephanus Diaconus legit ad hasce Eutychij literas & preces Responsum Vigilij Pontificis, probantis ejus fidem & zelum, optantis Apostolico officio citra ullam paternarum traditionum prævaricationem fungi in scabrosa hac contentione, & addentis: *Annuimus, ut de tribus Capitulis, facto regulari conventu, collationem habeamus.* Data erat Epistola hoc ipso inchoatæ Synodi anno, octavo Idus Januarias. At mentem interim ex caussis mutârat Vigilius, Chalcedonem fugerat ad sanctæ Euphemiæ corpus, affectus podagrâ & varijs per Justiniani Augusti violentiam illatis calamitatibus, sese istic quasi in asylo clauserat, & fieri Synodum nolebat.

Quare ad ipsum Legati sunt Eutychius Constantinopolitanus, Apollinaris Alexandrinus, Domninus Patriarcha Antiochenus, Benignus Heracleæ in Paphlagonia Episcopus, Eliæ Thessalonicensis Archi-Episcopi Vicarius & Legatus, Theodorus Cæsareensis primæ Cappadociæ & totius Ponti, Andræas Ephesinus totius Asiæ, Megethius Heracleensis universæ Thracicæ Diœceseos Primas, Joannes Nicomediensis Bythiniæ, Stephanus Nicenus, Constantinus Chalcedonensis, Eusebius Tyrius primæ Phæniciæ, Joannes Cæsareensis primæ Palestinæ, Amazonius Edessenus Provinciæ Osrhoënæ, Thomas Apameensis secundæ Syriæ, Episcopi Metropolitæ, Pompejanus nescio cujus in Byzacio sedis, Phocas Staliensis in Provincia Prævalitana, Theodorus Leontopolitanus, Stephanus Clysmatis, & Æmilianus Antipyrgi Episcopus, supplicaturi ut Synodo adesse dignaretur, & præsidere. Nestorium Constantinopolitanum, Ioannem Antiochenum, ac Dioscorum Patriarcham Alexandrinum per tres duntaxàt Episcopos citârunt Synodi Ephesina & Chalcedonensis; verùm ad Vigilium Pontificem omnes præsentes Patriarchæ, omnes autocepha-

 li

li Primates, & nobiliores quique Metropolitæ legantur, non cum citatorijs mandatis, ſed cum ſupplicibus precibus. Liquet ex relatione facta per reduces Patriarchas: *Pervenientes ad Sanctißimum Papam ſenioris Romæ Vigilium, petivimus eius Beatitudinem convenire, & diſceptare nobiſcum de tribus Capitulis.* In tanto ſemper authoritatis apice apud omnes Patriarchas & generales Synodos fuit primatus Epiſcopi Romani. Repoſuit verò Vigilius *ſe propter corporis infirmitatem non poſſe ad hanc petitionem reſpondere, in poſtero autem die pollicitus eſt manifeſtare quod ei de tali conventu placuerit.* Et Patriarchæ: *Oportet igitur præſentem differre diem.* Norant enim ſeſe ſine Romano Epiſcopo non Synodum, ſed conciliabulum facturos. Quod noſſe, & quintam hanc Synodum diligenter evolvere debuerat etiam Conventus Baſileenſis.

COLLATIO II.

BIduo poſt, pridie nonas Majas, eidem Patriarchæ, Primates, Metropolitæ, Epiſcopi rurſus acceſſere Pontificem, rogantes iſtud ipſum, urgenteſque tandem ſatisfieri quæſtionibus, de quibus Imperator & ipſum & omnes Patriarchas in Scriptis interrogabat. *Ille verò reſpondit non poſſe unà cõvenire, eò quod plurimi hic quidem ſint Orientales Epiſcopi, pauci verò cum eo; facere autem per ſemetipſum in ſcriptis ſuam ſententiam, & offerre pijßimo Domino, ideò enim & inducias poſtulaſſe ab eius Serenitate, ut intra eas voluntatem ſuam manifeſtaret.* Cõtra Synodorum regulas & morem violenter omnia Iuſtinianus egerat: Hinc adeſſe & pręſidere Vigilius noluit, niſi Latini Epiſcopi cum Gręcis in pari numero adeſſent. Ad quæ Epiſcopi legati: *Scit veſtra Beatitudo, quod in his, quæ inter nos in Scriptis facta ſunt, promiſiſtis unà cum Epiſcopis, qui nobiſcum & communicant & uniti ſunt, convenire & requirere de his tribus capitulis. Nos verò & communicamus, & uniti ſumus vobiſcum, & non decet omnium noſtrum conventum differri propter Occidentales Epiſcopos. Nec enim in quatuor ſanctis Synodis multitudo Occidentalium Epiſcoporum inventa eſt unquam, ſed duo vel tres Epiſcopi, & certi Clerici. Nunc quidem adeſt veſtra Beatitudo, multi etiam alij ex Italia præſtò ſunt Epiſcopi, ſunt etiam ex Africa, & ab Illyrico, & nihil eſt quod prohibeat convenire vos unà nobiſcum ſecundùm ea, quæ inter nos in ſcriptis facta ſunt. Et meliùs eſt cum charitate decente Sacerdotes convenire, & unam pro cauſſa ſententiam ſtatuere, ut tunc quæſtio communem in ſcriptis definitionem ſuſcipiat.* Dixere hanc eſſe firmam voluntatem Principis, & adjunxerunt: *Si non vultis ſecundùm ea, quæ nobis in ſcriptis placuerunt, convenire, cognoſcat veſtra Beatitudo, quod oportet nos in unum convenientes noſtram manifeſtare voluntatem.* Promiſſam, indi-

ctam,

ctam, & adunatam semel à Pontifice Synodum dixere ab ipso postmodùm non posse revocari, suspendi, dissolvi, sese sine illo processuros sunt minati, atque ita effigiarunt vivam speciem Synodi Basileensis. De pari Episcoporum numero caussationem dixere esse frivolam ex quatuor priorum Synodorum generalium exemplo: Præsertim cùm hìc adesset ipse Pontifex, caput & virtus omnium Occidentalium Episcoporum. Addiderunt adesse varios Italiæ, Africæ, ac Illyrici Episcopos, omnes spectantes ad Occidentalem Ecclesiam, seu Patriarchatum Romanum. Ex quo lucet nuperos Epiphanij Patriarchæ Constantinopolitani ad invadendam Illyricianam diœcesin conatus à Bonifacio secundo Pontifice fuisse plenè retusos & exsufflatos. Quales verò essent isti, Africæ præsertim Episcopi, suprà audivimus à Cleri Italici literis, & omnindò optimè norat Vigilius, atque ita meritò noluit in Synodum consentire.

Quapropter altero die, septimo mensis Maij, ad illum Justinianus Augustus legavit Liberium patricium, Petrum patricium & magistrũ officiorum, Patricium patricium, Constantinum Quæstorem sacri Palatij, Bellisarium, Cethegium, Rusticum & cum illis varios Metropolitas ac Provinciales Episcopos, ex sua Augusta parte supplicaturos, *ut conveniret* ad Synodum, *& tractaret de tribus capitulis, bis qui volunt fiduciam*, id est, plenam libertatem, *habentibus contradicendi, ut per communem consensum omnium finem susciperet caussa trium capitulorum.* Eidem calendis Maijs ipsum cum eisdem precibus accesserant; verùm Pontifex perstitit immobilis, *& plurimis de hoc motis postulavit inducias accipere, ut solus respondeat.* Norat qualiter jam à Iustiniano tractatus fuerat, & qualiter foret in Synodo tractandus. Et ad illum Legati: *Solus quidem sæpiùs in scriptis condemnasti ista tria capitula, pyßimus autem Dominus in communi vult Te unà cum alys convenire, & sic de his iudicium fieri. De inducijs verò & per alios suggeßit tua Beatitudo pÿßimo Domino, & respondit eius Maiestas, quod si quidem conveniatis cum beatißimis Patriarchis, & religiosißimis Episcopis, secundùm quod inter vos visum est, debentes tractare & communiter de tribus capitulis disponere, præbeo non solùm quantas nunc dicitis inducias, sed etiam longiores; sin autem per semetipsum tua Beatitudo vult suam manifestare voluntatem, necesse est nos etiam ab his, qui propter hoc vocati sunt religiosißimi Sacerdotes, & tantum tempus hic commorati sunt, synodicè discere, quam de his habent voluntatem. Nos autem non possumus Dei Ecclesiam ulteriùs in tanta confusione relinquere, maximè hæreticis calumniantibus eius Sacerdotes, tamquam Nestorÿ sequaces:* Utique ob tria capitula necdùm ab illis damnata. Verùm etiam tunc Vigilius

perititit, *& iterum promisit solus facere, & transmittere pijssimo Principi.* Et merito: Etenim ante omnem Episcoporum conventum, ante invocatum Spiritum sanctum, jam à Theodoro Cappadociæ Archi-Episcopo instructus Justinianus norat quid esset in Synodo facturus, ideoque talem conventum Vigilius aversabatur.

Secunda igitur Collatio, facta octavo Idus Majas, audivit hasce duas ad Vigilium legationes, & gloriosissimi judices concluserunt: *Nos hoc, quod iussi sumus à pijssimo Imperatore, implevimus, & imus ad sacrum eius Palatium, in eius obsequium permansuri. Vos autem Dei timorem præ oculis habentes, celerem finem caussæ imponere dignamini, convenientem his, quæ à sanctis quatuor Concilijs de una eademque fide definita sunt.* Mandant Episcopis, ut sine Vigilio, citra rationem refragante, faciant Synodum, finiantque trium capitulorum litem, verùm conformiter ad quatuor priores generales Synodos, præsertim Chalcedonensem. Capitulorum patroni adfirmabant illa probata per Chalcedonensem Synodum, sine ejus injuria retractari non posse, longè minùs damnari, & à Theodoro Cappadoce circumscriptum Principem degenerasse in manifestum ejus prævaricatorem. Adversùm istos voluere gloriosi Iudices caussam ex Chalcedonensi Synodo judicari, addideruntque Iustinianum esse ejusdem, uti & aliarum trium, zelosissimum custodem, utpote qui omnes quatuor sacris Ecclesiæ dyptichis inseri & prædicari fecit, *quod ante imperium Divinitus ei datum in sancta Ecclesia non procedebat.*

Post eorum egressum Græci Episcopi judicârunt obediendum Principi, faciendam Synodum sine Pontifice, advocandos tamen ipsi adhærentes Romani Patriarchatus Episcopos, Primasium ex Africanæ diœceseos Provincia Byzacena, Sabinianum, Projectum, & Paulum ex diœcesi Illyriciana. Fuêre invitati per Theodorum Lymiron, Anatolium Cymæ, & Diogenianum Episcopum Zozopolitanum, nec non Ammonium, Petrum, & Theodorum, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyteros ac Defensores; verùm Primasius Episcopus Adrumetinus respondit: *Papa non præsente, non venio.* Et Sabinianus Episcopus Zyparenus: *Venire non possum, eò quod præstò non est Archi-Episcopus meus Benenatus.* Et Projectus Episcopus Naizitanus: *Archi-Episcopum Benenatum accedo, & ad eum,* seu juxta eum, *respondeo.* Eodem modo respondit Paulus Episcopus secundæ Justinianæ. Et Synodus ad ista sibi relata: *De Primasio secundùm Ecclesiasticam traditionem opportuno tempore quæ oportet disponantur; Sabiniano autem, & Paulo, & Projecto, reverendissimis Episcopis, licebit, secundùm quod petierunt, ad Benenatum religiosissimum Episcopum accedere, qui communicas*

nicat nobis, & consentit his, quæ ab hac Synodo aguntur, sicut ostendunt ea, quæ sæpiùs scripsit & fecit: Et quod Phocas, religiosissimus Episcopus, sub eius diœcesi constitutus, præstò est huic sancto Concilio, & vices eius agit. Et hæc quidem sic ordinentur. Incongruum autem Sacerdotibus esse putantes protrahere dandum à nobis responsum Christianissimo Imperatori, Deo iuvante, futuro die convenientes quæ oportet agemus. Phocas ille erat Episcopus Staliensis.

Tunc item factum est, quod in suo de tribus Capitulis Constituto scribit Vigilius Pontifex ad Principem Iustinianum: *Ad fratres & Coepiscopos nostros, à quibus similiter de eadem caussa Responsum vos flagitare dixistis, filium nostrum* Romanæ Ecclesiæ Cardinalem *Diaconum Pelagium cum huiusmodi mandato direximus, dicentes: Vt quia constitutus Collationis faciendæ modus fuerat prætermissus, saltem viginti dies pro nostri corporis imbecillitate, quam nôrunt, nostrum deberent definitum de tribus Capitulis sustinere Responsum, antiquum & regularem custodientes ordinem, ut ante nostræ, id est, Sedis Apostolicæ, cui per Dei gratiam præsidemus, promulgationem sententiæ quidquam proferre tentarent, undè scandali rursus, quæ sopita fuerat, oriri posset occasio.* Prætermitti constitutum collationis faciendæ modum veraciter est questus Pontifex: Eam enim in scriptis, & à pari Latinorum & Græcorum Episcoporum numero faciendam stipulatus fuerat ante Pascha Iustinianus, è quavis Latina Provincia evocandorum Episcoporum nomina acceperat à Pontifice, atque isti stipulationi Vigilius innixus in Synodum, quam in Italia aut certè Sicilia fieri instantissimè & frustrà postulârat, Constantinopoli celebrandam consenserat. Adeò ejus de pari Episcoporum numero exceptio non fuit frivola aut vana: Vana fuit Iustiniani & ejus Episcoporum expostulatio, quâ promissam semel, & quidem taliter Synodum dixerunt à Pontifice non posse retrahi aut suspendi. Laudata Constituti verba evincunt omnium in generali Synodo tractandorum propositionem, ac primum de illis suffragium competere Sedi Apostolicæ, eumque esse antiquum & regularem ordinem, cujus transgressio Synodum transformat in scandalosum conventum.

COLLATIO III.

Collatio tertia, facta septimo Idus Maias, solemniter professa est quatuor generalium Synodorum fidem & cunctas legitimas definitiones, nec non & doctrinam sanctorum Patrum, Athanasij, Hilarij, Basilij, Gregorij Nazianzeni, Gregorij Nysseni, Ambrosij, Augustini, Theophili, Ioannis Chrysostomi, Cyrilli, Procli,

cli, ac Leonis. Et subjunxit: *Hac recta confessione in sancta Dei Ecclesia servanda & prædicanda, si quis ab eius communione semetipsum separet, contraria ei sapiens, talis semetipsum alienans rectæ fidei, & hæreticis connumerans, iuste à sancta Dei Ecclesia condemnatur & anathematizatur.* Subjunxit adversum illos, qui tria Capitula sine Chalcedonensis Synodi, confirmatæ per sanctum Leonem Pontificem, prævaricatione aiebant non posse damnari. Promisit proximo conventu adgredi eorum caussam.

COLLATIO IV.

Collatio quarta, facta quartò Idus Majas, adgressa est primum & palmare capitulum, caussam dogmatis & doctrinæ Theodorianæ, & urgente Diodoro Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archi-Diacono & Notariorum Primicerio, per Calonymum ejusdem Ecclesiæ Diaconum ac Notarium legi sibi jussit loca varia ex ejusdem Theodori libris deflorata. Eorum hæ erant præcipuæ blasphemiæ. Primò, quod sanctus Thomas Apostolus, Christo Domino nostro à mortuis resuscitato dicens, *Dominus meus & Deus meus*, non dixerit id de eodem Domino tamquam Deo, sed quasi de puro homine, stupefactus illum resuscitatum, & ideò offerens Deo glorificationem. Secundò, quod baptizari in Christi nomine sit simile cum baptizari in Moyse, & vocari nos Christianos, uti quidam à dogmatum inventoribus vocantur Platonici, Marcionitæ, Manichæi. Tertiò, quod Christus Dominus fuerit imago Dei Verbi, & sicut imperialis imago adoraretur. Quartò, quod Christus Dominus ab antiquo testamento non esset prophetatus. Quintò, quod Verbi cum carne unitas non secundum hypostasin aut idiomatum communionem, sed facta esset dumtaxat secundum bonam voluntatem. Sextò, quod Deus creasset contraria, & bona & mala: Quod docuisset peccatum, & mortem induxisset. Septimò, quod Angeli, homines, dæmones essent similiter mali. Octavò, quod Deus omnia mutabilia & mortalia creasset. Nonò, quod Deus peccatum hominibus expedire sciens, fieri disposuisset. Decimò, quod Salomon non accepisset Prophetiæ gratiam, sed Ecclesiastæ & Proverbiorum libros ex humana prudentia scripsisset. Undecimò, quod Canticum canticorum esset fabula amatoria, mensalis & lasciviæ cantus, Iudæis & Christianis semper interdictus, similis convivio Platonis de amore. Duodecimò, quod liber Iob paganicis fabulis scateret, adeoque à spiritu Sancto non esset. Quibus omnibus varium anathema Synodus adclamavit.

Exin-

Exinde legi sibi jussit etiam Iudaicum Symbolum, à Charisio Philadelphiensis in Lydia Ecclesiæ Presbytero & Oeconomo accusatum, & ab Ephesina Synodo damnatum, vocans *Sceleratum Theodori Symbolum*, & adclamans: *Hoc Symbolum sathanas composuit; anathema ei, qui hoc Symbolum composuit; hoc Symbolum Ephesina prima Synodus unà cum authore eius anathematizavit. Vnum tantummodò fidei Symbolum scimus, quod Niceni sancti Patres exposuerunt & tradiderunt: In hoc omnes baptizati sumus, & baptizamus.* In Neceno Symbolo aucto per Synodum Constantinopolitanam. *Anathema Theodoro Mopsuesteno. Iste Evangelia reprobavit, iste Dispensationem iniuriavit. Anathema illis, qui non anathematizant illum. Defensores eius Iudæi sunt; sequaces eius Pagani sunt. Multis annis Imperatorem; Christianum Imperatorem multis annis. Et hoc bonum tibi servatur. Zizania tu eiecisti, Ecclesias tu emendasti. Theodorum Mopsuestenum omnes anathematizamus: Theodorum & conscripta eius omnes anathematizamus.* Confirmant damnatum hoc à Facundo Hermianensi Episcopo anathema: *Si quis non anathematizet Thodorum Mopsuestenum, & eius dogmata, eosque qui aut similia sapuerunt aut sapiunt, anathema sit.* Fuit indigna acclamatio: Utpote qua Episcopi Ecclesiam à Laico Principe doctam & purgatam profitentur. Et hinc ipsi acquiescere, & in Theodori personam definire noluerunt Synodi Primates, interlocuti caussam in proximo consessu latius disquirendam.

COLLATIO V.

Examinari pergitur caussa Theodori Episcopi Mopsuesteni.

QUintæ Collationi, factæ tertiò Idus Majas, Diodorus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archi-Diaconus & Notariorum Primicerius legenda obtulit sanctorum Patrum, legum Imperialium, & Ecclesiasticarum in Theodorum Mopsuesteum Scripta & Decreta, & ex Synodi jussu primùm legit loca varia ex sancti Cyrilli Patriarchæ Alexandrini libris, editis diserte adversùs Theodorum. Culpat istic Cyrillus varias eius propositiones, præsertim has: *Deus verbum est dumtaxat abusivè homo; Homo adsumptus est sola gratia, non natura Deus; Non Deus, sed solus homo est natus è Virgine, crucifixus, mortuus, à morte suscitatus; Sancta Virgo non est Deipara, quod hominem genuerit, non Deum.*

Exinde lectus est libellus sancto Proclo Patriarchæ Constantinopolitano à majoris Armeniæ, Persidis, & vicinarum gentium Episcopis exhibitus contra Theodorum, accusans de multis. Primò,

quod esset homo pestifer, fera diabolicam hominis formam & vacuum Episcopi schema habens, latitans in obscuro orbis loco, vili oppido secundæ Ciliciæ, descendens è dogmate Pauli Samosatensis. Secundò quod Photini Syrmiensis in Illyrico Episcopi & aliorum Hæresiarcharum verbis usus fuerit in suis scriptis, & dogmata sua ex illis confirmasset. Tertiò, quod virus suum spargere volens, Mopsuestiensis oppiduli angustia non fuerit contentus, sed contra Canones prædicatum abierit ad alienas parochias, præsertim Patriarchalem civitatem magnæ Antiochiæ. Quartò, quod illic adsumptum hominem esse Deum negans, & sanctam Virginem non esse Deiparam è suggestu blaterans, Ecclesiam illam scandalis, litibus, scissuris impleverit, ideoque à Ioanne Patriarchæ fuerit ad palinodiam compulsus. Quintò, quod venena hæc vomuerit sub fuco evertendi Arij, Eunomij, ac Apollinarij, atque ita simplicem plebem doloso hamo captivarit. Sextò, quod tunc Nestorium Ecclesiæ Antiochenæ Præsbyterum instruxerit, seduxerit, sibi colligarit. Hinc libellus concludit & rogat, ut Proclus Ephesinam Synodum, quæ Nestorium degradavit, imitatus dignetur etiam illius magistrum & fontem Theodorum, sine expresso nomine jam anteà condemnatum, nunc nominatim condemnare, & condemnationis sententiam omnibus per Syriam & Ciliciam Ecclesijs notificare.

Addit Actorum Synodalium Digestor: *Porrecta sunt & impia capitula ex Theodori codicibus Proclo ab Armenijs, quorum multa in ante latis continentur.* Quæ omnia latè in Nestorianæ ac Eutychianæ hæreseos Breviario refert Liberatus, Ecclesiæ Carthaginensis Archi-Diaconus, insinuans palmare capitulum fuisse: *Vnus è sancta Trinitate non est crucifixus.* Hinc enim in suo ad Armenios rescripto tomo illius contradictorium Proclus strenuè defendit. Et tomi illius quędam etiam hìc ad Synodum fuere lecta. Cap. 10.

Lecta item est sancti Cyrilli ad Lamponem Presbyterum Epistola, Orientalis diœcesis Episcopos durè accusans de multis. Primò, quod Nestorij nomen tacentes, & aversari simulantes, retinerent dogma, idque ex Theodori, qui Nestorij magister fuerat, libris, habentibus blasphemias Nestorianis majores. Secundò, quod Joannem Antiochiæ Patriarcham desuper omninò monuisset, sed frustra: Etenim Maximus ejusdem Ecclesiæ postmodum Patriarcha, tunc Diaconus & Archi-Mandrita, palam Alexandriæ questus est orthodoxis istic nullum locum esse, nec fiduciam loquendi de recta fide. Tertiò, quod Nicenum Symbolum nequissimè interpretarentur,

atque ideò illius orthodoxam expositionem, extantem in tertia parte Ephesini Concilij, ad ejusdem Maximi preces conscripsisset.

Lecta quoque est ejusdem Cyrilli ad Acacium Melitinæ in secunda Armenia, Theodotum Ancyræ in prima Galatia, & Firmum Cæsareæ in prima Cappadocia Archi-Episcopos Epistola, Orientales Episcopos denuò accusans, quod deflorata ex Theodori codicibus capitula, à sancto Proclo in rescripto ad Armenios tomo anathematizari jussa, anathematizare noluerint, dicentes ex tali anathemate derivandam maculam etiam ad sanctos Patres, Athanasium, Basilium, Gregorios Nazianzenum & Nyssenum, Theophilum, & reliquos, qui similia cum Theodoro docuissent.

Lecta est & ejusdem Cyrilli Epistola ad Rabbulam Edessenum Episcopum, Osrhoënæ Provinciæ Metropolitam, illum laudans uti Oriētalis diœceseos columnam & veritatis firmamentum, utpote qui solus istic Collegarum suorum pravitati adversus expugnaret veraciter Nestorianam hæresin, procedentem ex radice ejus, qui de Cilicia erat, id est, Theodori. Hic est ille Rabbulas, quem successor Ibas vocat suæ civitatis tyrannum, dureque notat, quod palam in Ecclesia Theodorum anathematizasset.

Lecta est ejusdem Rabbulæ ad sanctum Cyrillum Epistola, Nestorium & Theodorum accusans de vario communi dogmate. Primò, quod inter Domini naturas unionem secundùm hypostasin penitùs aversarentur. Secundò, quod sanctam Virginem negarent esse Deiparam. Tertiò, quod hominem & Deum unitos dicerent, non hypostasi, sed solâ bonâ voluntate. Quartò, quod unionem secundùm hypostasim dicerent penitùs impossibilem, propter omnimodam Divinæ naturæ incircumscriptionem. Quintò, quod Christum Dominum, non tamquam Deum, sed solâ relatione ut quandam imaginem vellent adorari: Relatione Dei extrinsecè adsumentis. Sextò, quod etiam de sancto Eucharistiæ Sacramento, & contentâ istic Dominicâ carne sentirent pessimè, dicentes etiam de ipsa verum esse: *Caro non prodest quidquam.* Septimò, quod garrirent non supra Deum Verbum, sed supra purum hominem esse ædificatam Ecclesiam. Octavò, quod *ipsorum etiam de gehennâ ratiocinationes non sit tutum per literas significare.* Addit quod hæc omnia omninò docuerunt, sed clandestinè & dolosè, *timentes pias aures populi.*

Lecta item est Hesychij Presbyteri Hierosolymitani Ecclesiastica historia, accusans Theodorum de multis. Primò, quod semper Photini fuisset imitator, linguâ malitiosus & paratissimus, & voluntate semper versatilis, utpotè qui ab Ecclesiæ Antiochenæ Clericatu ad

carnis libidines & sæculum apostatasset, & per condiscipuli sancti Joannis Chrysostomi Epistolas, quarum etiamnum hodie Epigraphe est, *Ad Theodorum lapsum*, fuisset ad sanam mentem, & clerum, utique infimum, reductus. Secundò, quod Antiochia Tarsum, primæ Ciliciæ metropolim, ac indè Mopsuestiam, secundæ Ciliciæ oppidum, migrans esset contra Apostolicos Canones factus Episcopus: Etenim Episcopum *oportet esse sine crimine*, commisso post baptismum, quod de quovis præsertim carnali lapsu antiqui Canones intellexerunt. Theodorum fuisse natalibus illustrem sanctus Joannes Chrysostomus in dictis Epistolis adfirmat. Tertiò illum accusat Hesychius, quod judaicam impietatem æmulatus statim in Episcopatus exordio ediderit in Psalmos commentaria, garriens nullas istic esse de Christo Domino prophetias: Et quod ob fidelis populi gravissimas de tanto facinore querelas Episcopatum perdere periclitatus promiserit delere, & igni tradere simulârit impium codicem, & tamen ut impietatis viaticum clanculò conservârit. Quartò, quod verbis orthodoxis, at æquivocis usus, adeòque apud simplicem populum recta docere visus, secretos errores dilectis discipulis privatim instillârit, atque ità multis annis plurimos corruperit. Quintò, quod senex varios de Dominica Incarnatione libros ediderit, in quibus cunctis blasphemavit Dominum Jesum Christum fuisse purum hominem, qui proprijs creati arbitrij viribus & meritis per vitæ sanctitatem & libidinum victoriam profecerit tandem in conjunctionem cum Deo Verbo, & nomen filij Dei.

Exindè lectæ sunt duæ leges, Ephesini Concilij confirmatrices, quibus Theodosius secundus & Valentinianus tertius damnant Diodori Tarsensis Episcopi, per primam Ciliciam Metropolitæ, nostri Theodori, ac Nestorij, hominum impiorum ac pestilentium abominandam doctrinam; eorum sequaces deinceps nominandos statuunt, non Christianos aut Nestorianos, sed à Simone mago Simonianos; illis omnia conventicula interdicunt, etiam in agris, sub pæna perpetuæ deportationis; ac sub eodem reatu Theodori ac Nestorij libros vetant legi, describi, detineri, jussos exuri. Imitari se gloriantur Constantinum magnum, qui Arianos à profano & nequissimo Porphyrio vocari jussit Porphyrianos. Eosdem vocari Valentinianos, Marcionitas, ac Manicheos mandat in Epistola ad Adelphium Episcopum & Confessorem sanctus Athanasius, & dat caussam: *Par est, ut quorum pravam opinionem receperunt, eorum quoque vocabula & titulos accipiant. Forsitan ex putore, graveolentiaq́, istorum nominum fieri potest, ut pudore commoniti tandem intelligant, in quantam voraginem*

ginem impietatis delapsi sint. Diodorus ille fuerat Theodori magister: Hinc suspectus.

Lecta est & Theophili Patriarchæ Alexandrini ad Porphyrium Patriarcham Antiochenum Epistola, conquerens à Theodoro, tunc vivente & prædicante, resuscitari deliria Pauli Samosatensis, cum suo non tantùm dogmate, sed & Baptismate damnati à Synodo Nicena. Quod est insigne pro decimo nono Niceno Canone testimonium. Quod porrò Paulus iste cum Judæis docuerit Christum Dominum esse purum hominem, testatur sanctus Athanasius in secunda, tertia, quarta, quinta oratione contra Arianos, in secunda Epistola ad Serapionem Episcopum, in Epistola de Synodi Nicenæ contra Arianos Decretis, & in speciali opusculo de Dei Verbi Incarnatione adversùs Paulum, quod hìc dictatum adversùs ultimam Pauli impietatem à sancto Athanasio tomum Theophilus appellat. Rectè dicit, *Vltimam Pauli impietatem*: Etenim Paulus etiam sacrosanctam Trinitatem confudit cum Sabellio, quod virus nunquam sorbuit Nestorius aut Theodorus.

Porrò Arianorum fuerunt classes variæ. De ipsarum una scribit in quarta adversùm illos oratione sanctus Athanasius, loquens de Deo Verbo: *Homo factus est, non in hominem, qui iam erat, supervenit. Nam & hoc quoque cognitu necessarium est, quando qui hic ruinam paßi sunt impij, etiam alios secum eòdem præcipitant: Quippè qui existiment eum, quemadmodùm priscis temporibus in unumquemque ex Sanctis descendit, ita tum quoque in Maria Filium descendisse, ut eum sanctificaret, & in eo se ostenderet, uti in cæteris sanctioribus hominibus fecit.* Eam omninò fuisse quorumdam inter Arij blasphemias & Nicenam Synodum circa Dei Verbi cum Patre consubstantialitatem fluctuantium Arianorum Judaicam & Cayphaicam sententiam, disertè testatur in priori ad Adelphium Episcopum Epistola, & adversùs illam in multis locis scribit sanctam Virginem veraciter Deiparam fuisse. Erroris fundamentum erat, quod duarum naturarum secundùm hypostasim unio induceret adsumptæ carnis, quod sine idololatria fieri non potest, adorandæ necessitatem. Quod argumentum enodare nesciens Apollinarius deliravit Domini carnem fuisse, non temporalem & è Virgine sumptam, sed æternam, cælestem, Divinam, Deo Verbo identificatam, utpotè de qua in Symbolo profitetur Synodus Nicena: *Consubstantialem Patri.* Ità in libro de Domini adversùs illum Incarnatione testatur idem Athanasius, in Epistola ad Epictetum Corinthi Episcopum exclamans: *Quis infernus ista eructavit?* Naturarum, inquam, confusionem ac identificationem delirabat Apollinarius, ideòque non solummodò ple-

plenas & perfectas naturas, & solam unionem adversùs ipsum prædicare, sed & hanc extenuare, & liberioribus de ipsa verbis uti cæperunt quidam Doctores Catholici, atque ità Apollinaristis ansam dare istius in Ecclesiam calumniæ, de qua ad Theophilum Alexandriæ Patriarcham sanctus Gregorius Episcopus Nyssenus: *Proferunt quod aliqui quasi Catholicæ Ecclesiæ existentes duos colunt filios in dogmate, unum secundùm naturam, alterum secundùm adoptionem posteà acquisitam.* Cæperunt, inquam, Apollinaristæ Ecclesiam de soluto Jesu Christo & adserta ejus divisione accusare, quin & sese mutuò accusare ipsi Catholici, & quidam non sine fundamento esse suspecti. Etenim de sua Alexandrina Synodo, in qua natam inter orthodoxos de hac propositione, *Tres Divinæ personæ sunt tres hypostases*, periculosissimam contentionem sedavit, addit sanctus Athanasius in literis ad Ecclesiam Antiochenam: *Etiam de negotio & dispensatione carnis nostri Salvatoris, cùm super ea re quoque nonnulli cum alijs contentionem moverent*, & sese mutuò confusionis aut divisionis infamarent, *& hos & illos examini subiecimus, & quod isti profitebantur, hoc & illi quoque suffragio adsensuq; prosecuti sunt, nempe non eâ ratione, quâ ad Prophetas factum est Verbum Domini, factum esse Verbum & advenisse in Christum sub finem sæculorum, sed ipsum Verbum carnem esse factum, & cùm esset in forma Dei, formam servi adsumpsisse, & ex Maria, quantùm ad carnem attinet, hominem esse genitum hominum gratiâ, eoq; modo humanum genus solidè & integrè liberatum in ipso à peccato, & à morte vivificatum introduci in regna cælorum.* Adversùs istum partim errorem, partim erroris suspicionem disputat frequentissimè idem Athanasius, hanc propositionem, *Deus Verbum est crucifixus*, defendens constantissimè, & exponens quomodò adsumpta in Verbi hypostasin humanitas adoretur sine idololatria aut quavis Divinæ Majestatis injuria: Quod nempe Deus benedictus, qui sese à Judæis in arca testamenti, ideòque & arcam istam secum adorari jussit, longè magis in adsumpta carne, quæ est prophetantis arcæ adimpletrix veritas, jusserit & jubeat adorari. Latria nostra in solum Deum, non in arcam aut humanitatem tendit: Adoramus Deum carne vestitum. Porrò ex suspectis istis fuere Diodorus ac Theodorus: Ex ipsis postmodùm emergens Nestorius suspicionem graviter auxit, eamque pro certâ scientiâ nostra Synodus accepit. Et addit: *Porrecta sunt Theophilo & impia capitula ex codicibus Theodori.* Ità ostendit Theodorum etiam in vita sua fuisse graviter de hæresi suspectum.

Sequitur in Actis Synodalibus: *Ex his, quæ Theodoretus defendens Theodorum contra Cyrillum scripsit, per quæ testimonium perhibet idem Theodoretus, quod Theodori sint ista impietates, contra quas sanctus Cy-*

rillus

rillus scripsit. Agit Synodus contra Liberatum Diaconum Carthaginensem, constanter adseverantem libros, qui sub sancti Cyrilli nomine adversùs Theodorum circumferuntur, esse per nescio quem confictos. Et adversùs Facundum Hermianensem Episcopum, conatum multis ostendere, quod Diodorum Tarsensem quidem reprehenderit, nequaquam tamen damnârit sanctus Cyrillus, Theodorum autem nec reprehenderit, sed laudârit variè & probârit. Hìnc igitur Synodus sibi legi fecit quædam testimonia Theodoreti, Cyrillum culpantis ob scripta in Theodorum, ideòque illa esse germanum Cyrilli opus confitentis. C. 10. L. 3. c. 3. L. 4. c. 2.

Adversùs eumdem Facundum perrexit Diodorus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archi-Diaconus & Notariorum Primicerius: *Quoniam quidam dicunt, quod sanctæ memoriæ Cyrillus laudavit Theodorum Mopsuestenum in quodam Scripto suo, in quo dicunt quod scriptum est,* BONO THEODORO. *Et super hæc quod sanctæ memoriæ Gregorius Nazianzenus literis usus est ad Theodorum Mopsuestenum, laudans eum.* Ostendere voluit Synodus à nullo penitùs Patrum laudatum fuisse, sed ab omnibus damnatum. Hìnc Theodulus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus & Notarius legit integrum Cyrilli locum, habentem inter alia: *Quoniam in libris Theodori inventa sunt quædam ultimæ impietatis plena, quomodò erit consequens velle tacere?* Eum accusat, quod Dominum Jesum Christum in duos filios dividat, quod eum dicat purum hominem & abusivè appellari Deum, quod sanctam Virginem esse Deiparam inficietur. Ex quo conclusit Synodus verba hæc, *Bono Theodoro*, à sancto Cyrillo dicta fuisse per ironiam. Laudatus Theodulus legit item varias S. Gregorij Nazianzeni ad Theodorum literas; ast Thyanensis Ecclesiæ Metropolitam, nequaquam Episcopum Mopsuestenum. Lucidissimè id fuit demonstratum. Confirmavit Euphranta Thyanensis Episcopus, secundæ Cappadociæ Metropolita: *Semetipsos decipiunt, qui putant quod Gregorius ad Theodorum Mopsuestenum scripsit recitatas Epistolas. Ego enim, ut & Thyanensis Episcopus, & ipsa ortus Provincia, veritatem expono. Theodorus Episcopus fuit in mea civitate temporibus beati Gregorij: Prædicatur enim in sacris dypticbis.* Quod ipsum Theodosius Mocissi seu Justinianæ Episcopus, tertiæ Cappadociæ Metropolita, est attestatus. Et per adducta huc usque testimonia existimavit Synodus Theodorum de hæresi esse abundè convictum.

Longa & odiosa est hæc quæstio, de qua Facundus Hermianensis Episcopus scripsit duodecim libros verè facundos, adfirmans Theodorum de toto Christiano dogmate, Dominica prǽsertim humanatione,

ne, rectum per omnia sapuisse & scripsisse, fassus interim quædam adversùs Apollinarium, Domini naturas confundentem, dixisse liberiùs ac duriùs, quibus tamen varia liberiora atque duriora reperias in sancto Eustatio Antiocheno, Dyonisio Alexandrino, Athanasio, pluribus Patribus, ac ipso etiam sancto Cyrillo. Ejus omnia asserit trahi posse in sanum sensum longè faciliùs, quàm dicta sancti Dyonisij Alexandrini, ità tracta à sancto Athanasio. Quidquid ità trahi non possit, ait non esse Theodori, sed ejus libris dolosè immissum ab Apollinaristis, peritissimis similium artium, ac in Diodorum atque Theodorum calumniosissimè inimicis. Antiqui testamenti, Davidicorum præsertim Psalmorum, de Christo Domino Prophetias & promissiones constanter adfirmat à Theodoro neque negari, neque evacuari. Adversùs defuncti, quam quidam machinabantur, damnationem & collecta quasi ex ejus libris hæretica capitula ostendit Antiochiæ fuisse solenniter tumultuatum à populo, ipsam à nullo unquam Patriarcha aut Synodo attentatam, quin & Divali lege ad sancti Procli Constantinopolitani Patriarchæ preces à Theodosio Augusto interdictam.

L. 3. c. 2. Palmare accusationis caput erat profanum ac judaicum Symbolum, ab Ephesina & Chalcedonensi Synodo damnatum, de quo pergit Facundus adversùm trium capitulorum damnatores: *Adhuc aliud magnum & duplex eorum mendacium publicemus, quod non Ephesini tantum, verùm etiam ipsius Chalcedonensis Concilij iudicio notabile esse voluerunt, dicentes: Theodori Symbolum & in Ephe̊so sub sancto Cyrillo Synodus, & in Chalcedone condemnaverunt atque anathemati subdiderunt cum conscriptore eius.* Primum mendacium esse ait, quod Symbolum istud ab Ephesina & Chalcedonensi Synodo adfirment tamquam Theodori fuisse agnitum atque damnatum. Et reverà fuisse mendacium ostendit sancti Cyrilli ad Joannem Antiochiæ Patriarcham Epistola, per eumdem Facundum ac etiam Vigilium Pontificem in Constituto ad Justinianum Augustum laudata: *Prolata est in sancta Ephesina Synodo definitio, velut à Theodoro deposita, sicuti offerentes dicebant* Accusator Charisius dixit ipsum esse Theodori, verùm de Ephesina Synodo pergit Facundus: *Nec adfirmat ipsum Theodori fuisse.* Noluit Synodus istud inquirere, longè minùs definire. Caussam dat in laudato Constituto Vigilius Pontifex: *Beatus Cyrillus suâ providentiâ Ecclesiasticam moderationem circa mortuum sacerdotali sapientiâ servans noluit nomen eius ne monumentis quidem synodalibus, propter regulam qua de mortuis in Sacerdotio servanda est, contineri.* Reverà enim Ephesina Synodus nullam penitùs fecit Theodori mentionem. *Et in Chalcedone,* inquit

quit Facundus, *non alibi mentio Theodori facta est, nisi ubi ex Epistola venerabilis Iba recitatum est nomen eius.* Secundum mendacium esse dicit, quod Capitulorum inimici dicant judaicum Symbolum & Ephesi & Chalcedone fuisse cum suo Conscriptore damnatum. Conscriptorem ait non fuisse inquisitum, auditum, aut citatum, atque ità non potuisse damnari. Quod ipsum jam audivimus à Vigilij Pontificis Constituto. Pro eadem re nobiliores Ecclesiæ Africanæ Episcopi degradationem, exilia, miserandas ærumnas sustinuerunt. Et Acephalis de Synodo Chalcedonensi, quod neque Theodorum neque Ibæ Epistolam illius laudatricem damnasset, conquerentibus respondet in libro de Sectis Leontius Scholasticus Byzantinus: *Hoc potiùs de sancto Cyrillo queri debebant, quàm de Synodo. Nam sanctæ memoriæ Cyrillum, cum nonnulli hoc ipsum quærerent ut Theodorus anathemati subjiceretur, ad Proclum scripsisse constat minimè Theodorum anathematizari debere. Nam Orientales, inquit, universi Theodorum pro magno Doctore habent, quem si anathemati subiecerimus, in Orientalium Ecclesia dissidium ingens excitabimus, quorum unus est Ibas, qui eum anathematizari non patietur. Quod ergò sanctus Cyrillus fieri prohibebat, quo pacto Synodus facere poterat?* Quâ pacis providentiâ usum etiam jam audivimus Concilium Ephesinum. Est scabrosa quæstio, circa quam à Romana Ecclesia, Gregorij præsertim magni Decretis, non licèt nos discordare. Cap. 6.

Altera palmaris adversùs Theodorum accusatio erant sexaginta superiùs memorata capitula, per Rabbulam Edessenum ac Acacium Melitinensem Episcopum ex ejus libris deflorata, judicanda missa ad sanctum Proclum Episcopum Constantinopolitanum, & per ipsum in rescripto ad Armenios tomo damnata. De quibus duo quæruntur. Primò, An reverà fuerint Nestoriana, & damnari digna? Secundò, An reverà in sensu Nestoriano fuerint tradita à Theodoro?

Ad primum respondeo affirmativè. Etenim capitula ista, sibi à sancto Proclo per Theodorum Diaconum cum congruentibus Epistolis transmissa, damnavit in sua Synodo etiam Joannes Patriarcha Antiochenus, perpetuus Theodori Encomiastes. *Ioannes*, inquit Carthaginensium Archi Diaconus Liberatus, *& qui cùm erant congregati Episcopi, legentes tomum, & eius laudantes compositionem, subscripserunt in eo, & Proclo transmiserunt.* Damnârunt etiam Synodus Chalcedonensis, dictum tomum in relatione ad Martianum Augustum laudans & confirmans, in suo ad Justinianum Augustum Constituto Vigilius Pontifex, & omnis semper sub cœlo Ecclesia: Etenim capitula ista, prout jacent, sunt palàm impia atque Nestoriana. Nec unquam id Facundus Hermianensis, Victor Tonnonensis Episcopus, Liberatus Cap. 10.

Carthaginensium Archi-Diaconus, aut ullus Theodori defensor fuit ausus inficiari.

Omnis nodus est in secunda quæstione. Partem negativam constanter sustinuerunt Ciliciæ Episcopi, Theodori Comprovinciales, de quibus idem Liberatus: *Insimulant Rabbulam & Acacium, quod capitulorum* collectionem, *non ex charitate, sed ex æmulatione atque contentione fecissent.* Rabbulam enim in nescio quo congressu fuisse à Theodoro de nescio qua quæstione convictum & confusum, ideòque vindictæ spiritu semper illi adversatum, ejus successor Ibas in famosa Epistola testatur. Et à sancto Proclo per Maximum Diaconum rogatus, cujus illa, quæ Theodori dicebantur, essent capitula, Joannes Antiochenus *pro eius excusatione ignorare se dixit.* Quin & *Synodo congregata tres pro Theodoro dictavit Epistolas. Et unam direxit Theodosio Augusto, aliam Cyrillo, & tertiam Proclo, laudans in eis Theodorum, & exponens eius sapientiam.* Et harum Epistolarum primam & tertiam, plenas Theodori laudibus, in relatione ad Marcianum Augustum suscepit & confirmavit Synodus Chalcedonensis, adeòque suscepit & Theodorum, nullatenùs credens Capitula ista ab ipso processisse. Hìnc etiam sanctus Proclus in suo tomo capitula damnans, nullam penitùs Theodori fecit mentionem. Et Joannis Antiocheni Epistolæ Sacram remittens Theodosius Augustus *Theodori derogatores contra sententiam propriam venire iudicavit.* Similem ejusdem Principis legem, sancti Procli precibus datam, suprà laudavimus ex Facundo Hermianensi. Quin immò & sanctus Cyrillus in suo ad Joannem Rescripto laudavit Theodorum, ejus adversarios culpans, quod mendacijs uterentur, ac in Ephesina Synodo etiam judaicum Symbolum ipsi imposuissent.

Pro parte autem adfirmativa facit Basilius, nescio cujus Ecclesiæ Diaconus, qui in sancti Procli ad Armenios tomo Theodorum non notari indignatus *scripsit libellum, in quo docuit Theodori libros vitandos, sicut Arij & Eunomij blasphemias.* Alexandriam ivit, & sanctum Cyrillum in Theodorum accendit, atque ità ab illo *permotus Cyrillus quatuor libros scripsit, tres adversùs Diodorum & Theodorum, quasi Nestoriani dogmatis auctores, & alium de Incarnatione librum. Et licèt in eis libris Theodori dicta laudentur contra Arianos edita, ipsum tamen magistrum Nestorij fuisse contendunt.* Eodem tempore *surrexerunt quidam monachi ab Armenia, duo vel tria portantes capitula excerpta ex libris Theodori, quæ damnanda esse cum suis auctoribus clamabant, accusantes ea Nestoriano sensu esse conscripta. Quia si Nestorius iustè damnatus est, damnentur, dicebant, & ista cum suis auctoribus.* Omnem Orientem, Regiam civitatem,

Ec-

Ecclesias plures, Clericos, populos, monachos, monasteriorum quietem hisce clamoribus conturbabant. Adversùm illos Joannes Antiochenus adunavit Synodum, scripsit tres laudatas synodales Epistolas, purgavitque Theodorum, convincens monachos istos esse Apollinaristas. Sed & dictos Cyrilli libros quidam aiunt sub ejus nomine esse confictos. Joannis vestigia secutus est successor Domnus, & de Basilio, qui sub Flaviano secundo Patriarcha & Anastasio Augusto floruit, Ecclesiæ Antiochenæ Presbytero habet in Bibliotheca Photius: *Diodorum atque Theodorum Patres laudat.* Ab eodem culpari ait Capitula sancti Cyrilli. Ex quo perspicis hisce de Theodori mente & sensu quæstionibus Ecclesiam dudùm fuisse arietatam. Rectè enim in libro de utilitate credendi scribit sanctus Augustinus: *Quibus argumentis absentis vel mortui hominis voluntatem ità colligam, ut de illa iurare possim? Cùm etiamsi præsens interrogaretur, multa esse possent, quæ, si malus non esset, officiosissimè absconderet.* Res ità mansit usque ad Justinianum Augustum, & motus de tribus Capitulis. Tum plenè discussus fuit ex suis scriptis Theodorus, & non tantùm verba, sed & sensa Nestoriana habuisse judicatus. Istud nostræ Synodi judicium confirmavit tandem omnis sub cœlo Ecclesia, à qua quisquis discordârit, manifestus est temerator ac rebellis. Redeamus ad Acta synodalia.

L. 107.

Cap. 5.

Tractatur, An Episcopus in Ecclesia pace defunctus posit damnari post mortem.

POst Theodorum ex tot testimonijs probatum hæreticum, examinare Synodus cæpit jam dictam quæstionem. Et quoniam partem negativam ex sancto præsertim Cyrillo, Ephesinam Synodum per vices Apostolicas moderante, probârat in suo Constituto Vigilius Pontifex, Photinus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus & Notarius ante omnia legit ex primo ejusdem Cyrilli adversùs Theodorum libro testimonium, adseverans recusandos hæreticos, *sive in vivis sint, sive non.* Legit item illius ad Martinianum & alios monachos Epistolam, adfirmantem ab Ephesina Synodo fuisse non solum Nestorium damnatum, sed & omnes, qui aut post aut ante illum, quos inter omninò Theodorus, similia sapuerint aut sapuerunt. Quod sanè argumentum non est infirmum. Nam & sanctus Hieronymus ad Pammachium & Oceanum scribit de Patribus Synodi Nicenæ: *Latenter Origenem, fontem Arij, percusserunt. Damnantes enim eos, qui Filium de Patris negant esse substantia, illum pariter, Ariumq́; damnaverunt.* Licèt Origenem non nominârint, *Alioquin hoc argumento nec Valentinus, nec* Epist. 65. c. 1.

Marcion, nec Cata-Phryges, nec Manichæus damnari debent, quia Synodus Nicena eos non nominat, quos certè ante Synodum fuisse non dubium est.

Exindè Sextilianus Tunensis in Africa Episcopus, ac Primosi Carthaginensis Archi-Episcopi Vicarius ac Legatus, prodijt in medium, & adduxit varia sancti Augustini testimonia, quibus Cæcilianum Carthaginensem olim Archi-Episcopum, in Ecclesiæ pace defunctum, dummodò à Donatistis nocens probaretur, protestatus est sese anathematizare paratum. Et reverà inter sanctum Augustinum, immò omnem Catholicam Ecclesiam, & Donatistas fuit quæstio hæc agitata. Adversùm assiduas horum in defunctum Cæcilianum criminationes fuerat frequens sancti Augustini querimonia, *Arguis apud me eos, quos tam olim defunctos mea cognitio non iudicavit*; reposuit verò Cresconius Donatista: *Licet tibi & hodie iudicare, & iudicium non tantùm de vivis, sed etiam de mortuis haberi potest. Licèt enim sit mortuus, qui peccavit, nunquam illud moritur, quod admisit.* Et Responsum istud sanctus Augustinus omninò probavit: *Ecce volo iudicare, sed vos caussam ipsam non vultis agere.* Quæ lecta verba grandi præconio excepit Benignus Heraclææ in Paphlagonia Episcopus, ac Eliæ Thessalonicensis Archi-Episcopi Vicarius & Legatus, addens hanc esse perpetuam traditionem Ecclesiæ, probansque exemplo Valentini, Marcionis, Basilidis, Eunomij, Apollinarij, & plurium Eusebianorum, quos nulla Synodus damnavit vivos, defunctos verò omnis Dei Ecclesia anathematizat. Verùm ad rem id non erat: Istorum quippe nullus fuit in Ecclesiæ pace defunctus. Perrexit Benignus: *Sed etiam Romanorum Ecclesia ante paucos annos Dioscorum, qui fuit Papa eiusdem Ecclesiæ, & post mortem anathematizavit, cùm nec in fidem peccasset. Et hoc sciunt omnes qui degunt Romæ, & maximè qui in dignitatibus existunt, qui etiam eidem Dioscoro communicatores permanserunt usque ad mortem.* Hic est ille Dioscorus, Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis, qui ab Hormisda Pontifice ad Justinum Augustum, Acaciani schismatis componendi caussâ, cum quibusdam Episcopis Legatus, adversùm Schytiæ monachos & eis faventem Justinianum Comitem strenuè egit, cui ex tunc Romanum Papatum ambienti Patriarchatum Alexandrinum promisit idem Pontifex, & de quo in Bonifacij secundi vita habet liber Pontificalis: *Bonifacius cum Dioscoro ordinatur sub contentione. Qui Dioscorus ordinatur in Basilica Constantiniana, Bonifacius verò in Basilica Iulij. Et fuit dissensio in Clero & Senatu dies viginti novem. Eodem tempore defunctus est Dioscorus, pridie idus Octobris.* Quocircà etiam Dioscorus extra Ecclesiæ pacem fuit defunctus, atque ità iterùm hîc à scopo Benignus deviavit. Unicum ab ipso adductum Rabbulæ Edesseni

L.3.c.39.

Epi-

Episcopi, defunctum Theodorum anathematizare ausi, exemplum proposito serviebat: At licèt illum *in Sacerdotibus exsplenduisse* adfirmet, modicæ istud erat auctoritatis.

Suprà à Facundo Hermianensi Episcopo, & Vigilij Pontificis Constituto laudari audivimns sancti Cyrilli ad Joannem Antiochiæ Patriarcham & ejus Synodum literas, vetantes damnari Theodorum, & adferentes profanum Symbolum sub ejus quidem nomine fuisse Ephesino Concilio oblatum, at rem indiscussam sub incerto remansisse. Etiam de alijs hæreticis capitulis, quasi defloratis ex ejus codicibus, Theodorum non fuisse convictum. Admodùm momentosa pro ipso erat hæc Epistola, ideòque & illam legi postulârunt, lectamque esse fictam, utpotè stylo & sensu ab alijs Cyrilli scriptis alienissimam, adfirmârunt Theodorus Cæsareensis in Cappadocia Archi-Episcopus, Joannes ibidem Nyssenus, & Basilius Episcopus novæ Justinianæ. Probarunt ex alijs ejusdem Cyrilli ad eundem Joannem Patriarcham, ad Acacium Melitinæ Episcopum, & ad Theodosium Augustum Epistolis, quibus Diodorum Tarsensem, & ejus discipulum Theodorum ait fuisse totius mali Nestoriani Fontes, & pergit: *Scripserunt ad me Orientales, quod non oportet quæ Theodori sunt accusari, ne, sicut dicunt, & beati Athanasii, & Theophili, & Basilij, & Gregorij dicta accusentur. Quæ enim locutus est Theodorus, eadem & illi. Ego verò scribentes ista non sustinui, sed fiducialiter dixi, quod Theodorus quidem blasphemam habuit linguam, & calamum ministrantem illi; isti autem fuerunt totius orthodoxiæ Doctores, & splenduerunt in ea. Persuaserunt verò ità Orientalibus, ut exclamationes in Ecclesia à populis fierent,* CRESCAT FIDES THEODORI, SIC CREDIMVS, SICVT THEODORVS, *cùm eum aliquando lapidassent, in sua Ecclesia ausum subloqui aliquid breve:* Nempe quod sancta Virgo non esset Deipara. *Sed sicut Doctor vult, sic sapit grex. Ego quidem non cessavi increpans ea quæ scripserunt, nec cessabo.* Eadem repetit in literis ad Theodosium Augustum, & concludit: *Inviolatas animas vestras conservetis ab impietatibus Diodori & Theodori.* Et ex isto ejus consilio Diodorum & Theodorum unà cum Nestorio Theodosius omninò ad hæreticos proscripsit. Quæ omnia cum laudatis per Facundum & Vigilium Epistolis non quadrare dixerunt Theodorus, Joannes, & Basilius Episcopi, atque ità Epistolas has esse confictas.

Perrexerunt eidem: *Theodori defensores circumcidunt verba quædam dicta à sancto Cyrillo contra Synusiastas, per quæ etiam volunt ostendere illum dicentem, quod non oportet defunctis insultare.* Utique defunctis in pace Ecclesiæ. *Omne verò contrarium continent ea, quæ ab ipso in eodem libro*

libro dicta sunt. Dicit enim, quod sine caussa quidem ferri adversùs defunctos non oportet, ne inimicitiæ hoc esse videatur; dogmatica verò propositâ quæstione, licèt defuncti sint illi, de quibus dicitur aliquid tale, non oportet tacere, sed convincere ea, quæ illi malè dixerunt. De Diodoro ac Theodoro quidem Cyrillus loquitur, attamen sola eorum prava dicta, non ipsas personas adfirmat posse damnari, atque ità adsertos ab ipso limites dicti tres Episcopi excedunt.

Lecta quoque fuit sancti Cyrilli ad sanctum Proclum Constantinopolitanum Antistitem Epistola, habens capita varia. Primò, ex Joannis Patriarchæ Antiocheni ad se literis exponit ferventissimum pro Theodoro adversùm æmulos, ipsum & scripta ejus damnare machinantes, zelum populi Antiocheni, clamantis *magnum esse eius nomen per Orientem, & mirificari nimiùm conscripta eius, ideòque virum nobilem in Ecclesiarum communione defunctum non posse anathematizari.* Secundò ait: *Quod in Theodori conscriptis invenimus quædam nefariè dicta, & nimia plena blasphemia, nulli dubium est rectè sapientium.* Tertiò, dicit profanum Symbolum sub Theodori nomine fuisse Ephesino Concilio delatum, damnatumque uti impietatis plenum, & addit: *Nullam Theodori memoriam fecit Synodus dispensativè, nec ipsum nominatum anathemati subiecit propter dispensationem, ne quidam ad existimationem viri respicientes sese ipsos ab Ecclesia segregarent.* Quartò, dicit Theodorum tamen à Synodo Ephesina fuisse omninò damnatum: Damnati enim sunt quotquot ante Nestorium eadem cum ipso sapuere. Quintò, dicit Antiochenos, si quidem sine turbandæ Ecclesiæ periculo fieri possit, ad ipsum nominatim anathematizandum posse cogi. Sextò, addit sine gravissimo motu fieri id non posse, quod Antiocheni *eligant magis comburi, quam aliquid eiusmodi peragere.* Septimò, suadet cessari potiùs à Theodori anathemate, quam Ecclesiam Antiochenam taliter confundi. Quædam Epistolæ partes Theodoro, & omnibus generaliter occultis hæreticis in Ecclesiæ pace defunctis favebant, verùm ejus integritas oberat gravissimè, adfirmabatque Theodorum, suppresso tamen nomine, omninò fuisse à Synodo Ephesina damnatum: Hìnc adversùm trium Capitulorum defensores, ejus partibus abutentes, totam legi curavit Theodorus Cappadociæ Archi. Episcopus, & adjunxit: *Quoniam eiusmodi dispensationem* de dissimulando Theodori anathemate, quam Joanni Antiocheno permisit, & sancto Proclo Constantinopolitano persuasit sanctus Cyrillus, *non susceperunt*, seu rectè usi non sunt Capitulorum defensores, *è contrariò verò permanserunt defendentes etiam ipsas blasphemias Theodori, & dicentes eas consonare Scriptis à sanctis Patribus, videns sanctus Cyrillus crescentem im-*

impietatem, & indè simpliciorum læsionem timens, coactus est libros scribere adversùs Theodorum, & adversùm eius blasphemias, & post mortem eiusdem Theodori & hæreticum & impium, & super Paganos & super Iudæos blasphemum eum ostendere his verbis. Et ista sancti Cyrilli verba ad Synodum fuerunt lecta. Lecta sunt etiam sancti Procli ad Armenios tomus, & ad Joannem Antiochiæ Patriarcham Epistola, ubi & Theodori, suppresso tamen nomine, capitula, & ipsorum defensorem Ibam Edessenum Episcopum graviter perstringit. Quapropter distinguenda sunt tempora: Priora, quibus ob turbandarum Ecclesiarum periculum à Theodori damnatione cessari dispensativè censuit sanctus Cyrillus; & posteriora, quibus illum damnandum censuit, quotidiano Nestoriani veneni incremento permotus. Et hinc Cyrilli ad Joannem Antiochiæ Antistitem Epistolam, à Facundo Hermianensi Episcopo & Vigilij Pontificis Constituto laudatam, existimo non esse fictitiam: Existimo scriptæ ad sanctum Proclum Epistolæ coëvam, & ad priora ista tempora referendam.

Addidit Theodorus Cappadox hæc duo dispensationis & liberæ justitiæ tempora etiam ab alijs Ecclesiæ Patribus erga alios Errones fuisse exercita. Etenim de Apollinario Ecclesiæ Laodicensis Episcopo hæretico scribit ad Ecclesiam Antiochenam sanctus Athanasius: *Aderant* nostræ Synodo Alexandrinæ *& aliquot monachi, Episcopi Apollinaris in hoc ipsum Missi.* Eos laudat, quod cuncta istic edita Ecclesiarum pacificatoria decreta plenissimè comprobârint. Et tamen posteà eum ipsum Apollinarium scripto & verbo durissimè insectatus est idem Athanasius, exclamans in ejus dogmata: *Quis infernus ista eructavit?* Ambobus illum modis tractavit sanctus etiam Basilius, de nimia cum ipso familiaritate sese apud plurimos expurgare conpulsus. *Etiam Leo sanctæ memoriæ Papa antiquioris Romæ & suscepit Eutychen, & tamen posteà condemnavit, & anathematizavit tamquam hæreticum.* Eodem modo *iam tempus, quod* circa Theodori damnationem *dispensatione indigeret*, præterijsse dixit Theodorus Cappadox: Eum jam ab omni Ecclesia, & istis ipsis, qui priùs laudârant, Patribus haberi palàm hæreticum, ideòque penitùs anathemate feriendum. Exemplum Eutychetis ad rem non faciebat: Eum quippè, postquam malè olere cæpit, sanctus Leo Pontifex nunquam toleravit, longè minùs probavit.

Præcipuus quæstionis nodus erat, An Theodorus post mortem posset ab Ecclesia damnari? Posse respondit idem Theodorus Archi-Episcopus, probavitque exemplo Origenis, quem & olim cum sua Ægyptiaca Synodo Theophilus Alexandriæ Patriarcha, & nuper ipsi huic Synodo præsentes Episcopi damnârant, & Vigilius Pontifex

con-

confirmârat. Verùm erat caussâ dispar: Etenim Origenes extra, Theodorus intra Ecclesiæ communionem & pacem dicebatur esse defunctus. Reposuit verò idem Archi Episcopus: *Quod dicitur à quibusdam, quia in communione & pace Ecclesiarum defunctus est Theodorus, mendacium est & calumnia magis adversùs Ecclesiam. Ille enim in communicatione & pace Ecclesiarum defunctus est, qui usque ad mortem recta Ecclesiæ dogmata & servavit, & prædicavit. Quod verò Theodorus non servavit, neque prædicavit recta Ecclesiæ dogmata, certum est etiam ex eius blasphemijs.* Probavit ex sancti Gregorij Episcopi Nysseni ad Theophilum Alexandriæ Patriarcham literis, Apollinario quosdam Ecclesiæ Catholicæ Episcopos de introductis duobus Dei filijs arguenti respondentibus: *Nullum est eiusmodi dogma apud Christianos, nec prædicatur.* Hæc in Theodorum Mopsuestenum fuisse ab Apollinario dicta, & à Gregorio Nysseno responsa asserit Theodorus Cappadox, adeòque adfirmari à Gregorio Theodorum non vixisse in Ecclesiarum dogmate & pace, & proindè nec esse defunctum. Ecclesiam Catholicam, quousque Theodori memoriæ & nomini communicet, ait eisdem Apollinaristarum criminationibus manere obnoxiam, atque adeò per ejus synodalem damnationem rogat tandem liberari.

Verùm enim verò argumentum hoc erat ex duplici capite infirmum. Primò, non constat Apollinarij accusationem in Theodorum processisse. Patet ex ipsis verbis sancti Gregorij Nysseni: *Nescio à quo tale audierint, & ad quam personam reluctantur. Nondum enim cognovi eum, qui talia loqui ausus est.* Deindè, potest quisà recto Ecclesiæ dogmate deviùs mori in ejus pace: Nec enim quivis, sed solus pertinax error Ecclesia expellit. Et à multis dicitur Theodorus sensisse rectum, & liberiùs dumtaxat fuisse locutus.

Post hæc Diodorus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archi Diaconus & Notariorum Primicerius legi postulavit Synodum Mopsuestiensem, superiùs explanatam, quæ demonstrabat Theodorum fuisse post mortem erasum è sacris propriæ Ecclesiæ tabulis, locum istic cessisse sancto Cyrillo, atque ità à propria Ecclesia aut propriæ Provinciæ Synodo damnatum. Eam legit Theodulus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus atque Notarius, & ad lectam nostra Synodus est interlocuta: *Sufficiunt quidem, quæ dicta & probata sunt, Ecclesiasticam traditionem demonstrare, eò quod oportet hæreticos & post mortem anathematizari. Et reliqua omnia, quæ mota sunt, ostendunt quemadmodùm ex prolixis temporibus Theodorus Mopsuestenus propter impia sua conscripta & post mortem à Catholica Ecclesia eiectus est. Sed de his quidem paulò post sententiam manifestemus.*

Exami-

Examinatur caussa Theodoreti Cyrensis in Eufratesia Provincia Episcopi.

EXindè Synodus adgreſſa eſt ſecundum capitulum, cauſſam Theodoreti Cyrenſis Epiſcopi, qui Joanni magnæ Antiochiæ Epiſcopo, ſuo Patriarchæ, Epheſi adversùs veram Synodum adhæſerat, faverat Neſtorio, duodecim ſancti Cyrilli capitula acerrimè impugnârat, & quædam ſcripſiſſe atque egiſſe dicebatur pro Theodoro. Certè Eccleſiaſticam ſuam hiſtoriam clauſit Theodori laudibus, dicens triginta ſex annis ab illo geſtum Epiſcopatum, pugnatum inſigniter ac fructuosè adversùm Arianos, Eunomium, atque Apollinarium, & ſanctis Chriſti ovibus optimam herbam ſuppeditatam. Hiſtoriam ſuam ab Arij rabie inchoatam finiri ait *in morte hominum probatiſſimorum, Theodori ac Theodoti*, Patriarchæ Antiocheni. Fuit is Domini annus quadringenteſimus vigeſimus quartus. Et hìc memoria lapſus eſt in Epiſtola ad Eulogium Alexandrium ac Anaſtaſium Patriarcham Antiochenum ſanctus Gregorius magnus, dicens Hermiæ Zozomeni hiſtoriam finiri in laudibus Theodori: Theodoreti factum adſcribit Zozomeno. L.6. Ep.31.

Itàque Photius Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus ac Notarius ad præſentem Synodum legit varia Theodoreti adversùm ſancti Cyrilli anathematiſmos loca, item ex literis ad monachos quædam, in quibus dictos anathematiſmos durè exagitat, uti plenos impietate Arij, Eunomij, Apollinarij, Valentini, Manichæi, & Marcionis, & adſerentes inter Domini naturas factam eſſe unionem ſecundùm hypoſtaſin, ac unitatem naturalem, id eſt, mixtionem, temperaturam, confuſionem. Dicta Epiſtola ſanctum Cyrillum etiam arguit, quod adſeveret Spiritum ſanctum non ex Patre, ſed ex Filio procedere, & addit: *Iſte verò Apollinarij ſeminum fructus eſt, propinquat verò & Macedonij maligna cultura.* Tres diſpares eſſentiæ gradus in Deo poſuit Apollinarius, atque ità Spiritum ſanctum à ſolo Filio, non à Patre dixit proximè, ſed dumtaxàt per Filium procedere: Et hujus erroris ſancto Cyrillo adfricandi libidine ſeductus Theodoretus Apoſtolicum de ejus ex Patre & Filio, ſeu ex Patre per Filium proceſſione dogma non erubuit verbis potiùs, quàm ſenſu arietare. Nunquã enim credidero Theodoretum de Divinis proceſſionibus erraſſe.

Exindè lecta eſt Theodoreti ad Andræam Samoſatenſem Antiſtitem Epiſtola, ſcripta ex civitate Epheſina poſt veræ Synodi Acta à Theodoſio Auguſto confirmata. Et Synodum & Principem culpat graviſſimè, periclitari dicit fidem Chriſti & omnem Eccleſiam, ac ad-

jungit: *Talem Synodum ludunt Ægyptij, & Palestini, & Pontici, & Asiani, & cum his Occidens*, seu Occidentalis Ecclesia, præsertim Romana. Etenim sancti Cyrilli, Juvenalis, Firmi, & Memnonis, per Ægyptiacam, Palestinam, Ponticam, & Asiaticam diœceses Patriarcharum seu Primatum Acta synodalia sanctus Celestinus Pontifex confirmârat.

Lecta item Theodoreti ad degradatum & relegatum Nestorium Epistola, dicens iniquè damnatum, lenocinantibus verbis consolans, spondens perpetuam amicitiam & adsistentiam, & adjungens de duodecim sancti Cyrilli anathematismis, factâque inter ipsum & Ecclesiam Orientalem pace: *Nemo persuadeat Tuæ Sanctitati, quod ego Episcopalem Sedem cupiens, cohibendo oculos meos, tamquam orthodoxas suscepi Ægyptij literas. Vt enim cum ipsa veritate dicam, sæpiùs eas perlegi, & subtiliter discußi, & hæretica illas amaritudine liberatas esse inveni, & timui quamdam maculam eis imponere.* Loquitur de fidei professione, quam cum Joanne Patriarcha pacem initurus sanctus Cyrillus ad Antiochenam Synodum miserat: Istas professionis literas dicit ab hæretica duodecim capitulorum amaritudine liberatas, ideòque pacem sine veritatis injuria factam. Hìnc pergit de eisdem literis in Epistola etiam hìc lecta ad Joannem Patriarcham: *Ægyptiacas literas invenimus palàm contrarias duodecim capitulis, quibus usque ad præsens, ut alienis à pietate, repugnantes permansimus.* Ea damnat tamquam Apollinaristica, quæ dicunt Deum Verbum esse carnaliter carnem factum, adstruantque unionem secundùm hypostasin & unitatem naturalem.

Lecta tandem est Theodoreti ad Joannem Antiochiæ Patriarcham de sancti Cyrilli morte infamis & scelerata Epistola; nequaquam Theodoreto, sed gentili quopiam nebulone digna, ideòque radenda potiùs ex actis synodalibus, quam hìc recitanda. Et post lectam Synodus est interlocuta: *Ex his, quæ Theodoretus impiè conscripsit, miranda est subtilitas sancti Chalcedonensis Concilij. Sciens enim eius blasphemias, priùs quidem multis sæpiùs usa est contra eum exclamationibus; posteà verò non aliter eum suscepisset, nisi priùs anathematizasset Nestorium & eius blasphemias, pro quibus anteà scripsit defendens eas.* Labi in quibusdam interlocutionem, infrà patebit.

Fateor in hisce Scriptis lapsum esse etiam Theodoretum. Distinguenda sunt tempora: Tempora initâ inter sanctum Cyrillum & Joannem Antiochenum pace priora, & tempora ipsâ posteriora. Prioribus variè in sanctum Cyrillum, ejus capitula, Ephesinam Synodum, Romanamque Ecclesiam verbo, scripto, opere deliquit omninò Theodoretus; posterioribus nihil penitùs, nisi quod sancti Cyrilli ana-

anathematiſmos probare, & ſua in ipſos dicta & ſcripta noluerit damnare. Et quidem de iſta ſcelerata Epiſtola rectè advertit Scholiaſtes marginalis: *Hæc Epiſtola non videtur eſſe Theodoreti, ſed potiùs ab hæreticis conficta, & vel ex eo falſitatis convincitur, quia Ioannes Antiochenus obijt ante beatum Cyrillum. Nam exſtat eius Epiſtola ad Domnum Ioannis ſucceſſorem lecta in Concilij Chalcedonenſis Actione decimâ quartâ, qui Domnus ſuffectus fuit in locum prædicti Ioannis iam defuncti.* Agit iſta Cyrilli Epiſtola de cauſſa Athanaſij Epiſcopi Parrhenſis. Et de familiaribus inter Theodoretum ac degradatum Neſtorium literis ſcribit in libro de Sectis Leontius Scholaſticus Byzantinus: *Sciendum & illud, circumferri quaſdam Theodoreti & Neſtorij Epiſtolas, in quibus ſeſe mutuò recipiunt; ſed fictitia ſunt, & fingunt eas hæretici, ut earum ope Synodum* Chalcedonenſem *oppugnent.* Quod à Neſtorio plenè receſſerit, ipſum ex animo damnârit, & pacem integram cum ſancto Cyrillo fecerit, teſtatus eſt in Conſtantinopolitana cum Severianis Epiſcopis collatione Hypatius Epheſiorum Epiſcopus, ac ipſe Theodoretus in literis ad Sporatium, in literis ad Dioſcorum ſancti Cyrilli Succeſſorem, & in literis ad ſanctum Flavianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum. Ep. 83. 86. Etiam cum Romana Eccleſia plenam pacem inijt: Liquet ex ejus ab iniquo Epheſini latrocinij judicio ad ſanctum Leonem magnum Pontificem appellatione, varijs ad eumdem & Dominos Cardinales Epiſtolis, Romanum Primatum inſigniter profitentibus, nec non egregio ejuſdem Pontificis ad ipſum Reſponſo. Quod ſancti Cyrilli Capitula ſeu Anathematiſmos recipere, & à ſuis in illa Scriptis recedere nunquam voluerit, non eſt mirandum: Ad iſtud à Synodo Chalcedonenſi coactus non fuit. Rationem dat laudatus Leontius: *Obijciunt* Acephali, *cur* Chalcedonenſis *Synodus à Theodoreto non poſtulaverit, ut ſcripta ſua, quæ adversùs duodecim ſancti Cyrilli capitula compoſuerat, anathematizaret? Reſpondemus ob id non tam accuſandam Synodum, quam ipſum Cyrillum, hominem ſanctum. Nam is, communicatione cum Orientalibus & ipſo Theodoreto conſtituta, non poſtulavit ab eo, ut anathemate ſcripta ſua quæ contra duodecim capitula facta fuiſſent, exſecraretur. Quod igitur ipſe Cyrillus, vir ſanctus, non fecit, ob eius intermiſſionem an Synodus culpari meretur?* Quocircà licèt Theodoretus omninò graviter exceſſerit, omnia tamen præſentis Synodi in ipſum fundamenta non ſunt penitùs firma.

COLLATIO VI.

A Sexta Collatione, facta quarto decimo Calendas Junias, Diodorus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Archi Diaconus & No-

tariorum Primicerius tractari postulavit tertium capitulum, Ibæ Episcopi Edesseni famosam Epistolam, *quam quidam præsumebant dicere susceptam à sancto Concilio Chalcedonensi, verbis usi unius vel duorum religiosissimorum Episcoporum, qui in eodem sancto Concilio convenerunt, quasi pro eadem Epistola dictis, cùm alij omnes non eiusdem facti sint voluntatis.* Eam synodaliter examinandam & judicandam mox legit Theodorus Diaconus & Notarius Ecclesiæ Constantinopolitanæ.

Epistola varia habet capita. Primò, dicit scriptis ac ubique sparsis ultrò citròque nocivis libellis atque Epistolis scandalosè inter se pugnasse Nestorium & Cyrillum: Ab illo Pauli Samosatensis, ab hoc Apollinarij virus fuisse resuscitatum. Hic etenim scripsit, quod *ipse Deus Verbum factus sit caro, & non sit differentia inter* adsumptæ humanitatis *templum, & inhabitantem in eo.* Secundò, arguit Cyrillum, quod duodecim capitula impietatis plena scripserit, utpotè dicentia ex Domini nostri Divinitate & humanitate conflatam esse unam naturam. Etenim tertium capitulum inter ipsas factam dicit, non unionem, sed unitatem naturalem. Tertiò ait, quod ad frænanda hæc scandalosa certamina Theodosius Augustus indixerit Ephesinam Synodum, mandans & Nestorij libros & Cyrilli Anathematismos æquâ sorte discũti & judicari. Quartò, quod Cyrillus repertos Ephesi ante inchoatã Synodum Episcopos auro corruperit, ante Joannis Patriarchæ Antiocheni adventum ex ipsis Pseudo-Synodum coëgerit, & Nestorium degradare ut hæreticum attentârit *iudicio & quæstione non facta.* Quintò, quod post duos dies adveniens cum suis Episcopis Patriarcha Joannes Cyrilli Capitula damnârit uti hæretica, ipsum ut hæresiarcham degradârit, & illi cooperatos Episcopos excommunicârit. Sextò, *quod post tantam confusionem* unusquisque Episcopus in suam civitatem sit reversus. Excepto tamen Nestorio: *Quoniam odio habebatur suæ civitati.* Septimò, quod exindè *manserit Orientalis Synodus non communicans Episcopis communicantibus Cyrillo. Et propter hoc tribulatio multa facta est inter eos, & in certamine Episcopi ad Episcopos facti sunt, & populi ad populos. Et ex hoc maleloquia multa contra nos facta sunt tam Paganorum, quàm hæreticorum. Nec audebat aliquis de civitate in civitatem, & à provincia in provinciam ire, sed unusquisque proximum ut inimicum prosequebatur.* Orientales Episcopi & populi Ægyptios uti Apollinaristas, Ægyptij conviciabantur Orientales uti Nestorianos. Et hâc occasione quidam abusi privatas inimicitias sub religionis prætextu fuerunt ulti. *Quorum unus fuit nostræ civitatis tyrannus,* Rabbulas Edessenus Episcopus, *ausus Theodorum Mopsuestiæ Episcopum,* celeberrimum totius Orientis Doctorem, palàm uti Nestoriani dogmatis fontem

ana-

anathematizare. Octavò, Epiſtola accuſat eundem Rabbulam, quod audaciam purgaturus è Theodori libris varia capitula collegerit, & ad varias Eccleſias examinanda & damnanda miſerit: Rei ſeriem habes apud Liberatũ Archi-Diaconum Eccleſię Carthaginenſis. Nonò, quod C. 10.
hæc ex vetuſto in Theodorum odio Rabbulas attentârit, utpotè olim ab ipſo in neſcio qua Synodo confuſus de neſcio quo argumento & convictus. Decimò, Theodorum variè laudat: Quod fuerit beatus veritatis Prædicator, & Eccleſiæ Doctor; quod non ſolùm in vita ſua percuſſerit hæreticos in veram fidem ſuam, ſed & poſt mortem arma ſpiritualia filijs Eccleſiæ in ſuis libris reliquerit; quod ſuam civitatem ab errore ad veritatem converterit; quod etiam longè diſtantes ac ægrotantes Eccleſias ſuâ doctrinâ erudijſſet. Et hæ ſunt Theodori laudes, quas ſuſcepiſſe dicitur ſancta Synodus Chalcedonenſis. Nulla enim Theodori iſtic facta eſt mentio, niſi ab hac lecta ad Patres Epiſtola, quæ undecimò ait tandem factam eſſe pacem inter Cyrillum ac Joannem, & communicantes illis Eccleſias, & veram Dominicæ Incarnationis fidem jam pleniſſimè apud omnes vigere.

Exindè Calonymus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus ac Notarius legit ſancti Procli Epiſcopi Conſtantinopolitani ad Joannem Patriarcham Antiochenum literas, quibus illum de nimia circa fidem orthodoxam & ſubjectos Epiſcopos negligentia arguit, quoniam Ibas Edeſſenorum Epiſcopus quædam impijſſima capitula, ſuo ad Armenios tomo ſubnexa, fido teſtimonio aſſeratur tranſtuliſſe in linguam Syriacam, & varijs Eccleſijs tranſmiſiſſe cum ſcandalo & periculo plurimorum: Cum gravi obloquio totius Regiæ civitatis, ac nominatim viri longè eminentiſſimi, ſancti Dalmatij, Presbyteri & Archi-Mandritæ. Rogat induci & cogi ad ſubſcribendum ſuo ad Armenios tomo, damnanda ſubſcripta capitula, purgandum ſeſe apud Eccleſias, & ipſarum ſcandalum auferendum. Capitula iſta erant deflorata ex libris Theodori, adeòque uti illa, ità ipſorum laudatricem Epiſtolam ſanctus Proclus damnavit. Fundamentum hoc adversùs Epiſtolam eſſe inſigniter validum præſens Synodus judicavit.

De Theodori capitulis in linguam Syriacam tranſlatis, & ad varias Eccleſias tranſmiſſis, reverà fuerat Ibas frequenter accuſatus. Primò ab Eccleſię Edeſſenæ Clericis & militibus Conſtantinopoli apud Theodoſium Auguſtum & ſanctum Proclum Epiſcopum, qui tunc ſcripſit ad Joannem Antiochiæ Patriarcham literas jam dictas. At Joannes eis motus non fuit, nec monuit Ibam. Quare ijdem Clerici & milites ſecundò accusârunt Ibam apud Domnum Patriarcham, Joannis ſucceſſorem. Quo etiam negligente, aut potiùs Ibæ partibus

favente, facta est tertia accusatio apud memoratum rursùs Principem, & sanctum Flavianum, sancti Procli successorem, qui Photio Tyri, Eustatio Beryti, ac Uranio Himerorum Episcopo caussam delegârunt, ac judicij adsistentes & executores dedêre Damascium virum spectabilem, Notariorum Tribunum, & Eulogium Diaconum Ecclesiæ Constantinopolitanæ, qui Ibam & ejus accusatores ex Edessa Osrhoënæ Provinciæ Tyrum in primam Phæniciam judicandos transportârunt. Judicium fuit Beryti institutum: Et quoniam de spreta Ephesina Synodo, culpatisque sancti Cyrilli persona & duodecim capitulis præcipua erat quæstio, compendiosâ purgatione utens Ibas adserint se post factam Ecclesiarum pacem nihil mali de illis sensisse aut dixisse. Ità absolutus fuit, remissusque in sedem, eâ tamen lege, ut palàm in sua Ecclesia anathematizaret Nestorium cum omni suo dogmate, & Ephesinam Synodum, ut directam à Spiritu sancto, & Nicenæ per omnia parem profiteretur. De Cyrilli Capitulis nihil fuit exactus, quod ipse in pacis transactione sanctus Cyrillus nihil de ipsis ab Orientalibus Episcopis exegisset. Et hìnc sedi redditus Ibas non cessavit damnare capitula, atque ideò ab Ephesino latrocinio fuit tamquam Ephesinæ Synodi prævaricator degradatus unà cum Domno suo Patriarcha, & in ejus locum Nonnus est ordinatus. Damnatus fuit ob duo. Primò ob damnata Cyrilli capitula etiam post Synodum Berytensem. Secundò, quod in eadem Synodo adserens se post Ecclesiarum pacem nihil mali de sancto Cyrillo, ejus capitulis, aut Ephesina Synodo dixisse, esset palàm mentitus. Etenim famosa ad Marim Epistola, tria ista nigerrimè culpans, est istâ pace manifestè posterior. Verùm à latrocinij sententia ad Chalcedonensem Synodum appellavit Ibas, retractata fuit istic ejus caussa, absolutus ipse, sedique & dignitati restitutus. Lecta ibidem fuit famosa Epistola, nec damnata, ideòque Capitulorum defensores dixêre probatam, & à nostra Synodo sine Chalcedonensis prævaricatione non potuisse damnari. Palmare id erat pro ipsa fundamentum.

Verùm apud præsentem Synodum intercesserunt Theodorus Cæsareensis in Cappadocia, Andreas Ephesiorum, Megethius Heraclææ in Thracia, & Eusebius Tyriorum Archi-Episcopi, dicentes unius aut paucorum Episcoporum in generali Synodo interlocutionem haberi non posse pro synodali judicio. Dixére paucissimos Chalcedone Episcopos Ibæ uti innoxio fuisse suffragatos: Plerosque ejus senium & longam calamitatem miseratos, atque ità illum ut pænitentem, aut certè ut imposita crimina abnegantem fuisse ab ipsis in gratiam susceptum. Susceptam dixère solam ejus personam, non verò Epistolam, id-

idque & à Berytensi Synodo & à Chalcedonensi. Etenim ab utraque jussus est ejerare Nestorium, & profiteri Ephesinam Synodum, quod quid fuit aliud quàm Epistolam ejerare? Et sanè Berytensis Synodus Epistolam quidem sibi recitari audivit, attamen injudicatam dimisit, immò & indiscussam. Omnem Ibæ litem tamquam mediatrix pacificè transegit. Et vix aliud fecit Synodus Chalcedonensis.

Quæ omnia largiùs probari volens Synodus nostra per Calonymum Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconum & Notarium legi sibi jussit præcipua Ecclesiæ monimenta pro Dominica Incarnatione: Acta Ephesinæ Synodi, decretum fidei & reliqua Acta Concilij Chalcedonensis, Symbolum Nicenum & Constantinopolitanum, sancti Cyrilli Capitula, & duas ad Nestorium Epistolas, sancti Celestini Pontificis literas adversùs Nestorium, literas dogmaticas sancti Leonis magni ad sanctum Flavianum Episcopum Constantinopolitanum; & quoniam contraria ad invicem posita clariùs elucescunt, etiam Nestorij literas ad sanctum Cyrillum. Istis regulis, Synodo præsertim Chalcedonensi, contulit Ibæ Epistolam, in undecim capitibus discordem ostendere conata est, & solennissimâ acclamatione damnavit: *Hæc omnes dicimus, Ibæ Epistola hæretica est; Epistolam, quæ dicitur Ibæ, omnes condemnamus. Istam omnes anathematizamus, Epistola aliena à Synodo est, Epistola contraria definitioni est, tota Epistola hæretica est, tota Epistola blasphema est. Qui hanc non anathematizat, hæreticus est: Qui illam suscipit, hæreticus est. Epistolam sancti Chalcedonensis Concilij definitio condemnavit. Qui eam suscipit, non confitetur Deum Verbum hominem factum. Qui eam suscipit, Cyrillum non suscipit. Qui Epistolam suscipit, sanctos Patres Chalcedonenses reijcit.* Acclamatum est etiam huic articulo: *Scriptor Epistolæ hæreticus ostenditur & calumniator.*

Dixi de Synodo nostra: *Ostendere est conata.* Reverà enim de singulis undecim capitibus non ostendit. In quibusdam detorsit Epistolam in sensum à Scriptoris mente alienum, & injuriâ adfecit. Faciliter id ostendi possit, sed res longa est, & odiosissima: Remitto ad Facundum Hermianensem, at cum discretionis spiritu, recta à curvis prudenter discriminante, legendum. Nestorij, licèt non dogma, tamen personam omninò defendit, sanctamque Ephesinam Synodum & sancti Cyrilli duodecim capitula omninò pessimè calumniatur Epistola, ideòque justissimè est damnata. Errat Leontius Scholasticus etiam Ibæ personam fuisse damnatam. Lapsum credo ex hisce adclamationis verbis: *Epistola hæretica est: Scriptor Epistolæ hæreticus ostenditur.* Quod si verum fuerit, non minùs Ibas, quàm Theodorus potuit damnari. Utrumque conciliare conatur Cayphaici contra sacras imagines Cap. 6.

gines

gines conciliabuli orthodoxa refutatio, lecta & probata per septimam Synodum: *Sacratißimi Patres, qui in quarta & universali sancta Chalcedonensi Synodo congregati sunt, Epistolam quidem, quæ dicitur Ibæ Episcopi Edessæ ad Marim Persam, anathematizaverunt, veluti Nestorio concordantem; similiter & quinta Synodi Patres: Ibam autem nequaquam. Non enim verum apparuit, quod Ibæ fuerit Epistola. Hinc in anathematismis non Ibam anathemati submiserunt, sed Epistolam, quæ dicebatur Ibæ. Dicebatur enim, licèt non esset.* Scabrosam quæstionem relinquamus.

COLLATIO VII.

AD trium Capitulorum damnationem videbantur omnia abundè parata ac instructa, verùm duo oberant: Auctoritas Romani Pontificis adversa & contradicens, atque Ecclesiæ sub Justino Augusto, Acaciani schismatis exstinctore, pacificus status, sub quo Capitulorum damnatores nec mutire ausi fuerant, sed suppressi tamquam Synodi Chalcedonensis prævaricatores. Justinianum Capitula damnantem multi dixerunt à paterna pietate degenerasse. Et reverà sine Romano Episcopo adunati Episcopi sunt oves sine Pastore, nec Synodum faciunt, sed damnatum conventum. Hinc igitur ad septimam collationem, factam septimo Calendas Junias, Justinianus Augustus legavit Constantinum sacri Palatij Quæstorem, exhibiturum documenta, ex quibus luceat & Justinum Augustum, Justiniani Antecessorem & patruum, & præsertim Vigilium Pontificem, fuisse semper constantes ac firmos capitulorum damnatores.

Primò itàque Constantinus Quæstor exhibuit, & Diodorus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archi-Diaconus & Notariorum Primicerius legit Edictum, quo Vigilius Pontifex Rusticum, suum ex fratre nepotem, & Sebastianum, Romanæ Ecclesiæ Diaconos Cardinales, nuper degradârat. Unica damnationis caussa fuerat, quod qui trium Capitulorum damnativum judicatum, scriptum à Pontifice ad Mennam Regiæ civitatis Patriarcham, probassent, laudassent, ubique terrarum seminassent, jam à Felice Gillitani in Africa monasterij Hegumeno seducti damnarent, tria Capitula defenderent, ad varios Episcopos scripsissent Vigilium cecidisse in Synodi Chalcedonensis prævaricationem, atque ità omnes sub cœlo Ecclesias & Romanam Rempublicam turbassent insigniter, ac etiamnum turbarent. Et quidem Rusticus Theodorum non solummodò damnari, sed & exhumari, atque cum toto territorio incendi dignum, & Vigilij de illo judicatum esse quasi cœlo lapsum, plenis ubique buccis cantârat.

Lecta

Lecta etiam est ejusdem Pontificis ad Valentinianum Tomitanæ in Schytia civitatis Antistitem Epistola, trium Capitulorum damnativum judicatum confirmans, & expurgans à calumnia, quâ per Rusticum & Sebastianum, tunc necdùm degradatos, sed à ministerio dumtaxàt suspensos, spargebatur etiam Theodoreti ac Ibæ personas damnare. Quam calumniam nostræ etiam Synodo malè impingit in libro de Sectis Leontius Scholasticus Byzantinus. Valentinianum Cap. 6. Vigilius rogat, ne deinceps Rustico & Sebastiano, aut eorum complicibus per literas communicet, aut ipsorum mendacijs credat.

Lecta est & similis ad Aurelianum Arelatensis Ecclesiæ Metropolitam Epistola, quâ Vigilius præstat istud ipsum, & seriò profitetur sese, quod Rusticus & Sebastianus garriebant, à Synodi Chalcedonensis fide aut alijs legitimis definitionibus in suo judicato non recessisse. Ex hisce Epistolis abundè patere Vigilij Pontificis ac omnis Romanæ Ecclesiæ mentem, & ipsum Episcopis in hac Synodo congregatis, licèt non per Legatos, tamen per hasce literas præsidere existimavit Justinianus. At fallebat semetipsum: Etenim judicatum dumtaxàt usque ad futuram Synodum & pleniorem indaginem interloquebatur de tribus capitulis, & postmodùm Vigilius definitivum Constitutum emiserat, quo judicatum jam cassatum cassabat denuò, & constanter edicebat tria Capitula, Theodori præsertim personam, non posse damnari.

Lecta tandem sunt Acta publica, apud Antiochenæ civitatis Defensorem confecta, accusantia Andronicum Ecclesiæ Cyrensis Presbyterum, ac Georgium ejusdem Diaconum, quod Theodoreti sui olim Episcopi imaginem imposuissent rhedæ, ac solenni per civitatem processione deduxissent, psallentes & ostendentes se esse ejusdem fidei: Accusantia item Sergium ejusdem civitatis Episcopum, quod ad Episcopatum evectus mox Diodori, Theodori, Theodoreti, ac Nestorij, quasi martyris, festum instituisset, celebratum insigni synaxi. Factum id fuerat sub Justino Augusto, qui indignatus Sergium Episcopatu ejecit, & nunquam voluit restitutum. Ità Dyonisius Seleuciensis, Hermogenes Constantinopolitanæ, ac Heraclius Antiochenæ Ecclesiarum Presbyteri coram præsenti Synodo sunt testati, atque indè Constantinus Quæstor intulit etiam Justinum Augustum tribus Capitulis fuisse adversatum, adeòque Justinianum à pijssimi Patrui vestigijs non declinasse. Hìnc interim vides sacrarum imaginum venerationem semper in Ecclesia viguisse.

COLLATIO VIII.

OCtava & ultima Collatio, facta quartò Nonas Junias, tandem processit ad definitivam trium Capitulorum condemnationem, promulgavitq; Decretum elegans, eruditum, habens capita varia. Primò, protestatur sibi non deesse Romanum Episcopum, adeòque sese à vera & legitima Synodo emanasse. Secundò, profitetur quatuor priorum, Chalcedonensis præsertim, Synodorum fidem, cæterasque legitimas definitiones: Profitetur adversùs Capitulorum defensores, clamantes ea sine Synodi Chalcedonensis prævaricatione non posse damnari. Tertiò, damnat tria Capitula, personam præsertim Theodori, à quo plusquam à dæmonibus Christus Dominus fuit blasphematus. Quartò, definit Episcopos in Ecclesiæ Catholicæ pace defunctos posse omninò damnari post mortem, & edicit fundamenta: *Augustini religiosæ memoriæ, qui inter Africanos Episcopos resplenduit, diversæ Epistolæ recitatæ sunt, significantes quod oportet hæreticos & post mortem anathematizari. Talem autem Ecclesiasticam traditionem & alij Africani reverendissimi Episcopi servaverunt. Sed & Romana sancta Ecclesia quosdam Episcopos & post mortem anathematizavit, licèt pro fide in vita sua non essent accusati. Et utrumque apud nos habita gesta, significant.* Et huc præsertim respexit Andreas Rhodiorum Metropolita dicens ad Synodum Florentinam: *Augustinus præclarissimus Doctor Latinorum, quem sancta quinta Synodus recepit.* Neque enim modica laus est à generali Synodo produci in ipsius principalis Decreti confirmatorem.

Sess. 7.

Romanæ Ecclesiæ, Episcopos in Ecclesiæ Catholicæ pace defunctos post mortem damnantis, exempla non adduxit hæc Synodus, aut sanè synodalium Actorum Digestor prætermisit: Vellemus ipsa audire. Quidam adducunt exemplum Marcelli Episcopi Ancyrani: Verùm ille adhuc vivus à sancto Athanasio abjectus fuit, adeòque licèt in Romanæ ac Latinæ, non tamen in Orientalium Ecclesiarum pace defunctus. Sanctus Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus in duodecim adversùm Iconoclastas capitum libello adducit Eusebium Cæsarcensem Episcopum, primæ Palestinæ Metropolitam, quem à Nicena receptum damnavit post mortem Synodus Alexandrina. Verùm nec ille est mortuus in pace Ecclesiæ, utpotè *qui fuit Arianæ insaniæ Princeps, & plura ac peiora, quam omnes Ariani, in Filium Dei & Dominum nostrum & Deum contumeliosè & impiè protulit, & eum creatum ac factum esse malè & impiè docuit.* Fuit Dux omnium tragædiarum in sanctum Athanasium, ac in sanctum Eustatium Patriarcham

Cap. 2.

An-

Antiochenum. Nostræ tamen Synodo palàm favet Arcadij & Honorij Augustorum Lex ad Senatorem Prætorio Præfectum, exstans in codice Theodosianó, statuensque hæresin esse crimen publicum, & quidem læsæ majestatis, ac proindè post mortem accusari posse: *Nam in criminibus maiestatis licet memoriam accusare defuncti.* Palàm etiam in Epistola de Ariminensi ac Seleuciensi Synodis favet sanctus Athanasius, adloquens factionem Eusebianam, de erroneo dogmate suos Antecessores Episcopos, in Ecclesiæ pace defunctos, inverecundè damnantem: *Quod si illi malè senserunt, & suis scriptis orbem terrarum seduxerunt, cesset omninò eorum memoria, & Scripta eorum abjiciantur. Ite vos ipsi, & eruite reliquias eorum de monumentis, ut ab omnibus intelligatur & illos fuisse seductores, & vos esse parricidas.* Quod nempe Eusebiani Patres suos falsò accusarent. Decreto suo nostra Synodus adjunxit quatuordecim Capitula, laudata & lecta in sancti Martini primi Pontificis Lateranensi Synodo, ac superiùs explanata.

L. 16. tit. 5. c. 40.

BENEVOLO LECTORI.

Ephesini & Concilij & Latrocinij, nec non & Synodi Chalcedonensis Actiones edisserere destiti, ipsarum compendio contentus, Lectori studens de brevitate placere. Verùm amici suaserunt eas largiùs exponi. Et reverà in ipsis latent non spernenda Ecclesiastica eruditionis arcana. Hinc persuasus adiunxi Appendicem.

APPENDIX
Ad sacrosanctum Concilium Ephesinum.

ACTIO I.

AD primam Actionem, factam post decimum tertium Theodosij secundi & tertium Consulatum Valentiniani tertij Augustorum, anno Domini quadringentesimo trigesimo secundo, Celestini Pontificis quinto, decimo Calendas Julias, in Deiparæ Virginis Ecclesia Primatiali, loqui cæpit Petrus Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyter ac Notariorum Primicerius: Omnia huc usque inter Nestorium ac sanctum Cyrillum Acta & Disputata, eorum ad Romanam Ecclesiam & Celestinum Pontificem ultrò citròque querelas ac legationes, nec non Celestini de illis judicium exposuit, ideòque literas judicium istud continentes postulavit Legi.

Verùm Juvenalis Hierosolymæ Episcopus intercessit: *Legatur*

primùm Christianißimorum nostrorum Imperatorum Edictum ad omnes Metropolitanos, rebusq; quas nunc tractare incipimus, veluti fax quædam præluceat. Erant sacræ literæ Episcoporum ad Synodum tractoriæ, in prima hujus Synodi parte existentes cum hac subnotatione: *Lecta sunt hæc publicè, & relata inter Acta, quæ gesta sunt Ephesi à sancta & generali Synodo, propter impium Nestorium congregata.* Eas legit laudatus Petrus. Romanum Imperium summoperè olim venerata est Ecclesia ex caussis varijs, ideòque Divales Augustorum, dummodò sacris Ecclesiæ Canonibus essent conformes, & illos dumtaxàt exequerentur, ante dogmaticas Romani Pontificis literas in generalibus Synodis permisit legi.

Hìnc Firmus Cæsaræ in Cappadocia Archi-Episcopus, Ponticæ Diœceseos Primas, est locutus: *Reverendißimus Ephesinæ civitatis Episcopus Memnon nobis exponat, quot elapsi iam sint dies post nostrum in hanc civitatem adventum.* In sanctum Pentecostes Festum, diem septimum Junij, fuerat convocata Synodus; verùm ob adfectatas Joannis Patriarchæ Antiocheni moras huc usque dilata. Hìnc Memnon reposuit: *A præfinita die in pijs & religiosis* Augustorum Principum *literis præterierunt sexdecim dies.*

Exindè sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, sancti Celestini Pontificis Legatus & Vicarius Synodi Præses, edixit Joannem jam abundè exspectatum, Episcoporum multos infirmari, ex tædio quosdam jam discessisse, ideòque Nestorianarum quæstionum examen tandem inchoandum. Et addidit: *Chartulæ illæ, quæ ad præsens institutum faciunt, ordine recitentur, maximè verò cùm alterum iam Christianißimorum nostrorum Imperatorum Decretum, per Candidianum illustrem Domesticorum Comitem prælectum, severè iubeat, ut quæ ad fidei quæstionem spectant discutiantur, & citrà omnem cunctationem definiantur.* Ex quo lucet non solam tractoriam fuisse lectam, sed & sacras Divales ad Synodum literas, quarum Epigraphe: *Sacra ad sanctam Synodum missa per Candidianum Comitem Domesticorum, cui servandi ordinis cura demandata erat.* De hac, nequaquam de tractoria dictum fuit à Juvenali Hierosolymæ Episcopo: *Veluti fax quædam præluceat.* Neque enim tractoria, sed sola Divalis Sacra Synodo præscribebat gerendorum ordinem, ideòque sola tamquam fax poterat prælucere. Et ità patet tam Acta synodalia, quàm Juvenalis interlocutionem esse hìc mutila & manca.

Suppleri debent ex Candidiani Comitis apud Joannem Patriarcham Antiochenum querimonia: *Optabam equidem, Pietate tuâ coràm constituta, totâq; Synodo in unum simul coacta, Divinorum nostrorum Im-*

peratorum literas exhibere, ut omnia, quæ ab ipsis mandata sunt executioni mandarentur. Cæterùm cùm ante quinque proximos hosce dies reverendissimus Episcopus Cyrillus, & Memnon huius civitatis Episcopus, & qui cum ipsis sunt reverendissimi Episcopi, in Ecclesia convenissent, à me prohibiti sunt, ne contra Dominorum nostrorum & piissimorum Imperatorum Decreta consessum inter se facerent, atque moniti ut omnium vestrum exspectarent adventum; illi autem ut Sacram prælegerem efflagitârunt. Cùm verò id recusarem propter Sanctitatis tuæ absentiam, quodq; multi prætereà Episcopi & Metropolitæ necdùm advenissent, coëgerunt me illi, se ignorare adserentes quid à Dominis nostris præceptum esset. Metu ergò coactus, ne turbæ cuiuspiam aut seditionis occasionem præberem, ipsis congregatis Sacram legi. Verumtamen etiam decessurus & præsens ipsos contestatus sum, ne præceps aliquid agerent, quemadmodùm multi sanctissimi Episcopi, qui unà mecum ad ipsos introierant, compertum habent. Illi verò contestationem eam nihil morati, omnia pro suo arbitratu egerunt.

Pergit Candidianus: *Lectâ Sacrâ, omnes applauserunt, ità ut non dubitarem, quin verè omnibus, quæ à piissimis Imperatoribus nostris sancita fuerant, morem essent gesturi: Et eam ob rem gaudio perfundebar. Verùm cùm posteà rogarem, ut literis parerent omnes, nullus audire me sustinere voluit. Sed & religiosissimos Episcopos, quos sanctissimus Nestorius miserat, cæterosque qui comites ei adiuncti fuerant, non absque ignominia exegerunt. Me quoque, cum precibus obnoxiùs instarem, veluti cui cum ipsorum placitis nihil commune esset, è suo consessu expulerunt. Sed neque Admonitorium, quod religiosissimi Episcopi ad ipsos destinârant, legi permiserunt: Quemadmodùm sanctissimi Episcopi norunt, quibus mecum hisce interesse contigit, qui testantur etiam quæ à me convenienter gesta fuerunt. De his autem omnibus orbis terræ Dominos certiores fecimus, significantes Sanctitatis tuæ, sanctissimorumq; Episcoporum, qui tecum sunt, adventum nos exspectare.*

Quod ipse Domesticorum Comes, Principis in Synodo Vicarius ac Legatus, directricem Synodi Sacram legat, est res inaudita. Quis inferior Imperij minister legere consuevit. Episcoporum discordiæ debemus hanc novitatem. Sanctum Cyrillum Synodo præsidere oderat pessimè omnis secta Nestoriana, ideòque coactam ab illo primam Actionem ingressus est cum aliquot Nestorianis Episcopis Comes Candidianus, adseverans sine Principis Sacra non posse inchoari Synodum, & de omnium agendorum, utpotè sacris mandatis adversaturorum, nullitate protestatus. Verùm Principis mandata à se ignorari allegârunt omnes Episcopi, & addisci non posse nisi ex Sacra, ideòque postulârunt atque impetrârunt legi. Ità astutum Candidianum, qui suspensa Sacræ lectione sperârat suspendere & Synodum, in

ejus ipsius astutia ceperunt. Etenim Sacra mox post lapsum Pentecostes diem mandabat sine mora discuti ante omnia ac definiri fidei orthodoxæ negotium, & Candidianum, utpotè hominem laicum, soli paci & ordini servandis attentum, illi nullatenùs misceri. Hinc licèt ille Sacram nec alteri legendam, nec Actis inserendam vellet tradere, proclamans ad Joannis Antiocheni adventum, procedendum censuerunt Primates Episcopi, & processerunt. Indignatus ille exivit cum Episcopis Nestorianis, & quia protestatus exivit, ubique ebuccinavit se fuisse Synodo expulsum, Nestorianæ factionis Admonitorium seu protestatio legi ad Synodum certè non merebatur.

Sanctus itàque Cyrillus ex Comitis Candidiani & asseclarum Episcoporum insolentia judicavit abundè patere Nestorij contumaciam, ideòque non citandum ulteriùs, sed ex Sacræ Præscripto inchoandum fidei examen, & ante omnia legendas chartas præsenti scopo necessarias. Verùm Theodotus Ancyræ Episcopus, primæ Galatiæ Metropolita, intercessit: *Schedorum lectio suo tempore servetur, nunc verò curandum est, ut piissimus Nestorius synodicis Actu præstò sit, ut ea, quæ ad religionem pertinent, communi omnium sententiâ & consensu constituantur.* Cum calumniosis hominibus agi nôrat Theodotus, ideòque nullum voluit prætermitti juris apicem, contumacem & turbulentum Nestorium citari juxtà Canones, & anteà nihil literarum legi, nihil discuti quæstionis, nihil definiri. Quod consilium placuit & Synodo, & sancto etiam Cyrillo.

Hesterno die per Hermogenem Rhinocururæ in Ægypto, Athanasium Paraliæ in Pisidia, Petrum Parembolorum, & Paulum Lampæ in Creta Episcopos citatus fuerat in diem hodiernum Nestorius, responderatque: *Mecum deliberabo, & si quidem venire me oportuerit, veniam.* Aderant ipsi & sex aut septem alij Episcopi, itidem dicentes: *Deliberabimus, & si quidem ità visum fuerit, crastinâ die accedemus.* Ex quo vides primam Synodi Actionem fuisse heri indictam.

Verùm nullus Nestorius aut Nestorianus comparuit. Hinc ad quatuor laudatorum Episcoporum de facta citatione attestationem respondit Flavianus Archi-Episcopus Philippensis: *Abeant rursùs alij nonnulli ex religiosissimis Episcopis, qui Nestorium denuò adesse, nec non ad sanctam Synodum accedere moneant.* Et missi sunt Theodulus Helusæ in Palestina, Anderius Cherronesi in Creta, ac Theopemptus Cabasorum in Ægypto Episcopus, unàque Epaphroditus Lector ac Notarius Hellanici Rhodiorum Metropolitæ, cum syngrapha seu scripto citationis instrumento, per dictum Notarium ad Nestorij faciem legendo.

Rei successum audiamus à Theopempto regresso ad Synodum: *A sancta & magna hac Synodo ad religiosissimum Nestorium destinati in domum eius venimus. Et videntes multitudinem militum cum fustibus, nostrum adventum ei indicari rogavimus. Illi autem, ne id fieret, impediebant, dicentes seorsim non nihil quiescere, seque, ne quemquam omnino conveniendi illius caussa intromitterent, iussos esse.* Post multa Episcopi isti hoc solum à Florentio Tribuno, Candidiani Comitis assecla, & quodam Nestorij Clerico, impetravêre responsum: *Mihi Nestorium videre non licuit, per alios tamen significavit, cum omnes simul Episcopi convenerint, tum se quoque adfuturum.* Ad Joannis Antiocheni adventum provocavit. Quibus omnibus etiam Theodulus & Anderius Episcopi sunt attestati.

Hinc Canones sequens Flavianus Philippensis decerni voluit tertiam citationem. Et missi sunt Anysius Thebarum in Hellade, Domnus ibidem Opuntis, Joannes Ephæsti in Augustanica Ægypti Provincia, Daniël Darnensis in Lybia Pentapolitana Episcopus, nec non Anysius Firmi Cæsareensis in Cappadocia Archi-Episcopi Lector & Notarius, cum anagnostico seu patentali citationis scripto instrumento. At nihil profecerunt. Repererunt & ipsi domum Nestorij vallatam milite, à quo dudùm præstolantes ne sub umbra quidem consistere permissi sunt, immò & insolenter ac impudenter hìnc indè trusi, nec loci tantillùm consecuti, ubi pedem figerent. Et tandem dixêre milites, *nullum aliud responsum eos ablaturos, etiamsi ad vesperam usque in domus vestibulo immorarentur; & ea de caussa se vestibulo adhibitos custodes, illudq́, à Nestorio in mandatu accepisse, ne ullum omninò, qui à Synodo missus esset, ad ipsum ingredi permittant.*

Obstupuit sancta Synodus. Decreverat illum honorare etiam quartâ supererogatoriâ citatione; verùm quod milite stipatus non faceret sui copiam, edixit læsæ per ipsum fidei examen tandem inchoandum. Et Juvenalis Hierosolymæ Episcopus ante omnia postulavit legi Symbolum Nicenum, cum illo ut infallibili regulâ conferri & Nestorij & sancti Cyrilli Dicta & Scripta, & ex isto de hisce judicari. Mox ipsum legit Petrus Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyter & Notariorum Primicerius, manu tenens ac legi item postulans secundam sancti Cyrilli ad Nestorium Epistolam, quam & legit ad interlocutionem Acacij Melitinensis Episcopi, per secundam Armeniam Metropolitæ. Et de lecta Synodum rogavit S. Cyrillus: *Sanctitatem vestrã rogatam cupio, ut coram exponat, rectène & inculpatè, sanctoq́, Niceno Concilio convenienter scripserim hæc, an secùs.* Omnes Patres proprio suffragio judicârunt conformem per omnia, & ut fidei regulam susceperunt.

Flavianus Philippensium Archi-Episcopus habuit duo suffragia: Al-

Alterum pro se, alterum pro Ruso Thessalonicensium Metropolita, & omnibus Episcopis Illyricianis, quorum erat Vicarius & Legatus. Et tamen Gregorius Cerazuntis Episcopus, licèt Eleusij Neo-Cæsareensis Episcopi, sui per Pontum Polemoniacum Metropolitæ Vicarius & Legatus, habuit dumtaxàt unicum: Nescio aliam caussam, nisi Ecclesiæ Thessalonicensis ob Apostolicas per omne Illyricum vices dignitatem. Eadem de caussa Flavianus Rufum vocat suum Patrem. Plures, licèt alterius Diœceseos, Episcopi ità vocant & sanctum Cyrillum: Quod nempe Romani Pontificis Vicarius Synodo præsideret. Saidas Phænis in Palestina salutari Episcopus sese confirmat suffragio Archi-Episcopi sui Iuvenalis: Quem honorem suo Metropolitæ deferunt frequenter in Synodis generalibus Provinciales Episcopi, ac suo item Patriarchæ. Cur bis suffragium dixerit, ignoro. Forsàn sit error ejus, qui digessit Acta synodalia. Prothymius Comanensis Episcopus profitetur se in ea fide baptizatum, adolevisse, ordinatum, & Sacerdotij dignitate insignitum: Ex quo liquet Episcopatui ac alijs Ecclesiasticis gradibus præmissam etiam olim fuisse fidei professionem.

Post hæc Palladius Amasenus Episcopus, Helenoponti Metropolita, est interlocutus: *Consequens est, ut & reverendissimi Nestorij Epistola legatur, cuius religiosissimus Presbyter Petrus initio mentionem fecit, ut hinc intelligamus, num & illa quoque sanctorum Patrum Nicenorum expositioni consentiat.* Acta synodalia aiunt à Petro Presbytero factam fuisse mentionem de sola sancti Cyrilli Epistola: Quare & hìc sunt decurtata. Porrò Petrus mox legit secundam Nestorij ad sanctum Cyrillum Epistolam, cui Actorum synodalium Digestor meritò adposuit hanc Epigraphen: *Exemplar Epistolæ Nestorij ad Cyrillum Episcopum, quæ omnibus in sancta Synodo displicuit.* Etenim de ipsa lecta roganti sancto Cyrillo, *Quid videtur sanctæ huic & magnæ Synodo de Epistola modò recitata, numquid hæc ipsa quoque fidei à sancta Nicenorum Patrum Synodo exposita consentanea est, an verò secùs*, singuli proprio suffragio Episcopi responderunt esse impiam, hæreticam, monstrosam, fidei Christianæ capitaliter inimicam, anathemate & omni apud Deum & homines pœnâ dignam.

Acacij Melitinensis Episcopi suffragium eleganter expressit singulas Epistolæ ineptias. Primò, quod humanæ infirmitatis idiomata, *Natus, passus, crucifixus, mortuus*, quæ Deo Verbo palàm adscribit Nicena fides, Epistola adscribat puro homini. Secundò, quod Divinæ Scripturæ imponat mendacium, dicens eadem idiomata per ipsam non Deo, sed soli homini adsignari. Tertiò, quod sancti Cyrilli Scriptis impo-

imponat impietatem Apollinarij ac Eunomij, blasphemantium ipsam Dei Verbi Deitatem esse passibilem. Quartò, quod fidei dogma garriat jam priùs à se esse illustratum: Quasi verò usque ad Nestorij apostasiam veritas latuisset. Ea est omnium hæresiarcharum vetusta cæcitas & superbia, quam in Marcione Tertullianus, nos hodie ridemus in Luthero & Calvino. Hìnc intulit Acacius non esse mirum, quod domum suam milite vallasset, & Synodum accedere timeret Nestorius, utpotè sciens quantas & quales blasphemias in Christianum dogma vomuisset.

Dictis suffragijs adclamârunt voce unâ omnes Episcopi: *Quicumque Nestorium non anathematizat, anathema sit. Hunc recta fides anathematizat: Hunc sancta Synodus anathematizat. Quicumque Nestorio communicat, anathema sit. Omnes Nestorij Epistolam & dogmata anathematizamus. Omnes hæreticum Nestorium anathematizamus. Omnes eos, qui cum Nestorio communicant, anathematizamus. Totus terrarum orbis impiam Nestorij religionem anathematizat.*

Facto silentio, dixit Juvenalis Hierosolymæ Episcopus: *Legantur & literæ sanctißimi & reverendißimi Celestini Romanæ Ecclesiæ ArchiEpiscopi, quas de fide perscripsit.* Et statim Petrus Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyter ac Notariorum Primicerius legit primam laudati Pontificis ad Nestorium Epistolam, quâ damnavit ejus exegeses, ac ipsi Ecclesiasticâ communione privato, nisi intrà decem dies resipiscens placaret scandalizatam profanis erroribus Ecclesiam, minatus fuerat perpetuam degradationem & spolium nominis Christiani. Actorum synodalium Digestor illi adposuit hanc subnotationem: *Hæc Epistola à Synodo Ephesina lecta est post depositiones contra Nestorij Epistolam factas, quæ & relata est in commentarios.* Lecta fuit post memoratas Cyrilli & Nestorij Epistolas, quod de illis judicaret, ideòque ipsarum notitiam omninò prærequireret.

Exindè laudatus Petrus etiam tertiam sancti Cyrilli ad Nestorium Epistolam, utique famosissimam & à tota Ægyptiacæ diœceseos Synodo probatam duodecim Capitulorum Epistolam; postulavit legi, à Flaviano Philippensium Metropolita jussus legit, atque addidit: *Non ea solùm, quæ Celestinus sacratißimus Romanæ Ecclesiæ Episcopus ad reverendißimum Nestorium scripserat, missa & tradita sunt eidem. verùm ea etiam, quæ sanctißimus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus Cyrillus & universa Ægypti Synodus per Theopemptum, Danielem, Potamonem, & Macarium, religiosißimos Episcopos, ad eundem destinaverant. Quamobrem rogo, ut Theopemptus* Cabasorum, *& Daniel* Darnensis *Episcopi, hic præsentes ea de re interrogentur.* Nestorio dura infligebat, ac duriora mi-

minabatur utraque Epistola, proindèque de utriusque traditione meritò oportebat Synodum certiorari.

Quare mox à laudato Flaviano evocatus Theopemptus est in hæc verba attestatus: *Die Dominico, cum synaxis ageretur, ad Episcopale palatium adscendimus, ibidemque toto præsente Clero, multisq; ex illustribus adstantibus, literas, de quibus sermo est, Nestorio tradidimus. Quibus acceptis, constituit nobis ut sequenti die reverteremur, sermonemq; cum eo haberemus. Abivimus ergo. At postero die reversos non admisit, neque quidem satisfecit literis, sed publicè pro concione eadem quæ antè, & his deteriora dogmata proposuit, & usque hodie docere non desinit.* Daniel Episcopus est eadem contestatus. Nota Episcopo Constantinopolitano fuisse palatium & Capellam palatinam, ubi Dominicis diebus cum primate Clero & illustri nobilitate agebat synaxim, quomodò etiam hodie agit Episcopus Romanorum. Perperàm igitur id à quibusdam typhi ac fastus notatur.

Posteriora Theopempti verba, *Et usque hodie docere non desinit*, discussa volens Fidus Joppensis Episcopus est interlocutus: *In suâne doctrinâ etiamnùm ad præsens tempus persistat Nestorius, id piißimi Episcopi Acacius* Melitinensis, secundæ Armeniæ Metropolita, *& Dominus Theodotus* Ancyranus, Metropolita primæ Galatiæ, *qui coram adsunt, & non sine alicuius ex ipsis periculo cum eo disseruerunt, optimè nobis explicare poterunt. Hos proinde obnixè rogamus, & per sacrosancta Evangelia hic proposita obsecramus, ut in præsentium Actorum fidem & confirmationem nobis exponant, quidnam ante proximum hoc triduum ex ipso Nestorio audiverint.* Uterque iste Metropolita erat Nestorio amicissimus, & ut proprio Patriarchæ quasi subjectus. Uti enim Thracicam & Asiaticam, ità & Ponticam, in qua Galatia & Armenia, diœcesin sibi subjugare ex tunc cœperant Episcopi Constantinopolitani. Hìnc istorum alter per Nestorij argutias nutasse videtur ac titubasse, ideòque dicit de ipso Fidus: *Non absque alicuius ex ipsis periculo.* Erat accusatio gravissima, atque ideò sanctus Cyrillus utrumque Metropolitam suprema sua synodalis Præsidis auctoritate ad juratam attestationem coëgit. Contrà amicum, licèt compulsi, tamen deposuerunt, & quidem blasphemias nimiùm horrendas, superiùs in dissertatione adductas. Et hìnc vides ad sancta Evangelia juramentum esse in Ecclesia vetustissimum, & in fidei caussa fuisse etiam ab Episcopis exactum. Amicorum Metropolitarum jurata testimonia pro authenticis accepit synodus, perrexitque Flavianus Metropolita Philippensis: *Consequens est, ut beatorum Patrum nostrorum sententiæ, ad præsens institutum facientes, in medium proferantur, prolatæque & lecta in Acta referantur.*

Ete-

Etenim generales Synodi nova non revelant, sed Prophetica & Evangelica dogmata partim ex sacris literis, partim elucidant ex sanctis Ecclesiæ Patribus, utpotè fidis Spiritus sancti Scriniarijs, & firmis custodibus Apostolicarum traditionum, seu arcani istius Depositi, de quo ad Timotheum Apostolus: *Depositum custodi.* Hinc igitur Petrus Presbyter legit testimonia sancti Petri Episcopi & Martyris Alexandrini, ejus successoris sancti Athanasij, sancti Iulij Romani Pontificis, ejus successoris Felicis secundi, Theophili Patriarchæ Alexandrini, sancti Cypriani, sancti Ambrosij, sancti Gregorij Nazianzeni, sancti Basilij magni, sancti Gregorij Nysseni, Attici Episcopi Constantinopolitani, & sancti Amphilochij Metropolitæ Iconiensis. Ubi nota Julij Pontificis Epistolas, de quibus postmodùm litigari cæptum, fuisse ab hac Synodo in Canonem receptas. Eas esse ab Apollinario Laodicensi confictas probare multis conatur in libro de Cap. 8.
Sectis Leontius Byzantinus. Est quæstio longa.

Etiam varia ex Nestorij Scriptis deflorata loca legit laudatus Petrus, blasphemijs plenissima, in quibus impudenter ille adfirmabat *neminem ex Doctoribus, qui ante illum exstiterunt, ea populis locutum, quæ ipse locutus est.* Ità sese Filium sine Patre, tyronem sine magistro, novumque in Ecclesia dogmatisten, id est, manifestum hæreticum est palàm professus. Et hinc adversùs ulteriorem lectionem Flavianus Philippensis intercessit: *Quandoquidẽ horrenda & blasphema sint Nestorij Dicta, neq; aures nostræ hisce ampliùs inquinari ferunt, blasphema illius voces ad perpetuam auctoris accusationẽ & notam singulatim Actuinserantur.*

Exinde Capreoli Carthaginensis Archi-Episcopi dogmaticas literas, per Bessulam ejusdem Diaconum & totius Africanæ diœceseos Vicarium ac Legatum ad Synodum missas, legit idem Petrus, & de lectis sanctus Cyrillus pronunciavit: *Hæc reverendissimi piissimique Carthaginis Episcopi Capreoli Epistola, cùm dilucidam in se sententiam contineat, fidei Gestorum inseratur. Vult enim antiqua fidei dogmata confirmari, nova verò & absurdè excogitata, & impiè divulgata reprobari & proscribi.* Res semel ab Ecclesia definitas nec à generali Synodo retractari posse ostendit eleganter Epistola, ideòque sancto Cyrillo Episcopi omnes acclamârunt: *Hæ omnium voces, hæc omnes asserimus, hoc omnium est votum.* Exponit Epistola meram sancti Augustini de Dominicæ Incarnationis Sacramento doctrinam, de qua ejus hostis, utpotè homo Semi-Pelagianus, Faustus Regensis Episcopus in literis ad nescio quem Gregorium Nestorianum: *In Scriptis sancti Pontificis Augustini etiamsi quid* in Divinæ gratiæ materia *putatur apud viros doctissimos esse suspectum, ex his, quæ damnanda iudicasti, nihil noveris reprehensum,*

sum, sed fidei sensum, maximè de duabus substantijs vel naturis Dei & hominis, Domini & Redemptoris nostri, scito apud Catholicam non solùm Patrum auctoritate susceptum, sed etiam Apostolicis oraculis consecratum.

Et hìnc tot attestationibus de Nestorij contumacia ac blasphemo dogmate certificata, nec non per sacros Canones & sancti Patris sui Celestini Pontificis literas compulsa Synodus ipsum degradavit, laudati Pontificis sententias ex Synodorum generalium more confirmans. Et insigni tum sermone Deiparam Virginem prædicârunt sanctus Cyrillus & Rheginus Cypriorum Metropolita Constantiensis. Facta item est, sed sequenti die, sententiæ insinuatio ac publicatio, Relatio ad Principes, divulgatioque per omnes Ecclesiæ Diœceses. Eamdem sanctus Cyrillus nec non & ipsa Synodus ad Constantinopolitanum ac Alexandrinum Clerum & populum, monachorumque in Ægypto Patres, alij ad alios transcripserunt. Ecclesiæ Constantinopolitanæ Oeconomis, ne ejus bona diripienda Nestorio permitterent, est specialiter demandatum. Quas omnes Epistolas Actorum synodalium Digestor adjunxit. A solis ortu usque ad noctem duravit Actio, cujus gloriosum cum processione exitum suprà audivimus à sancto Cyrillo. Ad Ecclesiæ valvas adfixam, & à Candidiano Comite refixam sententiam quomodò per compita ebuccinari jusserit Synodus, suprà est abundè dictum.

Actio schismatica Ioannis Patriarchæ Antiocheni.

IOannes Patriarcha Antiochenus Synodi locum, civitatem Ephesinam intravit hostili animo, uti nuper Constantinopolitanam Theophilus Patriarcha Alexandrinus, de quo ad sanctum Pontificem Innocentium primum scribit sanctus Joannes Chrysostomus: *Theophilus collectâ multitudine Episcoporum non paucorum huc venit, quo præludio quasi declarare volebat se ad bellum & aciem pergere. Cùmque in magnam urbem Constantinopolim ingressus esset, juxta consuetudinem & constitutionem hactenùs observatam non intravit in Ecclesiam, neque ad nos accessit, neque participem se fecit vel sermonis, vel precum, vel communionis, sed egressus è navi, & prætercursis Ecclesiæ vestibulis, alicubi extra urbem diversatus est, tametsi nos plurimùm obsecraremus & ipsum, & eos qui ante ipsum advenerant, ut apud nos diverterent. Erant enim diversoria, & omnia alia, quæ oportebat, benè instructa. At neque illi, neq; ille nobis morē gerebant.* Hæc omnia fraternæ charitatis & honoris officia etiam Joanni Patriarchæ impenderunt sanctus Cyrillus & Memnon Ephesiorum Episcopus; ast ille est Theophilum imitatus. Hìnc interim disci-

discimus advenas Episcopos fuisse olim primùm ad Ecclesiam deductos, & in Episcopali palatio hospitatos.

Joannes igitur ex itinere adhuc pulverulentus mox in suo diversorio fecit schismaticum conventiculum, & Comitis Candidiani adversùs primæ Actionis gesta mendacijs auditis edixit: *Legantur & nobis pia literæ.* Sacram Divalem spretam, sese expulsum, ac suâ & multorum Episcoporum protestatione non attentâ vanam Synodi speciem fuisse à Cyrillo attentatam questus fuerat Candidianus, ideòque quasi novam Synodum inchoaturus Joannes jussit sibi ante omnia Sacram directricem legi. *Sanctißimis autem Episcopis*, inquit pseudo actorum Digestor, *consurgentibus, magnificentißimus Comes Candidianus legit.* Ad Sacræ lectionem surrexisse ac stetisse Episcopos, res est inaudita: Ad exequendas suas pro Nestorio adversùs Deum machinas violenta laici Principis & Comitis manu egebat Joannes Patriarcha, ideòque isto peccatoris oleo, synodalis majestatis oblitus, utriusque caput perfudit.

Lectam Sacram faustissimis acclamationibus honorârunt Episcopi, ac in ejus prævaricatores graviter invectus est Joannes, eam ad amussim servare professus, & de damnato Nestorio Candidianum percunctatus: *Convictumne, an verò indicta caussa virum condemnârunt?* Ad quæ Candidianus: *Sine ullo prorsùs examine, & absque aliquo iudicio hac ab illis constituta sunt.* Ubi rectè Scholiastes marginalis: *Impudentißimè hic mentitur Candidianus.* Liquet id abundè ex huc usque dictis.

Mendacium mendacio addidit Joannes Patriarcha: *Sanè etiam illa, quæ in nostra præsentia gesserunt, his maximè fuerunt consentanea. Cùm enim oportuisset, ut illos, qui è tam longinqua peregrinatione iam tum recèns advenerant, fraternè complecterentur, pulvereque adhuc conspersos benignè & comiter exciperent, ac refocillarent fraterno adfectu, tumultuario impetu statim ad nos perturbandos irruerunt, consuetamque insolentiam & immodestiam apertis indicijs declarârunt. Verumtamen sancta Synodus, quæ mecum aderat, nec aures his adhibuit. Ea quoque in ipsos statuet quæ in eos decerni par erit, qui adeò illegitimè tyrannicèque omnia conturbârunt.* Ad quæ etiam rectè Scholiastes marginalis: *Falsa quoque est hæc expostulatio.* Quod enim advectum Joannem summo honore & modestiâ excipiendum curârit sanctus Cyrillus, ac ille ipsi & ipsius ac totius Synodi Legatis effrænes contumelias reddiderit, est suprà ostensum.

Post suas de orthodoxa Synodo mendaces querimonias Pseudo-Synodo exivit Comes Candidianus: Quod nempe non de fide solùm, sed primùm de regularibus sancti Cyrilli & Memnonis Ephesi-

 ni

ni Episcopi criminibus examen & judicium, cui laici adesse non poterant, agere Joannes vellet, Sacram Divalem, tot exceptam encomijs & plausibus, de cujus prævaricatione uti crimine capitalissimo arguebat Synodum, patenter prævaricatus: Primùm enim de fide definiri, deinde de criminalibus aut civilibus personarum caussis illa mandabat.

Egresso itàque Candidiano, Sacræ prævaricator Joannes suos Nestorianos Collegas est de eadem percunctatus: *Quid vestra Pietas in eos statuendum censet, qui literas adeò pias tam indignis modis contempserunt?* Et illi, qui Judices huc usque simulârant, Cyrillum & Memnonem cœperunt de multis accusare. Primò, quod sibi ante Joannis adventum, in ipso etiam sanctæ Pentecostes Festo, clausissent omnes sanctorum Martyrum ædes, ipsamque omnibus semper patere consuetam sancti Joannis Evangelistæ Basilicam, ideòque festivitatem istam sine Christiana Synaxi transire fuissent compulsi. Secundò, quod armatâ Asiaticorum rusticorum & Ægyptiorum nautarum confusâ catervâ ad hæc exequenda fuissent usi, atque ità & civitatem & venerabile istud Festum insigni rerum omnium tempestate fœdassent. Tertiò, quod addictos Nestorio Episcopos minis ac terroribus, synodali gravitati ac libertati adversis, conati essent factioni suæ adjungere. Quartò, quod Divales Principis literas prævaricati sprevissent. Quintò, quod duodecim Capitula, Arij, Eunomij, atque Apollinarij blasphemijs plena, composuisset Cyrillus, eaque & ipse & Memnon ubique, etiam per Regiam civitatem, disseminassent, ac etiamnùm disseminarent. Sextò, quod dictas violentias ad defendenda eadem capitula, & impediendum synodale de ipsis judicium concitassent. Septimò, quod horum malorum dux Cyrillus, Memnon esset satelles, ideòque ambos ut hæreseon & factionum Principes perpetuâ & irreparabili degradatione plecti ex antiquo Ecclesiæ Canone & more, ab illis autem circumscriptos aut seductos Episcopos subdi pœnitentiæ postulârunt.

Joannes latas à Synodo in tribus citationibus contumacem Nestorium sententias culpabat uti attentatas in hominem inauditum, & ecce sui immemor Cyrillum, Memnonem, & omnem legitimam Synodum ne citavit quidem, & tamen in ipsos pronunciavit: *Tu Cyrille Alexandrine, & tu Memnon hujus civitatis Episcope, scitote vos depositos esse, & ab Episcopatu alienos, ut qui caussa fuistis, ut Patrum Canones conculcarentur, & Imperatorum Decreta contemnerentur, omniaque confusione & turbis miscerentur, ac totius sceleris auctores & duces extitistis. At vos reliqui omnes, qui seditiosè & iniquè contra Ecclesiasticas sanctiones,*

Re-

Regiaque Decreta agentibus consensistis, anathemati subiacete, donec agnita culpa vestra resipiscatis, fidemque à sanctis Patribus in Nicena civitate congregatis expositam suscipiatis, nihil illi extraneum aut peregrinum adtexentes; Capita praeterea haeretica à Cyrillo Alexandrino exposita, quae & Evangelicae & Apostolicae doctrinae apertè repugnant, anathematizetis. Hæc est illa infælix sententia, quâ Joannes, vir aliàs eruditus & probus, cæco Nestorij amore circumscriptus, in sanctum Cyrillum Alexandriæ Patriarcham, sese majorem, & quidem per Apostolicæ Sedis vices generalis Synodi Præsidem, omnesque ipsi synodaliter adjunctos Episcopos, latrare non erubuit degradationis & excommunicationis convicium, & apud omnem posteritatem hocce abominabili facinore reddere sese pessimè famosum. Et quia Ephesi nulla ipsi patebat Ecclesia, sententiam in suo diversorio concepit, publicavit autem fixam ad amphitheatri parietes: Uterque locus facinori congruebat. Subscripsêre Episcopi quadraginta tres, superiùs depicti.

ACTIO II.

Actioni secundæ, factæ eodem anno, sexto Idus Julias, in Episcopali palatio, præsederunt sanctus Cyrillus, Arcadius & Projectus nescio quarum in Italia Ecclesiarum Episcopi, nec non Philippus ad sanctos Apostolos Romæ Presbyter Cardinalis, Celestini Pontificis unà cum Cyrillo Vicarij & Legati. Omnes Ephesiorum Basilicas clauserat, aut milite stipârat, & Ephesinum Clerum ac populum ad novi Episcopi electionem urgebat Comes Candidianus, ideòque in Episcopales ædes Actio hæc fuit coacta. Verbi ostium aperuit laudatus Philippus: *Gratias agimus sanctae & adorandae Trinitati, quod nos humiles sancto vestro conventui dignata est. Dudùm quidem sanctissimus, beatissimusque Papa noster Celestinus, Sedis Apostolicae Episcopus, per suas Epistolas ad Cyrillum sanctum virum, ac piissimum Ecclesiae Alexandrinae Episcopum, de praesenti hac caussa & negotio definivit, quae litera sacro vestro catui sunt exhibita. Et nunc aliàs rursùm ad corroborationem fidei Catholicae ad vestram omnium Pietatem per nos misit literas, quas à nobis exhibitas decenter sanctae Synodo iubete legi, ac inter Ecclesiasticos commentarios referri.* Quod ipsum Projectus & Arcadius Episcopi postulârunt, & sanctus Cyrillus confirmavit.

Sacras Augustorum Principum ad generalia Concilia jussiones directrices dudùm quidem toleravit Romana Ecclesia, semper tamen excutere est conata: Dogmaticas ac definitivas sui Pontificis de mota quæstione literas esse voluit Synodi facem & regulam, aliudque à

Syno-

Synodo non fieri, quam illas omnium Episcoporum suffragio comprobari. Et jure merito Omne enim hujus Synodi scandalum è sacris jussionibus fuit enatum. Palmare crimen, sancto Cyrillo & ejus in Nestorium synodali judicio impositum à Joanne Antiocheno Patriarcha, erat prævaricatio Sacræ Divalis, ipsamque ad Juvenalis Hierosolymitani Episcopi interlocutionem etiam sanctus Cyrillus in Synodi legem admiserat, ante dogmaticas Sedis Apostolicæ literas jussam recitari. Hoc damnant & in Cyrillo notant Legati Romani, ipsumque correcturi voluere jam adductas à sese Româ literas esse omnium deinceps agendorum duces, & solas recitari.

Eas à Siricio Romanæ Ecclesiæ Notario latinè recitatas probavit, & in Acta referendas censuit, errorem priorem corrigens, dictus Juvenalis; verùm omnes Græcorum Episcopi intercesserunt, postulantes *ut literæ græcè redderentur*, & ità quoque *recitarentur*. Erat postulatio æqua, ideòque Philippus Legatus reposuit: *Veteri consuetudini satisfactum est, ut Apostolicæ Sedis literæ latinè imprimis legantur. Nunc verò quoniam Beatitudo vestra efflagitat, ut græcè etiam legantur, necessarium est ut Sanctitatis vestræ desiderio satisfiat. Faciendum curavimus ut Romana oratio in græcam convertatur.* Arcadius & Projectus Episcopi Legati dedere caussam: *Quia sanctorum fratrum Episcopòrum non pauci sunt, qui latinè nesciunt, propterea allata Epistolæ græcè quoque est reddita, & si jusseritis legetur.* Eam ad Flaviani Philippensis Metropolitæ interlocutionem legit Petrus Alexandriæ Presbyter ac Primicerius Notariorum.

Paternas traditiones ac Divinum Christiani dogmatis depositum eleganter commendat Epistola, & concludit: *Direximus pro nostra sollicitudine sanctos Fratres & Consacerdotes nostros, unanimes nobis & probatissimos viros, Arcadium & Proiectum Episcopos, & Philippum Presbyterum nostrum, qui ijs quæ aguntur intersint, & quæ à nobis anteà statuta sunt exequantur. Quibus præstandum à vestra Sanctitate non dubitamus adsensum, quando id quod agitur videatur pro universalis Ecclesiæ securitate decretum.* Et omnes simul Episcopi adclamârunt: *Novo Paulo Celestino, Novo Paulo Cyrillo, Celestino custodi fidei, Celestino cum Synodo concordi, Celestino universa Synodus agit gratias. Unus Celestinus, unus Cyrillus, una fides Synodi, una fides orbis terrarum.* Profitentur palmare generalis Synodi officium esse dogmaticas Romani Episcopi literas probare, eisque adnexa exequi mandata.

Placuit hoc Legatis, ideòque Arcadius Episcopus suum & Collegarum adventum tardum ex adversa maris tempestate & navigationis incerto excusans egit Synodo gratias de tanta in Romanam fidem

dem & Ecclesiam pietate, & addidit: *Vestram Beatitudinem rogatam cupimus, ut quæ à vestra Sanctitate decreta sunt, ea nobis exponi iubeatis.* Utique disquirenda, num consonent dogmaticis literis novi Pauli Celestini. Etiam de factis adclamationibus gratias egit Philippus Presbyter Romanus, utpotè non tam Celestino Pontifici, quàm sancto Petro totius fidei & Apostolorum capiti impensis, & perrexit: *Rogamus ut ea patefieri nobis mandetis, quæ ante adventum nostrum in sancta hac Synodo acta sunt, quò iuxtà beati Papæ nostri, præsentisq; huius sancti cætus sententiam nos quoque confirmemus.* Peractam Synodi Sessionem, datasque in Nestorium sententias confirmare nolunt, nisi priùs dogmaticis Celestini literis & mandatis videant conformes, ideòque sibi omnia referri postulant & ex integro recitari. Esse conformes reposuit Theodotus Ancyræ Metropolita, & adjunxit: *Quoniam iustâ ratione permota vestra Beatitudo ex ipsis Actorum commentarijs intelligere quæsivit de Nestorij depositione iustam sententiam, sanctæque Synodi zelum & consensum in fide, quam pijssimus & sanctissimus Episcopus Celestinus magnâ voce deprædicat, vestra Reverentia planè certòque cognoscet tum è plenâ fide, quam nos facimus, tum è reliquis, quæ præsenti adduntur Actioni.*

Actorum synodalium Digestor adnexuit duas alias Celestini Pontificis Epistolas missas per eosdem Legatos. Prima est ad Theodosium Augustum, orthodoxam fidem uti Romani Imperij unicam tutelam ex animo commendans, rogansque ut his, qui Divinæ Majestatis potentiam in humanæ disputationis rationem arctare contendunt, nulla tribuatur facultas Divinæ inhumanationis Sacramentum, unicam humani generis spem, dialecticis hæreticæ versutiæ sophismatibus arietandi. Etenim Divinam, unius præsertim sine altera personæ, incarnationem esse impossibilem seductus à vanis suarum cogitationum subtilitatibus Nestorius delirabat. Decem dies illi à Celestino Pontifice ad resipiscendum præfixi jam pridem ante inchoatam Synodum exspirârant, ideòque Apostolicam degradationis sententiam ille incurrerat, & erat omninò degradatus: Ad generalem enim Synodum interposita appellatio Romanam sententiam devolvere ut summum potuit, apud veraciter orthodoxos nunquam suspendit. Hinc futurus Synodi Præses sanctus Cyrillus, an Nestorium uti degradatum tractari istic oporteret, proindeque, licet pænitens rediret ad mentem, nunquam reparari in gradum Episcopalem, ab Apostolica Sede efflagitârat. Huic dubio respondet secunda Epistola: Suprà edixi ejus sensum. Neutra fuit lecta aut Actis inserta: Quod utriusque utilitas jam transijsset. Contumax adversùs Syno-

dum Nestorius nec disputare volebat, longè minùs resipiscere aut pœnitere.

ACTIO III.

IN tertia Actione, facta quintò Idus Julias, ad Romanos Legatos loqui cæpit Juvenalis Hierosolymæ Episcopus: *Hesterno die vestra Pietas postulavit, ut commentarij acti in depositione Nestorij heretici legerentur, idque consequenter sancta Synodus præcepit. Sanctitas igitur vestra docere dignetur, num legerit ac perceperit vim eorum.* Acta igitur heri non fuerant lecta, sed Legatis tradita, legenda privatim ac discutienda. Et hoc demonstrant hesterna Theodoti Ancyrani ad ipsos verba: *Tum è reliquis, quæ præsenti adduntur Actioni.* Reposuit verò Philippus Presbyter Romanus ac Legatus: *Ex Actorum lectione cognovimus quæ in Nestorium constituta sunt in sancto vestro Concilio. In quibus commentarijs intelleximus omnia canonicè & ex Ecclesiastica disciplina iudicata esse. Ac nunc quoque petimus à Corona vestra, quamvis supervacaneum seu non necessarium sit, ut quæ in vestra Synodo lecta sunt, rursùm nobis etiam eadem legantur, ut obtemperantes formulæ sanctissimi Papæ Celestini, qui hanc curam nobis commisit, vestræ etiam Sanctitatis iudicia confirmare possimus.* Quod ipsum petierunt Projectus & Arcadius Episcopi, atque ità primam Actionem integrè ac solenniter legit Petrus Presbyter Alexandrinus ac Primicerius Notariorum.

Legatis Romanis admodùm placuerunt hæc datæ in Nestorium sententiæ verba: *Coacti per sacros Canones & Epistolam sanctissimi Patris nostri & Comministri Celestini.* Ostendunt à generalibus Synodis nihil posse fieri, nisi ex mandato Apostolicæ Sedis. Palmare generalis Synodi officium est Romani Episcopi de mota quæstione suffragium, per literas ac Legatos transmissum, confirmare, & in executionem ducere. Hinc adjunxit Philippus Presbyter Legatus: *Nulli dubium, immò sæculis omnibus notum est, quod sanctus Petrus Apostolorum Princeps & caput, fideique columna & Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, à Domino nostro Iesu Christo claves regni cælestis accepit, qui ad usque tempus & semper in suis Successoribus vivit, & iudicium exercet.* Damnandi Nestorij & stabiliendæ fidei potestatem adfirmat Synodo à Celestino Pontifice fuisse. Synodum hanc, quod illi *Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ Sacerdotes vel per se vel certè per suos Legatos interfuerint*, ait esse verè œcumenicam, ideòque ejus omnia in Nestorium judicata amplissimè confirmat. Etiam datum illi elogium *Novi Iudæ.* Ei enim adscribit sortem illius, de quo scriptum est: *Episcopatum eius accipiat alter.* Confirmârunt etiam Arcadius & Projectus, addentes: *Secuti*

for-

formam Celestini sanctissimi Papæ, qui nos dignatus est huius negotij executores suos mittere.

Acta sua tam solenniter à Romanis Legatis probari & stabiliri gavisus plurimùm est sanctus Cyrillus, ideòque illos rogavit, ut eisdem ad perpetuam firmitatem dignarentur subscribere. Et subscripserunt. Et quoniam Comes Candidianus & Joannes Patriarcha Antiochenus pessimis adversùs sanctum Cyrillum & ejus in Nestorium Acta mendacijs inquietabant Principis aures, Palatium, Regiam civitatem, ac omnes Orientis præsertim Ecclesias, novâ Relatione Principem instruxit hæc Actio, adseverans Cyrillum nihil auctoritate suâ, sed omnia per Apostolicas Celestini vices egisse in Nestorium, Apostolicam illius in hunc sententiam dumtaxàt confirmasse & fuisse executum. Addidit dubitari non posse de constanter perseveranti mente Pontificis, utpotè cujus tres novi Legati cum confirmantibus literis ac mandatis advenerint, omniaque in Nestorium Acta plenissimè confirmârint. In hæc omnia consentire dicit omnem orbem Christianum, *exceptis paucis qui Nestorij amicitiam pietate potiorem ducunt.* Hosce supplicavit compesci, sua Decreta cum executorijs literis publicanda mitti ad Prætoriorum & Provinciarum Præfectos, sacris pro Nestorio jussionibus non vexari Ecclesiam, sibi fieri licentiam novi Episcopi Constantinopolitani ordinandi, & sic ad propria redeundi. Regiæ namque civitatis Episcopum sine sua licentia eligi aut consecrari Græcorum Augusti vix unquam permisere. Eamque consuetudinem fuisse pro ipsorum reverentia toleratam à Romana Ecclesia audivimus alibi ex sancto Pontifice Nicolao primo. Etiam è celebratis in Oriente generalibus Synodis sine Principis licentia recedere Episcopi olim non potuerunt. Quâ violentiâ Constantius Augustus fuit usus & in Synodum Ariminensem. Similis Relatio facta est ad Clerum & populum Constantinopolitanum, pro futura novi Episcopi electione mandans fundi publicas preces, addensque tantæ suæ pro ista Ecclesia solicitudinis caussam: *Si Regia civitas piè gubernata fuerit, cetera quoque omnes Ecclesiæ sanctæ Dei commodum hinc reportabunt.*

Quæstio est, Quomodò Philippus Romanæ Ecclesiæ Presbyter ac Legatus passim loquatur & subscribat ante Arcadium & Projectum Episcopos, etiam Legatos? Neque enim illo tempore Cardinales Romanorum Presbyteri Episcopos præcedebant. Quidam existimant Acta synodalia esse vitiata & confusa in statum Ecclesiæ præsentem. Etenim Celestinus Pontifex ab ipsis discordat in suis ad Synodum & Principem literis, ultimo semper loco nominans Philippum.

Quod ipsum frequenter faciunt sanctus Cyrillus, ac variæ synodales Relationes. Alij volunt Philippum Sedis Apostolicæ, Arcadium & Projectum Romanæ Patriarchalis Synodi fuisse Legatos, ideòque hos non solùm post Philippum, sed etiam post Juvenalem Hierosolymæ Patriarcham sedisse & subscripsisse. Arcadius semel, Projectus aliquoties post Juvenalem subscripsit. Ità etiam in sexta Synodo Agathonis Papæ ante, Romanæ Synodi Legatio post Patriarchas ac Primates subscripsit. Et hisce favet sancti Cyrilli de præsentibus Legatis interlocutio: *Supplentes locum Sedis Apostolicæ, totiusque Synodi sanctißimorum Occidentalium Episcoporum.* Verùm obest synodalis ad Principes Relatio, aiens de omnibus tribus: *Celestini sanctißimi Episcopi locum supplent.* Et hìnc video rem esse perplexam. Facilè crediderim subscriptionis ordinem esse à quopiam sciolo interpolatum. Etenim Arcadius semel ante, semel post Juvena'em subscribit, ac non solùm post illos, sed etiam post Projectum & Flavianum Philippensem ipse Philippus.

ACTIO IV.

Actionem qnartam, decimo septimo Calendas Augusti celebratam, alloqui cæpit Hesychius Diaconus: *Cyrillus per omnia sacratißimus Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopus, & sanctißimus Memnon Ephesiorum Episcopus sanctißimæ ac œcumenicæ Synodo libellum exhibuerunt, quem, si vestra Sanctitas iusserit, recitabimus.* Ipsum ad Juvenalis Hierosolymitani Episcopi interlocutionem idem Hesychius legit. Libellus habet tria. Primò, synodalis in Nestorium manifestè hæreticum ac trinæ citationi contumacem datæ sententiæ justitiam acriter commendat. Secundò, Joannis Antiocheni, nullam per Canones aut Imperiale Rescriptum potestatem habentis, solis triginta schismaticis aut degradatis Episcopis adsociati, & nihilominùs Cyrillum ac Memnonem, omnemque cum illis generalem Synodum, & quidem nec auditos nec citatos, damnare ausi, audaciam ac insolentiam graviter exaggerat. Tertiò, supplicat Joannem ac ejus in hac tragædia socios citari ad Synodum, reddituros suæ temeritatis rationes. Et quoniam justus confidit ut Leo, & Cyrillus & Memnon adseverant sese sibimetipsis in hac caussa non defuturos. Ex verbis,
L. 4. c. 3. n. 3. *Nullam per Canones aut Imperiale Rescriptum habentis potestatem*, D. Petrus de Marca Archi-Episcopus Parisiensis in opere de Sacerdotij ac Imperij concordia infert Augustis Principibus olim fuisse morem criminales Episcoporum caussas delegandi peregrinis alterius diœceseos

ſeos Epiſcopis, idque etiam in Synodo generali, ac iſtud probari hìc à Memnone ac ſancto Cyrillo. Fateor morem illum olim fuiſſe; at Canonibus adverſum, & in nulla unquam generali Synodo, niſi in ſolo Epheſino latrocinio viſum atque damnatum. Quem abſit hìc probari à Memnone aut ſancto Cyrillo. Aiunt Joanni Patriarchæ nullam fuiſſe in ſe aut per Canones poteſtatem, aut per Imperiale Reſcriptum poteſtatis fucum, quem ſolum à Principe conferri poſſe ſuo loco oſtendetur.

Quomodò ab Acacio Berrhæenſi Epiſcopo inductus Theodoſius Auguſtus omnem primam Actionem, adverſas utriuſque partis ſententias, & Neſtorij & Cyrilli ac Memnonis Epheſini damnationem miſſis per Joannem ſacrarum largitionum Comitem Divalibus literis confirmârit, eſt ſuprà oſtenſum. Poſt advectas ac publicatas iſtas literas fuit celebrata hæc Actio, atque ità ipſis obediens Cyrillus è Præſidis cathedra deſcendit in degradati rei humilem locum, & directæ per ſolos Romanos Legatos Synodo obtulit unà cum Memnone jam dictum libellum. Acacius Melitinenſis Epiſcopus repoſuit Joannis Antiocheni, hominis palàm ab œcumenica Synodo ſchiſmatici, & damnati Neſtorij hæreticâ communione polluti, in Cyrillum ac Memnonem, autocephalæ diœceſis Primates Epiſcopos, geſta non fuiſſe Sacerdotale ac ſynodale Judicium, ſed attentatum impotentis animi convicium, adeòque nullis hìc opus eſſe libellis, nullo retractationis ſtrepitu, nullâ abſolutione. Quod judicium Synodus eſt omninò ſecuta. Et hìnc Actorum ſynodalium Digeſtor ſcripſit Cyrillum huic etiam Actioni præſediſſe. Ius, non factum attendit. Quin & Joannem Antiochenum per Archelaum Myndenſem in Caria, Paulum Lampenſem in Creta, & Petrum Parembolarum in Paleſtina Epiſcopos ad judicium & dandas temeritatis rationes Synodus evocavit.

At ille Neſtorium imitatus domum ſuam armato milite cinxit, à quo malè excepti Epiſcopi ſine reſponſo redierunt. Hìnc ſecundam citationem fieri inſtitit Cyrillus, & ipſi ac unà Romanis Legatis caput oleo peccatoris perfundens Juvenalis Hieroſolymæ Epiſcopus edixit poſtulationem eſſe juſtiſſimam, quod Synodo adeſſent & Hieroſolymitana & Romana Eccleſia, apud quas Antiochena ex Apoſtolico Canone fuit ſemper judicata. Ad Antiochenam Hieroſolymitanæ ſubdendam, & ejus nobiliores provincias in ſuum Patriarchicum jus tranſcribendas partim occaſione temporis, partim mendacio viam ſtravit homo verſatilis. At ejus nugamentis nemo reſpondit. Miſſa verò eſt ſecunda citatio per Timotheum Termeſi & Eudocia-

 dis,

dis, Eustatium Docimij, & Eudoxium Chomatis in Lycia Episcopum, quibus etiam Joannem videre non licuit, sed ab ejus inter milites Clericis improperatum: *Nos hominibus per nos depositis & excommunicatis responsum nullum damus.*

Quare tertiam quoque ex synodali more citationem fieri efflagitârunt Cyrillus ac Memnon, addens plerosque Joannis in patrato facinore ac præsenti contumaciâ asseclas esse homines hæreticos, degradatos, aut degradari dignos. Ità & ex priorum Actorum tabulis, & ex præsenti contumacia Synodus vidit Ioannis in Cyrillum & Memnonem attentata ex animi impotentia processisse, ritè tamen Canonum viâ gradi volens decrevit omnia referenda Principi, Ioanni faciendam tertiam citationem, & tunc pronunciandum in contumacem.

ACTIO V.

A quinta Actione, facta decimo sexto Calendas Augusti in Ecclesia Metropolitana, sanctus Cyrillus ursit Ioanni Antiocheno mitti tertiam citationem ac peremptoriam, graviter querens se ab illo fuisse, idque per sententiam publicè adfixam, traductum de Arij, Eunomij, ac Apollinarij erroribus, virum qui à prima ætate sacras literas in monasterio didicerit, in sanctorum ac orthodoxorum Patrum manibus & disciplina educatus. Loquitur adversùm Ioannis Antiocheni calumnias, qui illum in Relatione ad Principem scripserat natum & educatum ad perniciem Ecclesiarum. Et adversùm quotidiana Candidiani & Irenæi Comitum mendacia & falsas ad Principem Relationes addidit: *Sanctitati vestræ summoperè curæ esse debet, ne pia Principum aures per fallaciam capiantur.* Erant justissimæ preces, ideòque missa mox fuit tertia citatio per Danielem Coloniensem in secunda Cappadocia, Commodum Tripolitanum in Lydia, ac Timotheum Termensem in Hellesponto Episcopum, quibus adjunctus Muzonius Notarius, citationem lecturus.

Per viam offenderunt Asphalium Ecclesiæ Antiochenæ Presbyterum, ejusdem Ecclesiæ negotia curare consuetum Constantinopoli, virum bonum, de quo ad Synodum Daniel Episcopus: *Hic ad ædes, in quibus pijssimus Episcopus Ioannes commoratur, propiùs nos adduxit, nobisque coniunctus irruentes prohibebat. Caterùm militibus gratias agimus. Hi enim, cùm pijssimum Episcopum Commodum agnoscerent, eò quod in illius civitate sint constituti, omnes Clericos, qui in nos impetum faciebant, represserunt.* Episcoporum interim adventum Ioanni Patriarchæ nuntiavit Asphalius Presbyter, quos ille videre nolens misit suum Archi-Diaconum,

num, fædum homuncionem suprà descriptum, cum nescio qua scheda & hisce verbis: *Sacra Synodus hanc ad vos mittit, ut eam accipiatis.* Sese non ad schedas accipiendas, sed ad pacifica Synodi mandata intimanda missos adserentibus Episcopis consultus per eumdem Nanum Ioannes reddidit: *Neque vos ad nos mittatis, neque nos quidquam ad vos mittemus, siquidem posteaquam Decreta nostra semel ad Imperatorem detulimus, quid opus sit facto ut ipse nobis præscribat, exspectamus.* Ità miserabilis Patriarcha, *cùm Palatij caussæ transferantur ad Ecclesiam, Ecclesiæ caussam ad Palatium transferebat.* Quod etiam in laico Principe reprehendit meritò Facundus Hermianensis. Episcopis audiri saltem rogantibus reposuit Homuncio: *Vos schedam respuistis, ego Synodi verba non ausculto.* L. 12. c. 4.

Quæ omnia audiens à regressis Episcopis, & à Memnone ac sancto Cyrillo justitiam expostulata sancta Synodus in Ioannem ac triginta quatuor, quos inter Theodoretus Cyrensis, illi cooperatos Episcopos pronunciavit: *Ab Ecclesiastica communione alieni sint, nullam habentes facultatem tamquam ex auctoritate Sacerdotali, quâ aliquibus vel detrimentum vel adiumentum adferre queant, donec seipsos condemnantes proprium delictum confiteantur, id interim pro certo habemus, nisi celeriter hoc præstiterint, fore ut perfectam* degradationis *sententiam iuxta Canonum decreta incurrant. Quin & illud quoque certò constat, nempe quæ iam ante illegitimè contra Canones & contumeliosè contra Cyrillum & Memnonem sanctißimos Episcopos & Ecclesiæ Præsides machinati sunt, ea nullam firmitatem habere, quemadmodùm & hesternâ die satis declaratum est.*

Hæc est illa sententia, adversùs quam acerrimè apud Principem questa est schismatica Ioannis factio, & conclusit: *Si Memnonis & Cyrilli depositio à nobis facta valida non fuisset, nec libellos exhiberi, nec depositos absolvi oportebat; sin autem ea exauthoratio verè iusta legitimaq; fuit, horum,* utique Episcoporum eos absolventium, *quoque excommunicatio iusta validaque existet.* Ab eisdem enim hæc & illa manarat. Non solummodò Cyrillum ac Memnona degradârat, sed & omnem illis communicantem Synodum excommunicârat Ioannes, ideòque hanc illius sententiam arguit contradictionis: Utpotè quę Cyrilli & Memnonis degradationem, simulque suam uno ejusdem potestatis ictu inflictam excommunicationem debuerit aut validam ducere aut invalidam, atque ità excommunicata degradatos non potuerit, aut sana sanos non debuerit reparare. At sententiam factio non intellexit. Nequaquam enim Synodus absolvit aut sanavit, sed sanos dumtaxàt declaravit Cyrillum & Memnonem, secuta judicium Acacij Episcopi Melitinensis. Frivola item fuit alia Ioannis exceptio, quâ suam F. 449.

P. 452. paucorum Episcoporum factionem gloriatus est, nullo pacto cum imperita Asiaticorum & Ægyptiorum turba conferendam.

Addidit sententia: *Quæ acta sunt, omnia ad pyssimorum Imperatorum aures referantur, ut Divinæ aures cognoscant ea, quæ sunt consecuta.* Ità secundæ Cyrilli ac Memnonis postulationi satisfecit. Et mox facta est Relatio ad Theodosium & Valentinianum Augustos, adleverans hæc in Cyrillum & Memnonem attentata processisse à solis triginta Nestorio adhærentibus Episcopis, *quorum alij iam pridem depositi, alij etiam pravæ Celestij doctrinæ sectatores, quidam etiam, ut qui cum Nestorio sentiant, anathemati subditi erant.* Hisce ait ducem & caput fuisse Ioannem, ejus temeritates & contumaciam exponit, atque concludit: *Quæ temerè variéq; fuerant nugati, & contra omnem Canonum ordinem adversùs Cyrillum & Memnonem scripto mandaverant, ea irrita & prorsùs vana esse iudicavimus. Etenim iudicium, quod lege & iustitiâ ex nulla parte nititur, aliud nihil est nisi merum convicium.*

Facta item est Relatio ad Celestinum Pontificem, de qua scholion marginale: *Exemplum Epistolæ scripta à sancta Synodo ad Celestinum urbis Romæ Archi-Episcopum, quâ ea omnia explicantur, quæ in ipsa sancta & magna Ephesina Synodo gesta sunt.* Relatio ad Principes exponit sola pro Memnone & Cyrillo adversùs Ioannis factionem gesta, quod nempe prima Actio jam pridem sua omnia illis retulisset. Etiam ad Papam Relatio habet de Ioannis attentato: *Ludicra scripta abrogavimus, invalidaq; ac prorsùs infirma pronunciavimus. Nihil enim erant aliud, quàm mera contumelia.* Et edicit caussam: *Quod sedibus minoribus in maiores nulla sit potestas.* Ex sexto Canone Niceno. Adfirmat Ioannem & ejus asseclas fuisse degradatione dignos, & addit: *Verùm hoc Pietatis tuæ iudicio reservavimus.* Romani Pontificis suprà se ac omnes Patriarchas plenam potestatem profitetur, & concludit: *Perlectis commentarijs Actorum in depositione impiorum Pelagianorum & Celestianorum, Celestij, Pelagij, Iuliani, Persidij, Flori, Marcellini, Orentij, & eadem cum illis sentientium, quæ à Pietate tua de ipsis decreta & constituta sunt, iudicavimus & nos solida firmaque permanere debere, & idem omnes tecum statuimus, eos pro depositis habentes.* Ex quo patet Pelagianam hæresin fuisse in hac Actione discussam ac damnatam. Ista sub Celestino adversùm ipsos Acta aut latent aut perierunt, grandi Christianæ eruditionis damno. Hâc item Actione suas de subtrahendis Antiocheno Patriarchatui Provincijs nugas proposuit Juvenalis Hierosolymæ Episcopus, à sancto Cyrillo in Ioannem offenso sperans auxilium.

ACTIO VI.

A Sexta & postrema Actione, facta undecimò Calendas Augusti, in Ecclesia Metropolitana Petrus Alexandriæ Presbyter petijt licentiam legendi ac publicandi factam à Synodo de fide definitionem. Et legit Symbolum Nicenum cum hac appendice: *Huic sanctæ fidei omnes consentire convenit. Continet enim pietatem, & quæ sufficiant ad totius orbis utilitatem. Quoniam verò aliqui simulant quidem eam se profiteri, eique consentire, malè autem interpretantur sensuum veritatem, sicut eis placet, & circumveniunt veritatem, existentes filij erroris ac perditionis, opus fuit ex sanctis & orthodoxis Patribus comparare testimonia, quæ satisfacere valeant, quemadmodùm intellexerint eam, & prædicare confisi sint, ut palàm sit quia omnes rectam & immaculatam habentes fidem sic intelligunt & interpretantur, & prædicant eam.* Et ad Flaviani Philippensis Episcopi interlocutionem idem Petrus legit omnia Patrum testimonia lecta superiùs in prima Actione.

Ad Nicenam fidem adsiduè provocârat Nestorius, adseverans ab ea nihil dictum de sancta Virgine, *nisi quia Dominus noster Iesus Christus incarnatus est ex Spiritu sancto & Maria Virgine.* Ob istam fidem gravia sibi ab Apollinarij resuscitatoribus moveri certamina, effutire non erubuit in literis ad Pontificem Celestinum. Hìnc nostra Synodus aliam fidei definitionem, longè magis aliud Symbolum noluit condere, volens sine fronte mendacem hominem confundere ex solo Niceno, de quo in literis ad Maximum Philosophum sanctus Athanasius: *Sufficit exterere omnes impias hæreses, & præcipuè Arianam, quæ in Verbum Dei blasphemias dicit.* Ubi sub Ariana hæresi sanctus Athanasius comprehendit omninò & Nestorianam, tot annis ante natum Nestorium. Etenim & in ista ad Maximum, & in proximè præcedenti ad Adelphium Episcopum & Confessorem Epistola Arianam perfidiam dicit fuisse divisam in factiones varias, quarum una Dominum nostrum Jesum Christum à Deo Verbo diviserit, cum Paulo Samosatensi garriens esse hominem purum. Hasce propositiones, *Christus est infans, puer, crescit, esurit, patitur, crucifigitur, moritur,* professa admisit; at verò ista infirmitatis idiomata Deo Verbo adscribere tanquam blasphemias est detestata. Et hæc est ipsissima hæresis Nestoriana. *Ne quis,* inquit in literis ad dictum Maximum laudatus Athanasius, *irrideat verba, dum audit puerum, ætatem, incrementum, edere, liberè pati.* Nam audit hæc non solùm de voce *Christus*, sed & de voce *Deus Verbum* prædicari. Et infrà: *Hæc breviter ex tuis mutuatus sum, & nihil ad*

L.1. Conc. Ephes. c. 16

ea de meo adiectum volens solummodò Divinæ Crucis mentionem feci, ut quibus scandalizati sunt fastuosi, istis ipsis in diversum instituti Crucifixum adorarent. Ex quo vides ab Arianis blasphematam fuisse hanc præsertim propositionem: *Deus Verbum est crucifixus.* Quocircà primus duræ de hac propositione, *Unus è sancta Trinitate est crucifixus*, contentionis fons est Paulus Samosatensis, de quo idem Athanasius in libello adversùs ipsum: *Dei ex fœmina procreationem irrisui habent increduli, eamdem carnis esse, non Deitatis garriunt. Sacrosanctam quoque Crucem cavillis proscribunt ut Ethnici.* Ejus ipsissima, quibus postmodùm & Nestorius fuit usus, dialectica sophismata producit Athanasius in Oratione de unico Domino Christo. Malum igitur à Paulo per Arianos in Nestorium cucurrit, atque ità rectè ex sancto Athanasio credidit ac definivit nostra Synodus Nestorianam blasphemiam abundè convinci & damnari ex solo Niceno Symbolo, palàm profitente istum ipsum, qui est Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, genitus, non factus, consubstantialis Patri, propter nos homines & propter nostram salutem descendisse, esse incarnatum, hominem factum, passum, mortuum, sub Pontio Pilato crucifixum. Passum & crucifixum, non in Deitate, sed in adsumpta ad propriam hypostasin carne, uti in locis longè plurimis sanctus Athanasius contra Arianos ostendit. Nisi videres contra Arianos loqui Athanasium, loqui credas sanctum Cyrillum adversùs Nestorianos. Loquitur ex suo Antecessore sancto Dyonisio, scribente adversùs Paulum Samosatensem: *Qui ex Deo est ante sæcula genitus, ipse extremis temporibus ex matre natus est. Idcircò Deicidæ sunt Iudæi, quia Dominum gloriæ crucifixerunt.* Hæc est propositio, adversùs quam in libro quæ-
Q. 10. stionum laudato Dyonisio propositarum Paulus excepit: *Quæ à vobis scripta sunt, Deum habent crucifixum, & coëternum Patri.* Eamdemque in suo ad quæstiones Rescripto Dyonisius eximiè defendit. Ex quo rursùm vides omnem hanc impietatem à Paulo Samosatensi ad Arianos, ab his ad Nestorium profluxisse. Quin immò primus mali fons sunt impij Judæi, existimantes Dominum nostrum fuisse purum hominem, ideòque illius infantiam, passionem, mortem, & alia humanæ infirmitatis solennia prædicantes Apostoli statim subnectebant: *Hic auctor est vitæ*, aut *Dominus gloriæ*, uti in Epistola de sancti Dyonisij adversùm Arianos sensu laudatus Athanasius insigniter demonstrat. Rectè addit istum Paulum, rectè nostra Synodus dicit Nestorium abundè damnatum à Symbolo Niceno.

Rectè item ait nostra Synodus: *Quoniam verò aliqui simulant, &c.* Caussam in suis synodalibus, post Synodum Chalcedonensem ex-

ſtantibus, ad Leonem Auguſtum literis adducit Joannes Sebaſtenus Epiſcopus, Metropolita primæ Armeniæ, loquens de Chalcedonenſi fidei definitione: *Sunt quæ rectè intelligantur orthodoxa; ſunt verò aliqui, qui ſi ea aliter velint adſpicere, inveniant hæc ſenſus dubios patientia. Multi quidem & Divinas Scripturas non intelligentes ſicut ſcripta ſunt, propria blaſphemia dogmata genuerunt.* Nam & ipſe omnium Hæreticorum pater & dux diabolus ex Scripturis diſputavit, ipſi Domino noſtro Jeſu Chriſto conatus ſua phantaſmata perſuadere. Sacra Scriptura eſt ovina lana, quâ etiam lupus ſuam rabiem poſſit in ovinam manſuetudinem transfigurare. Niceni Symboli ſecundus articulus habet, *Credo in unum Dominum Ieſum Chriſtum*, ac dein utriuſque naturæ idiomata de ipſo profitetur. Doloſus Neſtorius ipſa non ultrò citròque de ſeſe mutuò, ſed dumtaxàt de ſola voce *Chriſtus* cenſuit prædicari à laudato Symbolo, atque ità blaterationes ſuas eſſe illi conformes. Hocce phantaſma damnat noſtra Synodus, oſtendens omnibus Eccleſiæ Patribus, Nicena Synodo prioribus ac poſterioribus, penitùs adversùm. Epiſt.48.

Eſt & alia ratio, ex qua propriam fidei definitionem condere noluit noſtra Synodus, contenta ſolo Symbolo Niceno. Legati Romani ſervatum voluere Canonem Sardicenſem, de quo in literis ad Antiochenam Eccleſiam ſanctus Athanaſius, mandans & ipſe ab Erronibus ad Eccleſiam accedentibus nullam exigi profeſſionem, niſi ſolius Symboli Niceni: *Tabulas, quas nonnulli iactant quaſi in Sardicenſi Synodo de fide conſcriptas, ne legi quidem ſemel aut proferri ſinatis. Nihil enim tale Concilium definivit. Quamvis enim certi homines nonnulla, quaſi quæ deeſſent Niceno Concilio, adſcribere vellent, idque acriter contenderent, ſancta tamen Synodus, quæ Sardicæ convenit, indignè id tulit, Decretoque ſancivit, ne quid ulteriùs de fide ſcriberetur, & ſeſe contentos eſſe Nicenâ fide declaraverunt, ut cui nihil deeſſet, & in qua integra & ſolida pietas contineretur: Neque edendam eſſe aliam profeſsionem fidei, ne illa, quæ Niceæ ſcripta eſt, ſuos numeros non habere videretur, neve illis, quibus libido eſt ſemper nova ſtatuere, occaſio huiuſmodi ſuppeditaretur, ut iterùm atque iterùm de fide definiant.* Ad hocce Decretum reſpexiſſe noſtram Synodum oſtendunt hæc ejus de Symbolo Niceno verba: *Continet pietatem, & quæ ſufficiant ad totius orbis utilitatem.* Adversùs profanum ac judaicum neſcio quorum Neſtorianorum Symbolum inſignem de nullo deinceps ad Nicenum faciendo vel unius vocis additamento Canonem parabat, ideòque non ſolo verbo, ſed & opere docere voluit, & ſolo iſto etiam adversùs Neſtorium eſſe contenta. Et ex hoc fundamento Eutyches & omnis Eutychiana factio bla-

blaterârunt additamenta, per Synodum Constantinopolitanam ad Symbolum Nicenum facta, esse per nostram Synodum damnata.

Exindè Petrus Alexandriæ Presbyter ac Notariorum Primicerius aliud negotium Synodo proposuit. Presbyter quidam, nomine Charisius, Philadelphiensis in Lydia Ecclesiæ Oeconomus, significârat quosdam in sua Provincia hæreticos Quartodecimanos, dum ad matrem Catholicam accedere existimant, in fædum magis errorem incidisse. Etenim Antonius quidam & Jacobus, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyteri sub Episcopo Nestorio, à suis ibidem Compresbyteris Anastasio & Photio detulerant literas commendatitias, unàque novum, profanum, judaicum, à Niceno nimis diversum Symbolum, omnem Quartodecimanum ad illius professionem compellentes.
L 7.c.29. Illustrat hæc Socrates dicens de Nestorio: *Quibus incommodis eos, qui Festum Paschatis ad decimum quartum diem mensis celebrant, in Asia, Lydia, & Caria affecerit, & quam multi Mileti & Sardis seditione propter eum conflata interierint, mihi omittendum arbitror.* Catholicæ fidei, at sine scientia & sale, zelum infuisse Nestorio, ostendunt ejus in Episcopum consecrati prima ad Theodosium Augustum verba: *Mihi, ô Imperator, terram Hæreticis purgatam tribue, & ego tibi cœlum retribuam; Tu mihi in profligandis Hæreticis subveni, & ego tibi in profligandis Persis subveniam.* Per Antonium Germensem in Hellesponto Episcopum Macedonianos, per quatuor memoratos Presbyteros persequi mox cæpit Novatianenses Quartodecimanos, in Asia, Caria, & Lydia admodùm frequentes. Anastasius Presbyter est ille ejus Antiochiâ conductus Syncellus, qui in Ecclesia Constantinopolitana primus præ-
Cap. 12. sumpsit vocem *Deipara* circumscribere & abolere. Photij meminit in literis ad Clerum Constantinopolitanum, in prima præsentis Synodi parte exstantibus, sanctus Cyrillus, aitque ab illo compositam & vulgatam quandam chartulam adversùs commentarium, quem ipse de Nestorij impietate ad monachos scripserat. Antonius & Jacobus, solo facinore noti, erant ex illis Clericis Constantinopolitanis, quos ibidem Cyrillus vocat *faces civitatis.*

Tres autocephalas diœceses ab Episcopis Constantinopolitanis, sancto præsertim Joanne Chrysostomo, invadi cæptas invadere & illarum sese Patriarcham ostentare perrexit etiam Nestorius. Hìnc in Asiam minorem, Cariam, & Lydiam, diœceseos Asiaticæ provincias, legavit Antonium & Jacobum Presbyteros, qui omnes istic Quartodecimanos aut ad Ecclesiam cogerent, aut de terra eliminarent. Rectæ fidei & delegatæ potestatis literas habebant ab Anastasio & Photio Presbyteris, Nestorij Patriarchæ Vicarijs & Syncellis; verùm

fa-

fabula sibi ipsi non cohærebat. Etenim Novatianum ejecturi prædicabant Nestorium, apertam Nestorij impietatem, unaque fœdissimum Symbolum, cui dum resistit Charisius Philadelphiensis Ecclesiæ Presbyter ac Oeconomus, est ab istis Pseudo-Apostolis, nec non à quibusdam per ipsos seductis Lydiæ Episcopis tamquam hæreticus communione & Clericali gradu privatus. Hìnc provocavit ad nostram Synodum, ejusque hæc omnia exponentem libellum Petrus Alexandriæ Presbyter ad Patres legit.

Legit & istud judaicum Symbolum, præter Nestorianam impietatem habens & hanc de Spiritu sancto blasphemiam: *Nec Filium illum putamus, neque per Filium substantiam sortitum.* Ipsum esse Theodori Mopsuestiensis Episcopi opus dixit Charisius; verùm ob rationes suprà adductas noluit sanctus Cyrillus istud disquirere aut definire. Ipsum Philadelphienses Quartodecimani in Theophanis Episcopi sui, Jacobi Chorepiscopi, & Charisij Oeconomi manibus fuerant professi, atque ità in Ecclesiam transcripti. Ubi nota Jacobum Chorepiscopum ab Eutychio Villæ Aulacis Principe seu Toparcha vocari simpliciter Episcopum, quod nempe Chorepiscopi consecratione non simplices Presbyteri, sed veri Episcopi essent. Et ad hasce Nestorij temeritates Synodus obstupuit, ediditque supra explanatum Canonem de nullo deinceps condendo novo Symbolo, nulloque ad Nicenum, à Constantinopolitana Synodo abundè auctum, faciendo vel unius voculæ additamento. Quid de Charisio & quatuor istis Nestorij Presbyteris actum sit, Acta synodalia manca non edicunt: Haud dubiùm ille fuit communioni & gradui restitutus.

APPENDIX
Ad Ephesinum Latrocinium.

Caput I.

Exponitur prima Constantinopolitana sancti Flaviani Patriarchæ adversùs Eutychetem Synodus.

Actio I.

Prima hujus Synodi Actio, facta Flavio Zenone & Posthumiano Consulibus, Christi Domini quadringentesimo quadragesimo octavo, Leonis Pontificis nono, Theodosij Augusti quadragesimo primo & Valentiniani tertij anno vigesimo tertio, sextò Idus No-

vembres, in Secretario Episcopij, tractavit nescio quam caussam Florentij Sardensis Episcopi, Lydorum Metropolitæ, adversùs Joannem Hircanorum & Cossinium Hiero-Cæsareensem ejus Episcopos Provinciales, Præsidem habuit sanctum Flavianum, adsidentes Episcopos triginta unum, Archi-Mandritas viginti duos. Istos inter fuit sanctus Seleucus Amasenus Episcopus, Helenoponti Metropolita, cujus admirandas eleemosynas, repletorum Divinitùs horreorum miraculis confirmatas, laudat Eustatius Presbyter in vita sancti Eutychij Patriarchæ Constantinopolitani. Florentius Metropolita non interfuit: Per Legatos Clericos misit suas actiones.

Datâ huic quæstioni formâ, exurgens ac semetipsum ex adsidente judice in accusatorem demutans Eusebius Doryleensis in Phrygia salutari Episcopus *Libellos sancto Concilio obtulit, conjurans eos relegi, & inseri monumentis Actorum.* Eos ad sancti Flaviani jussum legit Alterius Presbyter & Notarius Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Eutychetem Presbyterum ac Archi-Mandritam illi accusabant, quod inobseratum os & effrænem linguam habens adversùs Salvatorem omnium nostrum Christum blasphemare, & Patres, qui inter Sanctos connumerantur, hæreticos nominare non cessaret, etiam ipsum Eusebium, profitentem se esse ipsorum fidei sectatorem. Profitetur Eusebius sequi se fidem magnæ Nicenæ & nuperæ Ephesinæ Synodi, Sanctorumque Cyrilli, Athanasij, Gregorij Thaumaturgi, Gregorij Nazianzeni, Gregorij Nysseni, Attici & Procli, postulans citari Eutychetem, *paratus eum convincere falsò habere Catholicum nomen, & alienum omninò esse à recta fide*, ac præsentes Episcopos conjurans per sanctam Trinitatem, & per salutem Theodosij ac Valentiniani Augustorum.

Per Principis Genium aut fortunam jurare semper apud Christianos fuit species idololatriæ. Etenim sanctum Polycarpum Smyrnensem Episcopum & Martyrem, quod Asiæ Proconsuli mandanti, *Iura per Cæsaris fortunam*, obedire noluerit respondens, *Christianus sum*,
L.4.c.14. apud Eusebium Cæsareensem scribit ad Ponticam Ecclesia Smyrnensis. Etiam Judæos maluisse pati quidlibet, quam jurare per nomen Caij Imperatoris, ex Josepho Judæo laudat idem Eusebius. Et
Cap 28. Cap. 32. in libro Apologetico Tertullianus: *Citiùs apud vos* gentiles *per omnes Deos, quam per unum Genium Cæsaris peieratur.* Et exponit suæ doctrinæ caussam: *Sed & iuramus, sicut non per Genios Cæsarum, ità per salutem eorum, quæ est augustior omnibus Genijs. Nescitis Genios dæmones dici, & indè diminutivâ voce dæmonia? Nos iudicium Dei suspicimus in Imperatoribus, qui gentibus illos præfecit. Id in eis scimus esse, quod voluit*

Deus,

Deus, & pro magno id iuramento habemus. Caterùm dæmonas, id est, Genios adiurare consuevimus, ut illos de hominibus exigamus, non deierare, ut illis honorem Divinitatis conferamus. Principis & Genius & fortuna, quos quidam discernunt, quidam confundunt, erant dæmonia & Dij falsi, quos dejeratione honorare est omninò idololatria. Et Cajus Augustus non quovis modo per suum nomen, sed tamquam per Deum volebat jurari, ideòque sibi templa quoque erigi, & incendi thura: Etiam Asiæ Proconsul Principem à sancto Polycarpo volebat nominari Dominum & Deum. Et hinc apud Gentiles Romanos per Augustum aut per Jovem pejerare fuisse par læsæ Majestatis crimen testatur in primo Animalium libro Cornelius Tacitus. Eodem sensu Donatistas per suos Episcopos, præsertim Donatum magnum, jurare consuetos, gravissimè arguit, dicens eos à plebe pro Dijs haberi velle, sanctus Optatus Milevitanus. Africæ populum Donatus cum Christo Domino diviserat, suamque partem non à Christo Domino Christianos, sed à se Donatistas vocabat, istamque Divini honoris rapinam decepti populi juramento volebat firmari. Eundem in sensum hæc Domini apud sanctum Matthæum verba, *Ego dico vobis, non iurare omninò, neque per cœlum, neque per terram,* exponit sanctus Hieronymus: *Hanc per elementa iurandi pessimam consuetudinem semper habuere Iudæi, sicut Prophetalis eos frequenter arguit sermo. Per Angelos, per urbem Hierusalem, & templum, & elementa iurantes, creaturas resque carnales venerabantur honore & obsequio Dei.* Et hinc isto loco Dominus solummodò per creaturas, non autem per Deum vetat jurari. C.72.73.

At verò per Principis, licèt gentilis & impij, salutem jurare est antiqua observantia omnium justorum. Nam & Joseph Patriarcha juravit per salutem Pharaonis. Et pijssimus Comes ac Martyr Marcellinus in Collatione Carthaginensi dixit ad utriusque partis Episcopos: *Per admirabile mysterium Trinitatis, per Dominica Incarnationis Sacramentum, & per salutem* Honorij & Theodosij Augustorum *Principum iusta me iudicaturum esse promitto.* Et apud Hermiam Zozomenum eodem modo jurant Jovius Italiæ Hyparchus & cæteri Præfecti. Et in Ephesina Synodo omnes Philadelphienses Quarto Decimani laudantur in Episcopi sui manibus abjurasse hæresin per sacrosanctam Trinitatem, perque pietatem, victoriam, & salutem Imperatorum. Et in Lausiaca Palladij historia sancta Virgo & Martyr Potamiena, in ferventem lebetem mittenda, adjurat Paganum Judicem: *Per caput Imperatoris, quem tu times, ne iusseris me exui.* Et Histriæ Episcopos, ex trium Capitulorum schismate ad Ecclesiam redeuntes, L.1.c.5.

san-

L.10. Ep. 30. ſanctus Gregorius magnus jurare juſſit per Deum omnipotentem, quatuor ſancta Evangelia, & ſalutem Geniumque illuſtrium Dominorum Rempublicam gubernantium. Omitti debuerat vox, *Geniumque*, utpotè Pagani ac idololatrici juramenti ſignificativa, ideòque cum vocibus, *Dies Lunæ, dies Martis, Mehercle, Me-Caſtor*, aliiſque id genus variis etiam hodie nimiùm graſſantibus, ab omni ore Chriſtiano proſcribenda. Uti ex pravo ſæculi noſtri more nos etiam hodie Sacerdotes frequenter haſce voces ſine idololatria uſitamus, ità & iſtam Gregorius. Rectè Tertullianus iſtud apud nos eſſe dicit magnum juramentum. Ejus enim ſenſus, eſt: *Sic Deus adjuvet Domini Imperatoris victorias ac ſalutem.* Quare ſic pejerare erat vindices læſæ Divinæ Majeſtatis manus in Principis perſonam ac omnem Rempublicam devocare. Nihilominùs de Epiſcopis ſtatuit Synodus ſub Leonis quarti Pontificatu habita in Regia Ticinenſi: *Sit ſermo Epi-* Cap.4. *ſcopi, juxta Evangelium*, EST EST, NON NON. *Si quid enixiùs adfirmandum dura forſitan audientium mentes exigunt, mox potiùs Apoſtolico more interponat ſuæ locutioni*, DEUS SCIT, *aut* CORAM DEO, *quam* PER IMPERATORIS GRATIAM, *ſicuti ſeculo militantibus jurare celebre eſt, ſua dicta confirmet.*

Ad lectum Euſebii libellum attonitus ſanctus Flavianus repoſuit: *Stupefaciunt nos quæ lecta ſunt, eò quod talis ingeritur reprehenſio reverendiſſimo Presbytero & Archi-Mandritæ Eutychi. Tamen dignetur tua Reverentia convenire eum, & diſputare cum eo de recta fide, & ſi pro vero reperietur non rectè ſentiens, huc vocabitur in ſancto Concilio, & aderit ſibi.* Ob duo ſanctus Flavianus admirabatur: Primò, quoniam fama integerrimus fuerat huc uſque Eutyches; Secundò, quod Euſebio fuiſſet palàm ac inſigniter amicus. Hanc metamorphoſin admirabatur. Reddidit Euſebius: *Ego quidem amicus illi eram priùs; non ſemel autem nec ſecundò, ſed ſæpiùs conveni ad eum pro hac cauſſa, ex quo læſus eſt, & locutus ſum cum eo, & inveni eum non recta ſapere, & monui, & docui.* Dixit adfuiſſe multos teſtes, ideòque repetitâ adjuratione poſtulavit illum ſynodaliter citari. Grandes ex hac ſcintilla ignes & Eccleſiarum motus præſagienti, ideòque Erronem pacificis amici verbis vel adhuc ſemel conveniri rursùm poſtulanti Flaviano denuò reſpondit: *Impoſſibile eſt me jam, poſtquam perrexi frequenter & non perſuaſi, iterùm ad eum accedere, & verba blaſphema audire.* Eum citari voluit, *& inexaminatum tantum negotium non relinqui.* Quare miſſi ſunt Joannes Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Presbyter ac Defenſor, & Andræas Diaconus, qui Euſebii libellum ei legerent, & ad Synodum citarent. Miſſi ſunt Clerici: Antiquus enim Synodorum

Canon

Canon Episcopos per Episcopos, Clericos per Clericos, laicos per laicos mandat citari.

ACTIO II.

A Secunda Actione, facta pridie Idus Novembres, accusator Eusebius fieri postulavit futuri judicij præparamenta, legique ad quas adsiduè provocabat Eutyches, duas præsertim sancti Cyrilli Epistolas: Secundam ad Nestorium, lectam in prima Actione Concilij Ephesini, & Epistolam pacificatoriam ad Joannem Patriarcham ac ejus Synodum Antiochenam. Lectæ fuerunt. Et tunc ex ipsis se judicari velle Eusebius est solennissimè protestatus. Easdem, utpotè ab Ephesina Synodo, Romanaque & omnibus sub cœlo Ecclesijs probatas, etiam probârunt sanctus Flavianus & omnes ei adsidentes Episcopi, professi in Christo Domino esse omninò duas naturas & unam Hypostasim, seu unam Hypostasim ex duabus naturis.

Aderant soli decem & septem Episcopi, ideòque ad sanctum Flavianum Præsidem Eusebius: *Quoniam quidam reverendissimorum Episcoporum in hac Regia urbe degentium, aut propter infirmitatem, aut ignorantes convocationem sanctæ Synodi, non convenerunt, peto absentes per reverendissimum Presbyterum Asterium & per religiosissimos Diaconos & Notarios commoneri, quatenùs & ipsi agnoscentes quæ acta sunt, suam manifestam faciant voluntatem.* Erat æqua postulatio, ideòque huc usque Acta sanctus Flavianus misit absentibus Episcopis legenda, discutienda, probanda, subscribenda.

ACTIO III.

AB Actione tertia, facta quinto decimo die mensis Novembris, feriâ secundâ septimanæ, postulavit accusator Eusebius inchoari judicium, & ante omnia audiri Joannem Presbyterum & Andræam Diaconum, Eutychetis citatores. Et à sancto Flaviano advocatus Joannes exposuit rei seriem: *Cùm pervenissemus ad Eutychetem in eius monasterio, libellos ei legimus, & exemplaria ei dedimus, & accusatorem manifestavimus, & vocationem denunciavimus, & satisfactionem apud vestram Sanctitatem.* Romanæ Reipublicæ formam in suis criminalibus judicijs dudùm servavit Ecclesia, ideòque accusatorij libelli exemplaria data sunt Eutycheti, & patefactus accusator, quò nempe adversùs illum uti posset facultate exceptionum indultarum à sexto Canone Constantinopolitano. Verùm rea erat monachi conscientia, ideòque varia reposuit. Primò, *occurrere Synodo & satisfacere penitùs*

abnegavit, dicens se non exire monasterio, sed degere in ipso tamquam in sepulchro. Ea enim monachi mundo veraciter mortui est summa perfectio. Gyrovago per compita monacho nihil est perversius. Secùndò, Eutyches Eusebium Dorylæi Episcopum esse dixit sibi jam pridem inimicum, ideòque detrectationem ab illo, non Canonicam accusationem processisse. Tertiò, professus est Nicenæ & Ephesinæ Synodi Decretis, sanctorumque Patrum interpretationibus se acquiescere, attamen cum hoc moderamine: *Si contigit eos in aliquibus dictis falli aut errare, hoc neque reprehendere, neque subscribere, solas autem Scripturas scrutari, tamquam firmiores Patrum expositionibus.* Ità prodidit latentem in corde suo nequissimum hæreticæ perduellionis spiritum, de quo ad Timotheum Apostolus: *Parentibus inobedientes.* Quartò, in Christo Domino post incarnationem asseruit esse unicam solummodò naturam, & hanc Dei incarnati ac inhumanati. Quintò, protulit nescio quem librum, propositiones istas propugnantem. Sextò, questus est diffamari se ab æmulis, *quasi dixerit, quia Deus verbum carnem secum de cœlo reduxit: Sese innoxium ab hac derogatione.* Septimò, Dominum nostrum esse unicam ex duabus naturis unitis hypostasin noluit admittere, quoniam id neque didicisset in Patrum expositionibus, neque suscipere, si ab aliquo contigerit ei tale quid legi, quia Divinæ Scripturæ majores sunt Patrum doctrinis. Octavò, eumdem Dominum esse perfectum Deum, perfectumque hominem confessus est natum ex Maria Virgine, sed qui non habuerit carnem nobis consubstantialem. Quæ omnia Andræas Ecclesiæ Constantinopolitanæ, nec non & Athanasius Seleuciensis in Isauria Metropolitanæ Ecclesiæ, qui præsens adfuerat, Diaconus, & Basilij Metropolitæ in Regia civitate socius, fuerunt attestati.

Ad illa audita ingemuit sanctus Flavianus, & ad Eusebij accusatoris preces misit Eutycheti secundam in scriptis citationem per Mamantem & Theophilum Ecclesiæ suæ Presbyteros, mandans *quatenùs ad sanctam perveniat Synodum*, scandalizatam non solummodò ex accusatorijs Eusebij libellis, sed etiam ex jam factis relationibus per Joannem Presbyterum, ac Andræam & Athanasium Diaconos. Eum adesse jussit ad resipiscendum à tanta impietate, pœnitendum, & Matris Ecclesiæ misericordiam promerendam. Et ante omnia ad Eusebij preces citatorius libellus fuit lectus Synodo, & Actis insertus, habens hanc clausulam: *Nec enim rationabilis est satisfactio, dicere te decrevisse non procedere de monasterio, qui de talibus accusatus es.* Monastici silentij secretum ad acquirendam Christianæ Philosophiæ perfectionem est sacrosanctum, non ad criminum impunitatem.

Dum

Dum citatum abeunt, & reduces exspectantur Presbyteri Mamas & Theophilus, sanctorum Patrum testimonia, præsenti quæstioni definiendæ apta, legi & deflorari ab adsidentibus Episcopis jussit sanctus Flavianus, & accusator Eusebius est interlocutus: *Nihil intemeratum relinquitur ab homine in Deum impiè agenti, & aliena à recta fide sapienti. Audacter pergit omnia facere. Comperi enim, quia Eutyches Presbyter & Archi-Mandrita volumen direxit per monasteria, & ad seditionem excitat monachos.* Has ejus adversùs Deum machinas inquiri supplicavit, & nominatim examinari Abrahamium, Martyrij in Septimo Presbyterum, Synodo præsentem. Septimum erat septimo à Regia urbe lapide distans locus, palatio, Senatus congregationibus, Ecclesijs, ac monasterijs pluribus insignis, & alio nomine dictus Secundianus. A congregato apud Septimum Senatu electos fuisse Martianum & Phocam Augustos, ibidemque cum suis trucidatum Mauritium testantur sanctus Gregorius magnus & Nicephorus Calixtus. Istic leges à Principe & Senatu revideri solitas lucet ex varijs legibus Justiniani. Earum quædam habent hanc clausulam: *Recitata septies.* Legendum est: *Recitata Septimi.* Imperialia ornamenta ibidem servabantur: Etenim incenso Septimi vestiario amissam fuisse Justiniani Augusti coronam, & repertam post octo menses, adfirmat Georgius Cedrenus. Addit ibidem factam Synodum adversùs S. Joannem Chrysostomum. S. Joannis Baptistæ caput Theodosius magnus, sancti Prophetæ Samuelis ossa ibidem condidit Arcadius Augustus. Videndus Procopius Cæsareensis in opere de ædificijs Augusti Justiniani.

Introductus verò in Synodum, ac à sancto Flaviano rogatus Abrahamius Septimi Presbyter reposuit: *Emmanuel Presbyter & Archi-Mandrita direxit ad Asterium* Ecclesiæ Constantinopolitanæ *Presbyterum hæc denunciare, quod Eutyches Presbyter & Archi Mandrita direxit ei tomum de fide, & suadebat ei in eo subscribere. Et hæc mandavit, ut prædictus Presbyter Asterius vestræ suggerat Sanctitati.* Etiam per alia circa Regiam urbem monasteria similes de læsa fide querimonias & subscribendos tomos direxerat inquietus Eutyches, atque itá ad accusatoris Eusebij preces S Flavianus ad urbis monasteria Petrum Presbyterum & Patricium Diaconum, trans in Sycas Rhetorium Presbyterum ac Eutropium Diaconum, in civitatem verò Chalcedonensem legavit Paulum ac Joannem Presbyteros, veritatem inquisituros. Etenim subscribendos libellos per monasteria dirigere, est pessima hæreticæ turbulentiæ nequitia, nitens subvertere firmiores fidei ac Ecclesiæ columnas. Patricium Diaconum laudat in literis ad Anatolium sancti Flaviani successorem sanctus Leo magnus.

Sycarum, in quas Rhetorius Presbyter & Eutropius Diaconus
L. 4. fuêre Legati, meminit etiam Zozymus: *Ad Sycas, quod suburbij nomen est*. Et in Codice Justinianæo ad titulum de Sacrosanctis Ecclesijs Anastasius Augustus: *Syca seu Sycorum transitus pars sunt civitatis*. Et Justinianus Imperator in lege novella ad Ioannem Pretoriorum Præfectum: *Videtur intra novos muros & transitus Iustinianarum seu Sycarum*. Et in Ecclesiastica historia Hermias Zozomenus: *Locus è regione civitatis iacet, Sycæq; dicitur, atque decima tertia regio est urbis Constantinopolis*. Novatianensium Ecclesiam, à Macedonio Episcopo Constantinopolitano eversam, narrat miro istuc modo fuisse translatam. Et antiqua Romani Imperij notitia tertiam decimam urbis regionem vocat Sycænam. Est peninsula, ex uno plana, ex alio latere montosa, ficubus plena, ac indè dicta Sycæna. Eam nobilibus ædificijs & muris Cônstantinus magnus, theatro, foro, Ecclesijs, monasterijs alij Principes ornârunt, Iustinianus à nomine suo vocavit Iustinianam. Hodie dicitur Pera seu Peræa, id est, Trajectum, habet cymbarum millia ad homines assiduè transportandos. Et hinc sanctus Flavianus ad ejus monasteria legavit speciales inquisitores. Hodie item vocatur Galatha, quod inhabitetur præsertim à Latinis Europęis, quos omnes & Turci & Gręci Christiani passim adpellant Francos seu Gallos, utique à sacro bello per Urbanum secundum instituto, cujus nobilior pars fuimus nos Flandri, & cæteri Franci.

Presbyteri interim Mamas & Theophilus ad Eutychetis monasterium reperiunt stantes in porta monachos constanter adseverantes: *Dominus Archi-Mandrita ægrotat, & videre vos non potest*. Prodijt postmodùm Eleusinius monachus, de quo alij ad Legatos Presbyteros: *Quoniam Archi-Mandrita noster ægrotat, hunc suo loco direxit, ut ei quæ sunt mandata dicatis*. Verùm enim verò Eutycheten videre, & Synodi mandata ipsi in faciem recitare voluerunt Presbyteri, atq; ità tandem à turbatis & multa inter sese susurrantibus monachis sunt ad hominem admissi, qui post lectã synodalis citationis chartam reposuit: *Ego apud me definitum habeo citrà mortis necessitatem non egredi monasterium. Pervidet & sancta Synodus, & Dei amantissimus Archi-Episcopus, quoniam senex sum & effatus*. Aliud extorqueri non potuit, quam hocce additamentum: *Ne iterùm dirigant. Quod volunt & ante tertiam citationem faciant. Mihi enim, acsi vocassent, sunt*. Tradere aut saltem legere illis voluit quamdam à se subscriptam, & Synodo porrigendam chartam; illi, utpotè non habentes mandatum, & accipere & audire recusarunt. Et hæc omnia reduces Synodo retulerunt.

Ad quæ rectè accusator Eusebius: *Excogitatio semper & occasio est* ob-

obnoxijs, ut dilationibus utantur. Hæreticum & contumacem monachum postulavit invitum Synodo sisti. At illa violentia sancto Flaviano non placuit, ideòque misit illi tertiam ac peremptoriam citationem per Memnonem Presbyterum, sacrorum vasorum custodem, ac Epiphanium Presbyterum, & Germanum Diaconum. Citatus fuit ad feriam quartam proximam, diem decimam septimam Novembris.

ACTIO IV.

AD quartam Actionem, factam feriâ tertiâ, die sexto decimo Novembris, *Sanctus Flavianus disputavit de Ecclesiasticis dogmatibus*, spectantibus ad præsentem quæstionem. Verùm ab Asclepiade Diacono & Notario fuit interpellatus: *Quidam monachi ab Archi-Mandrita & Presbytero Eutyche directi, & Abrahamius reverendissimus Presbyter & Archi-Mandrita foris sunt, & postulant ingredi.* Erant Eleusinius, Constantinus, & Constantius Diaconi & monachi ex monasterio Eutychetis. Eos sanctus Flavianus intromisit, verbumque fecit dictus Abrahamius: *Direxit nos Eutyches ægrotans. Per orationes enim tuas totâ nocte dormire non potuit gemens. Nec ego quidem dormivi, eo gemente. A vespere enim propter hoc me vocavit. Dixit autem aliqua, ut dicerem Domino.* Voces, *Per orationes tuas*, sunt adjurandi Episcopi formula, similis huic: *Per salutem & victoriam Imperatoris.* Facit hunc sensum: *Ità Deus exaudiat tuas orationes.* Ab Abrahamij dolorosis querimonijs mota fuerunt sancti Flaviani viscera, & dixit: *Et intermittimus, ne imminemus, neque enim in abscißionem inspicimus, sed ad incrementum.* Divinæ misericordiæ se esse æmulatorem est multis protestatus. Abrahamio replicanti, *Mihi, per vestigia tua, & alia aliqua mandavit Eutyches, quæ, si interrogatus fuero, dico,* respondit: *Quomodò, rogo te, poßibile est altero accusato alterum dicere?* Etenim criminaliter accusatus juxta leges & canones respondere nequit per procuratorem, quo munere pro Eutychete Abrahamius fungebatur. Inducias illi obtulit Flavianus, & perrexit: *Adveniat huc, ad Patres veniet, & ad fratres, non ad ignorantes eum, immò hactenùs in amicitia permanentes. Multi audierunt, & scandalizati sunt. Nam accusator eius instat, & debet satisfacere. Si enim tunc, Nestorio adversante veritati, pro veritate iste ingressus est, quantò magis nunc debet pro veritate & pro semetipso ingredi?* Virum, qui pro veritate adversùs Nestorium nuperrimè generosus steterat, nunc pejoris erroris agi reum doluit ex animo Flavianus, variè hortatus ad pœnitentiam, dicens esse humanum imprudentiæ lapsum, spondens plenam veniam, & suam cum illo vetustam amicitiam denuò protestatus. Et Abrahamius: *Ità habet, per vestigia vestra.*

Iterata suæ adjurationis formula adseruit sibi aliud non esse in mandatis, atque ità Actione finitâ Episcopi surrexerunt. Et ecce rursùm misericordiâ motus Flavianus monachis ad latus tractis dixit: *Cognoscitis zelum accusatoris? Quoniam & ipse ignis frigidus illi videtur propter pietatis zelum. Et Deus scit. Et monui, & rogavi dicens, Noli obsecro, intermitte. Cùm autem immineret, quid eram facturus? Numquid ego dispersionem vestram volo? Absit. Et non magis congregari vos? Inimicorum est dispergere, Patrum autem colligere.* Hæc adducta volui, ut luceat quam iniquè de Flaviani judicio & animo Eutyches fuerit conquestus.

ACTIO V.

A Quinta Actione, facta decimo septimo, in quem peremptoriè citatus Eutyches, die Novembris, Ætius Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archi-Diaconus intromitti & audiri postulavit Memnonem ac Epiphanium Presbyteros, ac Germanum Diaconum, Eutychetis citatores, qui intromissi per Memnona deposuere: *Pervenientes usque ad reverendissimum Presbyterum & Archi-Mandritam Eutychen, reddidimus ei scripta, quæ à vestra sancta Synodo transmissa sunt ei. Accipiens autem & perlegens dixit nobis: Quia direxi reverendum Presbyterum & Archi-Mandritam Abrahamium ad sanctissimum & beatissimum Archi-Episcopum nostrum, nec non & ad sanctum Concilium, quatenùs ex persona mea consentiat omnibus, quæ dicta sunt à sanctis Patribus in Nicæa vel in Epheso congregatis, & omnibus quæ à sancto Cyrillo.*

Obstupuit ad hæc accusator Eusebius, & Memnonis relationi intercessit: *Nunc venit consentire? Ego non de futuris enim, sed de præteritis accusavi. Numquid modò si ei quidam ediderint aliquam expositionem, dicentes, Propter necessitatem consenti & subscribe, propterea ego victus sum? Postulo hanc vocem mihi non præiudicare. Ego enim fidelissimos testes habeo, sub quorum præsentiâ perversa docebat. Nam si dicas his, qui in carcere sunt, Ex hodie non latrocinemini, & omnes promittunt.* Eutychetis Flavianum connivere timuit, atque ità se ut calumniatorem subdendum talioni. Quare hæc indignè accipiens Flavianus est interlocutus: *Nullum præiudicium generatur Sanctitati tuæ in accusatione à te proposita, etsi millies spoponderit subscribere expositionibus sanctorum Patrum.* Et sine fundamento Eusebius metuebat. Neque enim cunctis, sed solis Nicenis ac Ephesinis Patribus promiserat consentire Eutyches, atque ità Constantinopolitanos & facta per ipsos ad Nicænum Symbolum additamenta tamquam dolosus Apollinarij sectator refutabat, liberabatque Eusebium ab omni periculo talionis. Quare Memnon referre perrexit ejus Responsum, cujus hic post multa erat epilogus:

Peto

peto supplicari Domino Archi-Episcopo & sanctæ Synodo, quatenùs inducias mihi tribuant præsentis septimanæ, & secunda feria, Deo volente, ingredior, & satisfacio & Domno & sanctæ Synodo. Quas inducias sanctus Flavianus lubenter concessit.

Interim accusator Eusebius, ipso igne reverà ferventior, non quievit. Ecclesiæ Constantinopolitanæ Clericos, nuper de tomis per Eutycheten sparsis ac subscribi postulatis inquisitum missis ad monasteria, supplicavit intromitti atque audiri. Primi auditi sunt Petrus Presbyter & Patritius Diaconus, testantes de Martino ad sanctum Dyonisium Presbytero & Archi-Mandrita: *Respondit directam ad se fuisse chartulam præteritâ sextâ feriâ, quæ est duodecima mensis Novembris, per quemdam Constantinum Diaconum, petentem ut subscriberem, & non acquievi, dicens: Non est meum subscribere, sed Episcoporum tantùm. Et postulans dicebat Eutyches: Si nunc mihi conspirare nolueritis, & humiliaverit me Episcopus, postmodùm & vobis impositurus est.* Per plurima monasteria ità Eutyches miserat: Miserat chartulam, dicens contineri solam fidem Nicenam ac Ephesinam, & dicentibus, *Date nobis ad inspiciendum*, dare noluit, atque ità à multis est repulsus. Martini Archi-Mandritæ humilitatem imitatus egregiè est Archi-Mandrità Faustus, respondens: *Nos Ecclesiæ filij sumus, & unum Patrem post Deum habemus Archi-Episcopum.* Hinc & illos & illorum collegas insignibus literis sanctus Leo Pontifex postmodùm honoravit.

Perrexit verò accusator Eusebius: *Qualis adhuc satisfactionis locus Eutycheti relinquitur? Pro quo peto quæ præcipiunt sanctæ Regulæ ad præsens in eum exerceri.* Eum dixit plenè contumacem, convictum de hæresi, turbulentum, reum conspirationis & perjurij, utpotè *qui dixit, Quia definitum est mihi non egredi, & sepulchrum mihi est monasterium, & iam venire promittat, ad dilationem respiciens, & alia aliqua machinans, quatenùs fugiat comprobationes, & non sustineat pœnam.* Eum Presbyterij gradu & Abbatis dignitate institit privandum. Erat æqua postulatio, reposuit tamen mansuetissimus Flavianus: *Propter pleniorem examinationem postulatas præstamus inducias, sic enim occurrens in faciem convincetur.* Contumacem spopondit juxta canones tractandum.

ACTIO VI.

A Sexta Actione, facta die Sabbathi, vigesimo die Novembris, accusator Eusebius in proximam secundam feriam, quâ Eutyches adesse spoponderat, postulavit exhiberi & ad testificandum cogi Narsetem Presbyterum ac Eutychetis Syncellum, amicum ejus

Maxi-

Maximum Archi-Mandritam, Constantinum Diaconum ac illius Apocrisarium, & Eusemium ejusdem monasterij Diaconum, quibus illius blasphemias esse dixit exploratas. Et hæc est prima Syncellorum memoria, quorum dignitatem in octava Synodo expono. Hæc verba, *Monasterij Diaconum*, ostendunt à Chalcedonensi canone, qui ad monasticæ professionis titulum permittit monachos in Clericos consecrari, nihil novi statutum, sed priorem Ecclesiarum consuetudinem, à monachorum æmulis impugnatam, fuisse dumtaxàat confirmatam. Porrò Eusebij postulatis reddidit sanctus Flavianus: *Inquisiti à reverendissimo Eusebio vocentur ad occurrendum præfinito die.*

Perrexit Eusebius: *A quibusdam comperi, quia secundâ factâ vocatione à sancta vestra Synodo, directi à vobis religiosissimi Presbyteri Mamas & Theophilus aliqua ab Eutyche Presbytero & Archi Mandrita audierint, quæ sub fide monumentorum non sunt professi. Et hæc si manifesta fuerint, comprobatio est certa quid sapiat. Peto igitur vocatos Mamantem & Theophilum Presbyteros propositis sanctis Evangelijs dicere quæ audierint ab Eutyche Presbytero & Archi-Mandrita.* Etiam hæc postulatio erat justa, Theophilum Presbyterum, Mamas aberat, advocavit Flavianus, coëgitque ad veritatem apud Acta profitendam. Et obediens ille exposuit, quomodò post acceptas Synodalis citationis literas cæperit secum coram Narsete Presbytero, Maximo Archi-Mandrita, & alijs monachis disputare Eutyches, dicereq; *In qua Scriptura iacet duæ naturæ? Quis sanctorum Patrum exposuit Deum Verbum habere duas naturas?* Responderunt Theophilus & Mamas: *Et tu ostende nobis, ubi continetur* HOMOUSION, *aut quæ Scriptura hoc dicit?* Et Eutyches: *Non continetur in Scripturis, in expositione verò Patrum iacet.* Et Mamas Presbyter: *Eo modo sicut* HOMOUSION *in sanctis Scripturis non iacet, sed à sanctis Patribus expositum est, ità de duabus naturis ijdem Patres exposuerunt.* Addidit Presbyter Theophilus: *Perfectus est Deus & Verbum, an non?* Reposuit Eutyches: *Perfectus.* Et denuò Theophilus: *Perfectus & homo incarnatus, an non?* Et Eutyches: *Perfectus.* Institit Theophilus: *Si ergò Deus perfectus, & homo perfectus, duo perfecta unum perficiunt Filium, quid igitur probibet nos dicere ex duabus naturis unum Filium?* Et Eutyches: *Absit à me dicere ex duabus naturis esse Christum, aut de natura loqui seu disputare Dei mei. Si ergò me deponere volunt, aut si desiderant facere aliquid adversùm me, secundùm permissum Dei faciant. Ego enim in fide, quam accepi, steti, & consummari desidero.* Quæ omnia & alia id genus plura adveniens interim Mamas Presbyter amplissimè confirmavit. Et ambo, cur hæc suo tempore non aperuissent, à sancto Flaviano rogati responderunt: *Scit vestra Beatitudo, quia non pro hac*

caussa

caussa fuimus directi, sed tantummodò vocare Presbyterum Eutychen. Propter quod minimè interrogati superfluum putavimus hæc dicere, de quibus mandatum non accepimus.

ACTIO VII.

AD septimam & ultimam Actionem, factam die vigesima secunda Novembris, feria secunda, loqui cœpit Asterius Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyiter ac Notarius: *Advenit Statutus dies, & Dei amantissimus Eusebius Episcopus præ foribus stans petit intromitti.* Et à sancto Flaviano fuit idem Eusebius intromissus. Adesse ad Secretarij fores alicubi in Ecclesia Eutychen existimabat laudatus Flavianus, ideoque illum advocaturos misit Philadelphium & Cyrillum Diaconos, qui hominem minimè repererunt. Exindè ad loca vicina Crispinus & Diogenianus missi etiam non reperto redierunt. Hinc hæsit omnis Synodus, ad quam Joannes Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyter & Defensor: *Occurrit reverendus Presbyter & Archi-Mandrita Eutyches cum magna multitudine militum, & monachorum, & Præfectianorum Apparitorum sublimissima potestatis Præfectorum Prætorio. Et non aliter eum volunt dimittere ut ingrediatur in vestrum Sanctum Concilium, nisi promiseritis restituturos eius personam. Est verò pariter & magnus mirandissimus Silentiarius & ipse unà cum eo præ foribus cupiens ingredi, utpote directus à piissimo & Christi amante Imperatore nostro.* Attonita fuit omnis Synodus. Divales ad ipsam literas habebat Silentiarius, intromissus legere postulavit, & legit. Juxtà Nicænæ ac Ephesinæ Synodi definitiones procedi in hac Eutychetis caussa mandabat Princeps, ac *interesse magnificentissimum Patricium Florentium, fidelem, & testimonijs probatum in recta fide, quoniam sermo de fide est.* A solis regularibus, id est, criminalibus in Canones extra fidem caussis ac in Episcopos & Clericos Judicijs Laicos arcet Synodorum regula, fidei quæstionibus adesse permittit, ast in sola Synodo generali. Florentium hunc etiam huic particulari adesse impetrarat Eutyches, unàque Regiam adversùs Synodi violentias suæ personæ protectionem. Apud circumscriptum Principem Chrysaphius Eunuchus, vetus sancti Flaviani hostis, procurarat. Adeò Eutyche per Abrahamium Archi-Mandritam indicias postulante accusator Eusebius rectè dixerat: *Aliqua alia machinatur, quibus fugiat comprobationes, & non sustineat pœnam.*

Divales literas consuetis adclamationibus honoravit Synodus, ad sui consessum admisit magnificum Florentium, ac est interlocuta: *Stent in medio accusator & accusatus, & legantur ab initiò quæ acta*

 sunt

sunt de negotio, quod vertitur inter Dei amantissimum Eusebium Episcopum, & venerabilem Presbyterum & Archi-Mandritam Eutychen, ut instructi ex his congruentem aequitati & sanctis Canonibus terminum demus. Ea mox legit Ætius Ecclesiæ Constantinopolitanę Archi diaconus, & cùm ex sancti Cyrilli ad Joannem Antiochiæ Patriarcham & ejus Synodum Epistola legeret factam esse in Christo Domino duarum naturarum unionem, ipsarumque caussa illum esse & perfectum Deum & hominem perfectum, uti Deo Patri, ita & matri ac nobis consubstantialem, exclamavit igneus accusator Eusebius: *Ille, per vestigia vestra, hac non confitetur, nec his aliquando consensit, sed contraria illis sensit, & locutus est ad unumquemque ad se venientem, & docuit.* At quæ magnificus Florentius est interlocutus: *Si placet vestra Sanctitati, interrogetur Papas Eutyches, utrùm his consentiat.* Papas seu Papa apud Græcos, uti & apud Belgas nostros, significat quemvis Presbyterum: Hinc Proto Papa idem est quod Archi-Presbyter. Ita superiùs ad Memnona Presbyterum dixit Eutyches: *Exspecto Papam Abrahamium.* Et in literis ad Archi-Episcopum Thebarum Innocentius tertius rusticanam parochiam vocat Papatum. Et per Theodorum Balsamonem in Scholijs ad Photij Nomo Canonem relata aurea Bulla Isaaci Comneni dicit de Episcopo: *Quando facit simplicem Papam, sive Lectorem.* Etiam Walafridus Strabo, Latinus Scriptor, quemvis Clericum vocat Papam. Regij infantis Pædagogum ita vocat in literis ad Lotharingiæ Ducem sanctus Petrus Damiani. Omnem Episcopum ita intitulare fuit olim frequentissimum, ita tamen ut nomen istud specialiter obtinerent Pontifex Romanus ac Patriarcha Alexandrinus. Ipsum huic ob sancti Cyrilli in Ephesino Concilio merita fuisse à sancto Celestino Pontifice datum scribit homo græcus Nicephorus Calixtus. Alij ex alia caussa autumant ita vocatum. Posterioribus sæculis statuit de illo titulo in dictatu suo Gregorius septimus Pontifex: *Quod unicum est nomen in mundo.*

L.3. Ep.60. Tit.1. Cap.34. Cap.7. L.7.Ep.12 L.14.c.37.

Ne hæresin ad istam Florentij Patricij interlocutionem recantaret Eutyches, atque ita ipse ad talionem postularetur, denuò timuit accusator Eusebius, proindeque agi flagitavit de solis præteritis, adseverans sibi esse testes plures etiam Episcopos, nempè Meliphtongum Juliopolitanum, Iovinum Devellensem, ac Iulianum Mostenensem. Et sancto Flaviano metum istum securanti reposuit: *Metuo ipsius concussionem. Ego pauper sum nihil possidens. Minatur mihi exilium: Divitias habet. Designat mihi iam nunc Oasim.* Etenim trecentorum, quorum plures ex nobili & opulenta domo, monachorum cœnobio

præerat Eutyches, habebatque Apocrisarium & Syncellum, nomina magnæ dignitatis. Ex quo vides opulentos Abbates & pauperes Episcopos etiam tunc in Ecclesia fuisse. Quid sit alicui Oasin minari est suprà dictum. Locum describit Zozymus, agens de viro illustri Timasio per Arcadium Augustum relegato: *Oasis est locus insigniter sterilis, è quo nemo possit evadere, qui eò deportaretur. Nam terra in medio arenosa, vasta prorsùs, & inhabitata, notitiam tendentibus huc omnem adimit: Partim quod venti arenâ vestigia compleant & aboleant, partim quod nec arbor ulla nec domicilium sit, quæ indicium aliquod iter facientibus ad coniecturam relinquere possint.* Quosdam sanctos Episcopos fuisse eòdem deportatos à Constantio Augusto scribit in apologia ad dictum Principem & in literis ad Solitarios sanctus Athanasius, vocans Oasin magnam, & Oasin superiorem. Distinguit ab inferiori ac minori, quam Arabium Petræ fuisse vicinam scribit in libris de Bello Persico Procopius Cæsareensis. Et quidquid sanctus Flavianus sponderet, *Licèt millies ista perseveres dicendo, nos tamen nihil præponimus veritati,* non desijt timere Eusebius: *Si convictus fuero calumniæ, amittam dignitatem.* Ejus metum non fuisse vanum docuit latrocinium Ephesinum, à quo uti calumniator fuit Episcopatu exutus.

L. 5 f. 90.

L. 2.

At hisce ad rem non facientibus querimonijs lassus Florentius Patricius est interlocutus: *Interrogatio offeratur Eutychi Presbytero, ut exponat quemadmodùm credit & dicit, & nunc rursùs interrogetur, cur modò ista asserens antè aliter asserebat.* Ex toties iteratis Eusebij querelis & protestationibus sperabat Florentius hæreticum senem ad mentem redijsse. At fallebatur. Etenim ab Eusebio, An duarum in una hypostasi naturarum unitionem, & à sancto Flaviano, An ex duabus naturis unitionem fateretur, simul interrogatus soli Flaviano dolosè respondit: *Etiam ex duabus naturis.* At dolum intelligens Eusebius repetivit: *Confiteris duas naturas, Domine Archi-Mandrita, post incarnationem, & consubstantialem nobis esse Christum dicis secundùm carnem, an non?* Sese captum ille vidit, & dixit: *Ego non veni disputare, sed suggerere Sanctitati vestræ quid sentiam. Scriptum est in hac chartula quid sentiam. Eam iubete legi.* Addidit esse suam propriam dictationem, sanctis Patribus conformem. Et oretenùs fidem suam edicere, aut sanè chartam ipse legere à sancto Flaviano jussus reddidit: *Sic credo. Adoro Patrem cum Filio, & Filium cum Patre, & Spiritum sanctum unà cum Patre & Filio. Confiteor autem factam eius in carne præsentiam ex carne sanctæ Virginis, & incorporatum eum perfectè propter nostram salutem.* Hæc est illa sancti Flaviani jussio, adversùs quam Dioscoro adulatus dixit in Ephesino latrocinio Joannes Ephæsti apud Ægyptios

tios Episcopus: *Quando abfuit Eutyches, & in Concilium venire minimè sperabatur, omnis ei quasi promitti clementia videbatur; quando verò advenit, in omnem tentationem inhumanitatis adducitur.*

Æquivoca ac in omnem partem versatilis erat ista Eutychetis professio, ideòque accusatoris Eusebij interlocutionem prosecutus sanctus Flavianus perrexit: *Confiteris consubstantialem Patri secundùm Divinitatem, & consubstantialem matri secundùm humanitatem, eumdem ipsum unum Filium Dominum nostrum Iesum Christum? Nunc Christum confiteris ex duabus naturis?* Et ille: *Quoniam confiteor Deum meum Dominum cœli & terræ, hactenùs de eius natura disputare mihi non persuadebam. Consubstantialem autem nobis hactenùs nunquam me dixisse confiteor.* Et rursùm eadem rogatus: *Vsque ad hodiernam diem non dixi corpus Domini & Dei nostri consubstantiale nobis, sanctam autem Virginem confiteor nobis esse consubstantialem, & quoniam ex ipsa incarnatus est Deus noster.* Hæc sibi ipsis non cohærebant, ideòque iterùm sanctus Flavianus: *Consubstantialis ergò nobis est Virgo, ex qua incarnatus est est Dominator Christus?* Et Eutyches: *Dixi, quia Virgo consubstantialis est nobis.* Ad quæ Basilius Seleuciensis Isaurorum Episcopus Metropolita: *Si mater est nobis consubstantialis, & ipse; quoniam filius hominis vocatus est. Si ergo mater eius consubstantialis est nobis, & ipse secundùm carnem consubstantialis est nobis.* Derisit hæc impius monachus, & perrexit: *Quoniam modò dicitis, omnibus consentio.* Quare illum Florentius Patricius est adgressus: *Cùm mater nobis consubstantialis sit, sine dubio & filius consubstantialis est nobis.* Et rursùm homo in cęcitate pertinax: *Hactenùs non dixi Nam quia corpus Dei ipsum esse confiteor, animadvertis? Ideò non dixi ipsum Dei corpus esse corpus hominis, sed humanum corpus: Et quoniam ex ipsa Virgine incarnatus est Dominus. Si autem oportet ut dicatur ex Virgine & consubstantialis nobis, & hæc dico, Domne. Tamen Filium Dei unigenitum, Dominum cœli & terræ, condominantem & conregnantem Patri, cui considet & collaudatur, non dico consubstantialem, negans quod ipse sit Filius Dei. Ante quidem non dicebam, dico quidem modò tibi quod puto. In exordio non dixi, nunc antē, quia vestra Sanctitas dicit, dico.* Et sancto Flaviano interloquenti, *Ergo per necessitatem, non per voluntatem veram fidem confiteris,* denuò reddidit: *Nunc Domine me ità habeo.* Et à Florentio Patricio iterùm rogatus, *Consubstantialem & ex duabus naturis post incarnationem Dominum nostrum, qui ex Virgine est, dicis, an non,* blasphemavit apertiùs: *Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, post adunationem verò unam naturam confiteor.* Gloriatus est se sanctos Patres sequi, & nihil à se dicto-

rum

rum corrigi posse aut damnari, atque ità exurgens universa Synodus exclamavit: *Anathema ipsi.*

Hìnc sanctus Flavianus est interlocutus: *Dicat sancta Synodus quid meretur iste præsens, neque apertè confitens rectam fidem, neque consentire volens his, quæ hæc sancta Synodus sentit, sed in sua perversa & iniqua malignitate persistens.* Respondit sanctus Seleucus Amasenus Episcopus, Metropolita Helenoponti: *Dignus est quidem damnatione iste, in vestra tamen Sanctitatis humanitate solùm consistit.* Hìnc Canonum in pertinaces Errones rigorem urgens, & pœnitenti veniam spondens, ipsum ad meliora sapienda, sanctorum Patrum ac Nicænæ & Ephesinæ Synodorum traditiones profitendas, erroresque damnandos adhortatus est in vanum sanctus Flavianus; ille enim reddidit: *Dico quidem ista, quoniam & vos nunc iussistis, non autem anathematizo. Quod enim dico, in veritate dico.* Quare delirum senem Florentius Patricius est rursùm adlocutus: *Duas naturas dicis, & consubstantialem nobis? Dic.* Et iterùm: *Confiteris duas naturas post adunationem? Dic. Si non dixeris, damnaberis.* Et ille: *Ego legi scripta beati Cyrilli & sanctorum Patrum, & sancti Athanasii, quoniam ex duabus quidem naturis dixerunt ante adunationem, post adunationem autem & incarnationem iam non duas naturas, sed unam naturam dixerunt. Legi iubete Athanasii scripta, ut advertatis quoniam nihil tale dicit.*

Illum mollire tentavit etiam Basilius Episcopus Seleuciensis: *Si non duas naturas post adunationem dixeris, commixtionem & confusionem dicis.* Et magnificentissimus Florentius: *Qui non dicit, Ex duabus naturis, & duas naturas, non credit rectè.* Verùm ille in impietate mansit immobilis. Quare Augustis Principibus ex more adclamavit Synodus, & laudatus Patricius conclusit: *Fides nostra semper vincit.* Et Synodus: *Non consentit, quid illi persuades?* Et sanctus Flavianus pronunciavit: *Per omnia Eutyches, quondam Presbyter & Archi-Mandrita, & ex his quæ acta sunt, & nunc ex propriis confessionibus, Valentini & Apollinaris perversitate repertus est ægrotare, & eorum blasphemias incommutabiliter sequi, qui nec nostram reverens persuasionem atque doctrinam rectis voluit consentire dogmatibus. Vndè lacrymantes & gementes perfectam eius perditionem, decrevimus per Dominum nostrum Iesum Christum ab eo blasphematum, extraneum ipsum esse ab omni officio sacerdotali, & à nostra communione, & primatu monasterii, scientibus hoc omnibus, qui posteà colloquentur ei, & ad eum convenerint, quoniam rei erunt & ipsi pœna excommunicationis, ut qui non declinaverint confabulationes eius.* Olim enim quævis cum excommunicato communio, non solam minorem, sed omninò majorem ac penitùs eamdem, uti solet con-

tagiosa scabies, infligebat. Et adductæ sententiæ omnes præsentes Episcopi & Archi-Mandritæ subscripserunt.

Hanc Actionem postmodùm culpavit sanctus Leo Pontifex, quod non satis discussisset hæc Eutychetis verba: *Ante adunationem fateor duas naturas*. Apertè enim errare videntur humanam Domini naturam hypostaticæ unioni præexstitisse, ac proindè de adserta per Origenem præexistentiâ erant meritò suspecta. Nempe in solum Apollinarij virus utrumque oculum intenderat sanctus Flavianus. Hac item in Actione Romanum Pontificem fuisse à se appellatum dixit posteà Eutyches, at mentitus.

CAPVT II.

Exponitur secunda sancti Flaviani Synodus adversùs eumdem Eutycheten.

SOlennis adeò Synodi & damnationis elidendæ omnem ansam quæsivit versipellis Hæreticus. Ante omnia accusavit sancti Flaviani Notarios, dicens Acta synodalia ab illis vitiata. Hìnc ab Augusto Theodosio postulavit secundam Synodum, & obtinuit, atque ità Flavianum Præsidis throno dejectum inter reos collocavit. Facta fuit hæc Synodus consulatu Flavij Protogenis, & ejus qui fuerit renunciatus, Domini quadringentesimo quadragesimo nono, sancti Leonis Pontificis decimo, Theodosij secundi quadragesimo secundo, Valentiniani tertij anno vigesimo quarto, sexto idus Apriles, in Baptisterio Ecclesiæ Patriarchalis. Habuit Episcopos viginti octo, nec non & Florentium Patricium, Mamam Comitem & Proximum sacri Scrinij libellorum & sacrarum cognitionum, & Macedonium Tribunum, Notarium, ac Referendarium.

ACTIO I.

AD primam Actionem loqui cæpit Florentius Patricius, mandans legi Eutychetis ad Principem preces, ac per Macedonium Tribunum & Notarium inquiri missos ab illo procuratores, rogansque de hisce Synodum: *Quid pro hoc placet reverendissimis Episcopis?* Reposuit accusator Eusebius: *Si per Procuratorem dicit, me iubete recedere.* Hanc Synodum esse criminalis caussæ prosecutionem volebat Eusebius, ideòque Procuratori non esse locum. Opposuit Patricius: *Quod Imperialis præcepit auctoritas, omnibus modis observandum est. Vnde si*

si consentiunt reverendissimi Episcopi, ut suscipiantur hi, qui pro persona reverendissimi monachi agere parati sunt, dicant. Per Procuratores agere, atq; ità sese de criminalium Reorum classe extrahi, quin & latam in se sententiam sacrâ jussione suspendi impetrarat à circumscripto per Chrysaphium Eunuchum Theodosio versutus Eutyches, atque hìnc ipsum Florentius reverendissimum monachum appellat. Verùm Meliphtongus Juliopolitanus Episcopus generosissimè intercessit: *Tali factâ accusatione consequens est adesse eum qui accusatur, præsertim quia huiusmodi accusationes non sine periculo fiunt. Nec enim leve est ac transitorium quod vertitur, & ideò alterum pro altero decertare non licet. Quoniam igitur pijssimus Imperator ex avita traditione consuevit orthodoxam continere fidem, & in nullo sanctas regulas irrumpere, postulamus eius referri Clementiæ. Et si iusserit in criminali caussa alterum pro altero decertare, & hoc suscipimus, præsertim quia universalem præcepit fieri Synodum, & necesse est maiores caussas in illud reservare Concilium. Et vocati sunt multi, & iustum est, quæ à piissimo Principe præcepta sunt, effectui mancipari.* Aurea & veraciter Episcopalia sunt ista Meliphtongi verba. Edocent sacras jussiones oportere sacrorum Canonum esse dumtaxàt executorias, adeòque illis conformes; difformes posse liberè refutari ab Episcopis, præsertim synodaliter congregatis, eamque esse avitam Romani imperij consuetudinem & pietatem. Hanc jussionem ait Meliphtongus adversari Canonibus, ideòque suspendendam ab executione, ac ejus vitium Principi referendum. Addit hâc Synodo non esse opus, quoniam jam generalis secunda Ephesina Synodus sit indicta ad damnati Eutychetis caussam retractandam, & hæc omnia ipsius judicio fore definienda. Mirum est, quomodò Theodosius ab uno palàm hæretico & turbulento monacho permiserit Romanum imperium & omnem Ecclesiam tot Synodis & motibus arietari.

Florentius Patricius vidit Meliphtongum loqui ex firmis fundamentis, ideòque istius, licet sacræ, tamen iniquæ jussionis odio sese liberans est interlocutus: *Quid sibi de hoc spectabilis Tribunus, & Notarius, & Referendarius Macedonius mandatum esse cognoscit, exponat.* Qui exposuit: *Piissimus Dominus noster cognoscens damnatum esse Eutychen, iussit pro eo omnibus modis directos ingredi, ut cognoscant in relectione chartarum quæ ab Archi-Episcopo ad eum dicta sunt, & quæ ab eo ad sanctissimum Archi Episcopum.* Nempe Chrysaphius Eunuchus, ad sancti Flaviani damnationem quovis modo adhinniens, regebat optimum Theodosium, atque ità illum ad sacris jussionibus lædendos Canones, & avitam Romanorum Principum pietatem apertè prævaricandam facilè circumscripsit. Sanè imbellem Theodosium non fuisse

L. 5. fuisse Regij sanguinis virum, sed nescio cujus Joannis filium Arcadio suppositum Zozymus suspicatur. Ut ut sit, Florentius Patricius, Eunucho recalcitrare non ausus, iniquitatem moderari ac fucare est conatus: *Simplex est quod postulatur, & propter hoc illi ingrediantur, & sub eorum præsentia preces recitentur.* Et ingressi sunt Constantinus, Eleusinius, & Constantius, monachi, in Eutychetis monasterio Diaconi, futuri ejus Procuratores.

Verùm hìc non sistebat sacrarum jussionum iniquitas. Etenim monachis Procuratoribus ingressis, Macedonius Tribunus & Notarius protulit sacrum Evangelij codicem, & dixit: *Oportet omnia, quæ à Principum pietate mandata sunt, dicere me. Iussit igitur eos, qui dudum* in anni prioris Synodo *præsentes fuerunt, sacratissimos Episcopos sub sacramento dicere, si vera sint legendorum monimentorum professiones ab utraque parte illatæ.* Nimiùm manifesta erat hujus jussionis iniquitas, ideòque de illa erubescens Referendarius fuit usus istâ excusatoriâ præfatione. Et Basilius Seleuciæ in Isauria Metropolitanus Episcopus constanter intercessit: *Hactenùs iuramentum nescimus Episcopis oblatum. Sed & præceptum est nobis à Domino Christo non iurandum, neque per cœlum, neque per terram, neque per caput suum. Vnusquisque verò sicut ante altare stans Dei timorem habens ante oculos, & propriam conscientiam mundam servans Deo, quod in memoria retinet, nullatenùs habet intermittere.* Provocat Basilius ad antiquum Ecclesiæ Canonem, quem in lege ad Constantium Prætorio Præfectum, exstante in codice Justinianæo sub titulo de Episcopis & Clericis, laudat Marcianus Augustus, vetans & ipse à Clericis in caussis civilibus exigi cautionem juratoriam: *Ecclesiasticis regulis, & Canone à beatissimis olim Episcopis instituto Clerici iurare prohibentur.* Et in Actis Synodi Chalcedonensis Cassianus ex mercatore Ecclesiæ Ephesinæ Presbyter à gloriosis Judicibus in Bassiani Episcopi caussa jurare

Act. 11. compulsus respondit: *Negotium agens nunquam iuravi alicui, & nunc dum Presbyter sum, cogitis me iurare?* Et hìnc varios Clericos & monachos, quod ne semel in vita jurarint, laudant in historia Lausiaca Palladius Helenopolitanus Episcopus, & in Prato spirituali sanctus Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus. Et Victorem monachum,

L.3.Con. qui sancto Cyrillo Alexandrino detraxisse accusatus *sublatis in cœ-*

Ephes.c 13 *lum manibus* per sacrosanctum Baptisma & veneranda Christi mysteria nullius sese conscium juràrat, in professionem suam impegisse scribit idem Cyrillus in Apologia ad Theodosium Augustum. Et in

L.123.c,7. Novella ad Petrum officiorum Magistrum lege Justinianus Augustus statuit Episcopos testimonij caussa non evocari ad judicium aut

cogi

cogi ad juramentum, ſed *ut domi propoſitis ſanctis Evangelijs, ſecundùm quod decet Sacerdotes, doceant quæ noverint.* Innovat antiquum Canonem, de quo in Synodo Chalcedonenſi laudatus Baſilius Epiſcopus Seleucienſis: *Precor Lycaoniæ & Phrygiæ Metropolitanos Epiſcopos venire huc, & præſentibus ſacroſanctis Evangelijs dicere.* Epiſcopi enim & Clerici præſumuntur ab omni ſpontaneo mendacio eſſe penitùs liberi, & Evangelio, quod Chriſtum Dominum repræſentat, præſertim coràm polito non poſſe mentiri. Quod privilegium etiam ad Lectores in ſcholijs ad Photij Nomo-Canonem Theodorus Balſamon extendit. Tit.9.c.2.

Quæ diſciplina conſtanter viguit etiam apud Latinos. Etenim in Epiſtolis per Iſidorum mercatorem in Franciam allatis, licèt ſuppoſitijs, antiquis tamen & veram doctrinam continentibus, ad Rufum Epiſcopum ſcribit ſanctus Pontifex Cornelius: *Sacramentum hactenus à ſummis Sacerdotibus vel Dei miniſtris, niſi pro recta fide, exigi minimè cognovimus, nec ſpontaneos iuraſſe reperimus.* Et apud Jacobum Sirmondum in Galliæ Concilijs habet Capitulare Epiſcoporum: *Nullus Sacerdos quidquam cum iuramento iuret, ſed ſimpliciter cum puritate & veritate omnia dicat.* Et Concilium Meldenſe: *Nullus deinceps veritatis Epiſcopus ſolitò ſuper Sacra iurare præſumat.* Et Cariſiacæ Synodi ad Ludovicum Germaniæ Regem Epiſtola multis oſtendit omne ab Epiſcopis exactum juramentum adverſari regulis Eccleſiaſticis: Exigi non poſſe etiam ad Domino Regi profitendum; ſed dumtaxàt ut ſeſe purgent ab incurſa infamia criminis, atque ità auferant ſcandalum Eccleſiæ. Quod ipſum ſtatuit Synodus Regiæ Ticinenſis, & adnectit: *Si quid enixiùs adfirmandum dura forſitan audientium mentes exigunt, more Apoſtolico interponat Epiſcopus ſuæ locutioni,* DEVS SCIT, *aut* CORAM DEO. Ex quo vides verba iſta non eſſe formulas juramenti. Et hìnc ſuprà laudatus Presbyter Caſſianus, proteſtatus ſe nolle jurare, addidit: *Deus eſt qui novit, quia nunquam iuravi alicui.* Perperam aliqui illum accuſant contradictionis. Etenim uti aliud eſt coram Evangelio, aliud per Evangelium, ità quoque aliud eſt coram Deo, aliud per Deum aliquid adfirmare. Solum poſterius eſt juramentum. Et de Clerico ac laico litigantibus ſtatuit Synodus Triburienſis: *Laicus per iuramentum conſtringatur, Presbyter vice iuramenti per ſanctam conſecrationem interrogetur.* Etiam de monachis ſtatuit conventus Aquenſis Abbatum: *Nemini liceat ſermonem iuramenti proferre.* Et hìnc dum cuncti Germanorum Epiſcopi pro Henrico quarto Imperatore ab excommunicatione ſolvendo, & ſanctiùs deinceps victuro, apud Gregorium ſeptimum Pontificem fide jube-

Cap. 2.
Cap. 38.
Cap. 15.
Cap. 21.

A. 1077. rent, de Abbate Cluniacensi scribit Lambertus Schafnaburgensis: *Quoniam iurare monastica religionis obtentu detrectabat fidem suam coram oculis omnia cernentis Dei interposuit.* Ex quo rursùm vides aliquid coram Deo adfirmare non esse juramentum. Istud monachorum privilegium multis extollit etiam Chronicon monasterij Cassinensis.

Sunt tamen casus, in quibus Canones ab Episcopis, Clericis, & monachis permittunt, immò & jubent exigi juramentum. Primus est facienda orthodoxæ fidei professio. Secundus est obedientiæ professio, Metropolitæ, Patriarchæ, aut summo Pontifici facienda. Et hinc Poloniæ Archi-Episcopum, huic professioni ex Canone Episcopalis juramenti prohibitorio recalcitrantem, graviter & meritò arguit Paschalis secundus. Tertius casus est necessitas sese à criminis infamia expurgandi, ex qua etiam Romanos Pontifices legimus adscendisse ambonem, & coram omni populo per sancta Evangelia jurasse. Sunt item casus, in quibus quasi per epikeiam Canones istud dumtaxàt permittunt. Ità in Ephesina Synodo Theodotum Ancyranum & Acacium Melitinensem Metropolitas adversùs Nestorium sanctus Cyrillus jussit testari juratos, *quod non de re vulgari, sed de omnium maxima, puta de recta in Christum fide ageretur.* Et ab Iba Edessenorum Metropolita, dum inter ipsum ac eius Clericos pacem fecit, Synodus Berytensis exegit juramentum, quo omnium injuriarum sponderet plenam oblivionem. Et Ægyptios Episcopos, Synodo Chalcedonensi nolentes subscribere ex caussis, Constantinopoli arrestarunt Legati Apostolici, obligâruntque ad realem aut certè juratoriam cautionem de non violando arresto. Et Theodori Mopsuestiensis Episcopi è sacris dyptichis rasi caussam inquirens Mopsuestena Synodus deposituros Clericos etiam coëgit ad juramentum, & quidem tactis Evangelijs corporale. Verùm Eutychetis caussa non erat gravissima, ideòque adversùs impositum à Principe juramentum rectè ad Canones provocavit Basilius Episcopus Seleuciensis. Et huic provocationi detulit Florentius Patricius, violentas Chrysaphij Eunuchi pro Hæresiarcha monacho artes silere jussit, procedere Synodum, & monachi ad Principem preces recitari.

Epist. 6.

Act. 1.

Act 4.

Eas recitavit Joannes sacri Scrinij Exceptor, quarum hic fuit tenor: Nuperam sancti Flaviani Synodum aiebant falsatam, ideòque omnes eius Episcopos, Notarios, Clericos, Synodo cooperatos, sisti coram Thalassio Cæsareensi in Cappadocia Archi-Episcopo, & Acta revideri. Et precibus omninò annuerat Theodosius, adscripseratque hanc annotationem, seu apostillam: *Deponant reverendissimi Episcopi, qui dudum convenerant, apud reverendissimum insuper Episcopum Thalas-*

lassium, ut apud hos omnibus præsentibus his, quos supplicatio loquitur, negotij veritas inquiratur. Obstupuit ad hæc, Chrysaphio Eunucho potiùs, quam circumvento Principi imputanda sanctus Flavianus, nihilominùs suos Diaconos & Notarios, Asterium, Ætium, Nomium, Asclepiadem, & Procopium adesse jussit & respondere. Et statim Acta originalia, quibus propriâ manu Episcopi subscripserant, Patricius Florentius jussit produci.

Ecclesiæ Constantinopolitanæ Notarios commissi in tanta Synodo falsi accusare non erat res modica. Hinc Ætius Diaconus atque Notarius intercessit: *Accusatio aliquādo talis adversùm nos emersit? Audimus autem, quia interpellatio adversùm nos facta sit à quodam apud piissimum Imperatorem: Supplicamus has nobis declarari obiectiones, & caussas agnoscere, & personam statui, & manifestam accusationem adversùs certas personas fieri, atque ità respondebimus, & nos defendemus, præsumentes de vestra iustitia.* Erat intercessio justissima; nihilominùs post multas de illa contentiones sanctus Flavianus est interlocutus: *Cognoscitis, quià tunc sanctâ Synodo congregatâ voces ab utraque parte vos excepistis, & subtiliter cognoscitis quæ à vobis scripta sunt. Et si hæc vera sunt, expressim & cum Dei timore dicite; si verò aliqua falsata sint, quasi ante tribunal Christi nolite mentiri, & falsarium ne taceatis.*

Interlocutio, palàm profecta ex plena fiducia bonæ conscientiæ, placuit Florentio Patricio, ipsam ille laudavit, ac perrexit ad Notarios: *Monimentorum lectio celebretur.* Verùm Ecclesiasticæ potestatis zelosissimus, & laicis in particulari præsertim Synodo nullam potestatem esse sciens Ætius Diaconus denuò intercessit: *Postulo sanctam Synodum, quæ tunc fuit præsens, præcipere nobis proferre monimentorum seriem.* Ad quod sanctus Seleucus Amasenus in Helenoponto Episcopus Metropolitanus: *Semel sanctissimo Archi-Episcopo nostro iubente proferri monimentorum gesta, nullam dilationem convenit fieri, & quasi à reverendissimis Episcopis dictum sit, hæc eadem omnes dicimus.* Quare tandem Ætius Acta originalia, Constantinus Eutychetis monachus & Notarius obtulit eorumdem exemplaria, tandemque ab Asterio Exceptore processum est ad eorum lectionem & collationem.

Ventum est ad Actionem tertiam, lectúmque quod Eutyches Joanni Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbytero ac Defensori, & Andræ Diacono, ipsum ad Synodum canonicè evocantibus, in præsentia Athanasij Diaconi Seleuciensis dixisset de sanctis Ecclesiæ Patribus: *Si aliquid contigit eos in aliquibus dictis aut falli aut errare, hoc neque se reprehendere neque suscipere; solas autem Scripturas scrutari tamquam firmiores sanctorum Patrum expositionibus.* Quod dixisset ad-

sumptam à Domino carnem nec matri nec nobis fuisse consubstantialem. Adversùs utrumque excepit Constantinus monachus, Joannem Presbyterum falsæ ad Synodum relationis insimulans, & addens de primo dicto: *Quoniam adversis modis locuti sunt sancti Patres, & omnia suscipio; in regula autem fidei non suscipio.* Facta est longa disquisitio, tandemque paruit Joannes Presbyter vera retulisse.

Plura item alia ex nullo fundamento cavillatus est Constantinus, tandemque adversùs degradationis sententiam in Eutycheten à sancto Flaviano pronunciatam etiam intercessit: *Eutyches, dum legeretur damnatio, appellavit sanctum Concilium Episcopi Romani, & Alexandrini, & Hierosolymitani, & Thessalonicensis. Et hæc in gestis non sunt inserta.* Omittit Antiochenum, quod illic præsideret Domnus Patriarcha, Eutycheti palàm adversus. Non erat levis intercessio. Etenim Romana appellatio omnem synodalem sententiam ab executione suspendit, adeòque appellans Eutyches debuerat non tamquam degradatus, sed tamquam integer adhuc Archi-Mandrita & Presbyter per omnia tractari. Hujus appellationis libellos etiam Romam ad sanctum Leonem Pontificem miserat ipse Eutyches, dicitque de illis sanctus Seleucus Episcopus Amasenus: *Ante paucos dies literæ sanctissimi Archi-Episcopi Romanorum Leonis insinuata sunt nobis, continentes quia questus est reverendissimus Archi-Mandrita Eutyches, & appellavit in tempore examinationis nostram audientiam per dationem libelli, & ideò post damnationem eum Archi-Mandritam renominaverunt; quomodò nunc instans & dicens de fide esse libellum apud sanctissimum Romanorum Episcopum recusationem in Synodo appellationem nominavit? Et hinc doceri debetis, quoniam non in eisdem permanet reverendissimus Archi-Mandrita.* Libellum, in quo fidem suam exponi & contineri diceret, sancto Flaviano obtulerat Eutyches, tacens penitùs de Romana appellatione: Et ipsum obtulerat ante latam ac pronunciatam sententiam. Hinc Seleucus miratur, quomodò in literis ad Romanum Pontificem præsumpsisset dicere illum fuisse libellum appellationis. Eum notat versatilis linguæ & mentis. Nec solummodò se appellasse, sed & appellationi delatum, & se à judicibus Episcopis Archi-Mandritam renominatum mentitus fuit, eique, quod sanctus Flavianus Synodi suæ Acta tempestivè non retulisset, sanctus Leo aures & fidem præbuit. Ob ejus etiam reverentiam sanctus Seleucus degradatum Hæreticum adhuc vocat reverendissimum Archi-Mandritam.

Hinc igitur momentosam appellationem discussam voluit Magnificentissimus Florentius, & dixit ad Patres: *Turba facta est, & dissoluto conventu dixit ad me silenter Eutyches, appellans Romanum, & Ægyptium,*

tium, & Hierosolymitanum Concilium. Et ego arbitratus indecens latere hoc sanctissimum Archi-Episcopum Flavianum, abscedens dixi ei. Et Basilius Seleuciensis Episcopus, Metropolita Isaurorum: *Scio, quia dixit religiosus Archi-Mandrita Eutyches, si praeceperint mihi Patres, Romanus & Alexandrinus, dico hoc ipsum. Hoc autem non quasi appellans dixit.* Et sanctus Patriacha Flavianus: *Non audivi ego ab illo, sed à viro magnificentissimo Patricio, adscendente me in superiora domus, post solutam Synodum.* Quod & cæteri Episcopi sunt attestati. Ità claruit Eutyches in omnibus fuisse cavillatus. Sancti tamen Flaviani Notarios Patricius absolvere noluit, sed omnia edixit ad Principem referenda. Vides interim à Patriarchæ Constantinopolitani judicio fuisse tunc liberè Romam appellatum.

ACTIO II.

Actio secunda, facta quinto Calendas Majas, fuit quasi nova Synodus ob novas Eutychetis strophas & ad Principem preces, quibus degradationem suam questus est fuisse inimico animo ductùm à Flaviano præconceptam, & demonstrari id posse ex ipsis ejus verbis, auditis per magnum Silentiarium, à quo uti Protectore Regio fuerat in Synodum introductus. Supplicavit cogi Silentiarium ad verba ista in scriptis producenda. Et istas item preces Theodosius Augustus subnotârat: *Profiteatur vir devotus magnus Silentiarius apud magnificentissimum Magistrum sacrorum officiorum omnia, quæ super hoc negotio subsecuta cognovit.* Tot apud laicam potestatem machinas, videns Episcopos à se non posse subverti, profanus Eutyches usurpavit.

Attamen non sine fundamento magni Silentiarij examen postulavit fieri à Magistro Officiorum. Hujus enim tribunali & judicio omnes Palatinos privativè subjiciunt in lege ad Joannem Officiorum Magistrum, exstante in codice Justinianæo, Leo & Anthemius Au- L.12.tit.5.
gusti. Et de illo Zozymus: *Marcellino commissum erat in Palatinos or-* Cap. 3.
dines Imperium; Romani Magistrum Officiorum vocant. Et Procopius L. 2.
Cæsareensis in primo libro de bello Persico: *Ordinum in Palatio Præfectus, quem Magistrum Romai appellant.* Et hìnc Apostolorum Principes Petrum & Paulum ex Neronis Augusti delegatione, & ex officio sanctos Processum & Martinianum, ab illis in Mamertino carcere ad Christum Dominum conversos, judicavit Paulinus, quem laudatorum Martyrum apud Surium Acta vocant Magisteriæ potestatis & officij Magistrum: Quod nempe hi essent Palatini milites, & isti in Palatio præsertim novam legem Evangelicam prædicassent. Adeò antiqua est ista Augustæ domus disciplina. Quare Ro-

manum Breviarium, Paulinum istum vocans militum Præfectum, intelligi debet de solis Palatinis.

Flavius itàque Ariobindus Martialis, sacrorum Officiorum Magister, coram tribunali suo discussit magnum Silentiarium, hæc pro Eutychete mentientem: *Sapè directus sum à sacratissimo & pijssimo Domino nostro ad Archi-Episcopum Flavianum, ut adesset magnificentissimus & gloriosissimus Ex-Præfectus & Consulibus, & Patricius Florentius Synodo, quæ futura erat in Episcopio huius Regiæ civitatis, & distulit Archi-Episcopus dicens: Quia non oportet hic fatigari eumdem virum magnificentissimum Florentium, quia iam de hoc forma data est, & damnatus Eutyches monachus, quoniam secundò vocatus non obedivit. Postmodùm verò obtulerunt mihi chartam quamdam habentem damnationem eius.* Ad quæ Constantinus Eutychetis monachus & Vicarius: *Postulo & hoc, ut profiteatur Dominus magnus Silentiarius, quia ante Synodum damnatio facta est.* Et ille: *Et priùs dixi, quod ante Synodum damnationem Eutychetis mihi ostenderunt.*

Monachus examinari postulavit etiam spectabilem virum Macedonium, Tribunum, Notarium, ac Referendarium, & profiteri audita ab Asterio Presbytero ac Notario Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Hoc Eutyches à Principe non supplicârat, ideòque Martialis officiorum Magister est interlocutus: *Quamvis in precibus hac petitionis pars minimè contineatur; attamen propriâ voluntate, si voluerit, spectabilis Tribunus, quæ cognoverit, profiteatur.* Et Macedonius: *Ante hoc sacratissimus & pijssimus noster Imperator præcepit colligi tam Episcopos, quam magnificentissimum Patricium Florentium, precibus datis ab Eutyche reverendissimo Archi-Mandrita, & accusante Gesta quæ acta sunt, tamquam malignè à Notarijs immutata, & certa subsecuta sunt in facta Synodo. Cùm verò recederem, obviam mihi factus est Asterius Presbyter & Notarius, adiurans me audire ab ipso quæ effari volebat. Accusabat autem reverendum Abrahamium & Notarios, tamquam immutantes in Gestis quadam capitula: Et quia necessarium habet ipse, metuens huiusmodi malignitatem, illos quidem ostendere talia, sed sine ipsius scientia commisisse.* Hisce armis sese dolosus ac malignus Eutyches ad impugnandum in Ephesino latrocinio sanctum Flavianum ac ejus Synodum præparabat.

CAPUT III.

Exponitur Antiochena, Tyria ac Berytensis Synodus in caussa Ibæ Metropolitæ Edesseni.

IBas Edessenus Archi-Episcopus, qui Ephesi cum Joanne Patriarcha suo Antiocheno & alijs Orientalis diœceseos Episcopis in sanctum

ctum Cyrillum & veram Synodum moverat notas turbas, post initam Ecclesiarum pacem Theodori Mopsuesteni libros vertit in linguam Syriacam, deflorata ex ipso prava Capitula esse ipsius agnoscere & sub ejus nomine damnare noluit, famosam ad Marim, Persidis Episcopum scripsit Epistolam, sancti Cyrilli Capitula & Synodi Ephesinæ Acta arguere & damnare perrexit, atque ità apud multos de retenta intra mentem Nestorianâ lue reddidit sese graviter suspectum. Joannes Antiochiæ Patriarcha, à sancto Cyrillo rogatus, neglexit illum corripere & corrigere, atque ità Samuel, Cyrus, Maras, & Eulogius, Ecclesiæ Edessenæ Presbyteri, ipsum denuò apud Domnum Patriarcham, Joannis Successorem, accusârunt & de fide & de moribus. De fide, quod sanctum Cyrillum etiam post initam pacem vocasset hæreticum, & quod palàm erupisset in hasce voces pessimè Nestorianas atque Pelagianas: *Non invideò Christo facto Deo, in quantum enim ille factus est, ego factus sum.* Eas in Breviario Liberatus Carthaginensis, & in supplicibus ad Synodum præsentem precibus Edesseni Clerici lucidiùs exponunt: *Non invideo Christo facto Deo, quoniam & ego, si volo, possum fieri secundùm illum.* Eam fuisse & Nestorianorum & Pelagianorum palmarem blasphemiam tradit in libro de Prædestinatione Sanctorum, & in libro de Dono perseverantiæ sanctus Augustinus. Ibæ de moribus accusatio habuit octodecim capita, superiùs abundè explanata. C. 10. C. 21.

Accusationis exordium & modum exposuit ipse Ibas in Synodo Berytensi, agens de sui accusatoribus Clericis: *Excommunicaverunt semetipsos, suâ conscientiâ vulnerati.* Et rogatus, Quot essent, reposuit: *Sunt plùs minùs quindecim, qui seipsos à communione suspenderunt, nam ego non excommunicavi eos.* Maras Presbyter dixit sese solum cum Samuele Presbytero fuisse. Quidquid sit, seu veris seu putatis Ibæ excessibus offensi aliquot Clerici sese, juxta temporis istius morem, ab ejus communione suspenderunt, quod quia sine competenti fundamento factum Ibas credidit, dixit ipsos non à sese, sed à semetipsis fuisse excommunicatos. Quod namque sine competenti fundamento semetipsos à sui Episcopi communione sese segregantes excommunicent semetipsos, ad octavam Synodũ in Photij caussa est ostensum. In vicinę Eufratesię provincię Metropoli, civitate Hieropolitanâ, mortuus erat Joannes Episcopus, Alexandri, qui Ephesinę Synodo adfuerat, post Panolbiũ successor, atq; ità Domnus Patriarcha versùs dictã Metropolim adornabat iter, Stephanum electum, qui postmodũ 7. Synodo Chalcedonensi adfuit, consecraturus. Ex quo vides Antiocheni Patriarchatus Metropolitas consecrationis gratia non semper Antio-

tiochiam ad Patriarchæ manus fuisse evocatos, sed Patriarcham quandoque ad ipsorum Ecclesias accessisse. Hâc occasione factum est, quod dictus Maras Presbyter confessus est ad præsentem Synodum: *Nos quatuor libellos confeceramus* adversùs Episcopum nostrum Ibam, *Ego, & Cyrus, & Eulogius, & Samuel, duo tulerunt libellos, & profecti sunt Hierapolim, ut exspectarent Archi-Episcopum,* seu Patriarcham, *Domnus autem Samuel iam malè habebat.*

Ibas hæc omnia ignorabat. Audito autem, quod Domnus Patriarcha Hierapolim advenisset, fecit quod dixit in eadem Synodo præsenti: *Sanctißimus Archi-Episcopus noster advenit in Hierapolim, ut Domnum Stephanum inthronizaret religiosißimum Episcopum. Nos voluimus quæ consuetudinis sunt explere, & ire & salutare eum in Hierapolim. Dum egredimur, audio quia Samuel & Cyrus iam huc venerunt ad accusandum nos, subscriptiones nonnullorum Clericorum accipientes. Confiteor quia convocavi Clerum, & dixi me audisse, quia Samuel & Cyrus venerunt ad accusandum nos. Sed & vobis dixi, si quis in scriptis communicaverit eis in libellis, donec videat quem finem caussa suscipiet, non communicet.* Largiùs hæc & aliquantùm aliter exposuit Maras Presbyter: *Convocavit* Ibas Episcopus *omnes in Secretario, & dixit, Quoniam audivi, quia Cyrus & Eulogius profecti sunt ut me accusarent, hos à communione suspendi, ut cognoscatis quia excommunicati sunt. Si quis autem eis in libellis cooperatus est, vel conscius est, quoniam audio quod triginta sunt Clerici, qui eis consenserunt, eorum dimitto sententiam.* Clerici se ab Iba excommunicatos, Ibas sibi ab illis communionem subtractam est questus: Ut ut sit, eos perperam egisse hic omninò credidit, ideòque omnes ipsis cooperatos aut cooperaturos à communione & sua gratia suspendit, volens caussam cum ipsis solis ventilari atque finiri. Ita turbas excludendas speravit, & Ecclesiæ paci fore consultum. Ex eius erga Domnum reverentia discimus advectum in alienas suæ dioecesis Provincias Patriarcham consuesse à vicinis Metropolitis visitari ac salutari, eamq; esse antiquam Ecclesiæ disciplinam. Et hinc in Gallias advecti Joannis octavi Pontificis justa fuit querimonia de Teutramno Metropolita Tartasiensi: *Miramur Fraternitatem tuam, cur nostrum in has partes audi-*
Ep. 32. *ens adventum, nos ob reverentiam Beati Petri Apostolorum Principis & nostram, more cæterorum venerabilium Archi-Episcoporum, minimè consolari*
Ep. 40 *& occurrere studuisti.* Istud ipsum queritur de Theodorico Metropolita Vesontionensi, mandans ut omnibus postpositis statim occurrat.

Nota solùm Domnum Patriarcham adsiduè hic vocari Archi-Episcopum, Ibam autem Edessenum & Stephanum Hierapolitanum, licèt Metropolitas, dici simpliciter Episcopos. Ita in Chalcedo-

cedonensis Synodi Actis sanctus Leo passim titulatur Archi-Episcopus antiquæ aut magnæ Romæ. Etiam Patriarcham Constantinopolitanum vocant ibidem simpliciter Archi-Episcopum Eunomius Metropolita Nicomediensis & Anastasius Episcopus Nicenus. Et in literis ad Leonem Augustum, post eandem Synodum Chalcedonensem existentibus, Lucianus Byziensis in Europa Episcopus omnes Patriarchas vocat *Summorum thronorum Archi-Episcopos.* Et in Relatione ad Theodosium Augustum Ephesina Synodus Memnonem, totius Asiaticæ diœceseos Primatem, dumtaxàt Episcopum, solum sanctum Cyrillum Alexandriæ Patriarcham vocat Archi-Episcopum. Et in lege codicis ad Julianum Prætorio Præfectum Justinianus Augustus distinguit inter Provinciæ Metropolitam & Diœceseos Archi-Episcopum, id est, multarum Provinciarum Primatem. Et in lege novella ad Catellianum primæ Justinianæ Antistitem statuit istius sedis Episcopum deinceps non solummodò Metropolitam esse, sed & Archi-Episcopum. Et in lege novella ad Petrum Officiorum Magistrum confundit Archi-Episcopum cum Patriarcha. Et sancti Basilij Liturgia orari mandat pro Archi-Episcopo, Metropolita, Episcopo: Ubi Archi-Episcopus est palàm idem, qui Primas vel Patriarcha. Et istas Justiniani leges secutus in Nomo-Canone Photius ait Archi-Episcopum esse Metropolitâ majorem. Ex quo liquet recentiores Græcos, qui Archi-Episcopum esse statuunt solo nomine & honore Matropolitam, & vero ac reali Metropolita minorem faciunt, à phrasi antiqua plurimùm recessisse. Notanda est superiùs adducta Ephesini Concilij phrasis, dicens Cyrillum Archi-Episcopum & Memnona Episcopum. Eodem modo in Synodo Chalcedonensi Dioscorum Alexandriæ Patriarcham gloriosissimi Judices dumtaxàt Episcopum, sanctum Leonem Papam appellant Archi-Episcopum. Etiam in libellis eidem Synodo oblatis Theodorus Diaconus Alexandrinus. Nempe antiqui, dum de Patriarcha & Papa, aut de Patriarcha & Primate loquuntur uno contextu, honoris causâ frequenter soli digniori titulum Archi-Episcopi impartiuntur.

Act. 13.
Ep. 28.
L. 1. tit. 3. c. 46.
L. 11.
L. 123. c. 10.
Tit. 1. c. 8.

An Ibas Metropolita Hierapolim iverit, ignoro. Quatuor suprà memorati Presbyteri Hierapoli etiam Antiochiam, bidui distantem itinere, cum suis accusatorijs libellis secuti sunt Domnum Patriarcham, de quo Ibas pergit: *Isti quatuor libellos obtulerunt religiosissimo Episcopo Domno, & dignata est eius Sanctitas mandare ut occurreremus. Et quoniam Quadragesima erat, post* Paschalis festivitatis *diem iussit occurrere. Qui scripsit mihi ut ab excommunicatione eos absolverem. Erant*

Procop. l. 2. de bel. Pers.

enim à me excommunicati. Ego omnia ſententiæ Archi-Epiſcopi dereliqui. Qui Archi-Epiſcopus propter feſtivitatem ab excommunicatione eos abſolvit, ſub ea tamen definitione, ut non excederent Antiochia, donec ſententiam cauſſæ perciperet. Si autem exirent, antequam finem cauſſæ perciperet, maiori damnationis pænæ eſſent obnoxij. Ex quo vides excommunicationis abſolutionem ad reincidentiam fuiſſe etiam antiquis uſitatam & notam. Et tunc factum eſt ab Ibæ amicis, quod ad Synodum præſentem queſtus eſt Presbyter Eulogius: *Dum eſſemus in Antiochia, fecerunt dictationem laudum, & hanc circumferebant Clericis ut ſubſcriberent. Quidam Clericorum, aut quindecim aut octodecim, ſubſcribere noluerunt, dicentes: Fortè interrogamur aliquid, & neſcimus quid dicere, & mentiri non poſſumus. Hos deducens in Eccleſiam violenter, inclamari fecit quaſi deberent foras mitti, quoniam minimè ſubſcripſiſſent. Et excommunicavit eos coram Eccleſia, & miſit eos foras, & ex hoc venerunt in Antiochiam. Ex quo autem viderunt, quia oppreſſi ſumus, & non ſunt noſtræ allegationes ſuſceptæ, & quia redijt homo ille, qui quaſi contra nos prævaluerat, timuerunt redire in civitatem; & neceſſe habuimus uſque hodie eos pro teſtimonio paſcere.* Addidit Maras Presbyter: *Multi eligunt Epiſcopum Ibam non offendere, ne moriantur. Cuidam enim Presbytero, nolenti ſubſcribere in eius laudibus, cùm accuſationem in Antiochia adversùs eum inſtituiſſemus, calumniatus eſt, & à viro ante annos quinquaginta catholico, nec lavanti aliquando ex quo converſus eſt, cui tota civitas teſtabatur, accuſationem intulit contra ipſum per proprios diſpenſatores, quam nec ad exitum perducere valuit, quamvis Iudex in eius gratia ageret, illo ſtante & clamante: Oſtendatur quæ adversùs me calumnia inſtituta eſt, aut abſolvar. Et omnis civitas ſuſcepit eum cum cereis & lucernis. Et ob hoc omnes Clerici metuentes adversùs eum teſtari non volunt.*

Cum hiſce laudum ſuarum teſtimonijs Ibas poſt Paſcha profectus eſt Antiochiam, quatuor ſuis accuſatoribus reſponſurus. Verùm *antequam adveniret in civitatem, deſerentes Samuel & Cyrus ad Comitatum profecti ſunt, Maras autem & Eulogius remanſerunt.* Domnus Patriarcha, & omnes Orientalium, Edeſſena excepta, Eccleſiarum Epiſcopi de Epheſina Synodo, ſancto Cyrillo, & ejus duodecim Capitulis idem cum Iba ſentiebant, ideòque accuſatores Clerici videndes ſe & opprimi huc uſque, & deinceps opprimendos, legarunt duos ad Regiam civitatem, poſtulaturos ſacram delegationem ad alios judices; ne tamen de contumacia damnarentur, alij duo remanſerunt Antiochiæ, quindecim illos aut octodecim Clericos, Edeſſam regredi non auſos, ſuis impenſis alentes ad teſtimonium.

Nihilominùs decem Epiſcoporum Synodum coëgit Domnus, à qua

quà de absentibus Collegis rogati Maras & Eulogius responderunt: *Ibæ Episcopi calumnias cognoscentes, sicut & nos didicimus, nescimus quomodò discesserint.* Et rursùm Maras: *Nescimus integrè. Sicut autem audivimus, Constantinopolim sunt profecti. Neque verò literas eorum suscepimus, neque scimus integrè.* Et indignatus Patriarcha Domnus: *Quas calumnias metuebant, cùm ego utique scripsissem religiosissimo Episcopo Ibæ ob hoc, & rescripserit omnia mihi relinquens, & absoluti vobiscum sunt ab excommunicationis pœna sub hac definitione, ut vos quidem haberetis communionem, si quis autem vestrum caussam desereret ante finem, Ecclesiasticæ disciplinæ subiaceret? Manifesti sunt igitur desertores, & excommunicationem & Apostolicum hunc thronum contemnentes, & seipsos submittentes maiori damnationis supplicio.* Et huic sententiæ novem partim Metropolitæ, partim Provinciales Episcopi cum Domno Patriarcha subscripserunt. Eos *magnum & sanctum Concilium* vocat Synodus Berytensis. Fuit tamen ambigua sententia, non satis exprimens, an transfugas istos plenè degradaret, an dumtaxàt excommunicaret. Quod dubium à Berytensi Synodo rogatus elucidare Ibas reposuit: *Occulta nosse non possum. Ego puto, quia perfectam horum damnationem* Antiochena Synodus *fecit. Si autem videtur ex sententia eorum damnationem eorum non fecisse, vestrum est iudicare.* Nota recursum istum ad laicum Principem, & sacram ejus delegationem à Domno Patriarcha vocari contemptum sui Apostolici throni.

Quid porrò Cyrus & Samuel in Regia civitate egerint, exposuit in Synodo Berytensi, ac Ibæ Metropolitæ, Danielis Carrensis ac Joannis Theodosiopolitani Episcopi, nec non Samuelis, Cyri, Eulogij, Maræ, Ablavij, Joannis, Anatolij, Caiumæ, & Abelionis, Edessenorum Clericorum, præsentia vir spectabilis Damascius, Notarius ac Tribunus: *Cùm præsentes reverendi Clerici adijssent pijssimum & Divinissimum Dominum nostrum Imperatorem, & accusassent reverendissimum Ibam Episcopum, & reverendissimum Ioannem Episcopum, & reverendissimum Danielem Episcopum, Pietas eius sanxit, ut ij, qui accusati sunt, ab Osrhoëna provinccia ad Phæniciam advenerint, & ad illata crimina apud vestram Religiositatem responderent. Et deputatus sum eos adducere, & quæ à vobis definita sunt executioni mandare.* Quocircà Samuel & Cyrus non suo tantùm, sed etiam Eulogij & Maræ, Antiochiæ remanentium, itemque aliorum jam memoratorum Edessæ Clericorum nomine accusârunt Ibam Episcopum, nec non & nepotem ejus Danielem Carrensem, ac Joannem Theodosiopolitanum. Quod hosce duos anteà apud Domnum Patriarcham non accusarint, liquet ex Antiochena Synodo, cui Daniel Episcopus adsedit

judex, & subscripsit. De eisdem accusatoribus Clericis dixit ad Synodum Berytensem Eulogius Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus: *Adeuntibus reverendissimis Clericis sanctissimum Archi-Episcopum nostrum Flavianum, & accusantibus Ibam, Ioannem, & Danielem, reverendissimos Episcopos, approbavit eius Sanctitas vestram Religiositatem audire negotium, & de hoc literas detuli, & dedi vestræ Sanctitati.* Hi ergò accusatores Clerici non solummodò Theodosium Augustum adivere, sed & sanctum Flavianum Constantinopolitanum Episcopum, questi sunt à Domno Patriarcha, ad instar Ibæ Nestorianizante, nullam exspectandam justitiam, postulârunt alios judices, ac impetrârunt Photium Tyri Episcopum, primæ Phæniciæ Metropolitam, Eustatium Berytensem in eadem provincia Episcopum, & Uranium apud Osrhoënos Episcopum Himerorum. Quod nempe hìc de caussa & personarum merito esset plenè instructus, ac Domni Patriarchæ Synodum, accusantiumque Clericorum negotiationes & Antiochiæ & Constantinopoli oculis spectasset. Addit in quinta Synodo
Act. 6. Theodorus Cæsareensis in Cappadocia Archi-Episcopus: *Et deputati sunt executores caussæ, ab Imperatore quidem Theodosio Damascius Tribunus, à sanctæ autem memoriæ Flaviano Eulogius Diaconus Constantinopolitanæ Ecclesiæ,* qui & accusatores & accusatos ex Osrhoëna provincia in primam Phæniciam transportârunt, ac laudatis judicibus in Tyriorum metropoli exhibuerunt.

Quid fuerit Notarius & Tribunus, edicit in Aureliano Augusto
L. 5. Vopiscus, vocans *Secretorum Imperatoris Notarios* Et Zozymus: *Præpositus Notarijs Principis, quos Tribunos vocant.* Aliquando Notarij & Tribuni, aliquando Comites & Notarij, aliquando Notariorum Tribuni appellantur. Erant magnæ dignitatis. Ipsos Provinciarum Vicarijs, ipsorum verò Primicerium Proconsulibus æquant in legibus apud codicem Theodosianum exstantibus Gratianus, Valen-
L. 6. tit. 10. c. 1. 2. 3. 4. tinianus secundus, & Theodosius Augusti. Laudant item & Consularibus æquant Notarium Domesticum, de quo in libris de bello
L. 1. Wandalico Procopius Cæsareensis: *Arcanorum omnium socius, quem Romani Domesticum vocant.* Et hìnc vides, cur Subdiaconorum primus apud Grçcas Ecclesias dictus fuerit Domesticus Subdiaconorum Romam ad exequenda mandata sua, & Carthaginem ad solennissimæ & momentosissimæ Catholicorum & Donatistarum Episcoporum collationi cum Cognitoris potestate præsidendum Honorius Augustus legavit spectabilem virum Marcellinum, Notarium & Tribunum. Syagrium & Fælicem Notarios, ad officiorum magisterium promotos, laudat Ammianus Marcellinus. Memorat & Theodorum No-

ta-

tarium, à quo motæ res novæ, & affectatum imperium. Quod ipsum de Procopio Notario Zozymus testatur. Laudat & Stiliconem, totius Imperij sub Honorio Augusto rectorem & arbitrum, quod *unico filio suo hanc dignitatis metam statuerit, ut ad officium Tribuni Notariorum provecto nullum aliud imperium acquireret.* L. 5. Quæ omnia sunt lucida signa magnæ dignitatis. Jacobus Cujacius eam confundit cum *A Secretis*, Jacobus Gutherius censet distingui. Etenim Notarij Principis intra Consistorij secreta, extrà A Secretis stabant. Est res alterius fori.

Ex dicta Ibianæ caussæ per Theodosium Augustum delegatione scribit in Sacerdotij ac Imperij concordia D. Petrus de Marca Archi-Episcopus Parisiensis: *Si quis Episcoporum de Metropolitani aut Patriarchæ suspicione quereretur, Romani Imperatores literis suis iudicium ab ea sede avocabant, & in aliam provinciam transferebant. Ibas Edessenorum Metropolitanus, Ioannes & Daniel de heresi à Clericis accusati coram Domno Patriarcha Antiocheno, etsi lis contestata fuisset in Synodo Antiochena, Rescripto tamen & auctoritate Theodosii Imperatoris, ex sententia Flaviani Archi-Episcopi Constantinopolitani, ab Osrhoëna provincia ad provinciam Phœnicia translati sunt, ut à Photio Episcopo Tyri, Eustatio Beryti, & Uranio Himerorum Episcopo, iudicibus datis, iudicium de accusatione ferretur.* L.4.c.3.n.4 Ità quandoque à Romanis Augustis fuisse factum negare non possim: Sed quæro an rectè, & secundùm Canones? Et constanter nego. Hìnc enim Domnus Patriarcha Apostolicum suum thronum sperni est questus & verbo ad suam Synodum, & scriptis literis ad sanctum Flavianum. Et de Arcadio Augusto & Theophilo Alexandriæ Patriarcha, de gravissimis apud illum accusato, scribit ad S. Innocentium primum Pontificem sanctus Joannes Chrysostomus: *Cùm Theophilus caussam dicere nollet, meque urgerent accusatores eius, vocavit nos Imperator pientißimus, & iußit ut iremus ad locum, in quo ille agebat, & illic ea, quæ contra illum dicebantur, audiremus. Nos autem scientes leges Patrum, viroq; honorem deferentes, habentes etiam super hac re eius literas, oportere in quibusque provincijs sua negotia tractari, neque extra limites illarum trahi, vehementer detrectavimus, ne caussam susciperemus iudicandam.* Et adversùs similem Sacrã, quâ laudati Joannis criminalem caussam dicto Theophilo delegavit postmodùm idem Arcadius, pergit idem Joannes: *Congruum non est, ut hi, qui in Ægypto sunt, iudicent eos, qui in Thracia.* Et infrà: *Domini mei maximè venerandi & pij, studium vestrum & magnam diligentiam adhibete, quo retrudatur hæc, quæ in Ecclesias irrupit, iniquitas. Quippe si mos hic invaluerit, & fas fuerit cuivis in alienam paraciam irrumpere, idq; ex tantis inter-*

tervallis, & eÿcere quos voluerit, & propria auctoritate quævis pro libidine sua facere, scitote quod brevi transibunt omnia, & totus orbis premetur bello non indicto, omnibus eiectis, & omnibus eÿcientibus. Eiusmodi enim delegationes sunt palàm peregrina Judicia, damnata à sexto Canone Niceno.

Quæstio est, quomodo hisce sacris delegationibus, Alexandrinum & Antiochenum Patriarchatum tangentibus, sese miscuerit sanctus Flavianus, & sanctus Joannes Chrysostomus fuerit rogatus sese miscere? Quidam id spectare putant ad rapinas Episcopi Constantinopolitani, ex tunc conati etiam alios Patriarchas sibi subjugare. At falluntur. Rapina ista dudum postea cæpit. Quocirca quæstionem enodat in prima sua Apologia sanctus Athanasius, adloquens Constantium Augustum: *Nunquam sine comitibus aut arbitris Fratrem tuum* Constantem Augustum *vidi, neque ille mecum unquam solus cum solo verba miscuit, sed semper cum Episcopo eius loci, ubi agebat.* Illius loci Episcopus erat Augusti Principis pro tempore propriùs Pastor, Pater spiritualis, Director in rebus Ecclesiasticis, quasi Archi-Capellanus, ideòque omnesde Ecclesiasticis quæstionibus sacræ Jussiones aut delegationes eius consilio & judicio disponebantur, nec sine illo ullus advena Episcopus ad Majestatis conspectum admittebatur. Quæ auctoritas præsertim fuit Regiæ civitatis Episcopo, de quo in secretis suorum ad Justinum Imperatorem Legatorum instructionibus Hormisda Pontifex: *Est consuetudo per Episcopum Constantinopolitanum omnes Imperatori Episcopos præsentari.*

Itaque Damascius Notarius ac Eulogius Diaconus accusatos Episcopos & accusatores Clericos ex Osrhoëna Provincia deduxerunt Tyrum, statueruntque Photio ibidem Episcopo, qui cum duobus Collegis Synodum fecit die vigesima quinta Februarij post consulatum Flavij Zenonis & Posthumiani, Christi Domini quadringentesimo quadragesimo nono, S. Leonis Pontificis decimo, Theodosij Augusti secundi quadragesimo secundo, Valentiniani tertij anno vigesimo quarto.

Ante omnia Divales sacræ delegationis literas legi fecit, accusatorios libellos à Clericis suscepit Photius ac litis contestationem, dumque ad audiendos testes procederet, factum est quod ipse postmodum dixit ad Synodum Chalcedonensem: *Quæstione quadam de* Act. 10. *Iba Episcopo mota, adversùs eum venientes Presbyteri ac Monachi à Mesopotamia dicebant de ipso, iste verò negabat. Nos tamquam mediatores, & pro mole blasphemiarum, & pro importunitate Monachorum & Presbyterorum iussimus egredi eos à Tyro. Scandalizabatur enim civitas, quæ nunquam*

quam

quam tale aliquid vel cogitaverat vel audiverat. Tyrios fuisse adversùs Nestorium ardentissimos liquet ex nupero ipsorum zelo, quo ejus lepræ suspectum suum Episcopum Irenæum deijci impetrarunt ac relegari. Hìnc similem motum timens Photius Synodum transtulit ad civitatem Berytensem.

Cæpta hìc fuit congregatio Calendis Septembribus ejusdem anni, in Episcopio novæ Ecclesiæ, præsente Damascio Notario ac Tribuno, atque Eulogio Diacono Constantinopolitano. Lecta item hìc Sacra Divalis, utpotè quæ *præfulgere debebat his gestis;* Antiochenæ Synodi Acta, & octodecim articulorum accusatorius libellus, in quo accusantes Clerici protestantur sese invitos confugere ad Principem & sacram delegationem, compulsos à necessaria sibi justitia, quam neque ab Orientali neque ab Occidentali concilio obtinere potuissent. Istud namque refugium nemo vel impudens unquam sine frontis crispatione & rubore attentavit. Et hinc de illo ab Eusebianis accusatus sanctus Athanasius reposuit in Apologia ad Constantium Augustum: *Profectus sum Alexandria, non ad castra fratris tui Constantis, sed Romam dumtaxat, me meaq; Ecclesia, commendaturus.*

Palmaris adversùs Ibam de fide accusatio non erat libello inserta. Audiamus ipsam à Samuële Presbytero: *Consuetudo est in Ecclesia* Edessena, *in die sancto Pascha, aut ante diem dare Episcopum de manu Clericis quadam pro festivitate. Hac daturus alloquitur primitus, & sic dat.* In ista allocutione dixisse accusabatur Ibas: *Non invideo Christo facto Deo, quoniam si volo, & ego fio.* Accusabatur & alia blasphemasse. Primò, quod sanctum Cyrillum appellasset hæreticum. Secundò, quod dixisset de eodem Sancto: *Nisi anathematizasset sua Capitula, non recepissemus eum. Bona memoria Cyrillum tamquam hæreticum habui, & donec anathematizasset sua Capitula, non recepi eum. Hæreticus fuit, donec anathematizasset.* Non solummodò ante initam inter Ægyptios & Orientales Episcopos pacem, sed & anno superiori accusabatur hæc dixisse.

Erat longa & operosa accusatio, ideòque Synodus probari sibi voluit solos tres capitales, & ad Ibæ aut Collegarum degradationem sufficienres articulos: Memoratas blasphemias, luxuriam, ac Ecclesiasticæ substantiæ rapinam. Ad primum probandum accusatores produxerunt famosas Ibæ ad Marim Persidis Episcopum literas, post Ecclesiarum pacem palam scriptas, in quibus disertè dicit S. Cyrillum fuisse hæreticum, & eius Capitula esse plena impietatis. Alios Epistolæ istius excessus suprà adduxi. Producti sunt & tres auriti testes,

David,

David, Maras, & Sabbas, vir inter Syros sapientissimus, Diaconi Ecclesiæ Edessenæ. Verùm de primæ & palmaris blasphemiæ verbo Ibas reposuit *Ego non dixi, & anathematizo qui dixit. Ego enim nec à dæmone audivi hoc verbum.* Et de secundo in sanctum Cyrillum calumnioso verbo: *Cum veritate dico, non sum memor. Et si vocavi eum, quando Orientale Concilium eum quasi hæreticum anathematizavit, secutus sum Primatem meum* Joannem Patriarcham Antiochenum. Et de tertio verbo: *Dixi, Quia nisi Cyrillus semetipsum interpretatus fuisset, & suscepisset eum Orientale Concilium, & ego eum cum meo Principe abnegabam. Ego anathematis non feci mentionem. Ego secutus sum Orientale Concilium.* Et iterùm: *Ego postquam sua Capitula interpretatus est, tantùm abest ut eum virum anathematizarem, ut etiam literas ab eo acceperim, & literas ei miserim. Et communicatorem me habuit, & communicatorem eum habui.* Cùm Orientalis diœceseos Episcopis pacem firmans sanctus Cyrillus sua duodecim Capitula ab illis admitti & probari non exegit, ideòque ab ipsis semper judicatus fuit ea tamquam hæretica aut hæreseos suspecta, licèt non anathematizasse, tamen interpretatus fuisse & recantasse. Eorumdem admissionem aut professionem etiam Chalcedonensis Synodus neque ab Iba, neque à Theodoreto, neque ullo Orientali Episcopo exegit. Hìnc ergo plerique isti in prava de illis opinione usque ad mortem permanserunt. Hoc in puncto se cum suo Patriarcha & omni eius Synodo sensisse Ibas adseruit, verùm post initam pacem de sancto Cyrillo non fuisse malè locutum.

Accessit ipsi & Edesseni Cleri libellus, cujus hæc Epigraphe: *Instructio & deprecatio Dei amantißimis atque sanctißimis Episcopis Photio & Eustatio, ab omni Clero Edessenæ Civitatis.* Subscriptus erat à quatuordecim Presbyteris, quadraginta & uno Diaconis, undecim Subdiaconis, & duobus Lectoribus. Nempè Græci nullos habebant minores Clericos, nisi solos Lectores. Porrò Edessenæ Ecclesiæ Clerus erat amplissimus: Fuisse ducentorum & ampliùs nominum ipse ad Synodum præsentem Ibas est professus. Dicti igitur Clerici Episcopum suum à suprà memorata Pelagiana ac Nestoriana blasphemia protestati sunt esse innocentissimum: *Omnes nos, quos dicunt audivisse ea verba, manifestum facimus vestra Deo Amabilitati, tamquam coram Dei clementia, quia neque ab eo, neque ab alio ullo tale dictum aliquando audivimus, neque in aures nostras ingressum est tale aliquid aliquando, anathematizantes nosmetipsos, & terribili gehennæ obnoxios facientes; si novimus tale aliquid ab eo dictum, aut aliud aliquod contrarium catholicæ Fidei. Si enim tali aliquo dicto acquiesceremus aut communicare ei qui dixit, aut comministrare in sacrificio, ultimo supplicio fuißemus obnoxij,*

tam-

tamquam communicantes tali execrationi. Hic est ille laudum libellus, quem vi fuisse per Ibæ amicos procuratum & extortum suprà dixerunt ejus accusatores. Et pergit: *Rogamus autem & deprecamur vestram Sapientiam, ut eidem religiosissimo Episcopo suadeatis, quatenùs velociter ad suum gregem redire festinet, qui periclitatur ab omnibus lacerari, cùm nullus sit, qui ei adesse praevaleat, & maximè festivitate salutiferâ* sancti diei Paschalis *imminente, in qua & propter catechismos, & propter eos qui digni sunt sancto Baptismate, opus est eius praesentia.*

Eadem de caussa Ibam apud se in Quadragesima accusatum mox evocare noluit Domnus Patriarcha, sed usque pòst Pascha dedit inducias. Et Francorum Legatos, Constantinopolim ad Justinianum Augustum proficiscentes, rogat Italiæ Clerus: *Sancto* Mediolanensium *Episcopo Datio adesse festinate, postulantes ut* dictus Imperator *eum post quindecim vel sedecim annos ad suam Ecclesiam redire concedat. Quia cùm penè omnes Episcopi, quos ordinare solet, sint mortui, immensa populi multitudo sine Baptismo moritur.* Et de ejus Antecessore sancto Ambrosio scribit Presbyter Paulinus: *Erat in rebus Divinis implendis fortissimus, in tantùm ut quod solitus erat circa baptizandos solus implere, quinque postea Episcopi vix implerent.* Et ad Romanum Italiæ Exarchum, qui Blandum Ecclesiæ Hortensis Episcopum Ravennæ detinebat, scribit sanctus Gregorius magnus: *Ecclesia sine Rectore, & populus quasi sine Pastore grex deperit, & ibidem infantes sine Baptismate moriuntur.* Et adversùs Odoacrum Ecclesiæ Beluacensis laicum invasorem ac detentorem scribit Hincmarus Metropolita Remensis: *Quanti sine Canonico Baptismo relicti fuerunt?* Quod nempe olim in civitate solus baptizare posset Episcopus: Quod item in quibusdam regionibus sola Cathedralis Ecclesia haberet fontem baptismalem. Et quidem Edesseni Cleri preces non potuerunt exaudiri: Nam in Februario apud Tyrum facta Synodus fuit translata Berytum, & Septembribus Kalendis primùm inchoata.

L.2. Ep.32.

Ep.52. c.2.

Erat caussa difficilis. Etenim accusatores Clerici nec plenè probârunt, nec ut calumniosi ad talionem postulari meruerunt. Hinc gloriosis Judicibus postulantibus, *Ibas reverendissimus à suis accusatoribus fuit convictus*, respondit in Chalcedonensi Synodo Photius Tyri Episcopus, primus judicum delegatorum: *Non.* Addidit testes fuisse accusantium domesticos, palàm obnoxios exceptionibus, ac insufficientes. Quare tres delegati Episcopi sese ex judicibus in mediatores verterunt, ac inter accusatos & accusantes fecere pacem sub sequentibus condicionibus. Primò, ut Ibas Ephesinam Synodum reciperet; & uti magnæ Nicænæ parem in omnibus veneraretur. Secundò, ut

Act. 10.

 initam

initam à sancto Cyrillo & Joanne Antiochiæ Patriarcha pacem servaret ex integro, atque de sancto Cyrillo tamquam orthodoxo Ecclesiæ Patre sentiret & loqueretur. Tertiò, ut Edessam redux Nestorium, ejus dogmata, Sequaces, libros, ipsorumque lectores palàm ex ambone anathematizaret. Quartò, ut sui accusatoribus Clericis, atque adversùm te testatis monachis & laicis remitteret omnem injuriam, omnia huc usque Acta traderet perpetuæ oblivioni, eosque deinceps ut filios carissimos haberet, nullum gradu privans, aut majorem minori postponens. Quintò, ut hanc injuriæ oblivionem firmaret juramento. Sextò, ut quatuor sui accusatores Presbyteros nec ob delicta forsitan futura castigaret ipse, sed Antiocheno Patriarchæ castigandos transmitteret, atque ità se teneret liberum ab omni suspicione læsi juramenti. Septimò, ut Ecclesiæ suæ substantiam deinceps per Oeconomos regeret, uti fiebat in Patriarchali Ecclesia Antiochena. Et ex hoc articulo postmodùm prodijt Canon Chalcedonensis; mandans in omnibus Ecclesijs constitui Oeconomos. Etiam de cæteris Ibæ objectis capitulis statutæ sunt regulæ, & à parte utraque acceptatæ. Ità igitur ille ab omni impetitione absolutus est, & innocens declaratus. Ita sanè & hæc Berytensis Synodus, nec non & magna Chalcedonensis istam pacificationem intellexerunt. Etenim sancto Paschasino, Lylibeti apud Siculos Episcopo sancti Leonis Papæ Vicario & Legato, mandanti, *Sanctissimi Episcopi, qui Decreto proprio inculpabilem & ab omni accusatione liberum Ibam reverendissimum declarârunt, si propriam sententiam recognoscant, edicant*, respondit Chalcedone Photius Tyriorum Metropolita: *Etiam, nostrum est judicium.* Et Eustatius Berytensis Episcopus: *Mea est dictatio.* Et rursùm S. Paschasinus: *Relectis chartis agnovimus ex sententia reverendissimorum Episcoporum Ibam reverendissimum innoxium approbari.* Porrò de Ibæ Epistola videtur Berytensis Synodus nihil judicasse.

C. 16.

CAPUT IV.

Exponitur Antiochena Synodus in caussa Athanasii Episcopi Parrhensis.

ATHanasius Parrhensis in Eufratesia Provincia Episcopus de argentearum columnarum furto, & nescio quibus alijs criminibus fuit accusatus ab Ecclesiæ suæ Clericis apud Domnum Patriarcham Antiochenum, qui caussam delegavit Panolbio Hierapolitano Episcopo, ejus Metropolitæ, atque amico. Ex quo vides primam criminalis contra Provincialem Episcopum actionis instantiam privativè non spectare ad Metropolitam, sed fieri posse etiam apud Patri-

triarcham. Panolbius, Alexandri, qui Ephesinæ Synodo adfuit, proximus successor, ad suam Synodum tertiò evocavit Athanasium, at ille propriâ conscientiâ territus tertiò non comparuit, quin & nolle comparere professus tertiò Episcopatum renunciavit, & ad manus Metropolitæ posuit, conjurans alium pro se Episcopum ordinari. Ita in Antiochena Synodo Jamblichus Chalcidis Episcopus est testatus. Theodorus Damasci Episcopus, Libanesiæ Phæniciæ Metropolita addidit: *Athanasius apud beatum Panolbium, qui fuit eius Metropolita & amicus, sicut ipse in repudijs à se datis ostendit, repudiavit Parrha Episcopatum, & tertiò ab eodem Panolbio evocatus audientiam illatorum sibi criminum refutavit, & propriam civitatem reliquit, adijciens & hoc in repudij sui literis, quoniam ante duos aut tres annos hoc apud se deliberatum fuisset, ut ab Episcopatu recederet.* Et iterùm: *Dixit à se monasticæ* Philosophię *silentium amplectendum,* imitandumque S. Gregorium Nazianzenum, de quo Episcopatum Constantinopolitanum deferente scribit in virorum illustrium catalogo S. Hieronymus: *Vivo se, Episcopum in loco suo ordinans, ruri vitam monachi exercuit.* Hìnc de Athanasio dixit ad præsentem Synodum Isaacius Lectorum in Ecclesia Parrhensi Primicerius: *Egressus est de civitate, & in regione Samosatorum degebat solitarius in proprio prædio, & denuò descendit in civitatem Samosatorum.* Adjunxit Theodorus Metropolita Damascenus: *Ex illo regressus est Parrhen.* Et iterùm: *Istas ordinationes post repudia sua constituit.* Quoniam Metropolita Panolbius Parrhensibus non ordinarat novum statim Episcopum, thronum suum & omne Episcopale ministerium, etiam Clericorum ordinationes, propriâ auctoritate resumpsit Athanasius: Titulum seu tituli fucum, quod mutila sint hæc Acta synodalia, ignoramus.

Verùm zelosiores Clerici adversùs præsumptionem istam intercessere apud Joannem Panolbij successorem, fuitque ab ipso Athanasius ad rationes evocatus. Hìnc ille Constantinopolim & Theodosium Augustum accessit, Clerum suum accusans de multis. Primò, quod Clericorum quidam Patris sui senium & canos inhonorassent, in ipsum latrassent degradationis sententiam, ejus uti degradati nomen rasissent è sacris Ecclesiæ tabulis, ipsumque & Ecclesia & civitate ejecissent. Secundò, quod ejecissent & constitutos ab ipso Ecclesiæ Oecocomos, & alios propriâ auctoritate substituissent. Tertiò, quod ista esset vetus eorum protervia ac tyrannis, ex qua etiam in suos Antecessores similia attentassent. Quartò, quod Joannes Metropolita esset suus inimicus. Hìnc alijs judicibus caussam suam sacrâ Principis jussione delegari supplicavit. Eo tempore per nescio quam

occasionem sanctus Cyrillus erat Constantinopoli, & nescio quæ Synodus, atque ita Athanasij preces non soli Proclo Regiæ civitatis Episcopo Princeps ex more communicavit, sed cunctæ isti Synodo, de qua sanctus Cyrillus: *Tanta passum se dicit Athanasius Episcopus, ut etiam congregata in Regia civitate Synodus lachrymas daret.* Hâc viâ ille impetravit sacram delegationem, de qua in confirmatricibus ad Domnum Antiochiæ Patriarcham literis laudatus Cyrillus: *Quia nimis incongruum est præsumi talia à Clericis adversùm Episcopos proprios, & hæc despicere nos impossibile est, dignetur tua Sanctitas, si ab Antiochia longè est civitas, cuius gubernationem sortitus est religiosissimus Episcopus Athanasius, quibusdam per proprias literas audientiam delegare, quatenùs evocati hi, qui accusati sunt, respondeant, & si inventi fuerint accusationibus rei, à sacro ministerio decidant.* Et infrà: *Asserit Athanasius eum se suspectum habere, qui nunc ius metropoliticum Provinciæ obtinet, ex qua est, & nihil molesti est, si ijs, qui ei suspecti sunt, iudicare non liceat.* Et in similibus ad eundem Domnum literis sanctus Proclus: *Si longè ab urbe Antiochena civitas constituta est, in qua hæc perpetrata noscuntur, aliquos Dei amantissimorum Episcoporum ipsi urbi vicinos, personas non accipientes, ad audiendam hanc caussam Sanctitas tua deputet. Formidat enim religiosissimum Metropolitanum Episcopum, tamquam vesana flamma inimicorum eius ex odio adversùs eum vim præbentem atque materiam.* Et post quædam: *Tua Religiositas non arbitretur, quia tamquam ad iniuriam sedis Antiochenæ maximæ civitatis huc venit memoratus Dei amantissimus Episcopus; sed metuens quosdam seditionibus gaudentes, & passioni propria militantes, dedit ad tempus locum iræ. Nam alioquin patientiam, & mansuetudinem, & iustitiam tuæ Religiositatis prædicare non cessat: Nec ut accuset, sed ut supplicet honestiorem in se compositionem fieri.* Ex quo rursùm vides Episcoporum ad laicos Principes recursum semper, uti Ecclesiasticæ potestatis contemptum, sanctis Ecclesiæ Patribus displicuisse. Et quidem caussam hanc alieno Metropolitæ aut Patriarchæ delegare non præsumpsit Theodosius Augustus, sciens ista esse peregrina judicia, Ecclesiasticæ disciplinæ nimiùm adversa. Apostolicum suum thronum per eas lædi suprà in Ibæ Edesseni causa questus est idem hic Patriarcha Domnus: Phrasin didicerat ab hisce literis sancti Procli. Sacra Divalis interijt, de ipsa verò ad præsentem Synodum dixit Sabbas Episcopus Paltensis: *Detulerat Athanasius Sacram, ut non sederet Domnus Theodorus* Metropolita Damascenus *in caussa, neque Ioannes,* proprius ejus Metropolita Hierapolitanus.

Ipsam mendacijs & obreptionibus plenam, nec non ejus confirmatrices Sanctorum Cyrilli & Procli literas admiratus est Domnus

Pa-

Patriarcha; eas tamen veneratus fecit quod dixit postmodùm in Synodo præsenti: *Quando suscepi literas Dei amantissimorum Episcoporum Procli & Cyrilli, memor sum quia & Athanasium huc evocavi, & Dei amantissimos Episcopos Provinciæ, ut hac caussa examinaretur.* Fecisse hoc se dicit *secundùm Athanasii preces.* Etenim Parrha est Antiochiæ vicina, distans ad duas solummodò mansiones. Proclum Domnus Cyrillo præponit, quod nempe nuper, uti in literis ad S. Flavianum Constantinopolitanum Episcopum scribit Theodoretus, tertium Synodi Constantinopolitanæ Canonem, qui Regiæ civitatis Episcopo secundùm Ecclesiæ locum attribuit, admisisset, solenniter cum S. Proclo de longa ista lite stipulatus. Epist. 86.

Hæc Domni verba, *Quando suscepi literas, &c.* Evincunt non statim à receptis literis factam fuisse hanc Synodum. Rei ordinem aperuit in Synodo Chalcedonensi reus Athanasius: *Mea caussa à longo tempore inchoata est, & hanc audiebant beatæ memoriæ Cyrillus & Proclus, & certas formas scripserunt Domno, qui fuit Antiochenus Episcopus, promisitq; ille eas complere. Et cùm cognovisset mortem beati Cyrilli, resilivit, & ad iudicium me vocavit. Ego rescripsi, quia si vellet permanere in datis sententiis ab Archi-Episcopis, paratus essem; si verò vellet aliud aliquid, non audire me eius citationem. Semel enim præcedentes Episcopi rem certissimam decreverunt.* Per sacram Divalem, ac ejus confirmatrices Sanctorum Cyrilli & Procli literas esse restitutus, & non judicari ampliùs, sed dati à tantis Patriarchis judicii executionem dùmtaxàt accipere voluit Athanasius, quod meritò refutans Domnus tandem coëgit hanc viginti octo Episcoporum Synodum, quos inter fuerunt etiam Joannes Hierapolitanus, & Theodorus Damasci Metropolita, exclusi per sacram Divalem, & de quibus ad Synodum Chalcedonensem perrexit Athanasius: *Accusavi eos, qui adversùm me machinati sunt, & iusserunt* Proclus & Cyrillus *non interesse iudicio eos, qui à me fuerant accusati.* Hìnc neque primæ neque secundæ evocationi parere, aut Synodo se sistere voluit Athanasius, aiens inimicos suos uti judices adsidere. Quare pro ipso, tamquam fundamentum habente, ad Joannem Hierapoleos & Theodorum Damasci Metropolitas interlocutus est Sabbas Episcopus Paltensis: *Si iudices estis, audite negotium; si verò non subscribitis, egredimini.* Quare illi tandem *simpliciter contentione factâ subscribere noluerũt.* Attamen Synodo non exierũt. Hìnc tertiò citatus est Athanasius, sed nec tum adesse voluit, dicens: *Quoniam inimicus meus est ipse, qui iudicat, Antiochenus.* Illum, cujus antea patientiam, mansuetudinem, justitiam apud Principem, sanctosque Cyrillum & Proclum prædicarat, jam sibi inimicum ait, utpotè qui ejus inimicos,

 &

& quidem per sacram Divalem exclusos, ad Synodnm tamquam judices admisisset. Eumdem suprà arguit, quod sancti Cyrilli jam defuncti pro se Decreta contempsisset. Adversùs Domnum ità insurrexit in Synodo Chalcedonensi, quod ejus ab Ephesino latrocinio factam damnationem confirmasset S. Leo Pontifex, adeòque ille ab omni reparationis spe alienus Ex-Patriarcha esset.

Ejus accusatores erant Tatianus Ecclesiæ Parrhensis Diaconus, & Isaacius Primicerius Lectorum, accusantes de multis, præsertim de furto argentearum columnarum. At quoniam agebatur in reum absentem & contumacem, Panolbij Metropolitæ in ipsum Acta, Principi & Regiæ civitatis Synodo datas preces, ac in Divalibus literis expressa mendacia potiùs discutienda judicavit Domnus, ad Tatianum Diaconum interlocutus: *Habes exemplaria repudij reverendissimi Athanasii Episcopi?* Et Tatianus: *Præ manibus habeo & exemplaria & authentica, quæ accepi à Dei amantissimo Episcopo Ioanne Hierapolitanorum metropolis.* Ex ipsis ad Domni Patriarchæ jussum lectis patuit, quod Athanasius Panolbio Metropolitæ tertiò ad judicium evocanti fuisset contumax, & caussæ suæ metuens Episcopatum per trina consequenter repudia ad ejus manus posuisset, Panolbium in ipsis repudiorum literis professus sibi amicum, & conjurans ad alium suo loco Episcopum ordinandum. Quare Sabbas Paltensis Episcopus in ipsum pronunciavit: *Tertiùm repudiando reverendissimus Athanasius, & coniurando alium pro se ordinari debere, quam de reliquo rationem habet de Episcopatu Parrhenorum sanctæ Ecclesiæ nunc movere, & præcipuè cùm apud amicum suum beatæ memoriæ Panolbium caussam non dixerit?* Istudque suffragium omnis Synodus comprobavit. Ita Eustatium Pamphyliæ Metropolitam, qui ab æmulis calumniosè traductus, non conscientiæ, sed solius litis metu Episcopatum deposuerat, reparare noluit, sed pro magna gratia ad nudum Episcopi nomen admisit Synodus Ephesina. Et de Paulo Patriarcha Antiocheno, criminaliter à suis accusato, scribit ad Hormisdam Pontificem Justinus Augustus: Post.Ep 80. Relat.1. *Mala sua conscientia victus testimonio, veritus insuper ne quæstione habita graviorem formam exitus rei posceret, recusatores libellos obtulit, ut liceret ei recedere à suscepto Episcopatus officio.* Renuntiationem admitti postulat Princeps, & Pontifex admisit. Factam ex tali metu renuntiationem variæ Synodi definiunt ratam, atque hìnc sumpta est recentior regula: *Renuncianti ius suum non datur regressus ad illud.*

Exindè Patriarcha Domnus legi jussit sacram Divalem, ejusque confirmatrices Sanctorum Procli & Cyrilli literas, atque Valerius Anazarbi Episcopus, secundæ Ciliciæ Metropolita, sententiavit:

Re-

Reverendissimus Athanasius falsa docuit Dei amantissimos Archi-Episcopos, Proclum & Cyrillum, & tertiò à beata memoria Panolbio evocatus audientiam declinavit, usus etiam repudia, & propriâ voluntate civitatem deseruit, & non à proprijs Clericis est expulsus. Adsensa est omnis Synodus, atque ita Athanasius judicatus est cæteris suis criminibus etiam hocce solenne mendacium addidisse.

Restabat ejus præsens contumacia, de qua Domnus Patriarcha: *Quid perspicit vestra sancta Synodus fieri oportere?* Reposuit Theodorus Metropolita Damascenus: *Ecclesiasticis sanctionibus placet eum, qui pro quibusdam rebus incongruis evocatus, & tertiò vocatus non venit, cadere honore quem habet. Manifestum est autem Athanasium non solùm tertiò, sed etiam frequenter evocatum non obedisse, neque illatis criminibus respondere voluisse.* Etenim non hujus solummodò Synodi, sed & Panolbij ac Joannis Metropolitarum spreverat evocationes. Hujus contumaciæ ergò alienum illum à Sacerdotio secundùm Ecclesiasticas leges decrevit Theodorus, & alium ejus loco Episcopum ordinandum, atque ita Parrhensem Ecclesiam à duorum annorum motu tandem liberandam. Quod suffragium firmavit omnis Synodus, etiam Domnus Patriarcha, concludens: *Præcipio Dei amantissimo Episcopo Ioanni, & ipsius provinciæ religiosissimis Episcopis, alium pro eo Parrhenorum sancta Dei Ecclesiæ Episcopum ordinare.* In dejectorum Episcoporum sedes mox ordinari alios Episcopos jussit etiam sanctus Gregorius magnus, volens illis adempta omni reparationis spe quietari animum ad peragendam pœnitentiam, & ipsorum civitates à turbis & vexationibus liberari.

Attamen Domni Patriarchæ præcepto Joannes Metropolita nescio ex qua caussa non obedivit. Etenim Athanasij successor Sabinianus in libellis sancto Leoni Pontifici & Chalcedonensi Synodo exhibitis adfirmat se ordinatum à Stephano, Joannis successore. In precibus Marciano Augusto exhibitis ait se à puero educatum in monasterio, de Episcopatu ne vel cogitasse unquam, violenter exindè extractum à dicto Metropolita & Episcopis comprovincialibus, ac invitum impositum cathedræ doctorali. Etenim monasteria sunt propria Clericorum ac Episcoporum seminaria: Ex illis sancti Ecclesiæ Patres, à sancto præsertim Athanasio ita docti, ad reparandas à malis Pastoribus aut alijs calamitatibus vastatas Ecclesias passim Episcopos adsumpserunt.

Hujus Synodi tempus docet nos degradatus Athanasius, dicens ad Synodum Chalcedonensem: *Cùm Domnus* Patriarcha *cognovisset mortem beati Cyrilli, ad iudicium me vocavit.* At verò sanctus Cyrillus obijt Act. 14.

obijt sub consulatu Faltonij Probi Alypij & Flavij Ariobindi, anno Domini quadringentesimo quadragesimo septimo, anno uno ante Synodum Berytensem. Labitur enim Onuphrius Panuinus, hancce Synodum & Ephesinum latrocinium adfirmans facta eodem anno. Et hinc de Iba Edesseno Metropolita, & Andræa Samosatensi Episcopo dixit ad Domnum Patriarcham, huic Synodo præsidentem Tatianus Diaconus, Athanasij accusator: *Habeo & Epistolas religiosissimorum Episcoporum, Domni Iba, & Domni Andrææ, quas miserunt evocati à tua Sanctitate, & occurrere non valentes.* Ibas, inquam, uti canonicus, integer, & à nemine huc usque culpatus Episcopus fuit invitatus ad hanc Synodum, adeòque facta ipsa fuit ante Synodum Berytensem, immò & ante factas illius apud Domnum Patriarcham accusationes. Factæ hæ fuerunt Hierapoli, quò Domnus Stephanum electum Metropolitam consecraturus advenerat, at verò huic nostræ Antiochenæ Synodo Joannes adfuit, Stephani Antecessor. Hinc item colligitur ratio, ex qua Stephanus Sabinianum mox consecrarit in Episcopum Parrhensem: Ipsum in ejus consecratione ad dictæ Synodi Decretum mox exequendum Domnus Patriarcha obligarat.

CAPVT V.

Exponuntur Acta latrocinij Ephesini.

AN hocce latrocinium habuerit dumtaxàt Actionem unicam, an plures, res est incerta. Fuisse plures innuit in Synodo Chalcedonensi Theodorus apud Isauros Episcopus Claudiopolitanus: *Iussum est à Domino orbis terræ, ut Synodus de Flaviano priùs iudicaret. Isti multas Synodos in hoc ipsum facientes, &c.* Multæ istæ Synodi videntur non esse aliud, quam multæ synodales Actiones. Et Stephanus Ephesiorum Archi-Episcopus adfirmat quosdam Episcopos, non primo, sed altero priùs die in sancti Flaviani damnationem subscripsisse. Quare tunc factam oportuit secundam Actionem. At verò oppositum suadent verba Acacij Ariarathiensis in secunda Armenia Episcopi: *Vsque ad vesperam tenuerunt nos.* Sancti Flaviani damnationem, postremum latrocinij actum, fuisse vespere post accensos cereos factum, infra liquebit. Et hinc Chalcedonensis Synodus omnia & singula latrocinij Gesta videtur discussisse unico die: Quod nempe illa in unico etiam essent peracta. Res est incerta. Claritatis ergo nos Acta longa in titulos distinguemus.

Latrocinij exordium.

LAtrocinium factum fuit sexto idus Augusti, Consulatu Turcij Secundi Asterij,& Flavij Protogenis, Christi Domini quadringentesimo quadragesimo nono, S. Leonis Pōtificis decimo, Theodosij Imperatoris secundi quadragesimo secundo, Valentiniani tertij vigesimo quarto, secundo anno Dioscori Patriarchæ Alexandrini. Nec refert, quod Acta synodalia factum dicant tempore Zenonis & Posthumiani venerabilium Consulum: Etenim Græcus textus disertè habet, *Post Consulatum Zenonis & Posthumiani.* Factum fuit in Basilica Deiparæ Virginis, ubi convenerat & vera Synodus Ephesina.

Impurus Actorum Digestor mox in exordio prodidit suas ineptias, dicens primo loco sedisse Dioscorum Alexandriæ Patriarcham, secundo autem Julianum Coënsem Episcopum, Leonis Papæ Vicarium ac Legatum. Cur item S. Flavianum Constantinopolitanum Episcopum quinto loco post Domnum Antiochenum, & Juvenalem Hierosolymitanum locârit Dioscorus, suprà in Dissertatione rationes adduxi. Etiam cur Domnum postponat Juvenali.

Ante omnia Dioscorus per Joannem Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyterum ac Notariorum Primicerium legi jussit Divales Theodosij Augusti ad Synodum tractorias literas, *redditas unicuique Metropolitano*, seu Patriarchæ, mandantesque ut illi cum decem suæ diœceseos Metropolitis & totidem Provincialibus Episcopis Ephesi adsint Kalendis Augusti proximis, & à suo congressu excludant Theodoretum Cyri Episcopum, nisi cunctis totius Synodi Episcopis, nemine prorsùs refragante, placuisset admittendum. Ex hac Divali usurpavit Dioscorus sibi Synodi præsidentiam; verùm Julianus Coënsis Episcopus, sancti Papæ Leonis Vicarius ac Legatus, per Florentium Sardensem Episcopum, Lydiæ Metropolitam, suum interpretem, constanter intercessit: *Eodem tenore à pijssimis & Christianissimis Imperatoribus sanctissimus noster Papa Romana Ecclesia Præpositus Leo vocatus est.* Etenim, uti ad Synodum Chalcedonensem dixit Constantinus sacri Consistorij Secretarius, *eodem tenore scriptum fuerat & alijs Episcopis* Patriarchis, *ut in Synodum convenirent.* Ex more: Eadem semper Tractoria scribi consuevit ad omnes Patriarchas. Juliani intercessionem lucidè exposuit per eundem interpretem Hilarus Romanæ Ecclesiæ Diaconus & Legatus: *Christianissimi Imperatores charitatem circa fidem catholicam & adfectum tenentes, beatissimum Episcopum nostrum Leonem, Apostolicæ Sedis Præsulem, ut huic venerabili & sancto Concilio*

cilio adesset, dirigentes venerabiles Epistolas supplicârunt: Cuius Pietati placere potuit, si huius rei aliquod præcessisset exemplum. Nam meliùs vestra potest cognoscere Sanctitas, quia neque in Nicæna, neque in Ephesina sancta Synodo, neque in alio tali sancto Concilio Papa perpetuæ sanctissimæ Sedis adfuit. Pro qua re huius formæ sequens consuetudinem nos direxit. Qui sanctissimus non dubitans se in nobis hic adesse, quos præcipuè cognoscit omnia, quæ ad fidei Catholicæ synceritatem, & quæ ad sancti Petri Apostoli pertinent reverentiam, agere, qui etiam per nos ad vestram Beatitudinem congruas sanctorum Patrum Concilio direxit Epistolas, quas suscipi & recenseri præcipite. Patriarchæ ad Synodum Legatos non esse ipsi Patriarchæ æquiparandos, nec ejus loco & cæteris prærogativis donandos, ideòque Synodi Præsidentiam, Romano Episcopo per Canones debitam, ejus absentis Legatis non convenire, sed in sese esse devolutam adfirmabat Dioscorus, istoque fuco violenter invasit. Hoc ejus phantasma Hilarus evertit, dicens Romani Pontificis personam usque huc nunquam præsedisse generalibus Synodis, sed ejus semper Legatos, Apostolicum de proposita quæstione suffragium & definitionem complectentibus literis instructos, ipsos præsedisse ac primos ejus vice fuisse suffragatos, adeòque & sibi & suis Collegis idem in hac Synodo jus omninò deberi. Et à sese allatas sancti Leonis dogmaticas literas, uti totius Synodi & omnium in ipsa suffragaturorum Episcoporum lumen & regulam, postulavit ante omnia legi.

Apostolica ista Epistola omnes in Eutychiano atque Eusebiano Dioscori cerebro fabricatas machinas evertebat. Erat enim dogmatica sancti Leonis Papæ ad sanctum Flavianum Constantinopolitanum Episcopum Epistola, Eutychetis errores, uti Apollinaris aut Manichæi surculum, condemans, datas in ipsum anathematis & degradationis à sancto Flaviano sententias confirmans, & laudatum Flavianum absolvens ab omnibus ejus appellationibus, libellis contestatorijs, alijsque hæreticis nugamentis. Hinc Dioscorus nihil magis timuit, quam literas istas Episcopis innotescere, & Synodo recitari. Omninò veraciter adversùs illum dixit in Chalcedonensi Synodo Ætius Archi-Diaconus Ecclesiæ Constantinopolitanæ: *Neque suscepta est Epistola, neque lecta. Dioscorus septies iuravit coram omnibus eam facere recitari, & non est lecta. Et peieravit, quia iuravit.*

Apostolicas ad Synodum literas palàm refutare fuit apud omnem semper Ecclesiam graviùs peccato ariolandi. Hinc arte & dolo fuit Dioscoro opùs. Parere atque vetustam Synodorum regulam servatam se velle simulans ad Hilari Diaconi postulata edixit: *Suscipiantur quæ scripta sunt ad hanc sanctam & universalem Synodum à sanctissi-*

mo

mo fratre nostro & Coëpiscopo Leone. S. Leonem, quem Patrem & Archi-Episcopum titulare debuerat, non sine dolo appellat Coëpiscopum & Fratrem. Legendas nihilominùs literas Hilarus porrexit Joanni Presbytero Alexandrino & Primicerio Notariorum. Verùm hìc Episcopo suo Dioscoro colludebat, atque ita lectionem istam diversurus est versutè interlocutus: *Aliæ Divinæ literæ redditæ sunt Sanctissimo Archi-Episcopo nostro Dioscoro, quæ præ manibus nostris sunt ad id quod placuerit Sanctitati Vestræ.* Et Dioscoro etiam colludens juvenalis Hierosolymæ Episcopus, grandem istic Patriarcham ostentans, sedereque præsumens ante Domnum Patriarcham suum Antiochenum, reposuit: *Legantur, & inserantur fidei monimentorum.*

Divalis ista Epistola erat ad reverendissimum Archi-Mandritam, immò monachum longè hæreticissimum atque nequissimum Barsumam, Antiocheni Patriarchatus Episcopos Nestorianæ hæresis accusans pessimè, laudansque monachos Eutychianos, qui monasticæ sanctitatis auctoritate abusi suis orthodoxis Episcopis communicare detrectarant, rebellarant contumacitèr, & horrendis turbis omnem Orientem arietarant. Barsumam uti hujus sacri belli ducem laudat Epistola, & addit: *Iustum esse duximus tuam Sanctitatem, puritate vitæ & catholica fide probabilem, ad Ephesinam pergere civitatem, & locum tenentem omnium religiosissimorum Archi-Mandritarum Orientalium considere sanctæ Synodo, & cum alijs sanctis Patribus & Episcopis quæ sunt Domino placita ordinare.* Hic est primus monachus, cui in generali Synodo datum est suffragium definitivum. Hasce ergò literas legit Joannes Dioscori Presbyter, & mox reposuit Juvenalis Episcopus Hierosolymitanus: *Hæc eadem & mihi scripta sunt de reverendissimo Presbytero & Archi-Mandrita Barsuma à pijssimis Imperatoribus. Vndè rationabiliter intersit sanctæ Synodo.* Ità infælix & Apostolicorum Legatorum contemptrix Pseudo-Synodus profanum monachum ad judicis sedem, solis Episcopis debitam, admisit.

Exinde à Dioscoro rogati, num quæ Augusti Principis ad Synodum mandata haberent, Elpidius sacri Consistorij Comes, & Eulogius Tribunus ac Notarius Prætorianus dixere Nestorium fuisse, non Dei, sed diaboli sacerdotem ac ministrum, justissimè damnatum ab omni Ecclesia; Principis adversùs impia ejus dogmata zelum laudarunt, adidditque Elpidius: *Qualia sint, quæ pijssimus Imperator & nobis mandavit, & vobis scribere dignatus est, illicò faciam manifesta, tamùm antè dicturus quantùm unus ex his constitutus, qui sub vobis pietate rectè imbuti sunt. Hodie enim cunctorum Dominus & Deus Verbum Salvator vobis se ad iudicandum tradit, & patitur iudicantes, & honorat pote-*

ſtate decernendi, ut inveniens vos de ſe iuſta indicantes & hic honorificet, & coram Patre rursùm confiteatur. Egregiè prædicat generalis Synodi dignitatem. Et quæ eſſe poſſit hominibus Epiſcopis major dignitas, quam ipſius Divinæ Majeſtatis eſſe judices, & de tremendis Divini Conſiſtorij myſterijs cognoſcere & judicare? Nempe in generali Synodo non ſoli homines Epiſcopi ſunt, ſed & ſanctus Dei-Epiſcopi Domini Noſtri Jeſu Chriſti Spiritus adeſt, inducens illos in omnem veritatem. At in Comitis Elpidij verbis doloſus anguis latuit: Veræ Synodi dignitates latrocinio adſcripſit.

Hìnc de Synodi licentia idem Comes legit ſacram Divalem ſibi ac Eulogio Notario inſcriptam, habentem capita varia. Primò, mandat motæ quæſtionis judicium fieri *hìs, qui pridem Eutychetis religioſiſſimi Archi Mandritæ iudices exſtiterunt, præſentibus quidem & tacentibus, nullum tamen iudicantium habentibus locum, ſed communem omnium aliorum ſanctorum Patrum ſententiam exſpectantibus, quoniam ea, quæ dudùm ab ipſis iudicata ſunt, nunc retractantur.* Etenim per appellationem prior judex demutatur in accuſatorem, atque ità non dumtaxàt ſanctum Flavianum, ſed & qui hujus ſententias confirmârat, & à quo ad generalem Synodum Eutyches impudentiſſimè etiam appellârat, ſanctum Leonem Pontificem excluſit è tribunali judicis, atque ita in Præſidis throno Dioſcorum firmavit miſerabilis Auguſtus Theodoſius, aut potiùs ſub ejus nomine Chryſaphius Eunuchus. Quis enim Chriſtianus neſciat Romanum Epiſcopum nullâ appellatione à ſuprema Judicis ſede poſſe ſuſpendi? Secundò, eadem Divalis mandat motas de fide quæſtiones tractari ante omnia & plenè definiri; quaſvis alias, etiam pecuniarias, anteà ne quidem moveri. Tertiò, ſpectabilibus viris Elpidio & Eulogio dat Principis in Synodo vices ad accelerandum rebus finem, impediendas turbas, inquietos Epiſcopos coercendos etiam per cuſtodiam, ſynodales conſtitutiones mandandas executioni, & Principi referendas. Quartò, Proclo Aſiæ Proconſuli jubet, ut Elpidium & Eulogium adjuvet, & omni ſuâ appariturâ illis adſiſtat.

Lecta hìc item fuit ſacra Divalis ad Synodum Epiſtola, ab impuro ſynodalium Actorum Digeſtore redacta in hoc compendium: *Sacra litera de ſancta memoriæ Flaviano, utpotè innovante aliqua de fide contra Eutychen.* Ea, inquam, Epiſtola ſanctum Flavianum ac ejus Synodum de inquietato Eutychete, turbatâ per novas quæſtiones Eccleſiâ, & frequenti Auguſtarum admonitionum contemptu arguit, trahit inſuſpicionem erroris Neſtoriani, ideòque neceſſariam dicit generalem Synodum, judicaturam ex ſolo Nicæno Symbolo, prout confir-

firmato per Synodum Ephesinam. Constantinopolitanum quippe Symbolum varia adversùm Apollinarij errores, Eutychianæ blasphemiæ fratres germanos & fontes, additamenta habet; ea Eutyches pessimè oderat, ideòque ex solo Nicæno, sub cujus syllabis faciliùs latere possit dolosus lupus, Symbolo Chrysaphius Eunuchus jusserat judicari.

Exponitur Symboli Constantinopolitani damnatio, palmare latrocinij fundamentum.

AD lectas hasce Epistolas interlocutus est Thalassius Cæsareensis in prima Cappadocia Archi-Episcopus, Primas totius Ponticæ diœceseos: *Pijßimus & Christianißimus Imperator desiderans fidem, quæ hactenùs est, inconcussam manere, præcepit nihil aliud dicere, neque agere in sancta Synodo, nisi priùs de fide statuatur. Vndè omnia vacent, quæ sunt autem de fide proveniant.* Cur primus ad hanc Synodum Dioscorus, secundus Juvenalis, tertius sit locutus Thalassius, aperuit ipse in Synodo Chalcedonensi Dioscorus, alloquens gloriosissimos Judices: *Comperit vestra Clementia, quia non mihi soli sacratißimus noster Imperator commisit iudicium, sed & beatißimo Iuvenali, & sanctißimo Episcopo Thalaßio auctoritatem Synodi dedit.* Dioscorus sancti Flaviani, Juvenalis Domni Patriarchæ Antiocheni adversarius, Thalassius erat homo neophytus, ex palatio contra Canones in Episcopalem cathedram immissus, ideòque Chrysaphius Eunuchus suis pro Eutychete adversùs Deum & S. Flavianum cogitationibus exequendis aptos judicavit. Domnum & sanctum Flavianum ob nupera de tertio Constantinopolitano Canone servando pacta etiam Thalassius oderat: Oderat ab Episcopis Constantinopolitanis invadi & subjugari diœcesim suam Ponticam, imitatus antecessorem suum Helladium, qui qualiter sanctum Joannem Chrysostomum in exilij itinere tractârit ex eodem zelo, discere potes ex hujus literis ad Olympiadem Diaconissam. Hìnc eumdem Thalassium à Theodosio Augusto Eutyches impetrârat in judicem, coram quo sancti Flaviani Synodus de falsi crimine discuteretur. Etiam in vigesimum octavum Chalcedonensem Canonem consentire Thalassius dudùm noluit, solasque sex primas Synodi istius Actiones detulit in Cappadociam. Ex quibus liquet fuisse virum propositi tenacem.

Ejus interlocutio erat æqua, ideòque ipsam adjuvit Julianus Coënsis Episcopus, sancti Leonis Papæ Vicarius ac Legatus, dicens per Florentium Sardensem Episcopum, suum interpretem: *Neque enim*

 aliud

aliud præceptum est. Hic est ille Julianus, & Græci & Latini sermonis adeò peritus, ut ad Marcianum Augustum scripserit de illo laudatus
Epist. 69. Pontifex: *Quia quorumdam hæreticorum versuta nequitia, ad conturbandam aliorum simplicitatem, Epistolam meam, quam ad beatæ memoriæ Flavianum dedi, falsasse perhibetur, ut commutatis quibusdam literis vel syllabis receptorem me Nestoriani erroris assereret, obsecro venerabilem Clementiam vestram, ut eamdem Epistolam per fratrem meum Iulianum Episcopum in Græcum sermonem iubeatis integrè diligenterq; transferri.* Cur igitur ille Julianus ad hanc synodum est græcè per interpretem locutus? Propter majestatem Romanæ Ecclesiæ, Legatos suos in generalibus Synodis permittentis uti solo sermone Latino. Porrò Julianus & Hilarus Diaconus, licèt præsidentiæ throno exclusi, manserunt Ephesi: *Vt viderent finem.*

Thalassij interlocutionem etiam Comes Elpidius confirmavit: *Quoniam fundamentum fidei est hæc fides, pro qua & congregati estis, dignemini quæ de fide sunt determinare, quatenùs secundo in loco secundùm ordinem temporum legantur ea, quæ in Regia urbe adversùs reverendissimum Eutychen Archi-Mandritam acta sunt.* Verùm Dioscorus intercessit, dicens Eutychetis caussam esse appellatam, ideòque ante omnia primum, à quo appellatum, Flaviani de illo judicium audiendum ac retractandum, *si consonet statutis à sanctis Patribus*, utique Nicænis & Ephesinis. Et adjunxit: *Aut vultis fidem sanctorum Patrum innovare?* Et iterùm: *Etsi* Nicæna & Ephesina *duæ dicantur Synodi, tamen ad unam pertinent fidem. Si quis præter ea, quæ acta sunt, aut præter ea, quæ placuerunt Patribus, qui in Nicæa convenerunt, & qui hic* Ephesi *congregati sunt, aut inquirit aut discutit, aut retractat, anathema sit. Si sanctus Spiritus consedit cum Patribus, sicut & manifestè consedit, & ordinavit quæ ordinata sunt, qui retractat ea, Spiritus cassat gratiam.* Ita versatilis Ægyptius Eutychianæ blasphemiæ eversivum Symbolum Constantinopolitanum dolosè anathematizavit, paravitque securam viam ad omnem Synodum in resuscitatas Apollinarij impietates circumscribendam. Et omninò circumscripsit. Etenim circumscripta adclamavit: *Si quis innovat, Anathema sit. Si quis discutit, anathema sit. Sanctorum Patrum fidem servemus. Plenè omnia statuerunt* Nicæni *Patres. Anathema prævaricanti ea. Nemo addat, nemo minuat. Omnes hæc dicimus. Anathema sit qui retractat. Eijciatur retractans. Magnus fidei custos Dioscorus Archi-Episcopus. Custos Regularum. Per te vivunt Patres. Custos fidei.* Ita simplices nimiùm Episcopi orthodoxa Symboli Constantinopolitani ad Nicænum additamenta ignoranter anathematizârunt.

Ex-

Exponitur restitutio Eutychetis.

PErrexit ad Synodi Præsidem Dioscorum Comes Elpidius: *Patefactum est quod vobis visum est de sancta fide, cunctorum vocibus consentientibus, & laudantibus vestrum, qui præsidetis, Decretum. Iubete religiosissimum Archi-Mandritam Eutychen, super quo iudicata sunt quæ iudicata sunt, & qui est materia totius actionis, adesse, & quæ ei visa fuerint docere vestram Religiositatem.* Totius Synodi materia erat reverà solus Eutyches: Materia indigna. Quis enim ferat ob frivolam & fictam unius monachi appellationem indici generalem Synodum, Romanam Ecclesiam uti ream vocari in judicium, turbari omnes sub cœlo Ecclesias, & omne Romanum imperium horrendis facinoribus arietari? Hasce tragædias debemus unico simplicis Theodosij Eunucho. Porrò per Juvenalis Episcopi Hierosolymitani interlocutionem intromissus, & à Thalassio Cæsareensi ad constantiam animatus Eutyches dixit ad Synodum: *Ego commendavi meipsum Patri, & Filio, & Spiritui sancto, & verbo veritatis vestræ iustitiæ, & testes vos habeo meæ fidei, pro qua & laboravi cum sancta Synodo, quæ ante vos hic congregata est, sicut & vestra Sanctitas est testis.* Et reverà adversùs Nestorium pro orthodoxa fide & Ephesina Synodo Eutyches cum alijs Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archi-Mandritis strenuè laborârat. Verùm enim verò suas ad Synodum apologias à proprijs laudibus incipere est manifestum mentis ægræ & extremæ vanitatis indicium, à sancto Basilio magno & ejus fratre sancto Gregorio Nysseno Episcopo graviter in Eunomio damnatum.

Suæ etiam fidei libellum Synodo Eutyches exhibuit, ejusdem vitij plenum, lectusque is fuit per Joannem Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyterum ac Notariorum Primicerium, habens varia capita. Primò, adleverat in ipso delirus senex omnia adversùs se per sancti Flaviani Synodum gesta fuisse commissa in rectam fidem. Deindè, gloriatur se à pueritia usque ad præsens senium citra omne negotium vixisse in monastico Philosophiæ silentio, sed istâ beatâ quiete frui non permissum, utpotè *pessimus insidiantium periculis circumdatum*, quoniam recedere noluerit à Nicæno Symbolo, prout exposito per Synodum Ephesinam. Tertiò, queritur sibi factas varias persecutiones. Quartò, profitetur Nicænum Symbolum, & adjungit: *Sic ab initio à progenitoribus meis accipiens credidi & credo, in hac autem* fide *& genitus sum, & statim consecratus sum Deo, & suscepit me ipsius misericordia. Et in hac fide baptizatus, & signatus,* seu confirmatus *sum, & usque hodie vixi, & in ea opto mori.* Quintò, professus est soli

soli se Nicæno Symbolo inhærere, & ab omnibus inhærendum: *Quoniam sanctus Pater noster Cyrillus* in Ephesina prima Synodo *definitionem protulit, eum qui præter istud addiderit aliquid vel minuerit, aut docuerit, damnationibus, quæ hic scriptæ sunt, subiacere.* Decreti istius exemplar Eutyches dixit sibi ab ipso sancto Cyrillo transmissum. Et hæc est caussa, ex qua semper clamavit se adhærere soli Nicæno Symbolo, prout exposito per Synodum Ephesinam. Est & alia: Per Ephesinam Synodum intellexit sancti Cyrilli Capitula, quorum tertium adfirmat inter Domini naturas factam esse, non unionem naturalem, sed unitatem. Existimavit stabiliri Apollinarium, à quo non unionē, sed identificationem somniari inter Domini naturas, adfirmat in libro de Domini Incarnatione sanctus Athanasius. Sextò, libellus profitetur omnes sanctos Ecclesiæ Patres, anathematizans Manichæum, Valentinum, ipsum Apollinarium, omnes hæreticos usque ad Simonem Magum, & eos qui garriunt Domini nostri Jesu Christi carnem de cælo descendisse. De hac enim præsertim hæresi fuerat Eutyches diffamatus. Septimò, Eusebium Dorylæensem & sancti Flaviani Synodum accusavit in multis. Primò, quod Eutychetis per Eusebium accusatio facta fuerit apud sanctum Flavianum & *diversos Episcopos, qui tunc pro privatis caussis in urbe degebant Regia.* Ejusmodi Episcopos dixit non esse Synodum, adeòque de momentosis quæstionibus, hæresi præsertim, non potuisse judicare. Secundò, quod Eutychen Eusebius quidem accusarit de hæresi, sed nullam ejus expresserit speciem, ideòque vaga, prævaricatoria, & irrita sit talis accusatio. Tertiò, quod Flavianus cum accusatore Eusebio adsiduam pendente lite familiaritatem foverit, & palàm colluserit. Quartò, quod Flavianus ipsum, ex monastici silentij amore sperans non egressurum suo monasterio, parârit damnare in contumaciam, & ipso inaudito sententiam formârit: Liquere id ex testimonio magni Silentiarij. Quintò, quod ipse Nicęnā fidem, prout ab Ephesina Synodo confirmatam, & verbo & scripto fuerit profiteri paratus, Flavianus autē exegerit nescio quæ additamenta, Ephesino Canoni palàm adversa, atque ità damnatus fuerit propter observantiam laudatæ Synodi Ephesinæ. Sextò, quod Flaviani Synodus per tumultus & clamores egerit omnia: Quod ejus canos, & pro orthodoxa fide pugnas & triumphos non reveritus Flavianus, quasi potestatem habens, solus cuncta egerit, spreveritq́; ejus ad hanc sanctam Synodū appellationem. Septimò, quod ipsum uti damnatum Manichæum præparatæ multitudini tradiderit, circumducendum publico ludibrio & scandalo Regię civitatis. Octavò, quod ejus damnationem per omnes etiam extra Constantinopolitanum Patriar-
cha-

chatum Ecclesias & monasteria miserit idem Flavianus, jubens subscribi ab omnibus: Quæ forma nec contra apertos hæreticos solet usurpari. Nonò, quod Acta synodalia fuerint falsata, nominatimque ejus ad sanctam hanc Synodum appellatio suppressa. Decimò, supplicavit auferri hocce Ecclesiarum scandalum, sese solvi à Flaviani calumnijs & manifestâ persecutione, fidem Nicænam, prout ab Ephesina Synodo firmatam, rursùm stabiliri, & innovari Ephesinum Canonem de non faciendis ad Symbolum Nicænum additamentis.

Ad libellum hunc stupuere Episcopi plures. Damnari palàm ab illo Nicæni Symboli per Constantinopolitanam Synodum facta additamenta advertit & stupuit Diogenes Cyzicenus Episcopus, Hellesponti Metropolita, ac intercessit: *Dolosè proposuit Synodum sanctorum Patrum, quæ in Nicæa facta est. Accepit namque additamenta à sanctis Patribus propter perversum intellectum Apollinaris, & Valentini, & Macedonij, & qui eis sunt similes. Hæc prætermisit Eutyches sicut Apollinarista.* Qualiter adversùm verba, quibus Domini carnem de cælo non venisse profitebatur Eutyches, idem cum Eusebio Ancyrano & Zozone Philippensium Metropolita Diogenes intercesserit, edixit postmodùm ipse ad gloriosissimos judices in Synodo Chalcedonensi: *Per Potestatem vestram, rogavimus eum, dicentes: Domine Eutyches, unde ergò? Dic. Et non concessit.* Et Basilius Seleuciensis Episcopus, Metropolita Isaurorum: *Rogavimus eum tunc, sicut memorat Domnus Eusebius, & Zozon Philippensis, ut diceret modum incarnationis & humanæ adsumptionis, si secundùm adsumptionem carnis scit Deum Verbum factum hominem. Et jusserunt non investigatum dimitti illud, & non susceperunt prosecutionem nostram.* Nempe erroris sui fundum detegere nunquam volunt Hæretici: Quoniam, uti rectè sanctus Hieronymus, detexisse est convicisse. Et ob Dioscori violentias territi Episcopi prosecutionem suam urgere non sunt ausi.

Unicus, videns in caput suum dirigi omnia, perrexit sanctus Flavianus: *Eutyches accusatorem habuit Eusebium; jubete eum adesse.* At Comes Elpidius intercessit: *Sanctissimus Imperator, implens ipse primùm ordinem legum, quarum est & inventor & custos, præcepit eos, qui dudùm iudices fuerunt, in loco eorum esse qui iudicandi sunt, neque habere tempus docendi, quoad eius licentiam vos dederitis. Ad ea ergo, quæ nunc à religiosissimo Archi-Episcopo Flaviano dicta sunt, & hoc doceo, quia accusator suam accusationem implevit, &, ut arbitratus est, vicit, & iudex accusatoris caussam iam in semetipsum transtulit, sicut & in publicis sententijs custoditur. Nunc igitur vos convenistis, ut eos, qui iudicaverant, iudicetis, non ut iterùm accusatoris personam suscipiatis, & perturbationis rursùs ini-*

tium alterum fiat. Iubete ergo, si placet, secundùm ordinem reliqua omnia, quæ in caussa acta sunt, relegi ad id, quod vobis visum fuerit. Accusatorem ab appellationis judicio nulla lex, nullus Canon excludit; ast Eusebij pro fide orthodoxa impetum metuebat Eutyches, ideòque sacrâ jussione impetravit illum à Synodo per Chrysaphium Eunuchum excludi.

Elpidij igitur interlocutione fultus Dioscorus legi jussit sancti Flaviani, in qua damnatus Eutyches, Synodum, omnesque Episcopi adsensêre. Ad verò eumdem adsensum rogatus Julianus Coënsis Episcopus, sancti Leonis Papæ Vicarius ac legatus, reddidit ac intercessit: *Hâc ratione volumus Gesta relegi, ut priùs Papæ legatur Epistola.* Et Hilarus ejusdem Pontificis Diaconus ac Legatus: *Quoniam sanctissimus Episcopus Romanæ Ecclesiæ, relectis sibi istis monimentis, quorum nunc quæritis lectionem, transmisit Epistolam, quam scripsit, eam legi jubete.* Hæc namque Epistola Eutychetis damnationem, & istam omnem Synodum amplissimè confirmabat.

Hæsit ad hæc quasi inter incudem & malleum Dioscorus, Apostolicam, quæ dogmaticas Romani Episcopi literas esse jubet generalis Synodi salem & lumen, regulam non ausus palàm prævaricari. Hinc igitur impudens Hæresiarcha Eutyches est locutus: *Directi religiosissimi viri à sanctissimo Leone, Archi-Episcopo Romanæ Ecclesiæ, in sanctam vestram Synodum, suspecti mihi facti sunt. Manserunt enim apud religiosissimum Episcopum Flavianum, & pransi sunt apud eum, & munerati sunt, & omne obsequium ei præbuit. Postulo ergo Sanctitatem vestram, si quid ab eis iniustè factum fuerit contra me, id præiudicium mihi non generare.* Et hæc est altera caussa, ex qua Dioscorus Legatos Apostolicos non permisit præsidere. Ex composito agebantur omnia, ideòque Dioscorus est rursùm interlocutus: *Consequens & rationabile est, primitùs quæ in hoc negotio acta sunt relegi, & ita Epistolam sanctissimi Episcopi Romani. Vndè, secundùm quod placuit sancto Concilio, Acta percurrantur.* Ea legit Joannes Alexandriæ Presbyter, ac Primicerius Notariorum.

Accusatoris Eusebij sancto Flaviano ac ejus Synodo exhibitus contrà Eutycheten libellus profitetur Nicænum Symbolum, prout confirmatum à sancto Cyrillo & Synodo Ephesina. Istam Eutychetis phrasin, ne tamquam laudati Symboli alterator ab illo traduceretur, duxit Eusebius inserendam. Et ad eam sibi lectam exclamavit seducta hæc Synodus: *Semper memoria Cyrilli. Cyrillo æterna memoria. Si quis retractat, anathema sit. Si quis ista inquirit, anathema sit. Maledictus qui addit, maledictus qui aufert, maledictus qui innovat.* Exclamavit

pro

pro Ephesino adversùm Symboli additamenta Canone, ab illo dicit damnari additamenta Constantinopolitana, Nicæni Symboli sensum non posse inquiri curiosiùs, sistendum in Capitulis sancti Cyrilli, & hæc omnia ab ipso etiam accusatore Eusebio confirmari. Ita in sanctum Flavianum, quasi qui ab Eutychete exegisset additamenta, Dioscorus læthalem ictum parabat. At intercessit Julianus Coënsis Episcopus, Romanus Legatus: *Apostolica Sedes sic sapit.* Quam intercessionem probavit postmodùm Synodus Chalcedonensis: *Et hæc universalis Synodus sic sapit.* Etenim non de seductæ exclamationis, sed de Episcopi Eusebij sensu, palàm orthodoxo, locutus fuit Julianus.

In Synodo sua sanctus Flavianus legi inter cætera jusserat sancti Cyrilli ad Joannem Antiochiæ Patriarcham & ejus Synodum literas, Orientalis & Ægyptiacæ diœceseos pacificatorias, duas in Christo Domino plenas ac perfectas naturas, ipsarumque caussa eundem Dominum & Deo Patri & homini matri integrè consubstantialem profitentes. Nullo testimonio Eutyches efficaciùs confutabatur. Hìnc ad lectas in præsenti latrocinio easdem literas interlocutus est Eustatius Berytensis Episcopus, aiens sancti Cyrilli Scripta fuisse à varijs malè intellecta & detorta in sensus pravos, illum ad eadem adversùm calumnias interpretanda compulsum, & fecisse istud præsertim in literis ad Acacium Melitinensem, Valerianum Iconiensem, ac Successum Dio-Cæsareensem in Isauria Episcopum, ubi disertè hæc habet verba: *Non oportet duas intelligere naturas, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam.* Quin & istud sancti Athanasij testimonio confirmavit. Hasce Epistolas uni ad Joannem Antiochenum Epistolæ, utpote posteriores & acriori indagine scriptas, præferendas censuit Eustatius, ideòque Eutyches ad duas in Domino naturas profitendas fuisse inique à sancto Flaviano compulsum. Quod suum devium judicium defendere perrexit etiam in Synodo Chalcedonensi. Etenim librum gestans, ac in medium transiens dixit: *Si malè dixi, ecce codex, Liber Cyrilli anathematizetur, & anathematizet. Epistola sanctæ memoriæ Cyrilli sic habet.* Memoriter recitavit tenorem Epistolæ habentis verba jam adducta, & perrexit: *Qui dicit unam naturam ad negationem carnis Christi, quæ & consubstantialis est nobis, anathema sit; & qui dicit duas naturas ad divisionem Filij Dei, anathema sit.* Professus est eadem se sentire, ac semper sensisse, quæ sanctus Flavianus. Et certè hæc propositio, *Christus Dominus est una natura Dei Verbi incarnata*, licèt æquivoca atque versatilis sit, & per Apollinaristas atque Eutychianistas detorta in pravum sensum, habet & sensum rectum, germanè orthodoxa. Non quod ipsam asseruerit, sed

quod hanc, *Christus Dominus habet duas naturas*, negârit, deliquit gravissimè Eustatius Berytensis.

Sancti Cyrilli, duarum in Domino naturarum prædicatrices, adversùs Nestorium literas, in sancti Flaviani Synodo lectas, quisque præsens Episcopus sui suffragij elogio confirmârat. Basilius Metropolita Seleuciensis: *Adoramus unum Dominum Iesum Christum in duabus naturis agnoscendum.* De quo suo suffragio dixit idem ipse ad Synodū Chalcedonensem: *Dùm in Ephesino latrocinio legerentur Gesta, quæ in Eutychen acta sunt, mea interlocutio lecta est, & in medio prolata, quam feci sequens Patres, qui in Epheso primitùs convenerunt, laudans Epistolam beatissimi Cyrilli, illius beatæ Synodi Præsidis, per quam insanum Nestorium arguit, malè interpretantem trecentorum decem & octo Patrum fidem. Habebat autem interlocutio mea, sicut & hactenùs habet:* ADORO UNUM DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM, POST INCARNATIONEM IN DUABUS NATURIS COGNITUM. Et intrà. *Quod dicebam, In duabus naturis cognoscendum post adunationem, Deitate perfecta & humanitate perfecta. Namque unam habebat ex Patre ante sæcula, alteram ex matre secundùm carnem suscipiens, idem ipse unyt sibi secundùm subsistentiam, & Filius Dei vocatus est Filius hominis. Hâc lectâ interlocutione, unus quidam nescio quis, etenim caligo caussarum & animæ oculum confundebat & corporis, proiecit seipsum in medium, & dicere cæpit, Quia hæc vox Ecclesiam conturbavit.* Utique vox, SECUNDUM HYPOSTASIN. *Et surrexerunt postmodùm omnes Ægyptij, & monachi qui sequebantur Barsumam, & omnis turba, & cæperunt dicere: Eum, qui dicit duas naturas, in duo incidite. Qui dicit duas naturas, Nestorianus est.* Voces, *Unio secundùm hypostasin*, ad Nestorianam Dominicæ Incarnationis divisionem plenè excludendam invenerat sanctus Cyrillus: Ea non contenti Eutychiani voluerunt adjungi hanc, *Una Dei Verbi natura.* Undè & adversùs istam Basilij interlocutionem fuerunt etiam in Chalcedonensi Synodo durissimè altercati.

Sanctus Seleucus Metropolita Amasenus fuerat Constantinopoli ita interlocutus: *Credimus & nos unum Dominum Iesum Christum in duabus naturis post Incarnationem prædicari.* Ad quæ sibi lecta vociferatum est latrocinium: *Nemo duo dicit Dominum post unitionem. Non erat Amaseæ Episcopus, non erat Amaseæ; Sinopis est.* Exponit Suidas scurrilem sarcasmum: *Sinope urbs, & meretrix, quæ vetula facta, Abydus, quod fundo careret, opinor, dicta est. Undè, Σινωπίζειν, turpiter facere, à moribus illius mulierculæ.* Erat famosa Æginensium meretrix, nota etiam apud Athenæum, noxios & morbidos habens oculos. Hìnc sinopissare est lascivire, ineptire, ac indè cæcutire. Sarcasmus Episcopo

ab

ab Episcopis dici indignus. Perrexit Dioscorus: *Tacete modicum, audiamus alias blasphemias. Quid culpamus Nestorium solum? Multi sunt Nestorii.* Hoc est, ulterior synodalium sub Flaviano Actorum lectio pandet omnem istam Synodum fuisse Nestorianam. Naturam cum hypostasi confundebat Dioscorus, ideòque à cunctis duarum in Domino naturarum assertoribus putavit solvi Jesum, induci que duos Dei filios, duas hypostases, duas personas. Ejus Presbyter ac Notariorum Primicerius Joannes est hìc interlocutus: *Ex his, quæ lecta sunt, illud annotamus, quia alteram fidem præter eam, quæ in Nicæa exposita, & hic* Ephesi *priùs confirmata est, exposuerunt, qui ista dixerunt.* Hoc est, Flaviani Synodus non fidem Nicænam secuta est, sed Synodi Constantinopolitanæ per Ephesiam damnata additamenta. Addidit Olympius Evazorum Episcopus: *Si initium fides habet ex Gestis, qui dederunt initium sunt anathema.* Additamenta ista, ait esse nova, ideòque anathematizanda.

Æthericus Smyrnensis Episcopus sancti Flaviani Synodo subscripsit in hunc modum: *Iudicans subscripsi & definivi. Si quis aliud sapit de fide præter ea, quæ in Nicæa ab omni sancta Synodo definita sunt, anathema sit.* Hoc in latrocinio postmodùm aperuit caussam: *Subitò, ut ingressus sum Constantinopolim, accedebant ad me auditores, ducentes huic ipsum monachum cum ipsis, qui dixit: Domine subscribe. Dico & ego: Sine interim videamus, si quæ audimus de eo, vera sunt. Postea dicit: Expone. Ego verò dixi: Exponere non possum. Verè quidem scio, sed non possum dicere. Tamen dico, si quis non credit sicut trecenti decem & octo, & qui in* Epheso, *anathema sit & hic & in futuro sæculo.* Est locus mendosus. Neque enim ab Eutyche in Synodum, sed à Synodo in Eutychen subscribere rogatus fuit Æthericus, & quoniam de caussa plenè instructus non erat, non definitè in monachi damnationem subscripsit, sed sub condicione: *Si sentiat diversum à Symbolo Nicæno.* Synodalia sancti Flaviani Acta addebant ipsum ad lectas duarum naturarum prædicatrices sancti Cyrilli literas fuisse etiam hæc interlocutum: *Sicut præsentes Patres consenserunt, & ego consentio & concordo, & ante, & nunc, & post hæc, & in futuro sæculo.* Erat vir vertumnus, atque ita de istis suis verbis dixit ad latrocinium: *Ego ista non dixi.* Et frequenter à Dioscoro rogatus, *Non ea dixisti,* perstitit: *Non.* Hinc Dioscorus sanctum Flavianum & ejus Synodum de falsi crimine & fabricato in Eutychen judicio insimulavit.

Ast Æthericus mentiebatur. Hinc illi, mendacium palliare perseveranti, coram plena Chalcedonensi Synodo in faciem dixit Thalassius Primas Cæsareensis: *Hæc, quæ scripta sunt, dixisti sine ulla ne-*

cessitate, quid vis ea modò destruere? Et ad eamdem Synodum Dioscorus: *Calumniatus nihil patitur? Si ego essem deprehensus, non patiebar?* Expostulat ut Synodus non minùs in mendacij convictum Æthericum, quam in suos excessus justa sit & rigorosa. At in caput suum. Addidit namque Æthericus: *Priùs quidem consensi, & subscripsi tantùm; abij Ephesum* ad latrocinalem conventum, *statim adhæsit mihi Dioscorus, & dixit: Quare subscripsisti contra Eutychen?* Dioscorus ergo istius mendacij erat pater & auctor.

Acta legere perrexit Joannes Notariorum Primicerius usque ad Actionem septimam, habentem hæc Eusebij Dorylæensis Episcopi ab Eutychete interrogata: *Confiteris duas naturas, Domine Archi Mandrita, post incarnationem, & consubstantialem nobis esse Christum dicis secundùm carnem, an non?* Ad quæ latrocinium exclamavit: *Tolle, incende Eusebium. Iste vivus ardeat. Iste in duo fiat. Sicut partitus est, partiatur.* Et latronum Princeps Dioscorus: *Tolerabilis vobis est iste sermo, post inhumanationem duas naturas dicere?* Et omnis latronum grex: *Anathema ei, qui dicit.* Et rursùm Princeps: *Quoniam & voces vestras necessarias habeo & manus, si quis non potest clamare, manum extendat.* Caussam in Synodo Chalcedonensi postmodùm aperuerunt Episcopi Orientales: *Nullus ista dixit. Ista* soli Ægyptij Episcopi, Eutychiana lepra cum suo Patriarcha infecti, *dixerunt.* Multi Episcopi Catholici fuere in latrocinio: Hos Eutychianis blasphemijs acclamare nolentes ad manus saltem extensionem compulit tyrannus Ægyptius, quò postea adversùs latrocinium non possent reclamare.

Exindè ventum est ad synodale Eutychetis examen, quo fidem suam non scripto exhibere jussus fuit, sed vivâ voce profiteri, aut sanè recitare ex charta. Quæ cùm legerentur, Joannes Ephæsti in Ægypto Episcopus est interlocutus: *Quando absunt, & in Concilium venire minimè sperabatur Eutyches, omnis ei quasi promitti clementia videbatur; quando verò advenit, in omnem tractationem inhumanitatis adducitur.* Sancti Flaviani Synodum latrones isti sunt omni ex parte conati decolorare. Hæreticos omni charitate & mansuetudine tractandos ab Ecclesia, & cæcæ iniquitatis, in ipsorum corde grassantis, glaciem commiserante fraternæ & luminosæ charitatis flamma solvendam docet frequenter sanctus Augustinus: Et ita à sancto Flaviano tractatum Eutychen liquet ex Actis synodalibus.

Lecta tandem fuit & hæc Eutychetis fides: *Confiteor factam Dei Verbi in carne præsentiam ex carne sanctæ Virginis, & inhumanatum eum perfectè propter nostram salutem.* Ad quæ Dioscorus exultavit: *Admittimus benè vocem.* Et ejus Congerrones: *Hæc fides Patrum.* Et rursùm

ille: *Quoniam dicit Religiositas vestra*, HAEC FIDES PATRUM, *Quæ fides? Quam quis exposuit?* Et isti: *Eutyches. Nam Eusebius impius est.* Et ad has Eutychetis blasphemias, *Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, post adunationem verò unam naturam confiteor*, iterùm Dioscorus: *Consentimus hic & nos omnes.* Et latrocinium: *Consentimus.*

Basilius Isaurorum Metropolita contumacem monachum adgressus in sancti Flaviani Synodo fuerat his verbis: *Si non duas naturas post adunationem dixeris, confusionem & commixtionem dicis.* Erant voces insigniter orthodoxæ. Verùm ille latronum Principem metuens cantavit palinodiam, & Christo Domino & sancto Flaviano calumniosam, mentitus: *Hanc vocem, quam dicunt me dixisse, ego non dixi his verbis, neque scio ista me dixisse. Dicente autem monacho*, EX DUABUS NATURIS DICO DOMINUM JESUM CHRISTUM, POST ADUNATIONEM VERO UNAM NATURAM, *& non addente*, INCARNATAM, *scio hæc me dixisse: Si dixeris*, EX DUABUS NATURIS, POST ADUNATIONEM VERO UNAM, *& non addideris*, INCARNATAM, *putaberis confusionem dicere & commixtionem; si autem addideris*, INCARNATAM, *eadem cum Patribus nostris dicis: Quia manifestè secundùm expositionem Patrum aliud quidem est Divinitas eius, & aliud caro eius.* Et Juvenali Hierosolymæ Episcopo roganti, *Hæc ergo vox adulterata est*, in mendacio persistens reposuit: *Non sum memor, neque scio dixisse.* Mendacij caussam edixit postmodùm ad Synodum Chalcedonensem: *Recitata est vox mea post impiam & perversam Eutychetis vocem. Interrogatus namque Eutyches à reverendissimo Eusebio*, DICIS DUAS NATURAS IN CHRISTO, *dixit: Ex duabus quidem naturis scire Christum ante adunationem, post adunationem verò unam. Ego verò tunc, sicut nunc, intuens monumenta, recordatus sum, & dixi: Si non post adunationem inseparatas & inconfusas duas naturas dixeris, confusionem dicis & commixtionem. Lecta autem* ad latrocinium *hâc voce, tantus ab illis factus est plausus, ut omnium nostrorum commoverentur animæ, qui iudicabamur, & qui iussi sumus Synodi exspectare sententiam. Caligine repletus dixi: Quia ego non recordor his verbis ista dixisse. Scio quidem dixisse*, QUOD SI UNAM NATURAM DICAS ABSOLUTE POST ADUNATIONEM, CONFUSIONEM DICIS ET COMMIXTIONEM, *si verò addideris*, INCARNATAM, *& intellexeris iuxta beatum Cyrillum, eadem nobiscum dicis. Manifestum enim, quia aliud est Divinitas eius, aliud humanitas. Et qui priùs reprehenderunt, postea approbaverunt me ista dixisse.* Et Dioscoro ipsum, uti & Æthericum Smyrnensem, ad mendacij & prævaricationis pœnas postulanti reposuit: *Si apud* Paganos *iudices habuissem, mar-*

tyrium sustinuissem. Etenim apud Constantinopolim ostendi fiduciam meam. A Patre autem, seu à superiori Episcopo, *qui iudicatur*, seu ad iniqua cogitur, *iustis non utitur*, seu vix possit recalcitrare *Filius enim Patri etiam iusta dicens moriatur*. Hæc verba, *Qui iussi sumus Synodi exspectare sententiam*, ostendunt non solùm sanctum Flavianum, sed & omnes eius Synodi Episcopos fuisse ab hoc Latrocinio in reorum seu accusantium ordinem ob Eutychetis appellationem rejectos.

Tunc item factum est, quod ad Synodum Chalcedonensem dixit Theodorus apud Isauros Episcopus Claudiopolitanus: *Dioscorus, Iuvenalis, & quicumque primitus in* s. Flaviani damnationem *subscripserunt, quibus præceperat Dominus orbis terræ, sicut orthodoxis, iudicare de fide, meditantes apud semetipsos dolosa consilia, nos simpliciter sedentes introduxerunt, quomodò homines iudices ignorantes caussam. Et legebatur quidem Actorum series, & laudabatur beata memoria Flavianus. Cùm laudaretur autem, nos tacebamus, sicut benè gestis quæ acta sunt. Post hæc verò ut nos exterrerent, exclamaverunt de vicina Nestoriana heresi infamantes nos:* IN DUO SEPARATE EOS, QUI DICUNT DUAS NATURAS. DIVIDITE, INTERFICITE, EIICITE. *Ut terrore Nestorianæ hæreseos, non sicut Catholici iudicaremur, sed ut hæretici damnaremur. Et unusquisque verebatur, ne ut hæreticus deiectus perderet quos baptizaverat. Et non ei solùm erat periculum, sed baptizatis etiam, & his qui in Christo crediderant. Et non oportuit quidem nos tunc tacere.* Omnes tamen ex Dioscori metu tacuerunt, atque ita & fidem orthodoxam & propriam conscientiam sunt fædè prævaricati. Episcopi Theodori civitas adsiduè hìc vocatur Claudiopolis Isauriæ: Distinguitur contrà Bythiniæ Claudiopolim, provinciæ Honoriadis matrem.

S. Flaviani Synodum, uti de Nestorij lue, ità de falsi crimine arguerat Eutyches, ideoque post ipsam lectam perrexit ad Latrocinium: *Certa ex Gestis, quæ lecta sunt, adulterata sunt, & sunt quæ in hoc negotio acta sunt, & peto ea recenseri.* Quare ad Juvenalis Hierosolymitani Episcopi jussum Joannes Alexandriæ Presbyter ac Notariorum Primicerius legit Acta conventus Constantinopolitani, in quo Thalassius Cæsareensis apud Cappadoces Archi-Episcopus, & Flavius Ariobindus Martialis, Officiorum Magister, S. Flaviani Notarios & Acta synodalia discusserant, nihilq; falsi repererant, nihil damnatione dignũ. Et post lecta rursùm Eutyches: *Pervidet vestra Reverentia, quia relectorum actio ostendit Gesta priora esse falsata. Habemus verò & nunc professionem viri laudabilis, magni Silentiarij, factam sub viro magnificentissimo Magistro, & postulamus hanc relegi.* Reposuit S. Flavianus: *Falsa est.* Quod namque Silentiarius ille hac in caussa insignitèr fuerit mentitus,

tus, est suprà ostensum. Et hinc justum judicem fingens Dioscorus est interlocutus. *Si quid Dei amantissimus Episcopus Flavianus scit suæ opinioni congruum, in scriptis dicat.* Ad quæ Flavianus: *Occlusisti mihi omnem justam allegationem.* Negatam sibi usque huc loquendi copiam flebiliter questus est, & addidit: *Secunda Acta nihil habent falsum. Scit Domnus Thalassius, & Domnus Eusebius,* Metropolita Ancyranus. Nam & hic conventui adfuerat. Dicit, *Acta secunda*: Utique coram Thalassio, Eusebio, ac magno Silentiario revisa, correcta, in novum scriptum relata, & probata. In priora enim Actorum instrumenta leves quidam nescio ex qua caussa nævi irrepserant, ideòque posteriora dumtaxàt produci Flavianus voluit, & adjunxit: *Me Acta nihil tangunt, propter Deum. Neque enim aliter glorificavi, aut sapui aliquando, vel sapiam.* Reverà enim Actorum vitia solos Notarios tangunt, Synodi autem Præsidem sola in Deum fides, in cujus rectitudine sanctus Episcopus profitetur semper se fuisse constantem. Verùm ea omnia neglexit Dioscorus, & reposuit: *Nemo te prohibuit loqui.* Apertum mendacium Juvenalis Hierosolymitanus, Thalassius Cæsareensis, Stephanus Ephesinus, & Eusebius Ancyranus Episcopi ex metu confirmârunt.

Subsequentia latrocinij Acta Synodo Chalcedonensi edixit Onesiphorus Iconiensis Episcopus, Lycaoniæ Metropolita: *Postquam lecta sunt sunt hæc omnia*, videlicet Constantinopoli coram sancto Flaviano in Eutycheten gesta, *Regula* Ephesini Concilij de non addendo ad Symbolum *legebatur, in qua continebatur nullum debere iam de fide quærere aliquid, neque Episcopum, neque Clericum, alioquin eum esse condemnatum; si autem laicus est, ut excommunicatus existeret.* Lectus, inquam, est & Ephesini Concilij terminus, seu de fide Decretum; Symbolum Nicænum cum hoc additamento: *Huic sanctæ fidei omnes convenit consentire. Habet enim piè & sufficienter ad utilitatem ijs, qui sub cœlo sunt. Quoniam verò quidam simulant quidem confiteri eam, & consentire ei, falsò verò interpretantur intellectus virtutem ad id, quod eis placet, & circumveniunt veritatem, erroris & perditionis filij constituti, necessarium visum est sanctorum & catholicorum Patrum proferre testimonia, quæ possint satisfacere, quemadmodùm eam intellexerint, & prædicare confisi sint, quatenùs & manifestum sit, quod omnes rectam & immaculatam fidem habentes sic & intelligant & interpretentur, & prædicent eam.* Lecta item sunt varia sanctorum Patrum loca, quæ pro recto Nicæni Symboli adversùs Nestorium intellectu sibi legi jussit sexta Actio Concilij Ephesini.

Lecta sunt & Judaicum Symbolum, laudatæ Synodo à Charisio

Philadelphiensis in Lydia Ecclesiæ Presbytero oblatum, synodalia tunc de ipso Acta, ac integer de non faciendo ad Nicænum Symbolum additamento Canon, de quo Dioscorus est interlocutus: *Existimo omnibus placere quæ sunt exposita à sanctis Patribus, qui in Nicæa olim congregati sunt, quæ & confirmavit & sola tenere definivit quæ hic* Ephesi *pridem sancta Synodus collecta est, Deo amabilia & sufficienter habentia. Quid vobis videtur? Vnusquisque qualem habet voluntatem, sub scriptis dicat. Non enim possumus hæc aut quærere aut retractare. Si verò aliquis inquisiverit ultrà ista, quæ dicta sunt, & ordinata, & placuerunt, nonnè iustè subiacebit Patrum sententiæ? Dicat igitur unusquisque vestrum, si eius est voluntatis.*

Primus suffragium dixit Thalassius Cæsareensis, laudans Nicænum Symbolum, Ephesinumque de non addendo Canonem, & adjungens: *Eos, qui contraria ijs sapiunt, abominor, sicut solventes rectam fidem.* Quod judicium & cæteri Episcopi confirmârunt. Etiam Julianus Coënsis Episcopus, sancti Leonis Papæ Vicarius ac Legatus: *Hæc tenet Apostolica Sedes.* Et ejus Collega Hilarus Diaconus: *Quæ nuper lecta sunt de fide prolata, tam quæ in Nicæa est exposita, quam quæ à sancta Synodo pridem in Ephesia civitate à sanctis Patribus confirmata est, Apostolica Sedes & docet & veneratur. Hæc ergò scio sanctorum Patrum consonare dogmatibus: Hæc & proprijs, ô vos Sanctissimi, literis, quas ad vos destinavit, Apostolica Sedes inseruit, quas si iusseritis recitari, cognoscetis esse consonas veritati.* At istas audire literas Dioscori scopus non permittebat.

Hinc ad Eutycheten, lectosque ejus libellos perrexit Dioscorus, interlocutus: *Manifestis factis, quæ relecta sunt, dicant singuli præsentes sancti Episcopi, quomodò sciunt Archi-Mandritam Eutychen credere, & quid de eo ordinant.* Primus, ante Domnum etiam Patriarcham Antiochenum, suffragium dixit Juvenalis Hierosolymæ Episcopus: *Cùm frequenter confiteatur, eò quod sequatur expositionem fidei, quæ in Nicæa habita est, & ea quæ priùs in magno Concilio apud Ephesum gesta sunt, Eutychen orthodoxum summè esse in his, quæ locutus est, comperi. Et ego autem decerno & volo eum in suo monasterio degere, & in proprio gradu.* Et latronum grex exclamavit: *Hoc iustum iudicium.* Et singuli suis suffragijs confirmârunt: Etiam Domnus Patriarcha Antiochenus, Stephanus Ephesinus, Basilius Seleuciensis, Eusebius Ancyranus, sanctus Seleucus Metropolita Amasenus.

Etiam Romanorum Legatorum amicus atque interpres, Florentius Metropolita Sardensis: *Ego similia præcedentibus decerno, decorari Eutychen nomine Presbyterij, & præesse secundùm præcedentem consuetu-*

dinem fraternitati. Vocibus, *Secundùm præcedentem consuetudinem*, usus est etiam Athanasius Opuntis in Achaia Episcopus, utique desumptis ex quarto Canone Antiocheno. Ita liquet Canones illos tunc ut authenticos in Græcia viguisse. Nam & illum Canonum Codicem, quem Græci vocant Codicem Ecclesiæ universæ, & à quo Canones illi uti authentici probantur, quidam volunt compositum à Stephano Ephesiorum Episcopo jam memorato. Julianus Tabiensis Episcopus monasticam professionem eleganter in suo suffragio vocavit *Melioris vitæ promissionem.* Pessimè in suo suffragio excessit Olympius Evazorum Episcopus, Dioscorum vocans Synodi Præsidem, Primum, Patrem Episcoporum, *Archi-Episcopum universalem.* Hujus vocis nescio memoriam vetustiorem. Et hìnc disce caussam, ex qua titulum istum sancto Leoni Pontifici adscripserit Chalcedonensis Synodus, cur item sanctus Leo refutârit. Honorem omnem, quem latrocinaliter apud Ephesum sibi arrogârat tumidus Dioscorus, laudata Synodus delatum voluit Romano, cui veraciter debebatur, Episcopo; at ille duxit non acceptandum ob rationes suo loco productas ex sancto Gregorio magno. Ultimò tandem loco suffragatus est & ipse Dioscorus: Aliorum suffragia dumtaxàt confirmavit, quò ipse iniquissima in Deum, Romanam Ecclesiam, & sanctum Flavianum Attentata videretur non cudisse ut primus auctor.

Hæreticum Eutychetis monasterium absolvitur ab Ecclesiastico Interdicto.

HInc processum est ad Eutychetis monasterium & monachos, lectusque ipsorum libellus, ab uno Presbytero, decem Diaconis, tribus Subdiaconis, ac viginti & uno laicis monachis subscriptus, habensque capita varia. Primò, aiunt sese monachos numero trecentos, omnes opulentos olim in sæculo & genere claros, qui cognationes, divitias, diversam militiam, humana omnia spreverint, & usque huc vixerint sanctissimè, sub dogmatica & monastica disciplina Archi-Mandritæ Eutychetis. Secundò, gravissimè queruntur & variè de Episcopo suo Flaviano. Primò, quod paternæ in ipsos pietatis oblitus, laudatum Archi-Mandritam calumnijs circumscriptum de hæresi & blasphemia damnârit, non alia de caussa, nisi quod ejerare recusârit Nicænum Symbolum prout confirmatum à Synodo Ephesina. Secundò, quod Theodosium Presbyterum cum Clericis alijs ad ipsos miserit, qui omnem ipsis cum Eutychete, uti degradato & damnato, communionem interdiceret, & monasterij facultates, quas ipse sub pauperum fuco venabatur, adversùs eùm curaret cu-

ſtodiri. Tertiò, quod ſeſe huic mandato parere nolentes ſuppoſuerit Eccleſiaſtico interdicto, atque ita monaſterij altare, ſex ante inſidias menſibus ab ipſo conſecratum, manſerit uſque huc ſine Divino Sacrificio. Lamentantur Flavianum hac in iniquitate fuiſſe inexorabilem, ſeſe in hoc miſerando ſchemate manſiſſe per novem menſes, in eodem damnationis luctu tranſiiſſe Dominicæ Nativitatis, Epiphaniæ, Paſſionis, ac Reſurrectionis Feſta, in quorum poſteriori quævis crimina donari ſolent ab Epiſcopis, & à laicis Imperatoribus quivis carceres aperiri. Aiunt quoſdam etiam ex ſuo gremio in hoc quaſi damnatæ impietatis ſtatu eſſe defunctos. Seſe prædicant, quod nihilominùs omnem monaſticam regulam & diſciplinam ex integro ſervârint. Hinc ſupplicant ſibi reddi communionem, & juſtum talionem Flaviano. Ex his diſce modum, quo ſuas in Eutychen ſententias ſanctus Flavianus fuit executus.

Lecto libello, Dioſcorus eſt ad monachos interlocutus: *Quoniam excommunicatos vos dixiſtis factos eſſe, ignoratis verò culpam, & conjicimus nos pro qua re, dicite manifeſtè propriam fidem quomodò habeatis. Hæc enim eſt veſtra abſolutio, confeſſio fidei.* Repoſuit Eleuſinius monachus & Diaconus, Eutychetis nuper in ſancti Flaviani Synodo Apocriſarius: *Sicut per libellum Deo dignus Archi-Mandrita noſter edocuit veſtram Sanctitatem, ſic ſapimus ſicut trecenti decem & octo ſancti Patres in Nicæa ſanxerunt, & ſicut hic congregata ſancta Synodus confirmavit. Et præter iſtam fidem nunquam intelleximus neque ſapuimus aliquid* Et rursùm Dioſcorus: *De incarnati Salvatoris noſtri præſentia ſic ſapitis ſicut beatus Athanaſius, & beatus Cyrillus, & beatus Gregorius, & omnes Catholici Epiſcopi?* Et Eleuſinius: *Omnes ſic ſapimus, ſicut & qui in Nicæa convenerunt, & qui hic congregati ſunt ſancti Patres.* Et Juvenalis Hieroſolymæ Epiſcopus: *Conſequens eſt ſic eos rectam fidem confitentes in Nicæa expoſitam, & in Epheſo confirmatam, participes exiſtere & ſanctæ communionis, & propriorum graduum.* Et ita ad generalem iſtam Nicænæ fidei profeſſionem ſunt & in communionem & in gradum reſtituti. Palàm contra Canones. Hi namque de fide accuſatos purgari vetant, niſi profeſſis atque ejuratis ſingulis ſpeciatim articulis, de quibus fuerant ſuſpecti.

Exponitur latrocinalis damnatio ſancti Flaviani.

DUm iſta aguntur, ad Marinianum Synnadenſem Phrygiæ Pacatianæ, & Epiphanium Pergenſem Pamphyliæ Metropolitam ſibi adſidentes dixit Oneſiphorus Iconienſis Epiſcopus, Metropolita

Lycaoniæ: *Ista* Ephesina de non addendo ad Nicænum Symbolum *regula propter nihil aliud legitur, nisi ut Flavianus Episcopus damnetur.* Respondit Epiphanius: *Absit. Sed si aliqua fortè indignatio procedat, contra Eusebium* Dorylæi Episcopum *futura est. Nam contra Flavianum nemo erit insanus, ut frustrà tale aliquid faciat.* Loquebatur ex decimo Canone quarti Concilij Carthaginensis: *Si à quibuscumque Iudicibus Ecclesiasticis ad alios Iudices Ecclesiasticos, ubi est maior auctoritas, provocatum fuerit, non eis obsit, quorum fuerit soluta sententia, si convinci non potuerint vel inimico animo iudicasse, vel aliquâ cupiditate aut gratiâ depravati.* Ex qua regula etiam sese, qui Rothaldum Suessionensem Episcopum, à Nicolao primo Pontifice in appellationis postea judicio absolutum, damnarat, esse immunem adseruit Hincmarus Metropolita Remensis.

Verùm Onesiphori conjectura non fuit vana. Etenim *post lectam regulam*, reparatumque Eutycheten ac ejus monasterium, *confestim allata ac relecta fuit damnatio beatissimi Flaviani.* Et idem Onesiphorus, dictus Marinianus, Nunechius Laodicensis in Phrygia Trimitaria Episcopus Metropolita, & Collegæ alij tenuerunt Dioscori pedes, & supplices oravêre: *Quia & tu Presbyteros habes, non debet propter Presbyterum damnari Domnus Episcopus,* qui licèt perperàm, tamen per errorem sine odio aut gratia illum degradârit. Et pertinax Dioscorus: *Etiamsi lingua mihi præcidatur, aliam vocem non emittam.* Tragædiæ successum edixit postea ad Chalcedonensem Synodum Marinianus Synnadensis: *Sic irruit multitudo, & permanebamus nos tenentes genua eius, & rogantes eum. Et tunc emisit hanc vocem:* UBI SUNT COMITES? *Amans veritatem dico, ingressi sunt Comites, introduxerunt Proconsulem cum multitudine magna, & catenis. Post hoc unusquisque nostrum subscripsit.* Et Dioscorum in laudata Synodo reum alloquens Basilius Seleuciensis: *Magnam nobis necessitatem imposuisti tunc, tum foris, tum intùs, tum ex lingua tua. Irruebant enim in Ecclesiam milites cum armis, & instabant monachi qui cum Barsuma, & Parabalani, & multitudo alia grandis.* Et ad gloriosissimos Iudices: *Precor Magnificentiam vestram, singulos Metropolitanos Episcopos, & Lycaoniæ, & Phrygiæ, & Pergensem, & cæteros venire huc, & præsentibus sacrosanctis Evangelijs dicere, si non post damnationem beati Flaviani omnibus nobis tristibus effectis, & aliquantis quidem nolentibus emittere vocem, aliquantis autem fugientibus, exurgens ipse & stans in alto designabat & dicebat: Videte, qui non vult subscribere, ad me,* seu contra me *habet. Coniuretur Domnus Eusebius* Ancyræ Metropolita, *nisi periclitatus sit ipse damnari, quia parum distulit vocem.* Et Episcopi Orientales: *In damnationem beati Fla-*

viani, & Eusebij Episcopi nullus voluntariè consensit. Violentia facta est, vis cum plagis: In pura charta subscripsimus. Minabatur nobis damnatio, minæ exilij tendebantur, milites cum fustibus & gladijs instabant; timebamus & fustes & gladios. Vbi gladij & fustes, qualis Synodus est? Milites propter hoc accepit Dioscorus, ut terreret nos. Milites eos magis deposuerunt, quam nos. Quia quidquid egimus, timore compulsi fecimus. Et Stephanus Ephesiorum Episcopus: *Per homines Dioscori & Comites non sum permissus egredi de Ecclesiæ Secretario, usquequò subscripsi sententiæ Dioscori, & Iuvenalis, & Domni Thalassij, & aliorum* Primatum *Episcoporum, quibus* à Principe *sciptum fuerat*, & Synodi regimen delegatum. Et rursùm infrà: *In eadem die, in qua facta est examinatio, subscripsimus in charta. Et si qui Episcoporum non subscripsissent, ego eos in mea fide suscepi, & alio die subscripserunt.* Pro ipsis, quod non fugerent, debuit spondere. Et à gloriosis Judicibus rogatus, in quali charta subscripsisset, respondit: *In pura charta. In eadem enim hora, in qua damnato facta est, mox & subscriptio subsecuta est.* Et Acacius Ariarathiæ in secunda Armenia Episcopus: *Pura charta subscripsimus compulsi, & violenter habiti, & mala multa perpessi, nolentes, sed per potentiam oppressi subnotavimus. Vsque ad vesperam enim tenuerunt nos, recludentes in Ecclesia, & ægrotantes nos neque quiescere permiserunt, neque recedere, ut aliquantulùm recolligeremur, sed milites nobis cum fustibus & gladijs imposuerunt, & monachos, & sic fecerunt nos subnotare.* Et Theodorus Claudiopolitanus in Isauria Episcopus: *Iussum est à Domino orbis terræ, ut Synodus de Flaviano priùs iudicaret. Illi multas Synodos in hoc ipsum facientes, & neque subscribentes, neque præscribentes statuta, neque legentes alicubi, neque sciente aliquo, obtulerunt nobis puras chartas Dioscorus & Iuvenalis, multitudinem habentes seditiosorum hominum, clamantium, & conturbantium, & commoventium Synodum. Centum triginta quinque eramus omnes, quinquaginta duo iussi sumus tacere, reliqui erant Dioscorus & Iuvenalis, & multitudo seditiosorum. Iam quindecim tantùm homines remanseramus. Quid essemus facturi? In sanguine nostro ludebant isti hæretici constituti, unâ voce dicebant omnes, terruerunt nos. Hæreticos nos dixerunt, & eiecti sumus ut hæretici.* Adduxi hæc omnia, ut videas Synodum hanc meritò dici latrocinalem.

Eutycheti & Barsumæ adhærentes monachos Stephanus Ephesiorum Episcopus dixit fuisse numero trecentos. Et ad vocem, *Parabalani*, habet Scholiastes marginalis: *Qui circà balnea versantur.* Quam expositionem in dissertatione abire sine examine permisi. Andræas Alciatus esse existimat adscriptos ad glebam, diminutam speciem servorum. At certum est & ipsum & Scholiasten labi.

bi. Rectiùs noster Ambrosius Calepinus: *Parabalani dicuntur tenuis condicionis homines, famulitio Xenochiorum vel Ecclesiarum ita deputati, ut integrum eis non sit inde recedere.* Loquitur ex Honorij & Theodosij Augustorum lege ad Monaxium Prætorio Præfectum, exstante & in Theodosiano & in Justinianæo Codice: *Parabolani ad curanda debilium ægra corpora deputantur.* Eos ad instar Clericorum statuit lex ab Episcopo eligi, & uti plenè subditos tam in criminalibus quam civilibus judicari. Hìnc ad verba ista scribit Dyonisius Gotofredus: *Parabalanos medicos arbitrio Antistitis electos, hic locus apertißimo indicio est. Vndè Parabalanos non simplices medicos, aut medicinam exercentes fuisse suspicio est, sed eos potiùs qui certo genere voti, & quasi Religioso, curandis ægrotis corporibus deputati publicè: Qualis augusta Lutetia paucis ab hinc annis certo numero constituit.* Fuere publici Xenodochiorum servi, homines pauperes & viles, quales etiamnum in Italia, Romæ præsertim, videmus. Parabalanus idem est, quod temerarius objector, qui seipsum, uti ad tertiam Justiniani Augusti novellam legem advertit Jacobus Cujacius, multis ex ægrotorum corporum contagioso attactu periculis objiciat: Ideòque lucri potiùs quam voti caussa credo illos servijsse. Eos quippe laudatæ Honorij & Theodosij leges mandant esse *non divites, qui istum* servitutis *locum poßint redimere, sed pauperes è Corporatis.* Prior quingentos, posterior lex Ecclesiæ Alexandrinæ permittit sexcentos. Nempe ob pauperum istic ægrorum numerum, & magnitudinem & copiam Xenodochiorum. Etenim quod sanctus Efreem, Ecclesiæ Edessenæ Diaconus, trecentorum lectorum Xenochium istic erexerit, scribit in historia Lausiaca Palladius Episcopus Helenopolitanus. Exstructum à se septuaginta lectorum Xenodochium laudat in Synodo Chalcedonensi Bassianus Episcopus Ephesiorum. Erant ibidem & alia, adeòque & multi Parabalani. Et hi Proconsulis militibus & Barsumæ ac Eutychetis monachis admixti fecerunt quod ad Synodum Chalcedonensem dixit Diogenes Metropolita Cyzicenus: *Barsumas occiridit beatum Flavianum, Ipse instabat, & dicebat:* OCCIDE. Et universi Orientales Episcopi: *Omnem Syriam Barsumas evertit. Duxit super nos mille monachos.* In Syria, non Ephesi in latrocinio, ubi solos trecentos fuisse jam audivimus. Hæc igitur facinorosa turma expulit Episcoporum Notarios, eis digitos & thecas fregit, fustibus & baculis compulit Episcopos ad subscribendum, sanctum Flavianum obtrivit pedibus, atque ita inflixit primum ictum lethalem. Et huc respicit laus, quam sibi in Chalcedonensi Synodo adscripsit Stephanus Episcopus Ephesiorum: *Si qui Episcoporum non subscripserunt, ego eos*

in

in fide mea suscepi, & alio die subscripserunt. Et quam sibi adscripsit Thalassius Cæsareensis: *In secretario fueram positus. Ego autem nescivi, quomodò sum positus. Tamen cùm fierent aliqua, ego prohibui, & volui differre* sancti Flaviani damnationem, *& festinavi, & sunt testes.*

Aliam insuper iniquitatem operatus est dolosus Dioscorus, de qua adversùm Orientales Episcopos in Synodo Chalcedonensi dixerunt Ægyptij: *Ipsi primi subscripserunt, post vos nos subscripsimus.* Et in Ephesino Concilio, & in hoc latrocinio, & in Synodo Chalcedonensi frequens est mentio Episcoporum Orientalium. Pro cujus intellectu notanda est duplex significatio vocis, *Ecclesia Orientalis.* Quandoque latè sumitur pro Orientalis Imperij Ecclesia, distincta contra Ecclesiam Occidentalem, Imperio Occidentali conclusam. Et sic vastissima est ista Ecclesia, utpotè à Thracia per Ægyptum & Asiam minorem usque ad Eufraten & Tigrim protensa, complectens quinq; vastissimas diœceses, Thracicam, Ponticam, Asianam, Ægyptiacam, & Orientalem. Etenim Orientalis & Occidentalis Imperij limites semper fuere Thracica diœcesis & Illyriciana. Et hoc sensu
Epist. II. Liberius Pontifex scribit Orientis & Occidentis Episcopos concordare. Et Celestinus Pontifex in literis ad Nestorium Hæresiarcham: *Pelagianos unita sententia telus Oriens, Occidensq; percussit.* Et Siricius in literis ad Himerium Metropolitam Tarraconensem: *Quod totus Oriens, Occidensq; custodit.* Frequentissima apud antiquos Scriptores est ista vocis acceptio. Ecclesiam in duas suas principales partes divídit, at inadæquatas. Nam & apud barbaros extra Romanum Imperium semper fuerunt Ecclesiæ, ideòque Ecclesiæ in Occidentalem, Orientalem, Meridionalem, ac Septentrionalem divisio est etiam antiqua. Altera præfatæ vocis acceptio est longè strictior: Significat solum Antiochenum Patriarchatum, constantem quindecim provincijs, quæ in Romano Imperio fuere diœcesis Orientalis. Hoc sensu loquitur secundus Constantinopolitanus Canon: *Orientis Episcopi Orientem tantùm gubernent.* Et in Ephesinæ Synodi Actis Joannis Patriarchæ Antiocheni factio frequenter vocatur Synodus Ecclesiæ seu diœcesis Orientalis. Etiam hæc vocis acceptio est frequentissima. Porrò isti Orientales Episcopi Eutychianis blasphemijs fuere constanter adversati, ideòque ob ipsorum nupera apud Ephesinam Synodum Acta quasi de retento etiamnum Nestorio suspectos ante Ægyptios, sibi Patriarchaliter subjectos, subscribere Dioscorus coëgit. Ita sancti Flaviani damnatio, non ab æmulis, sed ab amicis apud rerum ignaros visa est processisse.

Porrò in sanctum Flavianum & Eusebium Dorylæensem Episcopum

pum datam sententiam lucidiùs præ cæteris Episcopis expressit suffragium Juvenalis Hierosolymitani: *Sesè alienos à Sacerdotio & gradu Episcopali monstrarunt Flavianus & Eusebius, qui conati sunt addere & minuere aliquid de sancta fide, qua in Nicaa à sancto Concilio exposita est, quam & confirmavit sancta & universalis Synodus in hac Ephesina civitate pridem collecta. Quapropter iustum est eos, qui audent aliquid addere fidei aut minuere, alienos esse à Sacerdotio, & maximè qui tantam fecerunt confusionem.* Propter tertium Canonem, initaque nuper inter sanctum Proclum & Domnum de illo pacta oderat Dioscorus etiam Synodi Constantinopolitanæ ad Symbolum Nicænum facta additamenta: Et ipsa & omnem ipsorum usurpatorem dixit damnari ab Ephesina Synodo, istoque fuco Flavianum & Eusebium degradavit. Ad Romanam, à qua confirmata additamenta, Ecclesiam appellavit Flavianus, ast retulit quod in Breviario scribit Liberatus: *Flavianus & Eusebius custodia mancipantur.* Et Romanum Martyrologium: *Sanctus Flavianus Episcopus, cùm fidem Catholicam Ephesi propugnaret, ab impia Dioscori factione pugnis & calcibus percussus post triduum moritur.* Et antiquus Codex Vaticanus: *Dititur in exilium Flavianus, & apud Epypam, qua est Lydia civitas, seu superveniente seu ingestâ morte defunctus est.* Relegatus fuit juxta Gratiani Augusti legem, quæ per Arcadium & Honorium Augustos in lege Theodosiani Codicis ad Adrianum Prætorio Præfectum laudata mandat degradatum Episcopum ad centum à sua civitate millia deportari.

Cap. 9.

L.16.tit.35.

Imitatus est Dioscorus factionem Eusebianam, de qua sanctus Athanasius in prima Apologia ad Constantium Augustum: *Cùm tua Humanitas non ultrà, quam extra civitatem, Provinciam ve suam Episcopos amandari iusserit, isti praclari viri, supra mandatum tuum temerarij, longiùs quam tres Provincias in loca deserta, insolita, horribilia, homines senes & annosos Episcopos eiecerunt.* Etenim Gratiani lex non de quovis degradato Episcopo loquitur, sed de solo illo, *qui aliquid contra custodiam vel quietem publicam moliri fuerit deprehensus, rursùsq; petere Sacerdotium, à quo videtur expulsus.* Arcadij & Honorij legem, Gratianææ laudatricem, laudavit & Codici suo inseruit etiam Justinianus Augustus, at relegationem in monasterialem custodiam mutavit, & ad omnes degradatos Episcopos extendit. Hìnc enim pænam istam in varios, licèt publicam quietem in nullo moventes, executus est sanctus Gregorius magnus. Antiquam Ecclesiæ regulam sanctus Leo Pontifex rescribit Rustico Metropolitæ Narbonensi: *Alienum est à consuetudine Ecclesiastica, ut qui in Presbyterali honore, aut Diaconij gradu fuerint consecrati, ij pro crimine aliquo suo per manus impositionem reme-*

dium accipiant pænitendi. Quod sine dubio ex Apostolica traditione descendit, secundùm quod scriptum est: Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro eo? Vndè huiusmodi lapsis privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa. Voces, *Ex Apostolica traditione descendit*, respiciunt solam pænitentialem manum, quam lapsis Episcopis, Presbyteris, aut Diaconis imponi Apostoli omninò noluerunt, ne tantis Sacramentis, uti in libris adversùs Parmenianum sanctus Augustinus scribit, tantæ abjectionis & humilitatis injuria irrogaretur. Et hinc in Romana sua Synodo Melchiades Pontifex damnavit Donatum Episcopum in Casis nigris, *quod confessus esset Episcopis lapsis* pænitentialem *manum imposuisse, quod ab Ecclesia alienum est.* Porrò privatam istam secessionem Justinianus Augustus ex caussis voluit deinceps in monasterijs fieri, & Romana Ecclesia comprobavit.

Exponuntur reliqua latrocinij Acta.

POst hæc etiam Episcopos, sancto Flaviano in damnando Eutychete synodaliter cooperatos, ad pœnas postulavit Dioscorus, & primitùs Basilium Isauriæ Metropolitam, insignem Eutychetis exagitatorem, qui aut laudatam sancti Flaviani Synodum, dictumque istic pro orthodoxa fide suffragium damnare, aut ipse cum eodem sancto Flaviano damnari compulsus, vexam latrocinalem redemit hâc fœdâ palinodiâ: *Consentio fidei sanctorum Patrum, qui in Nicæa fuerunt, & qui in Epheso iterùm eamdem confirmârunt. Eos verò, qui contraria sentiunt in aliquo, vel his quæ in Nicæa, vel his quæ in Epheso ordinata sunt, aversor, anathematizans dividentes post unionem in duas naturas, vel subsistentias seu personas unum Dominum nostrum Iesum Christum, accusans & reprehendens propriam vocem, quam de duabus naturis professus sum in Gestis habitis apud Regiam civitatem, & adoro unam naturam Deitatis unigeniti incarnati.* Rei seriem aperuit postmodùm in Synodo Chalcedonensi idem Basilius: *Non utor alijs testibus. Per beatum Ioannem* Sebastensem *Episcopum*, primæ Armeniæ Metropolitam, *rogavi emendari interlocutionem meam, timens ac metuens Te reverendissimum Dioscorum. Magnam enim necessitatem tunc imposuisti nobis. Coniurentur omnes, coniuretur Auxonius*, Sebennitenæ in Ægypto civitatis *Episcopus, quia dicebam: Noli Domine, noli solvere totius mundi opinionem.* Eamdem fœdam palinodiam cecinit sanctus Seleucus Amasenus Episcopus, Helenoponti Metropolita, indubièque & alij omnes ad sancti Flaviani Synodum cooperati Episcopi, quorum nullum videmus à latrocinio fuisse damnatum. Excipe tamen Julianum Coënsem,

sem, cujus constantiam & Apostolicas vices reveritus Dioscorus non fuit ausus de palinodia tentare. Palinodia totius mundi fidem reverà solvebat: Etenim naturam & hypostasin in Deo confundit, quod est palmare fundamentum gentilismi, judaismi, hæreseosque Sabellianæ, Arianæ, Apollinaristicæ, Nestorianæ, atque Eutychianæ. A nobis, qui Domini naturas, non identificatas aut confusas dicimus, sed in unam dumtaxàt hypostasin unitas, induci hominem solummodò Deiferum, committi antropolatriam, Deiferos Angelos homini Deifero mancipari, omneque Christianum dogma sursùm deorsùm verti blateravit Apollinarius. Ita in libro de Domini Incarnatione testatur sanctus Athanasius, & in libello adversùs istum sanctus Gregorius Episcopus Nyssenus. Hoc ipsum Eutyches & Dioscorus blaterârunt. Hìnc ex metu illis consonuit Basilius, dicens: *Adoro unam naturam Deitatis Vnigeniti incarnati.* Pessima Apollinarij lepra se fędavit ultimò tandem & Domnus Patriarcha Antiochenus, cum Iba Edesseno & alijs in Dissertatione suprà enumeratis Episcopis idcircò degradatus.

APPENDIX

Ad Synodum Chalcedonensem, exponens singulas ejus Actiones

ACTIO I.

ACtio prima facta fuit consulatu Marciani Augusti, octavo Idus Octobres, Christi Domini quadringentesimo quinquagesimo primo, sancti Leonis Pontificis duodecimo, Valentiniani tertij Augusti vigesimo sexto, & collegæ Marciani anno primo, in civitate Chalcedonensi Provinciæ Bythiniæ, in Ecclesia cathedrali sanctæ Martyris Eufemiæ. Ecclesiæ magnificam formam, & quotidiana sanctæ Virginis miracula, effluentis præsertim ex ejus sacris reliquijs adsidui unguenti admirandam virtutem describit Evagrius Epiphaniensis. Videri possit Cardinalis Cæsar Baronius in Notis Romani Martyrologij ad diem sextum decimum Novembris. Acta synodalia magnificentissimum Senatum nominant ante Episcopos, etiam Patriarchas, quin & Sedis Apostolicæ Legatos, ideòque illum Synodo præsedisse garriunt Ecclesiasticæ dignitatis hostes. At vacuum fuisse illum Romano Imperio delatum honorem ostendit laudatus Evagrius, dicens Synodo adsuisse Legatos Romanos, & om-

Epist. 40.

omnes Patriarchas, addensque: *Quorum numero adiuncti erant Senatores primarij.*

b Synodum ac Senatum alloqui cæpit S. Paschasinus Lilybeti in Sicilia Episcopus, sancti Leonis Pontificis Vicarius & Legatus, unà cum Lucentio Esculano apud Apulos Episcopo, & Bonifacio Romanæ Ecclesiæ Presbytero, suis in Legatione collegis, stans in medio: *Beatissimi atque Apostolici viri, Papæ urbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est eius Apostolatus, ut Dioscorus Alexandrinorum Archi-Episcopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur. Hoc nos observare necesse est. Si ergo præcipit vestra Magnificentia, aut ille egrediatur, aut nos eximus.* Synodi præsidentiam, Romanæ Ecclesiæ debitam invaserat, ejusdem Ecclesiæ, uti per Eutychetis appellationem ex judice in accusatricem aut ream demutatæ, Legatos in accusantium aut reorum locum dejecerat, & Apostolicam Sedem in communem Patriarcharum ordinem Eusebiano spiritu redigere tentârat in Ephesino latrocinio Dioscorus. Hinc prima Romanorum Legatorum vox, per omnem Synodum comprobata, fuit de eadem Sede Apostolica: *Quæ est caput omnium Ecclesiarum.* Quod ipsum quousque profiteantur Lutherani & Calvinistæ, quatuor primorum Christianorum sæculorum & quatuor primorum generalium Conciliorum fidem à se teneri mendaciter gloriantur.

Ephesini latrocinij Acta cassans sanctus Leo Dioscorum, Thalassium Cæsareensem, Basilium Seleuciensem, Eustatium Berytensem, & alios fædiùs istic lapsos Episcopos à Pontificali officio & communione suspenderat; ipsorum nomina vetans ad sacrificium recitari, attamen non degradârat. Hinc sanctus Paschasinus Dioscorum Epist.40. adhuc vocat Archi-Episcopum Alexandrinorum. Eumdem vult non ut judicem adsidere Synodo, sed stare ut accusatorem & reum, de suo in sanctum Flavianum & alios illustres Episcopos latrocinali judicio daturum rationes, quoniam isti ab illo ad Sedem Apostolicam provocassent. Ita subordinatum judicem, præsertim qui hostili animo latrocinaliter judicasse accusatur, tractari reverà mandant & Ecclesiæ Canones & Imperij leges. Sanctus Paschasinus, utpotè Siculus Episcopus, omninò græcè norat, latinè tamen semper loquitur ad Synodum, habetque interpretem Beronicianum, sacri Consistorij Secretarium. Ob alibi expositam dignitatem & morem Ecclesiæ Romanæ. Lilybeti in Sicilia situm multis exponit in libris de bello Wandalico Procopius Cæsareensis.

c Paschasini postulationi reposuit gloriosissimus Senatus: *Quid specia-*

liter ingeritur Dioscoro reverendissimo Episcopo? Et Paschasinus: *Cùm intromissus fuerit, necesse est ut illi objiciatur.* Et rursùm viris magnificentissimis instantibus, Apostolici de Dioscoro mandati caussam aperuit Lucentius Esculanus Episcopus, & Romanus Legatus: *Iudicij sui necesse est eum dare rationem, quia cùm personam iudicandi non haberet, præsumpsit, & Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est.* Duas adducit caussas. Primò, quod ab ejus latrocinali judicio sanctus Flavianus & alij Episcopi ad sanctum Leonem, & indicendam ab ipso Synodum appellassent, ideòque ille ex judice transijsset in reum & accusatorem. Secundò, quod generalis Synodi invasisset præsidentiam, exclusis & in accusantium & reorum ordinem abjectis Legatis Apostolicis ob Eutychianæ appellationis fucum: Quod nunquam licuit, aut fuit factum. Addidit sanctus Paschasinus: *Nos contra præcepta beatissimi atque Apostolici Papæ, gubernatoris Sedis Apostolicæ, venire non possumus, nec contra Ecclesiasticas regulas, vel contra Patrum instituta.* Ex quo vides generales Synodos Romani Episcopi mandatis semper fuisse subditas ac directas. Et hìnc tandem de judicis throno descendere, stare inter reos, ac de suis apud Ephesum Actis dare rationes Dioscorus est jussus.

Mox tunc intravit zelosissimus Eutychetis accusator Eusebius Dorylæensis Episcopus, ejulans & clamans: *Per salutem vos Dominorum universi mundi, iubete preces meas legi, sicut placuit pijssimo Imperatori. Læsus sum à Dioscoro: Læsa est fides. Occisus est sanctus Flavianus Episcopus. Lacrymis impleor. Simul mecum ab eo iniustè damnatus. Iubete preces meas perlegi.* Ex quo liquet per Principis salutem adjurandi morem fuisse tunc adeò solennem, ut magnus ille Episcopus Eusebius amplissimam hanc Synodum ita adjurârit. Quandoque fiebat tacto Principis capite, istudq; juramentũ nullo casu aut caussa potuisse solvi Zozymus adfirmat. Eusebij preces suscepit & legit Beronicianus sacri Consistorij Secretarius, quarum hæc epigraphe: *Amatoribus Christi Imperatoribus nostris ab Eusebio humillimo Episcopo Dorylai, faciente verba pro se, & pro orthodoxa fide, & sanctæ memoriæ quondam Flaviano, Episcopo Constantinopolitanæ civitatis.* Quocircà existimavit Eusebius defunctorum Episcoporum caussas posse synodaliter tractari & definiri, atque ita auctoritatem hanc pro se adducere quinta Synodus potuisset. L. 5.

Preces habuere hoc exordium: *Intentio & propositum est Clementiæ vestræ, universis quidem sibi subditis providere, & manum porrigere omnibus iniustè oppressis, præcipuè tamen fungentibus Sacerdotio, in hoc Divinitati placentes, à qua vobis imperare donatum est. Ergo quoniam multa*

& dira, & contra omnem consequentiam fides quæ in Christum est, & nos perpessi sumus à reverendissimo Dioscoro Episcopo Alexandriæ magnæ civitatis, adimus vestram Pietatem, supplicantes iustitiam promereri. Quibus ex verbis rerum ab Episcopis malè gestarum correctionem spectare ad Reges, eamque antiquam Romani Imperij praxim esse hodiernæ ab abusu appellationi similem conatur ostendere in Sacerdotij ac Imperij concordia Petrus de Marca Archi-Episcopus Parisiensis.
L.4.c.2. *Romani*, inquit, *Principes iniuriam illatam in iudicijs Canonicis per Canonum violationem Decretis suis resarciebant, si quis querelam suam ad eos deferret. Cui rei ex officio incumbebant, non solùm quod Canonum custodia illis commissa esset, sed etiam quod omnium, & præcipuè Clericorum, patrocinium, & publicæ tranquillitatis cura ad eos spectaret.* Eximiè id doceri ait ex adducto Eusebij libello, & pergit: *Patet Eusebium fiducia patrocinij ductum, quod Marcianus Sacerdotibus oppressis præstare tenebatur, ad eum accessisse, ut Principis auctoritate ius suum consequi posset, ob ea quæ contra Canones gesta erant Ephesi.*

L.12.c.3. Eleganter respondet Facundus Episcopus Hermianensis: *Prædicatoribus veritatis, quasi bobus, de quibus dicitur*, BOVI TRITVRANTI OS NON INFRAENABIS, *nonnumquam contra stimulum calcitrantibus, videtur Ecclesia, cuius illi vectores Doctoresq;, velut* antiqui testamenti domum per Philistinorum boves *remissa arca, nutare; sed non est Ozæ officij continere. Præcedit illam suus David, qui deducit exultans: Ipse manu fortis invisibiliter eam regit, per quos eam regi constituit. Et ideò nutare quidem potest, cadere nunquam potest. Nihil igitur Oza*, laice Princeps, *habes, quod simulatione piæ solicitudinis excuseris, quia Divino Iudicio pro temeritate percuteris.* Dum synodalia sive de dogmate, sive de personis judicia impingunt in regulam, reverà boves calcitrant, & arca titubat; verùm ad alios Episcopos, Romanum præsertim, nullo pacto ad laicum Principem spectat ipsam continere. Nulla hìc excusat piæ solicitudinis simulatio; est Ozæ temeritas Divino Judicio percussa. Et istiusmodi rationibus atque exemplis edoctum fuisse, ne imperij sibi commissi decorem alieni officij usurpatione fædaret, Marcianum Augustum adfirmat idem Facundus. Eusebius Dorylæi Episcopus aliud non fecit, quam quod sese ab Eusebiana factione ejectum fecisse scribit in Apologia ad Constantium Augustum sanctus Athanasius: *Profectus sum Alexandria, non ad castra fratris tui Constantis, aut alium quempiam, sed Romam dumtaxàt, me meaq; Ecclesiæ commendaturus.* Eusebianæ factionis & militum illi famulantium violentis manibus elapsus sanctus Athanasius Romam accessit & Julium Pontificem, suam à Tyrio conventu appellationem prosecuturus, fuitque tandem

à Ro-

à Romana quinquaginta Episcoporum Synodo, Eusebianos in contumaciam damnante, absolutus de criminationibus, ac in Sedem remissus. Verùm, quod Orientalis Imperij Augustus Constantius professum factionis satellitem ageret, difficilis, immò impossibilis erat executio. Hìnc igitur Constantem Augustum adijt Athanasius, rogans permitti Sardicensem Synodum, quæ Romanum de se judicium confirmaret, atque ita cogeret Constantium ad permittendam & Augusto brachio juvandam illius executionem. Ità Ephesini latrocinij carcere elapsus Eusebius, suam & sancti Flaviani appellationem prosecuturus fugit Romam, fuitque per sanctum Leonem Papam absolutus & restitutus. Verùm sententiæ rebellabant omnes Dioscorum sequentes Episcopi, nec non & latrocinij confirmator Theodosius Augustus, ideòque ad meliorem ejus successorem Marcianum mox accessit Eusebius, expostulans permitti, quam à Theodosio toties frustra petierat sanctus Leo, novam Synodum, quæ Romanum de se judicium confirmaret atque exequeretur. Nequaquam igitur ab Ephesini latrocinij abusu ad Principem appellabat, aut synodalis judicij correctionem ab ipso flagitabat Eusebius, sed meram Theodosianæ violentiæ amotionem, & Augusti brachij pro Romano judicio laicum auxilium, quod dum ab Ecclesia rogatus aut jussus Princeps impendit, remotissimus est ab Ozæ temeritate.

Eusebij libellus habebat duo præsertim capita. Primò, dicit ab Ephesino Dioscori latrocinio omnem mundum esse perturbationibus & scandalis repletum: Dioscorum antiquum, at occultum Eutychianæ impietatis fautorem iam esse detectum, Ephesi per pecuniâ emptas seditiosorum turmas egisse omnia, damnasse fidem Catholicam, sese, ac sanctum Flavianum, firmasse Eutychetis blasphemias, iam pridem à Patribus damnatas. Secundò, hæc omnia patere asserit ex ipsis latrocinij Actis, ideòque illa ad Synodum legi supplicat, ex illis judicari Dioscorum, & concludit: *Provoluti precamur vestram Clementiam, ut præcipiatis reverendissimum Episcopum Dioscorum respondere de his, quæ à nobis ingeruntur, sacrum & venerabile vestrum mandatum dirigentes sanctæ & universali Synodo religiosissimorum Episcoporum, quò possit inter nos & præfatum Dioscorum audire.* Ephesinum de Flaviano & Eusebio Pseudo-judicium, Leonis Pontificis cassatione spreta, confirmarat à Chrysaphio Eunucho circumductus Augustus Theodosius, & ad confirmationem istam pertinacissimè proclamabat Dioscorus, Eusebiano spiritu blaterans synodalia Orientalis Ecclesiæ judicia cassari, immò & retractari non posse à Romana Ecclesia; quin & in sanctum

ctum Leonem, uti istius Canonis prævaricatorem, postea ausus est latrare convicium excommunicationis. Hinc igitur, non à laudato Pontifice, sed à Marciano Augusto supplicavit Eusebius contumacem ac rebellem Dioscorum sisti Synodo, & cogi ad respondendum.
L. 4. c. 3. Quocircà rursùm labitur Dominus Petrus de Marca: *Imperatores Romani à Sacerdotibus interpellati dare iudices poterant, sed Clericos, qui de negotijs Ecclesiasticis sententiam ferrent.* Adducit præsentem Eusebij conclusionem, & pergit: *Inde etiam manavit, quod Eusebius Dorylai Episcopus non antè cum Dioscoro congredi voluerit in Concilio Chalcedonensi, & adversùs eum instituere accusationem, quam libello à Marciano contendisset, ut cognitionem illam Concilio demandaret.* Luce meridianâ clarius est Eusebium de tali imperij jure ne vel somniasse.

Ejus libellum, & conformem sacram Divalem secuti gloriosissimi judices jusserunt ante omnia recitari Acta Ephesini latrocinij. Nam & istud ipsum Dioscorus postulabat. Verùm non perstitit. Etenim sibi de Actis istis pessimè conscius intercessit postmodùm in ipso lectionis exordio, proclamans ad vetustam generalium Synodorum regulam: *Supplico per vestram Magnificentiam, inprimis quæ de fide sunt examinari.* Est antiquissima Patrum regula, de qua ad Eusebium Constantij Augusti Eunuchum, uti sanctus Athanasius refert in Epistola ad Solitarios, dixit Liberius Pontifex: *Fiat Ecclesiastica Synodus, ubi ante omnia Ecclesiastica fides asseratur, ac deinde iudicium de Athanasio fiat. Non enim fas est priùs quæstionem de factis alicuius, quam de fide religionis haberi. Primùm enim omnis discordia fidei rescindenda est, & tum quæstionem de negotijs fieri oportet. Nam & Dominus noster Iesus Christus non priùs sanabat ægrotos, quam ubi ostendissent & prolocuti fuissent, quam fidem in ipsum haberent. Hæc à Domino didicimus.* At reposuit Dioscoro Senatus: *Adversùs accusationem te convenit respondere. Ergò sustine Actorum lectionem fieri, quod & ipse postulasti.* Hocce enim judicium erat appellatæ caussæ retractatorium, ideòque ipsa ante omnia, & quidem ex Actis, præsertim de partium voto, poterat discuti & definiri. Nam & Sardicensis Synodus priùs sancti Athanasij & aliorum Episcoporum appellatam caussam finivit, exinde fidem confirmavit.

Quocircà Constantinus, sacri Consistorij Secretarius, legere cæpit Acta latrocinalia, & dum venit ad sacram Divalem, quâ Theodoretum Cyrensem Episcopum Theodosius Augustus jusserat esse sola suæ Ecclesiæ communione contentum, nec adesse Ephesino Concilio, gloriosi judices dixére: *Ingrediatur reverendissimus Episcopus Theodoretus, ut sit particeps Synodi, quia & restituit ei Episcopatum*

patum sanctißimus Archi-Episcopus Leo, & pyßimus Imperator sanxit eum adesse sanctæ Synodo. Ab Ephesina latrocinalis in se damnationis sententia Romam appellârat, & istuc cum accusatoribus ac damnatoribus suis certaturus evocari postulârat Theodoretus, fueratque per sanctum Leonem Pontificem suo Episcopatui ac pleno honori restitutus. Et judicium istud mandavit executioni Martianus Augustus, ideòque Theodoretum, uti canonicum & integrum Episcopum, jusserat præsenti Synodo cum pleno suffragio adsidere. Verùm Ægyptij, Illyriciani, ac Palestini Episcopi intercesserunt: *Miseremini. Fides perit. Istum Canones eyciunt. Hunc foras mittite: Magistrum Nestorij foras mittite.* Reposuerunt Orientales, Asiatici, Pontici, & Thraces: *Nos* Theodoreti damnationem in Ephesino latrocinio *in pura charta subscripsimus, cæsi sumus, & ita subscripsimus.* Ex quo liquet latrocinales Dioscori violentias non in solam sancti Flaviani damnationem processisse. Etiam ipse Dioscorus est interlocutus: *Cyrillus cur eycitur, qui ab isto est anathematizatus?* Et reverà non sola duodecim sancti Cyrilli Capitula, sed & personam anathematizârat in Ephesino Concilio Theodoretus, & licèt cum illo pacem posteà fecisset, non desijt tamen anathematizare Capitula, Domnum Patriarcham suum, proficiscentem ad Ephesinum latrocinium, calidissimè obtestans & adjurans, ne ullo pacto aut colore in Capitula consentiret. Nihilominùs Orientales, Pontici, Asiatici, & Thraces Episcopi reddiderunt: *Dioscorum homicidam foras mittite, Dioscori Acta quis ignorat?* Facta est dura inter Episcopos contentio, ideòque gloriosi judices sunt tandem interlocuti: *Theodoretus reverendißimus Episcopus, proprium recipiens locum à sanctißimo Episcopo inclytæ urbis Romæ, in locum nunc accusatoris ingressus est. Vndè patiamini ea, quæ inchoata sunt, finiri, ut ne aliqua confusio Auditorio fiat. Præiudicium enim ex persona reverendißimi Theodoreti Episcopi nulli generabitur, reservatâ videlicet post hæc omni accusatione & vobis & illi, & quæ invicem exercere volueritis, quia rectam tenet fidem, maximè cùm & sine scriptis appareat ei testimonium catholicæ fidei perhibens reverendißimus Episcopus Antiochiæ magnæ civitatis.* Non Domnus apud Ephesum degradatus, sed Maximus, ejus successor. Theodoreti eruditio, eloquentia, Episcopalis constantia nullo egent testimonio. Ea in Dioscorum agere horrebat factio latrocinalis. Hinc ejus Romanam restitutionem subreptionis arguit, excludere conata etiam à loco accusatoris: Etenim degradatum Episcopum alterius Episcopi accusandi jure disertè privat sextus Canon Constantinopolitanus. Erat quæstio multi examinis. Hinc mediam viam ingressi gloriosi judices, sancti Leonis de Theodoreto judi-

 cium,

cium, à Marciano Augusto & Maximo Antiochiæ Patriarcha comprobatum, partim sunt executi, partim plenè discutiendum in aliud tempus rejecere: Theodoretum, inquam, ab integro adhuc suffragio & judicis loco suspenderunt, admisêre tamen ad facultatem accusandi. Et quidem salvâ etiam hujus executionis retractatione. Etenim uti sanctus Julius Papa suum de reparato Athanasio per Sardicensem, ita sanctus Leo suum de restituto Theodoreto judicium permisit ac voluit per præsentem Synodum adversùs obreptiones retractari, cassandum ex caussis legitimis aut firmandum. Hinc retractationem istam spondentibus & stipulantibus gloriosissimis judicibus Legati Apostolici non obstitere.

Ita reddito Theodoreto Orientales & alij ipsis consentientes Episcopi solenniter acclamârunt: *Dignus, dignus.* Exponit Nicetas Paphlago, agens de degradatione sancti Ignatij Patriarchæ Constantinopolitani: *Procopius Hypo-Diaconus, ablato à Patriarcha Pallio, illud solenne proclamabat*, INDIGNUS. Uti degradato, *Indignus*, ita noviter consecrato Episcopo solenniter olim acclamabatur, *Dignus.* Et huc in Romana Bonifacij secundi Pontificis Synodo, publicata per illustrissimum Dominum Lucam Holstenium, respexit Stephanus Larissenus Episcopus, Thessaliæ Metropolita, loquens de sua consecratione: *Probianus Demetriadæ civitatis Episcopus titulos meæ laudis exercuit*, exclamans ubique illud solenne, *Dignus.* Ejus in Metropolitæ consecratione acclamatio erat honor singularis, ideòque de illo cunctos suæ Provinciæ Episcopos certasse idem Stephanus adfirmat. Quocircà restitutum, licèt non plenissimè, Theodoretum Collegam suum Orientales Episcopi uti noviter consecratum Episcopum honorârunt. Ast Ægyptij rursùm intercesserunt: *Nolite eum dicere Episcopum, non est Episcopus. Impugnatorem Dei foras mittite: Iudæum foras mittite. Cyrillum Theodoretus accusavit. Cyrillum ejicimus, si Theodoretum accepimus. Canones istum ejiciunt. Hunc Deus aversatur.* Ita illum tractant ob damnata S. Cyrilli Capitula, eademque de caussa illum Ephesi damnârât. Adjunxit se Basilius in Rhodopes Provincia Episcopus Traianopolitanus: *Et à nobis Theodoretus damnatus est.* Hæc omnia erant clandestinæ & cuniculares Dioscori machinæ, ideòq; Orientales Episcopi reddiderunt: *Orthodoxum Synodo, Seditiosos foras mitte, Homicidas foras mitte.* Quare lassi, & graviora metuentes gloriosi judices sunt cum stomacho interlocuti: *Acclamationes istæ populares neque Episcopos decent, neque partes iuvant. Patiamini universorum fieri lectionem.* Et iterùm Episcopi Ægyptij: *Vnum ejicite, & omnes audimus. Pro pietate clamamus. Pro Catholica fide hac dicimus.* Ex quo fundamen-

mento & isti & ipsorum successores, & omnis Acephalorum grex, per multos annos non desierunt impugnare præsentem Synodum, uti Nestorianorum communione pollutam, immò plenè Nestorianam, quæ Theodoretum, hominem manifestè Nestorianum, priùs ad accusandi locum, deindè ad synodale suffragium & plenam Episcopi communionem admisisset. Tandem verò ad gloriosorum judicum seriam jussionem cunctis quiescentibus, Constantinus sacri Consistorij Secretarius in latrocinalium Actorum lectione perrexit.

Et cùm sacram Divalem, quâ Theodosius Augustus Dioscoro, Juvenali Hierosolymitano, ac Thalassio Cæsareensi Episcopo Synodi Præsidentiam ac Primatum detulerat, legeret, Dioscorus locutus est ad gloriosissimos judices: *Comperit vestra Clementia, quia non mihi soli sacratißimus noster Imperator commisit iudicium, sed & beatißimo Iuvenali, & sanctißimo Episcopo Thalaßio auctoritatem Synodi dedit. Nos ergo iudicavimus quæ iudicata sunt, consensit nobis & universa Synodus. Quare in me solum ista extenduntur, quando auctoritas ex æquo tribus data est, & iudicatis à nobis consensit universa Synodus, & confessa est proprijs vocibus, & subscripsit, & relatum est pijßimo Imperatori Theodosio, & confirmavit omnia, quæ iudicata sunt à sancta & universali Synodo, generali lege?* Confirmatam à Principe Synodum ait retractari non posse, aut sanè sese solum non posse agi reum, utpotè qui non solus, sed cum Juvenali ac Thalassio præsederit Synodo, & omnia pari potestate & consilio cum ipsis egerit. Addit omnem Synodum unanimi suffragio adsensisse. Et hinc Orientales Episcopi intercesserunt: *In damnationem beati Flaviani, & Eusebij Episcopi nullus voluntariè consensit.* Enunciavere mysterium, fustes, gladios, milites, Parabalanos, Barsumæ monachos, Comites, quibus eos violentârat Dioscorus, & addiderunt: *Homicidam Dioscorum foras mitte, Flavianum milites deposuerunt.* Et quoniam cum Episcopis clamabant & Clerici, Episcopi Ægyptij reposuerunt: *Clerici nunc quare clamant? Synodus Episcoporum est, non Clericorum. Superfluos foras mittite. Qui subscripserunt, in medium veniant.* Et statim in medium prodierunt Stephanus Ephesinus, & Theodorus Claudiopolitanus in Isauria Episcopus, enarrantes illatas sibi violentias, & Orientales cum sibi adhærentibus Episcopi adclamârunt: *Omnes eadem dicimus, hæc ita se habent.* Et Ægyptij: *Christianus neminem timet, Catholicus neminem formidat. Ignis ponatur, & dicimus. Si homines timerentur, martyres non fierent.* Eos arguunt, quod ex metu, qui in Episcopum nullus cadere debeat, sese fuisse prævaricatos proprio ore confiteantur. Addidit Dioscorus: *Quia asserunt se non audisse quæ iudicata sunt vel disposita, sed simpliciter in oblata*

pura charta subscripsisse, maximè quidem non oportuit eos subscribere, quibus satisfactum non erat de his, quæ dixit Synodus, quia de fide erat sermo. Sed quia caussantur in oblata pura charta subscripsisse, interlocutiones eorum quis ordinarit supplico dicere eos, præcipiat Magnificentia vestra. Eos arguit, quod fateantur, & quidem in re dogmatica, sese in pura charta ex metu subscripsisse. Reverà enim alienissimum id est à constantia Episcopali. Addit eos mentiri, istudque liquere ex ipsorum interlocutionibus, seu verbalibus suffragijs: Utpotè qui nihil subscripserint, nisi quod priùs verbali suffragio firmassent. Produci hæc suffragia Dioscorus postulabat. Verùm pergi in Actorum lectione voluerunt gloriosi judices, & Constantinus Secretarius perrexit.

Cùm legeret Ephesi primo Dioscorum, secundo loco sedisse Julianum Coënsem Episcopum, sancti Leonis Pontificis Vicarium ac Legatum, Orientales Episcopi clamârunt: *Eiectus est, nullus suscepit nomen Leonis.* Et hoc reverà fuit palmare Dioscori crimen. Cùm legeretur sanctus Flavianus post Juvenalem Hierosolymæ, & Domnum Antiochiæ Patriarcham sedisse, iterùm clamârunt ijdem Episcopi: *Flavianus ut damnatus ingressus est. Hæc manifesta calumnia. Constantinopolitanum Episcopum quare quintum posuerunt?* Et sanctus Paschasinus Lilybeti Episcopus, ac sancti Leonis Papæ Vicarius & Legatus: *Ecce nos, Deo volente, Dominum Anatolium,* Flaviani successorem, *primum habemus; hi quintum posuerunt beatum Flavianum.* Et Diogenes Cyzicenus Episcopus, Hellesponti Metropolita: *Quoniam vos regulas scitis,* utique tertium Canonem Constantinopolitanum. Verùm neque Paschasinus, neque Orientales Episcopi illum solum respexerunt. Quomodò enim Romanæ Ecclesiæ doctissimus Legatus ex Canone per eamdem Ecclesiam reprobato judicaret? Respexerunt nupera inter sanctum Proclum & Domnum Antiochenum de isto Canone pacta, quæ Paschasinus, etiam Canone non subsistente, existimavit rata & servanda. Quod ejus judicium cassavit postea sanctus Leo Pontifex, uti suo loco ostendi ex ejus literis ad Maximum, Domni successorem.

Ep.62.c.4. Ventum est ad intercessionem, quâ Hilarus Romanæ Ecclesiæ Diaconus & Legatus dogmaticas sancti Leonis ad Synodum literas postulârat legi, atque tunc Ætius Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archi-Diaconus est interfatus: *Neque suscepta est Epistola sanctissimi Episcopi Leonis, neque lecta est.* Et Episcopi Orientales: *Non est nobis lecta.* Et rursùm laudatus Archi-Diaconus: *Septies iuravit coram omnibus facere eam recitari, & non est lecta. Et peieravit.* Et Theodorus Claudiopolitanus in Isauria Episcopus: *Quia iuravit, omnes scimus; & quia*

& quia non est lecta, confitemur. Erat res momentosissima, ideòque ad Dioscorum, Juvenalem, ac Thalassium, latrocinij Primâtes, dixêre gloriosi judices: *Reverendissimi Episcopi, quibus auctoritas tunc eorum, quæ agebantur, ab imperiali data est Clementiâ, dicant pro qua re Epistola sanctissimi Archi-Episcopi Leonis non est recitata, præsertim præcedente interlocutione, ubi eam iussum est recitari.* Respondit Dioscorus: *Gesta demonstrant, quia secundò interlocutus sum recitari Epistolam reverendissimi Episcopi Romani.* Et rogatus, *Ob quam caussam post tuam interlocutionem lectio Epistolæ non est facta,* aliud nesciens reposuit: *Interrogentur & alij Episcopi, quibus fuerat & caussa commissa, cuius rei gratia non est recitata.* Interrogari petijt Thalassium ac Juvenalem. At gloriosi judices non acquieverunt, iterùm interlocuti: *In primo loco ipse responde.* Et rursùm adseveranti, *Secundò interlocutus sum recenseri eam,* reddidit Eusebius Dorylæensis: *Mentitur.* Quod nempe Dioscorus legendam Epistolam sola linguâ, non mente jussisset. Etiam Juvenalis nihil competentis rationis dare potuit, & rogatus Thalassius hoc unum reddidit: *Neque prohibui, neque tantam auctoritatem habebam, ut ego solus possem disponere fieri lectionem.*

Ephesinum Canonem de non addendo ad Symbolum Nicænum firmari, & facta per Synodum Constantinopolitanam additamenta dolosè damnari curârat Dioscorus, & Acta latrocinalia adfirmant ab omni Synodo fuisse adclamatum, *Si quis innovat, anathema sit.* Quæ dum legerentur, Orientales & alij plures Episcopi intercesserunt: *Ista non diximus. Ista quis dixit?* Et Theodorus Claudiopolitanus apud Isauros Episcopus: *Deducat Dioscorus Notarios. Ejiciens enim omnium Notarios, suos fecit scribere. Veniant Notarij, & dicant, si ista scripta sunt, aut nobis præsentibus lecta sunt, aut si quis cognovit & subscripsit.* Quare habita est quæstio, An istud violentiæ & falsi crimen Dioscorus reverà commisisset. Et quidem Juvenalis Hierosolymæ, ac Thalassius Cæsareæ, ac Erasistratus Corinthiorum Episcopus fassi sunt suos ex synodali more Notarios excepisse. At longè aliter Stephanus Episcopus Ephesiorum: *Excipiebant,* inquit, *Notarij mei, Iulianus, qui nunc est Episcopus Lebedi, & Crispinus Diaconus, & venerunt Notarij Episcopi Dioscori, & deleverunt tabulas eorum, & digitos eorum penè fregerunt, volentes tollere & thecas eorum. Et neque eorum Actorum exemplaria accepi, neque novi de cætero quid actum sit.* Quæ omnia etiam Acacius Ariarathiæ in secunda Armenia Episcopus confirmavit. Etiam adversùm factas tunc Dioscoro, tamquam fidei & regularum custodi, acclamationes intercessit Theodorus Claudiopolitanus: *Hæc nullus dixit.*

Fidei libellus latrocinio ab Eutychete exhibitus laudabat jam dictum Ephesinum Canonem, uti suæ justitiæ palmare fundamentum, & addebat: *Cuius exemplaria in codice destinavit mihi Pater noster & Episcopus Cyrillus, quem & præ manibus habeo.* Adversùm quæ, dum legerentur, obviavit Eusebius Dorylæensis: *Mentitus est, non est definitio talis, non est regula hoc præcipiens.* Reposuit Dioscorus: *Quatuor codices sunt, qui hanc definitionem continent. Quod definierunt Episcopi, non est definitio? Numquid habet, Quia regula est? Non est regula. Aliud est regula, aliud definitio. Accusa quinque Synodicos codices. Et ego habeo, & ille, & ille habet, omnes proferant codices.* Quid apud antiquos fuerit propriè Canon, exponit in sui Nomo-Canonis præfatione Photius: *Magni illi viri, Basilius & Gregorius in ea sunt sententia, ut existiment Canones Ecclesiasticos eos esse dicendos & habendos, quos non modò seorsim & privatim aliquis, sed plures sancti Patres in unum convenientes de communi sententia cum accurata & solicita perquisitione decrevissent.* Et in Nomo-Canonis corpore hoc est primi tituli caput quartum: *Quod non ab uno Episcopo, sed à communi Episcoporum cætu Canones promulgantur.* Ita tradi ait à sancto Basilio in quadragesimo septimo capite literarum ad S. Amphilochium Metropolitam Iconiensem, & à S. Gregorio Nysseno in sexto capite Epistolæ ad Latoium Mitylenensem Episcopum. Ejusdem sententiæ fuit Facundus Episcopus
L.12.c.3. Hermianensis: *Novos constituere Canones non nisi multis, & in unum congregatis primi ordinis Sacerdotibus licet.* Et hinc sanctus Leo magnus in literis ad Campaniæ, Piceni, & Thusciæ Episcopos distinguit
Ep.1.c.5. Canones à decretalibus Sedis Apostolicæ Constitutis. Quæ distinctio in aliorum etiam Pontificum literis est frequentissima. Et ex ipsa Hincmarus Remensium Archi-Episcopus in Epistola quinquaginta quinque capitum adversùs Hincmarum, nepotem suum, Episcopum Laudunensem, docuit à solo extra generalem Synodum Romano Pontifice non posse condi novos Canones, immò nec nova Decreta, nisi ex prioribus Canonibus hausta. Primum est verum, lapsum fuisse in secundo est alibi ostensum.

Aliam Canonis essentialem qualitatem adducit Pelagius secundus
C. 17. Pontifex in literis ad Eliam Archi-Episcopum Aquileiensem: *Omnes novimus, quod* in generali Synodo *nunquam Canones, nisi peractis definitionibus fidei, nisi perfectis synodalibus gestis habeantur, ut servato ordine cùm priùs Synodus ad fidem corda ædificet, hinc per regulas Canonum mores Ecclesiæ actusque componat.* Ita laudatus Facundus synodalia de Christiana fide Constituta à Canonibus distinguit. Et ipsa præsens Synodus suũ de fide Decretum appellavit, non Canonem, sed Definitionem. Proinde

inde Canon seu Regula est de moribus, Definitio de fide. Et hìnc de Eutychetis libello rectè dixit Dioscorus: *Nunquid habet, Quia Regula est? Non est regula. Aliud regula, aliud definitio.* Reverà enim Ephesinum Decretũ est de fide, non de moribus, & illud à suis Canonibus etiam ipsa Synodus distinxit. Hodie tamen passim vocamus Canonẽ, quod ab antiquo loquendi rigore, & adducto Canonis & definitionis discrimine iã pridem recesserimus, adeò ut sacrosancta Tridentina Synodus fidei anathematismos, Canones; morum autem regulas appellet Decreta reformationis. Secuta est hanc regulam: *Moribus antiquis, præsentibus utere verbis.* Antiquus est iste recessus: Nam & Photius Sanctorum Basilij & Gregorij, aliorumque Patrum decretalia Constituta Canonibus adnumerat, & adsiduè Canones appellat. At quæstio est, unde Eusebius Dorylæensis Episcopus negârit Ephesi editam fuisse istam etiam definitionem? Aliud nescio, quam mancum illi codicem fuisse.

Et hìnc definitionem istam esse omninò admittendam dixit Diogenes Metropolita Cyzicenus, arguens tamen Eutychetis libellum de omissis & abjectis Synodi Constantinopolitanæ ad Nicænum Symbolum additamentis: Ea dixit ab illo abijci ex Valentini & Apollinaris spiritu, per additamenta ista damnato, ideòque adversùs eadem huc usque rebelli. Dixit ab Eutychete resuscitatam Apollinaris hæresin, ideòque & additamenta ista, per Ephesinam Synodum nullatenùs damnata, refutari. Verùm Ægyptij Episcopi, ab Eutychete & Dioscoro leprosi, intercessere: *Nemo suscipit adiectionem, nemo diminutionem. Quæ in Nicæâ constituta sunt, teneant. Catholicus Imperator hoc jussit.* Etenim & Theodosius Augustus ab Ephesina, & ejus successor Marcianus à nostra Synodo jusserant Eutychianas lites ex Nicæno Symbolo definiri. Quod à Chrysaphio Eunucho circumventus Theodosius innoxiè jusserat, Eutyches & Dioscorus in pravum Apollinarij sensum detorserunt. Et hìnc reposuerunt Episcopi Orientales: *Hæc Eutyches dixit.* Adversùs illum sanctus Proterius Alexandriæ post Dioscorum Archi-Episcopus laudata additamenta inseruit professioni consecrandorum Episcoporum.

Eutychetis libellus anathema dicebat Manichæo, Valentino, Apollinari, Nestorio, cunctis hæreticis, etiam illis qui Domini carnem garriunt de cælo venisse. De quo Valentiniano errore erat Eutyches non modicè infamatus. Hìnc illum Ephesi rogârat Diogenes Cyzicenus Episcopus: *Vnde ergo est caro Domini? Dic.* Quæ cùm ad præsentem Synodum legerentur, momentosissimam hanc quæstionem fuisse sine discussione à Dioscoro dimissam questus est Basilius Me-

Metropolita Seleuciensis. At reposuit Dioscorus: *Religiosissimus Episcopus Basilius reprehendit in Gestis vocem suam, dicens, Quia sic non dixi, sed falsè scriptum est. Si verò Eutyches præter dogmata Ecclesiæ sapit, non solùm pœna dignus est, sed & igne. Ego verò fidei Catholicæ & Apostolicæ solicitudinem gero, & non alicuius hominis. Ad ipsam namque Divinitatem mentem intentam habeo, & ad personam non attendo, neque pro quolibet curo, nisi pro mea anima & recta fide.* Ait Basilij, utpote proprium in Constantinopolitana sancti Flaviani Synodo datum suffragium prævaricati apud Ephesum, testimonium esse fide indignum, additque nihil istic à sese actum pro Eutychete, sed omnia pro solo Deo & ejus Evangelica doctrina.

Et hinc nata est occasio disceptandi, an Basilius suum suffragium fuisset reverà prævaricatus. Dioscorus constanter adseruit. Et omninò lectas in dicta sancti Flaviani Synodo sancti Cyrilli literas probârat Basilius, & adjunxerat à se adorari Dominum nostrum Jesum Christum in duabus, etiam post adunationem, naturis; at verò Ephesi vocem istam reprehendens & recantans dixerat: *Adoro unam naturam Deitatis unigeniti inhumanati.* Quare aliud nescivit, quam recantare recantationem, allegare Dioscori violentias per milites & monachos, & non mentis, sed solius infirmæ carnis lapsum deprecari. Etiam à gloriosissimis judicibus rogatus, Cur catholicè sentiens in sancti Flaviani damnationem subscripsisset, reposuit: *In judicium centum viginti aut triginta Episcoporum traditus necessitatem habui parere his, quæ ab illis ordinabantur.* Ad quæ subsannans, & ex proprio illum ore judicans Dioscorus: *Erubescens homines prævaricatus es quod bonum est, & fidem sprevisti?* Ita illum ait Episcopatu ex propria confessione indignum. Quare & ipse, & omnes ejus Collegæ Orientales, necnon & Thalassius Cæsareensis, Eusebius Ancyranus, ac Eustatius Berytensis clamârunt supplices unâ voce: *Omnes peccavimus, omnes veniam postulamus.*

Eusebium Dorylæensem, Eutychetis accusatorem, uti officio perfunctum, à prosequendo judicio appellationis retractatorio excluserat Dioscorus, onus istud injectum volens sancto Flaviano. Quæ dum Chalcedone legerentur, Eusebius est interlocutus: *Accusatus à me Eutyches, dans libellos in sancta Synodo, commemoravit quia accusator ipsius sum. Quo autem modo, cùm sanctæ memoriæ Flavianus, qui judicabatur, postulavit me accusatorem ingredi, & Consequentiâ & regulis ita volentibus, prohibitus sum ingredi, rogo perquiri.* Et Dioscorus, Juvenalis, ac Thalassius, latrocinij Primates, à gloriosis judicibus rogati caussam, nequiverunt aliud, quam crimen in Comitem Elpidium &

sacram

sacram Jussionem referre, dicentes: *venerandus Comes Elpidius iussit eum non ingredi, confirmans quia imperator iusserat.* Quare uti regularum & consequentiæ transgressores, qui sacram jussionem Canonibus adversam admisissent, fuere graviter culpati. Ex quo rursùm vides sacras eiusmodi jussiones esse nullius momenti. Istud Dioscori factum rectè damnavit in libro de Sectis etiam Leontius Scholasticus Byzantinus.

Addidit verò superbus Dioscorus: *Quoniam culpatis me, sicut qui transgressus sum regulas, quæ nunc custodiuntur regulæ, ut Theodoretus ingrederetur?* Ejus eminentem scientiam & generosam mentem horrebat. Responderunt gloriosi Judices: *Theodoretus Episcopus ut accusator ingressus est, sicut ex voce eius audistis.* Et roganti, *Quamobrem in ordine Episcopi sedet*, denuò reddiderunt: *Et Episcopus Eusebius, & Episcopus Theodoretus in ordine accusantium sedent, sicut & vos in loco eorum, qui accusantur, sedetis.* Nullam cavilli ansam adversùs Synodum Dioscorus abire permisit.

Quæstio est, quænam sit illa Consequentia, toties in his & alijs Synodorum Actis laudata, passim regulis adjuncta, & à qua frequentissimè quid dicitur fieri aut non fieri *Consequenter*? Respondeo esse illam, de qua nostræ Synodi Relatio ad S. Leonem Papam: *Dioscorus Beatum Flavianum præter omnem Canonum consequentiam damnavit.* Et in literis ad Leonem Augustum, post Synodum Chalcedonensem exstantibus, Joannes Heraclææ Episcopus, Europæ Metropolita, ac totius Thracicæ diœceseos Primas: *Clerici præter Ecclesiasticam consequentiam ordinati.* Ep. 27 Et in alijs ibidem ad eumdem Principem literis Pergamius Antiochenus Episcopus, Pisidiæ Metropolita: *Secùndùm consequentiam regularem.* Epist. 41 Similia Patrum ac Synodorum loca adduci possint plurima. Proindè Consequentia seu Canonum Consequentia non est aliud, quam tempore isto usitatus Canonum Codex, in quo omnes probati Canones, certo seu dignitatis seu temporis ordine, sese consequebantur. Nostra hodie Consequentia est corpus Canonici Juris.

Ex Constantinopolitanæ sub sancto Flaviano Synodi Actis lecta quoque fuit S. Cyrilli ad Joannem Antiochiæ Patriarcham & ejus Synodum pacificatoria Epistola, duas in Domino plenas naturas prædicans, atque tunc omnes Illyricianæ diœceseos Episcopi exclamarunt: *Sic credimus, sicut & Cyrillus. Cyrilli æterna memoria.* Et famosus Theodoretus: *Anathema ei, qui dicit duos Filios. Vnum enim Filium adoramus Dominum nostrum Iesum Christum Vnigenitum.* Theodoretus apud Dioscori factionem erat suspectus de duobus: Quod

sancti Cyrilli Capitula, personam, initamque Ecclesiarum cum illo pacem damnaret; & quod sub duabus in Domino naturis profiteretur & duas personas, ideòque Jesum cum Nestorio solveret. Utriusque suspicionem ista interlocutione purgavit. Et de eisdem suspecti Collegæ Orientales acclamarunt: *Flavianus sic credebat, Flavianus ista defendebat, pro his Flavianus damnatus est. Eusebius Nestorium deposuit. Dioscorus fidem corrupit.* Quibus ex verbis quidam volunt Eusebium Dorylæi Episcopum, licèt hodiè non habeatur subscriptus, adfuisse primæ Synodo Ephesinæ. Ut ut sit, certum est eum non minùs Nestorianæ, quam Eutychianæ blasphemiæ fuisse adversum. Undè & Ægyptij, Dioscoro addictissimi, Episcopi fuêre adstipulati: *Omnes sic credimus, sic sapit universus mundus.* Et hìnc à gloriosis judicibus fuerunt meritò interrogati: *Qua ratione Eutychen, his contraria dicentem, in communionem suscepistis, Flavianum verò & Eusebium, his usos, deposuistis?*

Lecta fuit & devia interlocutio, qua Eustatius Berytensis Episcopus, laudatam sancti Cyrilli Epistolam, prædicatasque ab illa duas Domini naturas ex alijs eiusdem Epistolis conatus ad Eutychetis deliria detorquere, dixerat: *Non oportet intelligere duas naturas, sed unam Dei verbi incarnatam.* Ad quæ Orienteles Episcopi exclamarunt: *Ista Eutyches dicit; hæc Dioscorus dicit.* Reposuit verò Dioscorus: *Neque confusionem dicimus, neque divisionem, neque conversionem.* Confusionis dogma Eutyches ab Appollinario, Appollinarius acceperat ab Arianis, quorum sensum eleganter & lucidè exponit Phœbadius, Agennensis in Gallia Episcopus, in virorum illustrium catalogo per sanctum Hieronymum laudatus: *Duplicem* Christi Domini naturam sive *statum, non coniunctum, sed confusum vultis videri, ut etiam unius vestrum, id est, Potami Epistola, quæ ad Orientem & Occidentem transmissa est, qua asserit carne & spiritu coagulatis per sanguinem Mariæ, & in unum corpus redactis, paßibilem Deum factum. Hoc ideo, ne quis illum ex eo crederet; quem impaßibilem satis constat. Fecistis igitur de Spiritu Dei & carne hominis nescio quid tertium: Quia nec verè etiam Deus est, si verbum esse desijt, caro enim factus; neque verè homo, quia non propriè caro. Fuit enim verbum. Ac sic ex utroque iam neutrum.* Ab erubescenda impietate purgat se Dioscorus, aiens à se quidem negari duas naturas, & adseri unicam, at Dei Verbi incarnatam, ideòque sine errore & periculo confusionis.

Et reverà hæc propositio *Christus est una natura Dei verbi incarnata*, habet sensum sanum, à confusionis blasphemia purum, expositum largè à quinta Synodo. An illum Dioscorus in mente gesserit,

noluit

noluit Synodus disquirere: Confusionem ab illo adseri suadebat præsumptio juris & de jure. At verò de Eustatio Berytensi Episcopo, viro insigniter usque huc orthodoxo, gloriosi judices sunt interlocuti: *Dicat sancta Synodus, si canonicis Epistolis sanctæ memoriæ Cyrilli, quæ in Synodo publicatæ & hic lectæ sunt, consonat interlocutio Eustatij reverendissimi Episcopi.* Et antequam Synodus responderet, Eustatius in medium prodiens, & librum gestans dixit: *Si malè dixi, ecce codex. Liber Cyrilli anathematizetur, & anathematizer.* Produxit S. Cyrilli ad Acacium Melitinę Metropolitam, ad Valerianum Metropolitam Iconiensem, ad Successum Dio-Cęsareensem in Isauria Episcopum, & ad Eulogium Presbyterum Constantinopolitanum literas, in quibus propositioni isti sese tenaciter affixum ostendit, ipsamq; liberam ab omni Apollinaristicæ confusionis adsertione, immò & suspicione. Hanc propositionem, *Christus post adunationem est duæ naturæ*, videtur Orientalibus solo dispensatorio ineundæ pacis amore ac necessitate indulsisse. Et hinc labendi ansam sumpsit in Ephesino latrocinio Eustatius, & ad nostram Synodum perrexit: *Qui dicit unam naturam ad negationem carnis Christi, quæ & consubstantialis est nobis, anathema sit; & qui dicit duas naturas ad divisionem filij Dei, anathema sit. Et pro beato Flaviano dicere volo. Ipsa verba accepit beatus Flavianus, & porrexit pijssimo Imperatori, & iubete recitari manum ipsius, ut dicat universa Synodus, quia iustè suscepta est.* Orthodoxam professionem probavit omnis Synodus; at gloriosi Judices addiderunt: *Cur ergo Flavianum beatæ memoriæ deposuistis?* Etenim Orientalis in prima Phænicia Episcopus erat Eustatius, ideòque duarum in Domino naturarum professionem, per Antecessores suos à sancto Cyrillo exactam, non potuerat sine speciali crimine damnare. Hinc humiliter reposuit: *Erravit*

Ventum est ad sancti Flaviani de recitatis sancti Cyrilli Epistolis judicium, quo duas in Domino naturas & ipse fuerat professus, & gloriosi judices sunt interlocuti: *Quid dicunt reverendissimi Episcopi? Itanè exponens fidem sanctæ memoriæ Flavianus orthodoxam & catholicam religionem salvavit, an erravit in ea?* Hæc est enim professio, cujus caussa illum uti hæreticum Nestorianum damnavit latrocinium Ephesinum. Respondit verò sanctus Paschasinus, Romanæ Ecclesiæ Vicarius & Legatus: *Sanctè, & integrè, & catholicè exposuit beatæ recordationis Flavianus. Siquidem ejus fidei expositio cùm beatissimi atque Apostolici viri, Papæ Romani Epistola concordat.* Et ejus collega Lucentius Episcopus Esculanus: *Quoniam sanctæ memoriæ Flaviani fides concordat cum Apostolica sede & Patrum traditione, sententiam, quâ illum ab hæreticis constat esse damnatum, in eos retorqueri à sancta Synodo necesse*

 est.

est. Quod ipsum censuerunt Anatolius Constantinopolitanus, Maximus Antiochenus, Thalassius Cæsareensis, Eusebius Ancyranus, Eustatius Berytensis, Juvenalis Hierosolymæ, Petrus Corinthiorum, Quintillus Heracleensis, Zozon Philippensis, & alij longè plures Episcopi, transeuntes ad alteram, in quâ Orientales Dioscoro adversi stabant, Synodi partem, postulantes tamen sancti Flaviani professionem plenam ad finem usque legi. Juvenalis erat Orientalis Episcopus: Cur ergo in alia à Collegis parte stabat? Quod ab Antiochena sede se separasset, & à suis Antecessoribus erectum Hierosolymæ schismaticum Patriarchatum omni conatu manuteneret. Invaserat duas Phænicias: Hinc illi Eustatius Berytensis adhærebat. Ita ergo insigniter deficere cæpit Dioscori factio, in quam Episcopi Orientales exclamârunt: *Martyr Flavianus fidem benè exposuit*. At Dioscorus intercessit: *Legantur reliqua eius verba, & sic respondebo. In sequentibus enim invenitur se impugnans, & dicens post adunationem duas naturas. Manifestè ideò damnatus est. Ego autem testimonia habeo sanctorum Patrum, Athanasii, Gregorij, Cyrilli in multis locis, quia non oportet dicere duas naturas post adunationem, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam. Ego cum Patribus eijcior. Ego defendo Patrum dogmata, non transgredior in aliquo. Et horum testimonia non simpliciter, neque transitoriè, sed in libris habeo: Vt verò omnes petierunt, & ego rogo reliqua recitari.*

Propositionem istam, *Christus est una natura Dei Verbi incarnata*, fuisse in Ecclesias à sancto Athanasio inductam insinuat etiam Ferrandus Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus, in literis ad Anatolium Romanæ Ecclesiæ Diaconum, aiens inductam adversùm Arianos, suo autem tempore propter Eutychianos fuisse suspectam. Sancti Athanasij locum ex oratione de Domini Incarnatione adducit in libro de Sectis Leontius Scholasticus Byzantinus: *Eumdem esse Dei Filium ratione Spiritus, & hominis Filium ratione carnis. Non duas naturas unum illum Filium, quorum una sit adoranda, non adoranda sit altera, sed unam naturam Dei Sermonis incarnatam.* At ipse constanter adserit verba ista in Athanasio non reperiri. *Cùm*, inquit, *interrogantur* Acephali, propositionis istius acerrimi quasi ex sancto Athanasio defensores, *Vbi dictum hoc exstet, nec eius ostendendi copiam habent, in arctum coacti, pusillam quamdam orationem proferunt quasi duorum foliorum, in qua hoc dictum legitur. At notum est universis, omnia sancti Athanasii opera valdè magna esse.* Pusilla ista duorum foliorum oratio videtur esse oratio de Domini Incarnatione adversùs Paulum Samosatensem, in qua voces istæ reverà non reperiuntur. Pergit Leontius: *Primus*

Epist. 1. Col. 7.

Cap. 8.

mus inter orthodoxos Cyrillus protulit verbum istud. Inter orthodoxos dicimus, quoniam sæpiùs hoc Apollinaris repetebat, undè factum est ut sanctus Cyrillus pro Apollinarista sit habitus ab Orientalibus, cùm talis non esset. Quid autem ad hoc respondemus, quod beatum Cyrillum producunt citantem hoc Dictum in libro adversùs Theodorum Mopsuestenum, *quasi profectum ab Athanasio? Nimirùm dicimus reapsè quidem illud in beati Cyrilli contra Theodorum invectivis legi, sed mendum esse priscum. Dioscorus enim successor beati Cyrilli factus, cùm eius opera reperisset, fortè non veritus est inserere nonnulla, quæ ipsi libitum fuit. Neque verò coniecturis nos modò niti, quod beatus Cyrillus illud contra Theodorum non produxerit, ex eo quoque manifestum est. Nam Theodoretus, qui Theodorum defendebat, universas auctoritates refutans, quascumque sanctus Cyrillus contra Theodorum de sanctis Patribus protulerat, nunquam huius dicti meminit. At enim isti referunt à Theodoreto callidè omissum: Quod enim adversis eam auctoritatem oculis adspicere non posset, ut admodùm planam & apertam, idcircò sponte ab ipso prætermissam. Respondemus tantùm abesse, ut eam Theodoretus ibi positam præterire voluerit, ut cùm beatus ille Cyrillus alibi dixisset* UNAM NATURAM DEI SERMONIS INCARNATAM, *Si quidem scivisset Theodoretus id verbum, quod apud Cyrillum exstat, ex sancto Athanasio citatum, nequaquam adeò temerè dicturus fuerit:* QUIS TIBI PATRUM DIXIT UNAM NATURAM DEI SERMONIS INCARNATAM? Cap. 10. Addit Liberatus Carthaginensis memoratas in Theodorum invectivas non esse sancti Cyrilli, sed sub ejus nomine fictas. Quocircà videtur Dioscorus eâdem hìc audaciâ pro Dicto illo adduxisse sanctum Athanasium, quâ illius nomen nuper intruserat in dictas invectivas. L.3.c.11. Etiam in libris de orthodoxa fide sanctus Joannes Damascenus Dictum istud, non sancto Athanasio, sed soli sancto Cyrillo adsignat, dicens in illo vocem, *Natura*, quandoque pro persona ab eodem usurpari. Et in tractatu de composita Domini natura ait illud quidem adscribi & sancto Athanasio, sed per Acephalos. Res incerta est, etiam superiùs discussa. Ut ut sit, voces istas, quod ab Eutychete & Dioscoro in palmare erroris fundamentum adsumerentur, Synodus nostra noluit canonizare. Laudatus Ferrandus uti proscriptas tractavit. Eius legitimum sensum eleganter exponit in libro de Domini Incarnatione, exstante in tomo undecimo Bibliothecæ Patrum, Theodorus Monachus & Presbyter Rhaitensis.

Reliquorum Actorum lectio Ætherici Smyrnensis Episcopi, suum in sancti Flaviani Synodo dictum suffragium prævaricati in Ephesino latrocinio; lapsum suprà abundè expositum aperuit, nec non hanc Longini Chersonensis Episcopi interlocutionem in laudata Synodo:

Post inhumanationem ex duabus naturis adoro Divinitatem unigeniti filij Dei. De qua Dioscorus: *Ex duabus suscipio, duas non suscipio.* Et rursùm, agens adversùs interlocutionem Juliani Episcopi Coënsis: *Post unionem non sunt duæ naturæ.* Inter hasce propositiones, *Christus est in duabus naturis*, &, *Christus est ex duabus naturis*, Apollinaristæ posuerunt grande discrimen. Eum esse ex duabus naturis, verùm in unam compositam mixtis & confusis, fatebantur; esse in duabus, integritatem ac plenitudinem suam sine mixtione aut confusione retinentibus, pernegabant. Quod discrimen etiam in palmare erroris sui fulcrum adsumpsit, uti ipse Eutyches, ità omnis post præsentem Synodum factio Eutychiana. Quantas, & quales ex voculis, *Ex*, &, *In*, turbas adversùs Juvenalem Hierosolymæ Episcopum ex Synodo nostra reducem, & adversùs omnem Palestinæ Ecclesiam excitârit Pseudo-Monachus Theodosius, refert in historia sua Evagrius Epiphaniensis. Hìnc dixit etiam Dioscorus, *Ex duabus suscipio, duas non suscipio.* Hìnc item istas licet sano sensu orthodoxas, cum illis identicas, & ab Ecclesiæ Patribus usitatas voces canonizare noluit nostra Synodus: Noluit Eutychianistis dare fomentum ullum, aut fucum fomenti. Rem insigniter narrat Leontius Byzantinus: *Alterum* Acephalorum adversùs Synodum Chalcedonensem *dubium est, cur ipsa definitionem illam repudiârit, quâ continebatur verbum illud,* EX DVABVS NATVRIS, *cùm tamen sanctus ille vir Cyrillus sursùm deorsùmq;* DVABVS EX NATVRIS *dicat. Ad hoc respondemus non reiectam fuisse propterea, quod ista verba contineret,* EX DVABVS NATVRIS, *hac enim & nos admittimus, & ipsi Hæsitantes, & Eutyches, sed quod esset imperfecta. Nullam enim refutationem dogmatum Eutychis habebat, sed id solum complectebatur, quod communiter utrisque probatur. Tantùm verò abest, ut restiterit illis verbis,* EX DVABVS NATVRIS, *ut in secunda definitione ubique refutans Eutychen, nusquam mentionem fecerit huius loquendi formula,* EX DVABVS NATVRIS, *quasi scilicet eam admitteret.* Multi putant fuisse admissam. Cum clamore & impetu dixit ista Dioscorus, adjungens: *Cogor impudenter agere, de anima est mihi Sermo.* Ejus impudentiam sanctus Paschasinus compressit.

Ad lectam Eudoxij apud Bosphorum Episcopi professionem, *Deus Verbum hominem perfectum adsumpsit*, intercessit Eustatius Episcopus Berytensis: *Hominem non adsumpsit, sed homo factus est, carnem autem adsumpsit.* Verùm sine firma ratione. Etenim Eudoxij phrasin usurpant & Græci & Latini Patres frequentissimè, nominatim sanctus Augustinus, ex quo cantat in dies Latina Ecclesia: *Tu ad liberandum suscepturus hominem non horruisti Virginis uterum.* Ante Nesto-

ſtorij præſertim, vocibus illis peſſimè abuſi, tempora ſuiſſe Patres ita locutos rectè advertit Facundus Epiſcopus Hermianenſis. Noſtræ Synodi tempore ex Neſtorio ſuſpectæ erant, ac indè Euſtatius ſumpſit intercedendi fundamentum. L.9.c.5.

Etiam adversùs lectam in ſancti Flaviani Synodo Eutychetis profeſſionem, *Confiteor ex duabus naturis fuiſſe Dominum noſtrum ante adunationem, pòſt verò Vnam naturam confiteor*, nec non & adversùs datam vocibus illis à Dioſcoro in Epheſino latrocinio approbationem, *Conſentimus hic & nos omnes*, interceſſerunt Epiſcopi Orientales: *Iſta nemo dixit. Anathema ei qui dixit iſta. Homicida dixit: Ægyptij dixerunt hæc. Iſta Pharaonis ſunt.* Agunt præſertim in voces, *Vnam naturam confiteor.* Et in voces, *Ante adunationem.* Eas enim, uti graviter Origenem ſætentes, culpavit etiam in dogmaticis ad ſanctum Flavianum literis ſanctus Pontifex Leo magnus. Prædicari volunt duas in Domino naturas, de quibus tamen rectè monuit Euſtatius Berytenſis: *Et intentio pijſſimi Imperatoris, & intentio pijſſima Auguſta, & intentio veſtra vult unire Eccleſias. Ergò, ne poſtquam hinc fuerimus digreſſi, incipiant aliqui dicere, Quoniam docuerunt duas naturas dicere poſt adunationem diviſas.* Ubi Euſtatius omninò prophetavit. Etenim duarum naturarum adſertio fuit palmaris adversùs præſentem Synodum calumnia Eutychianiſtarum, delirantium duas naturas ſtare non poſſe ſine duabus perſonis, & naturali ſecundùm hypoſtaſin unioni repugnare. At rectè repoſuit Baſilius Epiſcopus Seleucienſis: *Cognoſcimus duas naturas, non dividimus; neque diviſas, neque confuſas dicimus.* Etenim non naturarum diverſitas, ſed diviſio inducit pluralitatem perſonarum.

Lectus eſt ejuſdem Baſilij apud Epheſum lapſus, & orthodoxi apud Conſtantinopolim dati ſuffragij palinodia, ubi aliud ille neſcijt, quam allegare metum ex Dioſcori violentijs, & veniam precari. Et roganti Dioſcoro, *Ego te coëgi*, reddidit: *In tale nos homicidium tu compuliſti per manus multitudinis poſt damnationem beatiſſimi Flaviani. Conijcite, quantam tunc intulit violentiam, omnium rerum poteſtatem adeptus & iudicij, cùm etiam & nunc perturbet Concilium. Sex illi* conſpiratores Epiſcopi *tantùm relicti ſunt, & omnes nos conturbat.* Ex quo liquet Dioſcorum fuiſſe inſigniter turbulentum.

Sub noctis tandem exordium accenſis cereis, lecta fuit latrocinalis in ſanctum Flavianum ſententia, in quam Epiſcopi Orientales exclamârunt: *Anathema Dioſcoro. Hâc horâ damnavit* ſanctum Flavianum, *hâc horâ damnetur. Sancte Domine tu illum vindica. Catholice Imperator tu illum vindica. Leoni multos annos. Patriarchæ multos annos.* Hæc eſt prima apud generales Synodos memoria vocis, *Patriarcha*; prima ejus accep-

acceptio pro illis Episcoporum Primatibus, quos iam passim vocamus Patriarchas. Dico, *In Synodis generalibus*: Falluntur, qui eam putant non esse antiquiorem. Etenim in literis ante Synodum nostram
Epist. 29. exstantibus scribit ad Valentinianum tertium Augustus Theodo-
Epist. 30. sius: *Leo reverendissimus Patriarcha.* Quod ipsum repetit in literis ad Gallam Placidiam Augustã. Eodem titulo Xixtum secundum Pontificem insignit in sermone de sancto Laurentio sanctus Maximus Episcopus Taurinensis. Et in literis ad Servianum Consulem, exstanti-
Cap. 8. bus apud Flavium Vopiscum in vita Saturnini Tyranni, Adrianus Augustus memorat Christianorum in Ægypto Presbyteros, Episcopos, & Patriarcham, utique Alexandrinum. Non video, cur à Domino Petro de Marca persuadeat Adrianum loqui de Patriarchis Judęorum. Attamen videtur vox à Synagoga venisse ad Ecclesiam. Etenim in
Cap. 3. primo ad Ruffinum libro scribit sanctus Hieronymus: *Origenes Hebræorum Patriarcham Huillum, qui temporibus eius fuit, nominat.* Et in
Epist. 101. literis ad Pamachium agit de Gamaliele Patriarcha, homine tantæ auctoritatis, ut contra Hesychium, virum sub Theodosio Augusto Consularem, gravissimas exercuerit inimicitias. Et hæc Esaiæ Prophetæ verba, *Effaminati dominabuntur eis*, hunc in modum interpretatur: *Consideremus Patriarchas Hebræorum, effaminatos ac delicijs affluentes, & impletam esse prophetiam cernemus.* Patriarchas istos fuisse supremos spectantium ad religionem quæstionum judices, liquet ex lege Arcadij & Honorij Augustorum ad Eutychianum Prætorio
L.2.tit.1. Præfectum, exstante in Codice Theodosiano. Eorumdem digni-
c.10. tatem & potestatem varijs ibidem legibus firmant etiam Constan-
L.16. tit.8. tinus, Constantius, Valentinianus, ac Theodosius Augusti. Erant
c.1.2.11.13 apud suos personæ spectabiles atque illustres. Verùm in suo Codice
25.29. Justinianus ipsorum non meminit, quod nempe grandi illo titulo, ad supremos Christianorum Episcopos privativè translato, essent penitùs exuti. Paulatim & successivè id fuit factum.

Posteriora sæcula titulum istum ad quosdam etiam Metropolitas & Primates extenderunt. Etenim circa sancti Gregorij magni tempora Metropolitanus Aquileiensis, quod Histrij schismatis, tria Capitula adversùs quintam Synodum & Romanam Ecclesiam defendentis, caput esset; à suis asseclis vocari cæpit Patriarcha. Et hi sunt veri natales istius Patriarchatus. Ad eadem tempora Synodus secunda Matisconensis in sua præfatione Priscum Lugdunensium Metropolitam vocat Episcopum Patriarcham. Etiam sanctum Nicetium, ejusdem civitatis Episcopum, ità vocat sanctus Gregorius Turonen-
L.5.c.21. sis. Et ad Rudolfum Bituricensium Metropolitam scribit Nicolaus

primus

primus Pontifex: *Qui ad te, quasi ad Patriarcham suum, provocaverint.* Ep.39.c.2.
Rerum Anglicarum Ecclesiastici Scriptores eumdem titulum frequenter attribuunt suo Primati Cantuariensi. Etiam apud Petrum Blesensem legimus, quod Henricus secundus Anglorum Rex sanctum Thomam Cantuariensem, dummodò ad pacificandum regnum isti Episcopatui cederet, paratus esset transferre *ad eminentiam maioris Patriarchatus*, id est, ad digniorem sedem Metropolitanam. Etiam in hac nostra Synodo gloriosi judices omnem Metropolitam disertè vocant Patriarcham. Et de secundo Canone Constantinopolitano, Patriarchis & autocephalis Primatibus suas diœceses distribuente, dicit generaliter Socrates: *Patriarchas constituit.* At impropria est ista vocis acceptio. Etenim solos tres, Romanum, Alexandrinum, & Antiochenum, pro veris Patriarchis semper habuit Ecclesia, quibus postmodùm Constantinopolitanus & Hierosolymitanus per rapinam & malas artes accesserunt. Reliquos omnes majores Episcopos solo Metropolitæ, ArchiEpiscopi, aut Primatis titulo jam pridem insignimus. Romanus tamen, uti & Alexandrinus, Papa intitulari semper maluit quam Patriarcha, de cujus nominis origine & dignitate est alibi opportunè dicendum.

Post lecta alia latrocinalia Acta gloriosissimi judices sunt tandem interlocuti: *De recta quidem & catholica fide perfectiùs sequenti die, conveniente Concilio, diligentiorem examinationem fieri oportere perspicimus. Quoniam verò Flavianus religiosa memoria, & Eusebius reverendissimus Episcopus, ex Gestorum & cognitionum scrutatione, & ipsâ voce quorumdam, qui tunc Synodo præfuerunt, confitentium se errasse, & frustra eos damnasse, quia nihil circa fidem monstrantur errasse, ostenduntur iniustè depositi, videtur nobis iustum esse, si placuerit Divinissimo & piissimo Domino nostro, eidem pœnè Dioscorum reverendissimum Episcopum Alexandriæ, Iuvenalem Episcopum Hierosolymorum, Thalassium Episcopum Cæsareæ Cappadociæ, Eusebium Episcopum Ancyræ, Eustatium Episcopum Beryti, & Basilium Episcopum Seleuciæ Isauriæ, qui tunc potestatem & principatum Synodi tenuerunt, subiacere, & à sancto Concilio secundùm regulas ab Episcopali dignitate fieri alienos, omnibus quæ consequenter acta sunt ad sacrum Apicem referendis.* Et Orientales cum sibi adhærentibus Episcopi acclamârunt: *Hoc iustum iudicium. Dioscorum Christus deposuit. Homicidam Christus deposuit. Martyres Deus vindicavit.* Et Episcopi Illyriciani: *Omnes erravimus, omnes veniam mereamur.* Spectabant illi ad Romanum Patriarchatum, ideòque sancti Leonis de sancto Flaviano & profano Eutychete judicium prævaricati, singularis veniæ gratia habebant opus. Porrò gloriosissimi judices memoratos

Epiſcopos non depoſuere, ſed dumtaxat judicârunt deponi per Synodum dignos.

Et perrexerunt: *Vnusquiſque reverendiſsimorum Episcoporum præſentis ſancti Concilij, quomodò credat, in ſcriptis ſine ullo metu, Dei timorem ante ſuos oculos ponens, exponere feſtinet, cognoſcens quoniam Diviniſsimus Dominus noſter ſecundùm expoſitionem in Nicæa congregatorum trecentorum decem & octo ſanctorum Patrum, & ſecundùm expoſitionem, qui poſt eos fuerunt, centum quinquaginta, & ſecundùm canonicas Epiſtolas & expoſitiones ſanctorum Patrum, Gregorij, Baſilij, Athanaſii, Hilarij, Ambroſii, & Cyrilli duas canonicas Epiſtolas in Epheſina prima Synodo publicatas & confirmatas, credit, nullo modo ab earum fide recedens. Etenim reverendiſsimus Archi-Epiſcopus ſenioris urbis Romæ Leo adversùs infidelem & contrariam catholicæ religioni emergentem dubitationem viſus eſt ad reverenda memoriæ Flavianum miſiſſe Epiſtolam.* Hac in Epiſtola ſeſe à ſanctorum Patrum confeſſione non receſſiſſe profitebatur, eam permiſerat à Synodo diſcuti & cum ſanctorum Patrum Scriptis conferri, ac tum ex ipſa Eutychianas lites definiri mandârat ſanctus Leo, ideòque glorioſi judices deſignant ſanctos Patres, cum quorum Scriptis oporteat fieri collationem. Deſignant non Nicænum tantummodò ſymbolum, ſed & Conſtantinopolitanum: Adversùs Apollinariſticas Eutychetis nugas, Symbolum iſtud variè infamantes. Secunda ſancti Cyrilli ad Epheſinam Synodum lecta, & per ipſam confirmata Epiſtola eſt Epiſtola duodecim Capitulorum, ideòque & illam uti authenticam glorioſi judices habuere. Uſque ad accenſos cereos, ſeu ultimam veſperam Actio duravit.

ACTIO II.

AD ſecundam Actionem, factam ſexto Idus Octobres, loqui cæperunt glorioſiſſimi judices, rogantes à S. Flaviani & Euſebij Dorylæenſis, quos crudeliter & latrocinaliter damnatos iam abundè conſtabat, cauſsâ procedi ad diſcutiendas controverſæ fidei quæſtiones, *pro quibus & maximè Concilium factum erat*, idque ſine *timore, gratia, inimicitia*, & addentes: *Scire vos volumus, quia tam Diviniſsimus orbis terræ Dominus, quam nos catholicam fidem à trecentis decem & octo Patribus, & à ſanctis centum & quinquaginta, nec non à cæteris ſanctiſsimis & glorioſiſsimis Patribus traditam cuſtodimus, & ſecundùm ipſam credimus.* Symbolum Conſtantinopolitanum, uti unum è fidei fundamentis denuò profitentur. Et Epiſcopi omnes acclamârunt: *Expoſitionem alteram nullus facit. Neque tentamus, neque audemus* ex-

exponere. Docuerunt enim Patres, & in Scriptis custodiuntur quæ ab eis sunt exposita, & citrà ea dicere non possumus. Addidit Cecropius Sebastopolitanus in prima Armenia Episcopus: *Emerserunt quæ ad Eutychen pertinebant, & super ijs forma data est à sanctissimo Archi-Episcopo Romanæ urbis, & sequimur eum, & Epistolæ eius omnes subscripsimus.* Et Episcopi omnes: *Ista omnes dicimus.* Exponit Theodoretus Cyrensis Episcopus in literis ad sanctum Papam Leonem: *Incidimus in illa, quæ de Salvatoris Deiq; nostri Incarnatione Sanctitas vestra scripsit, & admirati sumus exactam operis diligentiam.* Opus istud, uti Apostolico charactere plenum, insigniter laudat. Est dogmatica eius ad sanctum Flavianum Epistola, in Ephesino latrocinio per Dioscorum suppressa. Post latrocinium missa est à Pontifice per omnes Orientis Ecclesias, & ante præsentem Synodum ab omnibus Episcopis subscribi jussa. Et omnes germanè orthodoxi subscripsere: Tanta semper apud cunctas, etiam Orientales, Ecclesias fuit auctoritas sedis ac definitionis Romanæ. Ep. 125.

Perrexerunt gloriosi judices: *Si placet Reverentiæ vestræ, sanctissimi Patriarchæ*, id est, Metropolitæ, *singularum Provinciarum eligentes singulos aut binos suæ propriæ quisque Provinciæ, in medio transeuntes, & communiter de fide tractantes, quæ complacita fuerint, omnibus manifesta constituant, quatenùs si, ut optamus, omnes consenserint, solvatur omnis ambiguitas, sin verò aliqui contraria, quod non putamus, sapuerint, ità fiet, ut eorum voluntates manifestæ constituantur.* Episcopi reposuerunt: *In Scriptis expositionem non facimus; Regula est quæ prædicat sufficere quæ sunt exposita. Regula vult aliam expositionem non fieri. Ea quæ Patrum sunt teneantur.* Nullum adversùs Nestorij nugas Decretum scripserat, sed eas Nicæno Symbolo adversari solâ vivâ voce ostenderat Ephesina Synodus, ipsum denuò, uti trophæum omnium hæresium abundè profligatorium, confirmans, addensque Canonem de nullo ad ipsum faciendo vel unius vocis additamento. Et Valenti Augusto, roganti unicam voculam, *Consubstantiale*, auferri de Nicæno Symbolo, atque ita Ecclesiarum fieri pacem, respondit apud sanctum Gregorium Nyssenum in libris adversùs Eunomium sanctus Basilius fidei isti nihil posse demi vel addi, & vel de formulæ ipsius ordine mutando non posse cogitari. Quâ lege ligari etiam generales Synodos existimârunt multi Episcopi: Existimârunt nullum posse deinceps scribi fidei Decretum seu definitionem, sed solâ voce exponi posse laudatum Symbolum, & grassantibus erroribus monstrari adversum. At longè rectiùs in literis ad Leonem Augustum, post Synodum præsentem exstantibus, Joannes Sebastenus Episcopus, primæ Armeniæ L. 1.

 Me-

Epist. 48. Metropolita: *Iudicamus definitionem à sancto Chalcedonensi Concilio prolatam, non sicut fidei Symbolum, sed sicut definitionem esse positam ad peremptionem Nestorianæ vesaniæ.* Nostræ Synodi de fide Decretum eleganter ostendit non esse novum Symbolum, neque Nicæni Symboli additamentum, sed novam dumtaxàt adversùm novos hæreticos definitionem, ideòque ab Ephesini Canonis transgressu longissimè abesse: Quoniam laudatus Canon intra solum Symboli Nicæni seu Constantinopolitani corpus vetet inseri quodvis vel unius voculæ additamentum.

Quam doctrinam intellexit etiam Florentius Sardensis Episcopus, Lydiæ Metropolita, respondens gloriosissimis judicibus: *Quoniam non est possibile subitò dictare de fide eos, qui docti sunt sequi Nicænam sanctam Synodum, & quæ in Epheso rectè & piè roborata est, secundùm fidem sanctorum Patrum Cyrilli & Celestini, & Epistolæ sanctissimi Leonis, precamur vestram Magnificentiam præstari nobis inducias, quatenùs cum decenti tractatu accedere ad veritatis caussam possimus, quamvis in nostra persona, qui Epistolæ sanctissimi Leonis subscripsimus, non indigemus correctione.* Idem respondit Cecropius Sebastopolitanus Episcopus, & addidit: *Precamur ut ea, quæ sanctorum Patrum decem & octo sunt, & quæ sanctissimi Leonis, recitentur.* Placuit hoc gloriosis judicibus, atque ita ad ipsorum interlocutionem Eunomius Nicomediensis Episcopus, Bythiniæ Metropolita, ex codice recitavit Nicænum Symbolum, & omnes Episcopi acclamârunt: *Hæc Catholicorum fides. Huic omnes credimus. In hanc baptizati sumus. Beatus Cyrillus sic docuit. Papa Leo sic docuit, Papa Leo sic interpretatus est.*

Exindè Ætius Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archi-Diaconus recitavit ex codice Symbolum Constantinopolitanum, & rursùm Episcopi acclamârunt: *Hæc omnium fides, hæc orthodoxorum fides. Omnes sic credimus.* Ità Symbolum istud adversùs Eutychetis calumnias canonizârunt. Notandum, quod non acclamârint: *In hoc baptizamus, in hoc baptizati sumus.* Nempe dudum etiam post Synodum Constantinopolitanam pleræque Orientales Ecclesiæ perstiterunt suis catechumenis tradere Symbolum Nicænum. Duravit usque ad tempora Petri Fullonis seu Cnaphei, Patriarchæ Antiocheni, à quo Symbolum Constantinopolitanum, in sola Dominica Parasceve cantari anteà consuetum, fuisse cantari jussum ad quodvis solenne Sacrificium, est alibi ostensum. Fuisse tunc Antiochiæ etiam catechume-
Epist. 3. nis traditum docet Epistola sancti Papæ Felicis tertij ad dictum Fullonem. Adfirmat enim traditum fuisse illud Symbolum, in quo Dominum Jesum profitemur natum de Spiritu sancto ex Maria Virgine:

ne: Quæ verba palàm sunt in solo Constantinopolitano. Quem morem Ecclesiæ & diœcesi Constantinopolitanæ imposuit Timotheus Episcopus, Macedonij secundi successor, atque ita pedetentim receptus fuit ab omni fermè Ecclesia Orientali. Romana Ecclesia in Baptismo Apostolicum Symbolum semper retinuit, uti in quarto adversùm Eutycheten libro disertè testatur, qui post Synodum præsentem floruit, sanctus Vigilius Episcopus Tridentinus. Etiam retinuit, ad Missarum solennia cantans Constantinopolitanum, Hispaniarum ecclesia. Liquet ex secunda Bracarensi Synodo, & sancto Cap. I. Ætherio Uxamensi Episcopo in libris adversùs Elipandum Archi-Episcopum Toletanum. Errorem continent hæc verba Stephani L.I.c.9 10. Augustodunensis Episcopi in libro de Sacramento Altaris: *Damasus Pontifex*, CREDO IN UNUM DEUM, *ex Decreto Concilij Constantinopolitani post* EVANGELIUM *cantari instituit*. Quem errorem ex Georgio Aristino secutus etiam est in Florentini Concilij adversùs Marcum F.677. Ephesinum Apologia Josephus Episcopus Methonensis.

Laudatus Archi-Diaconus Ætius etiam legit duas sancti Cyrilli Epistolas: Alteram ad Nestorium, quæ est ad ipsum secunda, priori loco lecta in Ephesino Concilio; alteram Ecclesiarum pacificatricem ad Joannem Patriarcham Antiochenum. Magnis acclamationibus utramque Synodus honoravit. Quæstio est, cur & tertiam, quæ est duodecim Capitulorum, & cum qua per Ephesinam Synodum canonizata etiam conferri sancti Leonis dogmaticam Epistolam jusserunt superiùs gloriosi judices, sancti Cyrilli Epistolam præsens Synodus non curârit recitari? Episcopis Severianis, istud ipsum in Collatione Constantinopolitana postulantibus, respondit Hypatius Archi-Episcopus Ephesinus: *Si omnes formas & definitiones fidei in Epheso adversùs Nestoriū facti Concilij suscepit & consignavit Chalcedonense Concilium, quemadmodùm hanc* Epistolam *habuit refellere? Sed quia adversùs Nestorij blasphemias, quæ duas naturas in duas personas & duas subsistentias dividunt, unam personam & unam subsistentiam volebant definire, illa autem Epistola duarum subsistentiarum intulit mentionem, propterea propriè ea nominare distulerunt, ut non inveniantur aut illi aut sibi esse contrarij*. Eutychianistis universam Ecclesiam Nestorianismi calumniantibus, adversùm quos congregati, nullam istius in se criminationis ansam prębere voluerunt Synodi nostræ Patres, proindèq; istam S. Cyrilli Epistolam, cujus tertium Capitulum vocem *Subsistentia* pro natura accipit, atque ita duas in Domino subsistentias seu hypostases naturaliter uniri dicit, noluerunt sibi recitari, & expressim canonizari.

Dico, *Expressim*. Omninò enim receperunt & canonizârunt, adeò

ut

ut in Edicto, Rusticum & Sebastianum Romanæ Ecclesiæ Cardinales Diaconos degradante, dicat Vigilius Pontifex: *Beatæ recordationis Cyrilli synodicam ad Nestorium cum duodecim Capitulis beata Chalcedonensis Synodus ad convincendas Nestorij vesanias in definitione fidei legitur posuisse.* Fidei definitio profitetur à se custodiri ordinem & omnes formulas, quæ de fide sunt apud Ephesum constitutæ, quas inter omninò est Epistola duodecim Capitulorum. Quam professionem suprà etiam laudavit, & nostram ex ipsa adsertionem firmavit Hypatius Ephesinus. Eadem fidei definitio infra expressim profitetur & canonizat uti congruenter habentes, non solas ejusdem sancti Cyrilli ad Orientales, Joannem videlicèt Antiochiæ Patriarcham & ejus Synodum, literas pacificatorias, sed & synodicas ad Nestorium Epistolas, utique eas ipsas, quas canonizavit prima Synodus Ephesina. Adfirmat esse validas ad Nestorij vesaniam convincendam. Et hìnc Hypatij Ephesini adducta ratio videtur præsentem quæstionem non penitùs enodare. Quomodò enim ad Nestorij blasphemias convincendas valida & efficax Epistola possit eisdem blasphemijs præbere fomenta, & earumdem nos reddere suspectos?

Quare magis placet ratio insinuata per Theodoretum in literis ad Domnum Antiochiæ Patriarcham, profecturum ad Ephesinum latrocinium: *Nihil boni ex iactata* seu futura Ephesina *Synodo èxspectare licet. Neque enim insitum in duodecim* Cyrilli *Capitibus virus norunt, qui aliarum sunt diœceseon, sed eius, qui illa scripsit, claritatem attendentes, nihil sinistrum suspicantur. Et qui eius sedi successit, omnia, opinor, movet, ut alterâ Synodo illa confirmet. Qui enim pro imperio nuper illa scripsit, & ijs, qui acquiescere his nollent, anathema dixit, quid præsidens Concilio non aget? At scito, Domine, neminem eorum, qui insitam in his haresin norunt, adductum iri ut ea recipiat, quamvis duplo plures decernant. Iam siquidem, etiamsi plures temerè ista sanxissent, restitimus apud Ephesum, nec planè illi, qui hæc scripserat, communicavimus, quam ijs, quæ exposueramus, adsentiens consonam his doctrinam accommodavit, nullam Capitum illorum faciens mentionem.* Adfirmat Capitula illa à sanctissimis & doctissimis Episcopis fuisse damnata, ex eis natam omnem Ephesinæ Synodi discordiam, & pergit: *Misi illorum, quæ pacificationis tempore* à sancto Cyrillo *scripta sunt, exemplum, ut cognoscas nullam Capitulorum mentionem fecisse. Et quod oporteat illos, qui ad* secundam Ephesinam *Synodum proficiscuntur, ea quæ pacificationis tempore scripta sunt proferre, & apertè dicere quænam dissidium fecerint, & quo pacto divulsa coaluerint.* Et in libro de Sectis Leontius Byzantinus: *Obijciunt* adversùs Synodum Chalcedonensem Acephali, *cur à Theodoreto non postulârit, ut*

Epist. 112. [margin note beside "trocinium"]

Cap. 6. [margin note beside "rint. Et in libro de Sectis"]

ut Scripta sua, quæ adversùs beati Cyrilli duodecim Capitula composuerat, anathematizaret. Respondemus *ob id non tam accusandam Synodum, quam ipsum Cyrillum, hominem sanctum. Nam in communione cum Orientalibus & ipso Theodoreto constituta, non postulavit ab eo, ut anathemate Scripta sua, quæ contra duodecim Capitula facta fuerant, exsecraretur. Quod igitur ipse Cyrillus, vir sanctus, non fecit, ob eius intermissionem an Synodus culpari meretur?* Quæ omnia latiùs narrat Vigilius Pontifex in suo de tribus Capitulis Constituto. Reverà omne Ephesini Concilij discidium hæsit in duodecim S. Cyrilli Capitulis. Et quoniam Orientales Episcopos ab ipsis, uti Eunomij ac Apollinaris lepram continentibus, vidit ille pertinaciter aversos, suæ famæ & gloriæ communem Ecclesiæ pacem prætulit, & initâ pace de fide orthodoxa ac Ephesini Concilij Actis cum Joanne Antiochiæ Patriarcha & ejus Synodo, Capitula probari non exegit, nec Theodoreti & aliorum Orientalium Episcoporum in illa calumnias recantari. Eos de Christiana fide rectum, de se ac suis Capitulis dumtaxàt pravum sentire vidit, atque ita & hæc & semetipsum communi Christianæ quietis bono dispensatoriè immolavit. Quæ omnia pacificationis Acta & Theodosius Augustus & Xixtus tertius Pontifex confirmârunt, & cuncti Orientales in suis archivis studiosissimè custodierunt. Verùm sancti Cyrilli successor Dioscorus, habens digitos patris sui dorso grossiores, transactæ paci addi voluit expressam Capitulorum approbationem, cunctis eam refutantibus dicens anathema. Et palmaris ejus in Ephesino latrocinio scopus fuit Capitula ista, & sub eorum fuco Eutychianam hæresin stabilire, & tam hujus quam illorum refutatores perstringere pari damnationis sententiâ: Quod & omninò fecit. Nam Domnum Antiochiæ Patriarcham, omnibus ejus facinoribus ex metu cooperatum, postmodùm degradavit ea unica de caussa, quod Capitula, utique ex Theodoreti & totius suæ Synodi suasu, etiam Ephesi impugnasset. Porrò Orientalium Episcoporum in Capitula odium etiam nostræ Synodi tempore perseverabat: Hìnc illa dispensatoriam sancti Cyrilli gratiam in ipsos exercendam duxit, & ab expressa Capitulorum confirmatione abstinendum. Et hæc est caussa, cur sanctus Gennadius Constantinopolitanus, alijque doctissimi & sanctissimi Episcopi Capitula etiam post Synodum nostram perseverarint criminari: Criminari, non sancti Cyrilli, de quo censebant optimè, sed Apollinarij & Eutychetis sensum, à quo existimabant istas loquendi formulas non posse purgari.

Post hæc Beronicianus sacri Consistorij Secretarius ex codice sibi per Ætium Archi-Diaconum porrecto recitavit dogmaticam sancti Leo-

Leonis Papæ ad ſanctum Flavianum & Epheſinum latrocinium Epiſtolam, quam recitandam Dioſcorus ſepties pejerarat. Epiſtolæ laudes ſuo loco adduxi, & addo ex Prato ſpirituali ſancti Sophronij Patriarchæ Hieroſolymitani: *Habetur ſcriptum in Eccleſia Romana de ſanctiſſimo Leone Pontifice, quod cùm ſcripſiſſet Epiſtolam ad ſanctum Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum contra impios Eutychen & Neſtorium, poſuerit eam ſupra tumulum Principis Apoſtolorum Petri, & orationibus ac vigilijs, & ieiunijs vacans oraverit ipſum ſummum Apoſtolum, dicens: Si quid ut homo vel minùs cautè poſui, vel etiam omiſi, Tu cui à Domino Deo Salvatore noſtro Ieſu Chriſto & fides hæc & Eccleſia commiſſa eſt, emenda. Poſt quadraginta verò dies apparuit ei Apoſtolus oranti, & dixit ei: Legi & emendavi. Sumenſq; Epiſtolam de ſepulchro beati Petri, aperuit eam, & invenit Apoſtolicâ manu emendatam.* Ita à ſancto Gregorio magno, Romanæ Eccleſiæ adhuc Cardinali Diacono, & Apocriſario apud Tiberium Auguſtum, fuiſſe relatum ſancto Eulogio Patriarchæ Alexandrino, tunc adhuc monacho & Abbati, teſtatur Sophronius, additque inſignem & authenticam viſionem, quâ Theodorus, ex ſancti Eulogij Secretario Darnenſis in Lybia Epiſcopus, laudatum Pontificem Leonem vidit agentem ſolennes gratias laudato Eulogio ob laudatæ Epiſtolæ adversùm Neſtorianos & Eutychianiſtas ſtrenuam defenſionem.

(Margin: cap. 147. — beside "chæ Hieroſolymitani"; cap. 148. — beside "to Eulogio ob laudatæ")

Et tunc quidam exiſtimant factum, quod ad Creſconium & Germanum, Anaſtaſij ſecundi Pontificis apud Anaſtaſium Auguſtum pro exſtinguendo Acaciano ſchiſmate legatos, quæſti fuerunt Dioſcorus Presbyter & Cheræmon Lector, Eccleſiæ Alexandrinæ in Regia civitate Apocriſarij: *Eutychete impijſſimo contra fidem, quæ à beatiſſimis Apoſtolis prædicata eſt, ſentiente & docere tentante, contigit per idem tempus Sedis Apoſtolicæ Præſulem tunc Leonem literas ad Chalcedonenſe Concilium deſtinare, quarum fuere interpretes hi, qui cum Theodoreto Cyrorum civitatis Epiſcopo tunc fuerant Neſtorianæ hæreſis ſectatores: Et contra eam fidem, quæ à venerabilibus trecentis decem & octo Patribus eſt edita, ſuprà memoratæ literæ probantur exiſtere. Et non parvas occaſiones his, qui eiuſdem nefandiſſimi Neſtorij blaſphemias vindicant, præſtiterunt, ita ut licentiùs adſeverent eumdem Neſtorium minimè perverſa ſenſiſſe. His igitur cauſſis Deo amabilis populus noſter offenſus eſt, & de græca tranſlatione arbitratus in latino quoque ſermone eundem ſenſum contineri, ac ſeſe ab unitate Romanæ diviſit Eccleſiæ. Nec non etiam Romanus Antiſtes, exiſtimans nos contra eam fidem, quæ tradita eſt à beatiſſimis Apoſtolis, conſpiraſſe, à noſtra ſe communione ſuſpendit.* Græcam laudatæ Epiſtolæ tranſlationem fuiſſe de Neſtorio vitiatam, ac exindè turbatam

Ecclesiam Alexandrinam, est omninò verum. Liquet ex literis sancti Leonis Papæ ad Marcianum Augustum: *Quia quorumdam hæreticorum versuta nequitia, ad conturbandam aliorum simplicitatem, Epistolam meam, quam ad beatæ memoriæ Flavianum dedi, falsasse perhibetur, ut commutatis quibusdam literis vel syllabis receptorem me Nestoriani erroris assereret, obsecro venerabilem Clementiam vestram, ut eamdem Epistolam per venerabilem fratrem meum Iulianum* Coënsem *Episcopum, vel eos, quos idoneos ad hoc opus Pietas vestra delegerit, in græcum sermonem iubeatis integrè, diligenterq; translatam, per idoneum latorem sub vestri signaculi impreßione deferri, tradendam iudicibus Alexandrinis, qui eam Clero & plebi ipsius civitatis faciant recitari, ut agnoscant se fallacium hominum fraude ulteriùs decipi non debere, & probentur Apostolicæ Sedis synceri esse discipuli, apud quam nec Eutyches nec Nestorius ullum obtinent locum: Quia sicut alios hæreticos, ita & istos Ecclesia universalis damnavit.* Epist. 69.
Quod vitiatio ista facta fuerit in Chalcedonensi Concilio, & vitiata Epistola ad Patres recitata, nunquam credidero: Etenim sanctus Paschasinus, Romanæ Ecclesiæ Legatus, græci sermonis erat plenè peritus. Aderat etiam Julianus Episcopus Coënsis. Et inter Græcorum Episcopos erant plurimi doctissimi ac sanctissimi, ejusmodi strophas nequaquam permissuri. Nec factam credidero per Theodoretum: Vir iste doctus & sanctus fuit dudum quasi caper emissarius, in quem Eutychianistæ cunctas suas criminationes, & cuncta Nestorianorum facinora ex odio congessere. Absit, ut illum sanctus Leo vocet hæreticum, fallacem, simplicis populi seductorem. Adducta ejus ad Martianum Augustum Epistola data fuit quinto idus Martias, Ætio & Studio Consulibus, anno Domini quadringentesimo quinquagesimo quarto, qui est tertius post præsentem Synodum: Adfirmat vitiationem tunc fuisse recentem. Factam existimo post confirmatum à Romana Ecclesia in cathedra Alexandrina sanctum Proterium à degradati & relegati Dioscori turbulentissimis Sequacibus, desperantibus de ejusdem Dioscori restitutione, ideòque & Leonem Pontificem & nostram Synodum de Nestoriana lue incipientibus palàm calumniari.

Ex eodem codice laudatus Beronicianus legit varia sancti Hilarij Pictaviensis, sancti Gregorij Nazianzeni, sancti Ambrosij, sancti Joannis Chrysostomi, sancti Augustini, & sancti Cyrilli Alexandrini loca, dogmaticam sancti Leonis Epistolam confirmantia, ostendentiaque ipsam à sanctorum Patrum confessione nec ad apicem deviasse. Et hinc illi faustissima ac sanctissima adclamârunt Episcopi omnes, & addidere: *Hæc in Epheso cur lecta non sunt? Hæc Dioscorus occultavit.*

Verùm de tribus Epiſtolæ capitibus, quaſi partim Eutycheten, partim Neſtorium redolentibus, dubitârunt Illyriciani ac Paleſtini Epiſcopi, quos tandem ex ſimilibus ſancti Cyrilli locis illuminârunt Ætius Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Archi-Diaconus, & laudatus Theodoretus. Quæ omnia, uti & plura alia, partim à Neſtorianis, partim ab Eutychianiſtis culpata eiuſdem Epiſtolæ loca, largiùs elucidavit in quarto adversùs Eutycheten libro ſanctus Vigilius Epiſcopus Tridentinus. Et iſtud Theodoreti factum inſigniter laudat

L.2. c.1. Facundus Epiſcopus Hermianenſis: *Theodoretus deliberationi ac definitioni Chalcedonenſis Synodi interfuit, atque Epiſtolam Papæ Leonis, Eutychis dementiam confutantem, ibi defendit, & quibuſdam minùs intelligentibus rectam eſſe monſtravit.* Et infrà in quarto eiuſdem libri capite: *Theodoretus inter alios Patres adfuit Chalcedonenſi Concilio, & beati Leonis Epiſtolam, quam Eutychiani anathematizant, cùm ibi relegeretur, dubitantibus Epiſcopis Illyricianis ac Paleſtinis aſſeruit.* Undè & ipſe ſanctus Leo per Legatos ſuos reduces inſtructus ſolennes illi gratias retulit,

Epiſt 63. de glorioſo labore gratulatus. Ex quo lucet ipſum non fuiſſe Epiſtolæ vitiatorem. Labor ejus placuit etiam glorioſiſſimis judicibus, interlocutis: *Poſt hæc omnia quis adhuc dubitat?* Et Epiſcopi acclamârunt: *Nos ita credimus, omnes ita credimus. Sicut Leo, ita credimus. Noſtrum nullus dubitat. Nos iam ſubſcripſimus.*

Verùm quod non clamarent omnes, Atticus Nicopolitanus Epiſcopus, veteris Epiri Metropolita interceſſit apud glorioſos judices: *Quoniam præſtitit Magnificentia veſtra ſuarum aurium facilitatem cum patientia, precamur inducias nobis dari, ut intra paucos dies tranquilla mente, & non turbato animo, quæ Deo placent & ſanctis Patribus, ordinentur. Quoniam verò nunc Domini noſtri, & ſanctiſſimi Patris, & Archi-Epiſcopi Leonis, adornantis Apoſtolicam Sedem, lecta eſt Epiſtola, oportet & beatæ memoriæ Cyrilli Epiſtolam ſcriptam ad Neſtorium, in qua iubet eum conſentire duodecim Capitulis, & hanc dari nobis, ut in tempore diſceptationis parati inveniamur.* Et alij Epiſcopi acclamârunt: *Si iubetis dari nobis inducias, petimus Patres ſimul perſcrutari.* Id eſt, accipere tempus ſufficiens perſcrutandis Patribus, eiſque Papalem Epiſtolam conferendi. Repoſuerunt verò glorioſiſſimi judices: *Differatur audientia uſque ad quinque dies, ut inter hos conveniat veſtra Sanctitas ad ſanctiſſimum Archi-Epiſcopum Anatolium, & communiter de fide tractetis, & qui dubitant doceantur. Nam eſt neceſſarium vos omnes convenire, ſed quia conveniens eſt omnibus dubitantibus perſuadere, reverendiſſimus Archi-Epiſcopus Anatolius eligat de his qui* Apoſtolicæ Epiſtolæ *iam ſubſcripſerunt, quos putaverit idoneos eſſe ad docendos eos qui dubitant.* Hic

eſt

eſt Synodi locus, de quo Facundus Hermianenſis: *Nobis Neſtoriani dicunt, Quomodò illam Synodum recepiſtis, in qua non ſolùm multi, ſed etiam potiori loco ſederunt Epiſcopi, qui ab Eutychianis ordinati ſunt, & Eutychetis atque Dioſcori dogma ſecuti probantur?* Reverà enim Anatolius in ſancti Flaviani latrocinaliter degradati Conſtantinopolitanam cathedram fuerat ab Epheſino latrocinio ordinatus ac intruſus, cunctiſque Dioſcori, utpotè eius Archi-Diaconus, latrocinalibus Actis ibidem cooperatus. Hìnc igitur Neſtoriani Synodum noſtram, in qua Anatolius, homo Eutychianus, non ſolùm ut vulgaris Epiſcopus & judex adfuerat, ſed uti cunctorum dubitantium Epiſcoporum ſal & lumen fuerat honoratus, tamquam Eutychianam aut certè Eutychianâ communione pollutam fuerunt pertinaciſſimè deteſtati. At ſine fundamento. Memorata enim vitia Anatolius per pænitentiam, per ſancti Petri Apoſtoli claves ſanctus Leo Pontifex, licèt cum diſpenſatorio Canonum vulnere, ad Marciani Auguſti preces expurgârat. Et quidem ſolas inducias, nequaquam ſolennem Cyrillianæ Epiſtolæ lectionem Atticus impetravit. Notanda ſunt ejus verba ad plenam Synodum: *Dominus noſter, ſanctiſſimus Pater, & Archi-Epiſcopus Leo.* Evincunt Romanum Epiſcopum eſſe plenâ Synodo ſuperiorem. Lib. 5. c. 3.

Sub Actionis finem quidam Epiſcopi pro lapſis in Epheſino latrocinio Epiſcopis, præſertim Juvenali Hieroſolymitano, Thalaſſio Cæſareenſi, Euſebio Ancyrano, Baſilio Seleucienſi, ac Euſtatio Berytenſi, quin & pro ipſo Dioſcoro precati ſunt veniam, quidam illos ad decretas à glorioſis judicibus pænas poſtulârunt, exclamantes: *Pro Patribus petimus, Patres Synodo reddite. Conſentaneos Leoni Synodo, Patres Synodo.* Eos, qui dogmaticam ſancti Leonis Epiſtolam ſubſcribere & profiteri fuerint parati, poſtulant relinqui ſuo honori, ac non detrudi à ſancta Synodo in ſuggeſtam à glorioſis judicibus damnationem. Et Illyriciani Epiſcopi addiderunt: *Omnes peccavimus, omnium miſeremini. Has voces catholico Imperatori. Eccleſiæ ſcinduntur. Dioſcorum Synodo. Dioſcorum Eccleſiis. Sub imperio veſtro malum non fiat, ſub imperio veſtro diſcordia non fiat.* Aiunt Dioſcorum, non ſolum, ſed cum omni Synodo fuiſſe lapſum, ſine ſchiſmatis periculo non poſſe damnari, ideòque per Principis clementiam pro ipſo obteſtantur. At Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Clerici, fidiſſimi ſancto Flaviano, intercesſerunt: *Qui communicat Dioſcoro, Iudæus eſt.* Et Epiſcopi Orientales: *Ægyptium exilio, Hæreticum exilio.* Ad quæ glorioſiſſimi judices: *Quæ interlocuta ſunt, effectui mancipentur.* Hoc eſt, de Dioſcoro & lapſis cum illo Epiſcopis data per nos ſententia executioni mandetur. Et ſtatim Domnino & Cyriaco, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconis,

conis, Episcoporum ad Synodum convocatoribus, est injunctum ut ad proximam Actionem etiam cum alijs Episcopis Dioscorum invitarent.

ACTIO III.

AB Actione tertia, exclusis gloriosis judicibus facta tertio idus Octobres, Ætius Ecclesię Constantinopolitanę Archi-Diaconus, & Notariorum Patriarchalium Primicerius, exegit in executionem mitti iam dictam ipsorum interlocutionē discuti caussam Dioscori, & libellos adversùs illum exhibitos ab Eusebio Episcopo Dorylæi. Ad quæ sanctus Paschasinus, Romanæ Ecclesiæ Vicarius & Legatus: *Notum est huic Deo amabili Concilio, & ad beatum, & Apostolicum, & catholicum Papam Leonem sacras esse literas destinatas, quatenùs huic sancto Concilio se præsentare dignaretur. Sed quoniam neque antiqua hoc tenuit consuetudo, neque generalis temporum necessitas permittere videbatur, nostram Parvitatem huic sancto Concilio pro se præsidere præcepit: Idèoq; necessarium est hæc, quæ in medium proferuntur, per nostram interlocutionem disceptari. Propter hoc igitur porrectus libellus à religiosissimo fratre nostro & Co-Episcopo Eusebio susceptus recitetur.* Quibus ex verbis habemus quatuor. Primò, Romanum Episcopum rectè vocari catholicum, seu universalem. Secundò, generalis Synodi præsidentiam ipsi soli privativè competere. Tertiò, quod non per semetipsum, sed per Legatos soleat præsidere. Nam & Arelatensi & Sardicensi intra Romanum Patriarchatum Synodis Sylvester ac Julius Pontifices personaliter adesse noluerunt. Quartò, quod omnium synodaliter tractandorum propositio spectet ad eosdem Legatos. Porrò Paschasinus fuit hæc præfatus adversùm notas insolentias jam judicandi Dioscori, ex cujus suggestu Eutyches Romanos Legatos suspectarat in Ephesino latrocinio, atque ita à Præsidis throno detruserat: Eiusmodi nugas neque iam in agendo Dioscori judicio, neque in quovis deinceps audiendas Paschasinus protestatur.

Eusebij per laudatum Ætium recitatus libellus verba faciebat pro ipso Eusebio, pro sancto Martyre Flaviano, & pro catholica fide, habebatque capita varia. Primò, *accusat Dioscorum uti consentaneum Eutychi, hæretico, damnato, & anathematizato, & quia volens perfidiam eius confirmare in nuper facto Concilio, multitudine seditiosa turba collecta, potentiam sibimet acquirens per suas divitias, rectam fidem, quantùm ad ipsum pertinet, contaminavit, & fermentum hæreseos insolita in catholica Ecclesia introduxit, & nos sacerdotali dignitate privavit.* Secundò, eumdem Dioscorum accusat, quod etiamnum perseveret hæ-

hæreticus, quod Eusebium Eutychetis accusandi caussa intra Ephesinam Synodum non admiserit, quod sanctum Flavianum uti suis allegationibus non permiserit, quod confici curârit falsa Acta synodalia, quod adegerit Episcopos in pura charta subscribere, quod contra Canonum & Legum consequentiam egerit omnia, operatus variam iniquitatem. Hæc omnia corrigi rogat libellus, Eusebium reponi in gradum Episcopalem, & omnibus Episcopis in Dioscoro statui disciplinæ exemplum.

Quibus lectis, vivâ voce perrexit Eusebius: *Supplico Adversarium meum ad conspectum meum evocari.* Quare Domninus & Cyriacus Diaconi, an Dioscorum ad Synodum invitassent in suam diem & horam, rogati sunt ab Ætio Archi-Diacono, & reposuerunt: *Nuntiavit Dioscorus se quidem velle venire, non autem permitti à custodientibus se, sicut dicebat* Et per Epiphanium ac Elpidium Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyteros ex sancti Paschasini mandato quæsitus ad omnia Basilicæ secretaria & atria non comparuit, ideòque ex Anatolij Constântinopolitani & Maximi Patriarchæ Antiocheni interlocutione destinati ad illum sunt, Constantinus Bostrensis Episcopus, Acacius Ariarathiæ in secunda Armenia, & Atticus in Helenoponto Episcopus Zelensis, unà cum Himerio Lectore ac Notario, solenniter ad Synodum citaturi. At ille citatus respondit: *Paratus sum venire ad sanctum & universale Concilium, sed, ut videt vestra Religiositas, prohibeor à devotissimis Magistrianis & Scholaribus.* Nec aliud ab ipso potuit extorqueri. Schola in jure Romano est seu militum seu ministrorum collegium, cuius membra dicebantur Scholares, à Scholasticis plurimùm distincti. Etenim Scholastici erant caussarum in foro Advocati, aut etiam Rhetores fictarum caussarum declamatores; at verò Scholares sunt in suos ordines digesti sectatores militiæ Castrensis aut Palatinæ. Magisteriani sunt iidem, qui Agentes in rebus, quorum schola seu ministerium, non in literis, sed in rebus & actu versatur, erantque varij, Ducenarij, Centenarij, Biarchi, Circitores. Erant præcipua Officiorum Magistro subjecta ac subserviens schola, indèque dicti Magisteriani. Dioscorus, à gloriosissimis judicibus degradationis pænam meruisse judicatus, traditus fuit Vincomalo Officiorum Magistro, ne forsàn è Synodo fugeret custodiendus, atque ita hic illum commisit suis Scholaribus, Magisterianis, seu scholæ Agentium in rebus, quos fuisse Frumentariorum successores, institutos ad quævis per Provincias crimina inquirenda, criminososque custodiendos, testatur in Diocletiano Aurelius Victor. Eorum varium munus, qualitatem, speciem vide apud Guidonem Pancirolum

in notitia imperij Orientalis, & apud Jacobum Gutherium in opere de officijs domus Augustæ. Ab hisce ergo custodibus, hominum genere audaci passim ac insolenti, finxit se Dioscorus ab accessu ad Synodum impediri.

At ecce Legatis Episcopis à Dioscoro recedentibus *occurrit Eleusinius venerandus Adiutor gloriosissimi ac magnificentissimi Magistri Officiorum*, eâque occasione ad Dioscorum sunt illi reversi. Magistri Adjutor erat totius scholæ caput ac Præfectus, quem esse oportebat idoneum probis moribus, & bonis artibus præditum, ideòque ab Episcopis instructus Eleusinius suorum seu veram seu fictam pro contumaci Dioscoro adversùm Synodi mandata violentiam compescuit, reduxitque Episcopos ad mandata ista rursùs intimanda. Et omninò coram Eleusinio intimârunt; Dioscorus verò reposuit: *Quoniam ante hæc in congregatione sedentes magnificentissimi iudices certa definierunt post multam uniuscuiusque interlocutionem, nunc verò in prædictorum confirmationem secunda me evocat congregatio, obsecro ut qui pridem ad hoc sanctum Concilium gloriosissimi iudices & amplissimus Senatus convenerunt, & nunc sint præsentes, ut iterùm sub eorum præsentia hæc eadem examinentur.* Gloriosissimorum judicum interlocutiones & reliqua Synodi huc usque Acta à nemine subvertenda aut tentanda spoponderunt Episcopi, at perstitit Dioscorus: *Dixistis mihi nunc, quod libellos porrexit Eusebius adversùs meam Religiositatem, postulo iterùm præsentibus iudicibus & glorioso Senatu probari quæ ab ipso dicuntur.*

Quibus ad Synodum relatis, secundam illi citationem mox mitti voluit Maximus Patriarcha Antiochenus, verùm Amphilochius Sidensis in Pamphylia Episcopus intercessit: *Vno aut duobus diebus caussa differatur.* Reposuit verò Menecrates Cerasuntis in Lydia Episcopus: *Vnus homo universum orbem desolavit, & perturbavit, & per tres menses adsidemus ei.* Nicæam quippe fuerat indicta Synodus, propter Dioscori istic insolentiam translata Chalcedonem,& trium mensium passa moras. Quare Pergamium Antiochenum in Pisidia Episcopum Metropolitam, Cecropium Sebastopolitanum in prima Armenia, ac Ruffinum Samosatensem in Eufratesia Provincia Episcopum, unàque Hypatium Lectorem & Notarium destinavit Synodus, secundam citationem facturos. Quibus denuò respondit Dioscorus: *Iam dudùm præveniens demandavi vestræ Religiositati, quia & infirmitate detineor, & postulo magnificentissimos iudices & sacrum Senatum esse præsentem in eorum, quæ nunc examinanda sunt, audientia. Quoniam verò ampliùs mihi ægritudo invaluit, huius gratia feci dilationem.* Et iterùm: *Vere-*

Venerunt religiosissimi Episcopi Iuvenalis, Thalassius, Eusebius, Basilius, & Eustatius ad Concilium? Etenim & hos gloriosissimi judices edixerant degradatione dignos: Hìnc uti lapsi Episcopi fuerunt unà cum Dioscoro ejecti de Synodi consessu, & sine illis, utpotè ex eodem reatu ad parem pœnam postulatis, nolebat ille respondere aut judicari.

Ad primam exceptionem reposuit Cecropius Episcopus Sebastopolitanus: *Paulò ante tua Sanctitas non asserebat se infirmari, sed postulabat sacratissimum Senatum & magnificentissimos iudices esse præsentes, nunc verò hoc addis.* Ad tertiam reddidit Pergamius Antiochenus: *Religiosissimi Eusebij* Dorylæensis *Episcopi accusatio, sicut adversùs tuam Reverentiam facta, tuam quærit personam, ideòq; tuam Sanctitatem consequenter & regulariter vocavit & vocat sanctissima & catholica Synodus.* Reverà enim unicum Dioscorum accusârat Eusebius, rectè dicens ad Synodum: *Etsi ab alijs læsus essem, licebat mihi adversùs unum, quem vellem, accusationem deponere.* Et hìnc nihil replicare Dioscorus voluit, sed dumtaxàt ad gloriosorum judicum præsentiam proclamare. Reddidit verò Cecropius: *Quando quædam Regularia examinantur, neque iudices, neque aliquos alios laicos interesse oportet.* Quæ antiqua Synodorum regula est alibi abundè explanata. Eamdem in sancti Athanasij ad monachos Epistola laudat Liberius Pontifex, alloquens Eusebium Constantij Augusti Eunuchum: *Fiat Ecclesiastica Synodus longè à palatio, ubi nec Imperator præstò est, nec Comes se ingerit.* Et ibidem in literis ad ipsum Augustum Constantium Hosius Episcopus Cordubensis: *Quid tale à Constante* Augusto *actum est? Quando Iudicijs Ecclesiasticis interfuit?* Eumdem Principem gravissimè arguit & ipse sanctus Athanasius, quod suum Palatium in Ecclesiasticarum caussarum tribunal verteret, & sese faceret litium istarum Principem & Cognitorem. Eum esse dicit Anti-Christum, aut sanè insignem illius præcursorem. Adeò cæcutiunt, qui garriunt Romanos Imperatores generalibus Synodis quandoque præsedisse. Hìnc pergit Athanasius: *Cum iudicio Episcoporum quid commune habet Imperator? Plurima antehàc Synodi fuere, multa iudicia Ecclesiæ habita sunt; sed neque Patres istiusmodi res,* criminales Episcoporum caussas, *Principi persuadere conati sunt, nec Princeps se in his curiosum præbuit. Paulus Apostolus habebat amicos in Cæsaris familia, & per eos in literis salutabat Philippenses, non tamen eos in iudicij socios assumpsit. Nunc autem novum quoddam spectaculum ab Ariana hæresi editur. Convenerunt enim in unum hæretici & Imperator Constantius, ut ille quidem sub prætextu Episcoporum suâ potestate adversùm eos, quos velit, utatur, & tamen*

in

in persecutione persecutor non appelletur; illi verò succincti Principis potestate insidias faciant, quibus volunt. Hic enim est verus scopus, ex quo laici Principes criminalibus Clericorum caussis interesse postulant aut postulantur. Rectè tamen ad Dioscorum addidit Ruffinus Episcopus Samosatenus: *Canonica sunt qua moventur, & potens est nunc tua perveniens Sanctitas qua vult postulare à sancto Consilio.* Laicos enim etiam ad hujusmodi judicia potest generalis Synodus ex caussis admittere.

Quibus omnibus ad Synodum relatis, tertiam ac peremptoriam citationem Dioscoro decerni instititit accusator Eusebius; ait Ætius Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archi-Diaconus intercessit: *Antè hàc aliqui, dicentes se esse Clericos, unà cum alijs laicis ab Alexandria profecti, adversùs Dioscorum sanctißimum Episcopum libellos porrexerunt. Hi ante sanctum Concilium vestrum constituti clamoribus usi sunt, & obsecrant coniurantes per sanctam & consubstantialem Trinitatem, introitum impetrare.* Ante Synodi fores stabant Athanasius Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyter, Theodorus & Ischyrion ejusdem Ecclesiæ Diaconi, nec non Sophronius fidelis ibidem laicus, habentes libellos Dioscori Episcopi sui accusatorios, quorum omnium hæc fuit Epigraphe: *Sanctißimo, ac Dei amantißimo, & universali Archi-Episcopo, & Patriarcha magna Roma Leoni, & universali Chalcedonensi Synodo.* Hic est Synodi locus, in quo titulum, *universalis Episcopus*, fuisse sancto Leoni Papæ oblatum, & ab illo repudiatum diximus suo loco ex sancto Gregogorio. Et quoniam omnis accusator debet semetipsum ad talionem solenniter inscribere, ad Theodorum Diaconum sanctus Paschasinus Legatus est interlocutus: *Quid dicit præsens accusator Theodorus? Si confidit probare ea, qua ingerit adversùs reverendißimum Episcopum Dioscorum, proprio ore confiteatur, si non vult regularem adversùs se converti sententiam.* Ad quæ Theodorus: *Supplico porrectum libellum monimentis inseri, paratus enim sum mihi ipsi adesse.*

Eius libellus, ad Lucentij Romani Legati interlocutionem lectus ab Ætio Constantinopoleos Archi-Diacono, habebat capita varia. Primò, quod Dioscori in subditos, sacros Canones, ac ipsam Divinitatem excessus essent longè plurimi, noti ex publicis variorum judicum Actis, & qui nec per disertissimam linguam possent plenè exponi. Secundò, ait Theodorus se per viginti duos annos sine querela versatum in magna schola Magistrianorum, meruisse illius privilegia, fuisse proximum illis impetrandis, ac in Ephesina Synodo fideliter servijsse sancto Cyrillo, ideòque ab illo fuisse adsumptum in Clerum Ecclesiæ Patriarchalis, & adjungit: *Cùm viderer fructu mul-*

torum

eorum annorum fraudari militiæ meæ, maiorem honorem existimans Divini & venerabilis mysterij ministerium, quindecim annos in eodem Clero permansi, sperans & maiorem honorem mereri. Ex quo liquet impensum, dummodò sine pacto & prava spe, Episcopo ministerium non esse munus ab obsequio, materiam Simoniæ. Tertiò, ait Theodorus se à Dioscoro nescio quâ viâ ad Episcopatum adsumpto fuisse, & quidem inauditum, degradatum adjectâ comminatione deportationis, *propter nihil aliud, nisi ob id, quod familiaritatem & benevolentiam sanctæ memoriæ Cyrilli meritus fuisset.* Quartò, quod hocce ille odio in S. Cyrilli familiares & consanguineos pariformiter flagret, *exercens inimicitias adversùs rectam eius fidem, hæreticus constitutus,* & quidem Origenista, S. etiã Trinitatẽ blasphemare consuetus. Quintò, quod insuper sit variè criminosus, utpotè *homicidij non expers, neque alienas parcens excidere arbores, neque incendia facere, neque domos destruere, sed & turpiter semper vivens.* Sextò, quod etiam hanc sanctam Synodum Nicææ inchoatam turbârit, coëgeritque Chalcedonem transferri. *Hic namque sanctißimus, magis autem circa omnia ferocißimus, in consuetudine habens leges prævaricari, nihil arbitrans quod ab ipso in sanctæ memoriæ Flavianum est commissum, insuper ad mala maiora se vertit. Excommunicationem namque faciens contra sanctißimum ac beatißimum Apostolicæ Sedis magnæ Romæ Episcopum, suasit subscribere eis, qui cum ipso de Ægypto exierunt, sanctissimis Episcopis plus minùs numero decem (neque enim plures ausi sunt exire cum ipso, propter ea quæ ab ipso in Ephesо contra leges peracta sunt) aliquotiès comminans, aliquoties nolentes decipiens. Vndè lacrymantes atque gementes nefandæ illi chartæ subscripserunt.* Quo fuco audacissimum ac desperatũ facinus præsumpserit Dioscorus, suo loco est dictum. Omnia hæc vindicari, & gradui suo se restitui supplicavit Theodorus, sibi ipsi ad plenã singulorũ probationẽ adesse denuò spõdens, per testes omni exceptione majores, etiã per Agorastum, Dorotheum, Eusebiũ, ac Joannẽ, Dioscori amicos & domesticos, quos proindè flagitavit *sub custodia fieri, quatenùs quæ veritatis sunt ostendantur.*

Exindè ad Bonifacij Romani Presbyteri ac Legati interlocutionem lectus est libellus Ischyrionis Diaconi, habens item plura capita. Primò, agit Deo gratias, quod tyrannica crudelitatis, circumventionis, & avaritiæ sub Dioscoro tempora transierint, & humano generi tandem aliquando alluxerit libertas querimoniam suam cum nanciscendæ justitiæ spe apud veram Synodum deponendi. Secundò, Dioscorum etiam accusat de hæresi Origenistica, evomitis in sanctam Trinitatem blasphemijs, vastatis alienis prædijs, excisis arboribus, domibus destructis, irrogatis exilijs, deportationibus, varijs calami-

tatibus: Quæ omnia ex publicis judicum Gestis ait liquere. Tertiò, accusat Dioscorum, quod *frumentum à piissimis nostris Imperatoribus Ecclesiis Lybiæ propter ariditatem illius Provinciæ, & quia ibi triticum omninò non nascitur, præstari solitum, inprimis quidem ut incruenta ex ipso hostia offeratur, deinde ut & peregrini nec non & Provinciales pauperes aliquod mereantur solatium, non permiserit suscipere sanctissimos Episcopos illius Provinciæ, sed adaravit, & coëmerit memoratum frumentum largissimis pecuniis, ipsum verò in tempore famis gravissimis æstimationibus venundederit. Et ex hoc neque terribile & incruentum sacrificium celebratum est, neque peregrini aut Provinciales hoc solatio fruiti sunt.* Eleëmosyna ista est Constantini magni opus, de cuius rapina etiam sanctum Athanasium apud Constantium Augustum calumniata est factio Eusebiana. Quartò, libellus accusat Dioscorum de rapta Peristeriæ clarissimæ fœminæ hæreditate. Illa namque *pro anima sua refrigerio testamentum condens, iussit multam quantitatem pecuniarum præstari monasteriis, nec non etiam Xenodochiis & ptochiis & aliis pauperibus Ægyptiaca Provinciæ. Quod molestè ferens reverendissimus Dioscorus, ob id quod in persona eius hæc minimè sint dimissa, fecit easdem pecunias pro eleëmosyna Thymelicis & aliis Theatricis dispertiri personis, ut neque incensum ex oblatione illius clarissimæ memoriæ Peristeriæ, quantum ad eum pertinuit, Deo offerretur.* Quintò, quod cum impudicis mulieribus, famosissima præsertim Pansophia, frequenter in Episcopio & balneis deliciatus fuisset Dioscorus, undè omnis populus scandalizatus composuisset fædas cantilenas, & per compita cecinisset. Tale enim Alexandrini populi fuisse ingenium testatur in vita Saturnini Tyranni Flavius Vopiscus. Sextò, ait etiam homicidia per admirabilis istius Doctoris occasionem patrata. Septimò, queritur Ischyrion sese ab illo ad Episcopatum nescio quâ viâ promoto fuisse mox degradatum, incarceratum, exutum omni possessione, redactum ad paupertatem extremam, occidi jussum, quæsitum sæpiùs ad mortem; nec alia de caussa, nisi quod sancto Cyrillo fuisset amicus, ac illi in variis ad Regiam civitatem, aliisque per mare & terram longis & difficillibus itineribus atque legationibus, è quibus senium contraxerit ante ætatem, fideliter servisset. Hæc omnia legitimis testibus probanda promisit, rogans in fida custodia teneri Dorotheum, Diodonem, Eusebium, Apocrationem, Petrum, Gajanum Episcopalis balnei Mediastinum, omnium conscios ex propriorum oculorum notitia, Dioscorique amicos atque familiares.

Athanasius Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyter erat sancti Cyrilli ex Isidora sorore nepos, habens fratrem germanum Paulum & quosdam

ex

ex illo nepotes, nec non & matetteram, insignibus proventibus à sancto Cyrillo ditatos. Hinc & illos in sui Episcopatus exordio Dioscorus est durissimè adgressus. Exuit omnibus facultatibus, urbe ejecit, ipsorum domos vertit in Ecclesias, omnium Palatinorum aures Constantinopoli adversùm ipsos prævenit & clausit, ita totius mundi extorres fecit, coëgitque ad publicam mendicitatem. Athanasium insuper degradavit, ad Thabennensis monasterij asylum fugitivo vetans exhiberi publica balnea, transmitti panem, aut cibum vendi, quatenùs sub famis & sordium angustia periret. Ita per septem annos de loco erravit in locum, non solùm à Dioscoro, sed etiam à creditoribus fugiens cum omni affinitate & sanguine, quas inter miserias frater Paulus est defunctus. Ista omnia Dioscorus fecit, spreta sancti Cyrilli adjuratione, de qua Athanasius: *Cyrillus moriturus, testamentum condens, honoravit eum, quicumque ille post eum fuisset ordinatus Archi-Episcopus, plurimis & magnis Legatis de propria substantia, coniurans eum in Scriptis per venerabilia & terribilia mysteria, ut ipsius foveret genus, & in nullo eis laborem incuteret.* Malevolæ tyrannidis fucum aperit Liberatus Carthaginensis: *Dioscorus neque uxorem neque filios habuit, quem narrat opinio civium suorum maiorem habuisse dilectionem. Siquidem opprimens Cyrilli hæredes, & per calumniam ab eis auferens pecunias multas, dedit eas sine fœnore atropolis & cauponibus civitatis, ut mundißimum panem & purißimum vinum viliori pretio populis exhiberent.* Primus, qui è Patriarchis aut Primatibus Episcopis sanguinem suum opulentasse, atque ita violentas successoris manus in ipsum excitasse legitur, est sanctus Cyrillus. Nam & sancti suos habuere nævos. Et passim infælicissimæ sunt istæ opes. Hæc igitur omnia S. Leoni Pontifici & præsenti Synodo exposuit Athanasius Presbyter, implorans aut justitiam, aut certè misericordiam auxiliatricem. Cap. 10.

Sophronio civi Alexandrino Macarius ibidem Curialis summas irrogârat injurias. Etenim Theodoram legitimam ac dilectam uxorem illi rapuerat. Hinc Alexandriæ desperans justitiam, Constantinopolim abijt ad Principem, obtinuit Rescriptum, ac executorem, virum strenuum Theodorum, Agentem in rebus. Verùm *Dioscorus omnia indevotè agens, arbitratusq; se super omnes esse, neque imperialia Decreta, neque magnificas à Prætoriorum Præfectis datas sententias concessit exequi, dicens suam magis esse Provinciam, quam Imperatorum.* Quin & Isidorum Diaconum cum armato rusticorum & latronum agmine emisit, qui Sophronium de medio auferre tentârunt, & Executorem abegerunt. Etiam omnes Sophronij facultates invaserunt, coactusque ille est cum prole sua nudus & inops aufugere.

Hæc omnia Pontifici & præsenti Synodo exposuit, accusans insuper Dioscorum de adulterijs, hæresi Origeniana, blasphemijs in sacrosanctam Trinitatem, & crimine læsæ majestatis. *Nam & sacra Laureata, cùm pro falicitate orbis terræ & in Alexandrinam civitatem introissent, non recusavit agere, multas dispergens pecunias per Agorastum, & Timotheum, & alios quosdam, ut ea de civitate depelleret. Molestè enim ferebat, eò quod omninò talis orbis terræ Dominus prædicaretur:* Utique Marcianus Augustus, germanè orthodoxus, adversus Chrysaphio Eunucho, nec non & latrocinalibus nuper apud Ephesum Actis. *Seipsum enim magis Ægyptiacæ diœcesi imperare volebat, sicut & Gesta apud diversos iudices confecta demonstrant. Nam & vir spectabilis, tribunus & Notarius Ioannes testimonium perhibet. Et nisi quia ex Divina providentia contigit magnificentissimum & gloriosissimum Theodorum Ægyptiacæ Provinciæ gubernare negotia, fortem legum patronum, olim à prædicto tyranno magna Alexandrinorum civitas fuisset deleta.*

Neque admireris hanc Dioscori potentiam & insolentiam. Eisdem etiam eius Antecessores, nec non & alij Patriarchæ atque Primates Episcopi laborârunt. Etenim de Paulo Samosatensi, in medijs gentilium persecutionibus Patriarcha Antiocheno, in literis apud Eusebium Cæsareensem exstantibus scribit ad sanctum Dyonisium Pontificem Synodus Antiochena: *Neque commemorare opus est, quo pacto se insolenter extulerit, & sæcularium honorum gradus sibi adsumpserit, seq; arroganter in eisdem gesserit, & Ducenarius potiùs quam Episcopus nuncupari voluerit, & per forum volitârit, modò Epistolas legendo, modò quid illis Responsi daretur præscribendo, magna satellitum turba, partim eum antecedentiũ, partim subsequẽtiũ stipatus, superbo gradu palàm incesserit, adeò ut propter intolerandum eius fastum & nimiam animi elationem fides nostra gravem invidiæ notam, odiumq; permagnum subierit.* Quo vitio fædantur omninò illi Episcopi, qui Comites aut Duces, quã Episcopi intitulari malunt, & Ducalem potiùs aut Comitilem coronam, quam Episcopalem galerum aut mitram suis insignibus adfigurare. Etiam sanctum Athanasium apud Constantium Augustum accusârunt Eusebiani, quod frumenti naves detinuisset, *gloriatus eius deportationem ex Alexandria constantinopolim posse impedire.* Et cùm ille ad tantas calumnias ingemisceret, adfirmans fieri non posse ut homo privatus & pauper tantùm potentiæ haberet, Eusebius Nicomediensis Episcopus factionis caput, palàm dejeravit ipsi omninò esse tantas & opes & vires. De illo, quod adfectabant ipsi, Athanasium accusabant. Etenim de Gregorio, ab ipsis in Athanasij ejecti locum post Georgium Cappadocem intruso, scribit Hermias Zozomenus: *Habebatur odio*

tum

L.7.c.24.

Apol. 2.

L.4.c.29.

tum à viris Principibus, propterea quod ipsos contemneret, & Magistratibus imperaret; tum etiam à plebe, quod tyranni vices ageret, & omnes potentia superare visus esset. Grandi semper multitudine stipatum processisse scribit etiam Ammianus Marcellinus, additque caussam, ex qua Constantius Augustus videatur dissimulasse: *Gregorius inter catera dicebatur id quoque malignè docuisse Constantium, quod in urbe Alexandrinâ ædificia cuncta solo cohærentia, à conditore Alexandro magnitudine impensarum publicarum exstructa, emolumentis ærarij proficere deberent ex iure.* Tamquam supremus Ægyptij Dominus vexavit præsertim gentiles, atque ita ab illis sub Juliani imperio est horrendè trucidatus. Etiam de Theophilo Patriarcha Alexandrino scribit Socrates: *Vitam in pecunia facienda conterebat, & toto pectore in ea quærenda laborabat.* Et de eius successore ac nepote sancto Cyrillo: *Cyrillus Episcopatu potitus est, maioremq; Principatum, quam unquam Theophilus habuisset, pariter sibi adsumpsit. Etenim ex illo tempore Episcopus Alexandrinus præter sacri Cleri dominatum, rerum prætereà sacularium principatum acquisivit.* Eius cum Oreste, Augustali Præfecto, de laica jurisdictione turbidas lites refert idem Scriptor, ex quibus ille invasionis & tyrannidis infamiam apud plebem, & apud Principem & Regiæ civitatis Senatum incurrit varias criminationes, de quibus se purgat in prima ad Nestorium Epistola, exstante inter Acta Synodi Ephesinæ. Et hæc est una caussarum, ex quibus Theodosius Augustus illum fuit aversatus. Eius vestigia secutus est, atque ampliavit Dioscorus, & ita Romano Imperatori nullam in Ægypto potestatem agnoscere voluit, nec eius recipere sacra Laureata. Fastus radicem crediderim fuisse Romanam cum vicinia Provincia urbem à Constantino Augusto donatam Ecclesiæ Romanæ, cuius in spiritualibus ac temporalibus filia, discipula, ac imitatrix semper fuit Alexandrina: Quod illa ex legitimo Principis dono habuit, invasit hæc per rapinam.

L.22. c.27. 28.

L.6.c.7.

L.13. c.15.

L.1.c.8.

Quibus omnibus ad Synodum lectis, sanctus Paschasinus Ecclesiæ Romanæ Vicarius ac Legatus ad Florentij Sardensis Metropolitæ interlocutionem decrevit Dioscoro tertiam ac peremptoriam citationem, & ad illum legavit Francionē Philippopolitanum Thraciæ Metropolitam, Lucianum in Europa Byzensem, ac Joannem Germaniciensem in Eufratesia Provincia Episcopum, unaque Palladium, Patricij per secundam Cappadociam Metropolitæ Thyanensis, Diaconum & Notarium, mandaturos comparere responsurum, non solis modò Eusebij accusationibus, sed & Athanasij Presbyteri, Theodori & Ischyrionis Diaconorum, item & Sophronij fidelis laici Alexandrini. Quibus ille: *Sufficienter docui vestram Religiosita-*

ſitatem, quibus addere aliquid non poſſum, illa enim ſufficiunt mihi. Repoſuerunt & ſuaſerunt multa Legati Epiſcopi, tandemque concluſere: *Delicta Sacerdotum ſunt communis turpitudo. Si igitur tua Sanctitas ſcit calumniari ſe ab aliquibus pati, non eſt longè ſancta Synodus, fatigare ut convincas mendacium. A macula libera ſanctam Eccleſiam Dei.* At hoc unum extorſerunt: *Quæ dixi, dixi; & hæc mihi ſufficiunt.*

Quibus ſibi relatis ſcandalizata ſummoperè & offenſa eſt univerſa Synodus, & Julianus Hypæporum in Aſia Epiſcopus ad Apoſtolicos Legatos eſt interlocutus: *Quando in Epheſia metropoli Primatum habebat Dioſcorus ad iudicandum inter ſanctum Flavianum & religioſiſſimum Epiſcopum Euſebium, interque Eutychen, ex omni parte iniquam proferens ſententiam, ipſe priùs proſecutus eſt iniuſtum iudicium, & omnes cum neceſſitate ſecuti ſunt. Nunc veſtra Sanctitas Primatum tenet ſanctiſſimi Leonis, & omne ſanctum Concilium & ſemel, & ſecundò, & tertiò vocavit Dioſcorum, & nullatenùs voluit obedire. Petimus igitur veſtram Sanctitatem qui habetis locum ſanctiſſimi Papæ Leonis, promulgare in eum, & regulis inſitam contra eum proferre ſententiam. Tota enim univerſalis Synodus concors efficitur veſtræ Sanctitatis ſententiæ.* Ex quo vides Romanis Legatis in generali Synodo competere, non dumtaxàt primum, ſed & principale ſuffragium, cui Synodus ſine ſundamentis non poſſit refragari. Hìnc ſancto Paſchaſino bis roganti, *Quid de Dioſcoro placet Beatitudini veſtræ*, repoſuit poſt plenam Synodum Maximus Patriarcha Antiochenus: *Quod videtur Sanctitati veſtræ, & nos concordes efficimur.*

Quocircà omnes tres ſimul Apoſtolici Legati pronunciârunt irreparabilis degradationis ſententiam in Dioſcorum: Ex varijs cauſſis. Primò, quod in Epheſino latrocinio Primatum ſeu præſidentiam, Romanis Legatis excluſis, ſibi arrogaſſet. Secundò, quod Eutychen Hæreſiarcham, ſibi ſimilia ſapientem, regulariter à proprio Epiſcopo damnatum, irregulariter, & quidem priuſquam ſynodicè cum Epiſcopis conſideret, in communionem ſuſcepiſſet apud Epheſum, atque ita quintum Nicænum Canonem prævaricatus ſeipſum hæretico contagio polluiſſet. Tertiò, quod alijs Epiſcopis ibidem lapſis, veniam à ſancto Leone poſtulantibus, ac pænitentiæ merito impetrantibus, ipſe *hactenùs permanſerit glorians in eis, pro quibus oportebat gemere, & in terram proſterni.* Quartò, quod dogmaticam laudati Pontificis Epiſtolam legi apud Epheſum jurarit ſæpiùs, & peierarit, atque ita fædi iſtius ſcandali fuerit dux & auctor. Quintò, quod gratiam à præſenti Synodo oblatam impænitens ſpreviſſet, ac etiamnum ſperneret. Sextò, quod omnibus hiſce criminibus addidiſſet iniquitatem

tatem longè maiorem, in sanctum Leonem Papam ausus latrare convitium excommunicationis. Septimò, quod ad varia diluenda crimina tertiò citatus in contumacia perseveraret. Hinc concludunt Legati: *Vnde sanctißimus ac beatißimus Archi-Episcopus magnæ Romæ Leo per nos, & per præsentem sanctam Synodum, unà cum ter beatißimo, & omni laude digno, beato Petro Apostolo, qui est Petra & crepido catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum, nudavit Dioscorum tam Episcopatus dignitate, quam etiam ab omni Sacerdotali alienavit ministerio.* Ex quo lucet generalium Synodorum sententias fuisse etiam olim ex solo Romani Pontificis nomine dictatas & promulgatas: Dictatas per Legatos & Synodum, tamquam vicarium & subsidiarium instrumentum. Et hinc præsentem sententiam singuli Episcopi confirmârunt cum hoc passim additamento: *Sicut sanctißimus & beatißimus Archi-Episcopus, & Pater noster Leo per Vicarios suos est interlocutus.* Ita addidit etiam Maximus Patriarcha Antiochenus.

Et hæc sententia Dioscoro mox fuit insinuata per solenne Decretum, exprimens tamen unicam damnationis caussam, contumaciam adversùs trinam synodalem evocationem. Ea enim ad damnationem plenè sufficit. Etiam Charmosyno Ecclesiæ Alexandrinæ Presbytero ac Oeconomo, Euthalio Archi-Diacono, nec non & alijs Dioscorum ad Synodum comitatis Clericis facta est insinuatio, additumque mandatũ, ut Ecclesię substantiam fideliter custodierent adversùs Dioscorum, Deo & futuro Episcopo reddituri rationes. Vacantis enim Ecclesiæ proventus antiquissima regula successori custodit. Lata fuit hæc sententia die Sabbathi, tertio decimo Octobris: Quadringentesimi enim quinquagesimi primi anni Christiani literã Dominicalẽ fuisse G. ostẽdit in Gallię Christianę exordio Claudius Robertus.

Exindè ad Valentinianum tertium & Martianum Augustos facta est Relatio, de fidei zelo gratias agens, exprimensque singulas damnati Dioscori caussas. Facta est & specialis Relatio ad Pulcheriam Augustam. Omnem enim Martiani pro reparanda fide & Ecclesiarum pace zelum debemus pijssimæ huic post Deum Augustæ, quam idcircò etiam novam Helenam, orthodoxorum munimen, & Ecclesiarum gloriam nostra Synodus acclamavit. Eamdem suis Sanctorum tabulis inscripsit Ecclesia Romana.

Habet hæc Relatio: *Desideravimus, ut omne membrum nobiscum pariter fraterna concordia choros gaudij celebraret, sed quia solus ille, qui Alexandrinorum tenuit Præsulatum, ultrò semetipsum à tantorum virorum collegio pepulit, & nos ei cum tristitia & lacbrymis denegavimus communionis nostræ consortium.* Ex quo liquet Synodum ad Dioscorum,

rum, si quidem pænituisset, plenè reparandum fuisse paratam, idque cum dispensatorio vulnere antiqui Canonis, de quo in literis ad Ruffinianum sanctus Athanasius: *Scias, quod in principio quidem, cùm vis, quæ facta est, cessasset, facta est Synodus præsentibus ex partibus externis Episcopis. Facta est autem & apud sacrorum Comministros, qui habitant in Græcia. Nihilo seciùs autem & apud eos, qui habitant in Hispania & Gallia, & placuit hoc, quod hic & ubique, ut iis quidem, qui lapsi sunt, impietati autem præsunt, venia quidem detur pœnitentibus ac resipiscentibus, eis autem locus Cleri non detur. Eis autem, qui impietatis auctores non fuerint, sed vi & necessitate tracti sunt, visum est dari veniam, habere autem etiam locum in Clero. Maximè quia probabilem defensionem attulerunt. Et visum est hoc quodammodò œcumenico Concilio factum esse. Affirmârunt enim se non fuisse ad impietatem traductos; ne autem quidam à pietate alienissimi Ecclesias corrumperent, maluerunt vi cedere, & onus ferre, quam populos perdere.* Ita legitur in collectione Canonum facta per Theodorum Balsamonem, latinè versa per Gentianum Hervetũ. At verò Petri Nannij versio, vulgata typis Commelinianis, pro vocibus, *Vis facta*, ponit has, *Principiò statim persecutione sublata.* Omittit Synodos in Gallia factas, itemque hæc verba: *Et visum est hoc quodammodò œcumenico Concilio factum esse.* Eadem omittit editio Parisiensis, vigesimo septimo hujus sæculi anno facta apud Michaëlem Sonnium, & per D. Lucam Holstenium curata, & pro vocibus, *Vis facta*, ponit has: *Sedatâ, quæ primùm per vim cœperat, seditione.* Et in ipsa Canonis substantia differt longè plurimùm: *Habeto, omnes idem, quod hic, sensisse, iis nempe veniam qui cecidissent, etsi impiorum se duces præbuissent, modò eos pœniteat, nec per vim & necessitatem detur, largiendam esse, & restituendum locum in Clero.* Voces, *Visum est hoc quodammodò œcumenico Concilio factum*, Canonem à nescio qua generali Synodo fuisse editum, quibusdam persuasere. At sine fundamento. Etenim vivo Athanasio nulla fuit generalis Synodus, nisi Nicæna & Sardicensis, à quibus lucet Canonem ejusmodi non processisse. Nicæna non solos Novatianenses Episcopos & Clericos, sed & Eusebium Nicomediensem Episcopum, quin & ipsum Arium, totius iniquitatis auctores & Principes, recepit in gradum, datam à nostro Canone gratiam insigniter supergressa. Verùm singularis fuit ista ex caussis clementia dispensatoria, nullatenùs in regulam redacta. Porrò vis, persecutio, seu seditio per Athanasium memorata non est Diocletiani aut cuiuspiam Pagani Principis, sed Constantij Augusti, quem ob præstitum Eusebianæ factioni crudele satellitium, barbaricè arietatam Nicænam fidem, illatasque orthodoxis ubique Episcopis horrendas

rendas persecutiones laudatus Athanasius, Lucifer Calaritanus, & alij id genus Episcopi meritò dixere tyrannum, Anti-Christi præcursorem, immò & Anti-Christum. Est vis seu persecutio adhibita in Synodo præsertim Ariminensi, in qua omnes fermè Occidentales Episcopi fuerunt in fædum lapsum seducti partim, partim circumscripti, atque ita ingemiscens orbis terrarum admiratus est se esse Arianum. Lapsos omnes esse perpetuâ degradatione dignos non solus memoratus Lucifer, sed & plures alij paris meriti ac doctrinæ Episcopi censuerunt; alij tamen, illatam violentiam miserati, duxere dignos reparatrice gratia, ex Aaronis & sancti Petri Apostoli exemplo, qui in Domini negationem & vituli latriam lapsi permansere Pontifices, quod nempe non suo arbitrio, sed violenter impulsi cecidissent. Et quidem hi Episcopi non fuerant ad impietatem traducti, sed ne Ariani invaderent ipsorum cathedras, ad tempus cesserant iniquitati. Spiritus promptus, caro fuerat infirma. Eorum caussam in sua Synodo discussit sanctus Athanasius, volens exstinctas orthodoxorum de ipsis duras ac periculosas contentiones, statuitque adductum Canonem: Ut nempe erroris ac seductionis Principes iuxta antiquam Ecclesiæ disciplinam soli laicæ, reliqui lapsi Episcopi aut Clerici etiam sui ordinis communioni redderentur. Quod statutum variæ etiam Græcorum atque Latinorum Synodi habuere ratum, & confirmârunt. Hinc ait Athanasius Canonem istum quasi ab œcumenico Concilio processisse. Est Canon, quem improbans memoratus Lucifer schisma fecit, & Christi Domini toto orbe diffusam Ecclesiam ad solam Sardorum mastrucam contraxit, seducto etiam Hilario, magno illo Romanæ Ecclesiæ Diacono, quem à Liberio Pontifice Legatum ad Constantium Augustum fuisse à factione Eusebiana publicè flagris cæsum ob fidei orthodoxæ constantiam, scribit ad monachos idem Athanasius. Apostolicum Canonem, Episcopos & Clericos in hæresin aut quodvis crimen lapsos figentem sine reparationis spe in humilitate laica, existimavit non posse solvi, nec factam quibusdam subindè paucis dispensatoriam ex caussis gratiam verti in regulam generalem. Regulæ nostrę clementiam fuisse in solos seductos aut circumscriptos Episcopos & Clericos, nequaquam in seductricis hæreseos auctores aut Principes factam à sancto Athanasio, lucidissimè liquet ex Ephesinæ, sextæ, septimæ, atque octavæ Synodorum Actis: Liquet igitur & adductam Parisiensis editionis versionem esse deviam, & à sancti Athanasij sensu penitùs alienam. Benignitatem hanc ex Ægypto fuisse à sancto Damaso Pontifice & à sancto Hilario Pictaviensi Episcopo traductam in Latinam Eccle-

 siam,

ſiam, teſtatur in Fauſtino Luciferianæ partis Presbytero Catalogus Gennadij Maſſilienſis. Synodi noſtræ ad Principes Relatio obteſtatur, ut inflictam Dioſcoro pænam habeant ratam, & exequantur. Eum enim norant eſſe in cordis duritia novum Ægypti Pharaonem. Et eventus docuit. Etenim ille nequaquam pænitere, ſed ſeipſum & congerrones vanâ ſpe deludere perrexit, ſpargereque *reſtituendum ſibi Sacerdotium.* Quare Edictum publicavit noſtra Synodus, *ſignificans quod qui talia perpetravit, omninò nullam reſtaurationis ſpem poterit habere.* Et tunc factum exiſtimo quod in Breviario ſcribit Liberatus Carthaginenſis: *Dioſcorus exulare in Gangrena civitate,* quæ eſt Paphlagoniæ in Pontica diœceſi metropolis, *præceptus eſt.* Gratia magna. Nam conſuetum Hæreſiarcharum exilium erat magna Oaſis. At quoniam Dioſcorus ſanctum Flavianum dumtaxat abjecerat in Lydorum Hypepam, hìnc & illum ad ſolas Paphlagonum Gangras, ubi & pertinax obijt, proſcripſit pius Princeps Marcianus. Juxtà Gratiani Auguſti pro degradatis Epiſcopis legem Gangræ pluſquam centum millibus diſtabant Alexandriâ.

Cap. 10.

ACTIO IV.

Actioni quartæ, factæ die ſexto decimo Calendas Novembres, rursùm adfuerunt glorioſiſſimi judices & magnificentiſſimus Senatus, qui ante omnia juſſerunt ſibi legi cuncta huc uſque per Synodum Acta, tandemque procedi ad fidem definiendam, interlocuti: *Quod placuit reverendo Concilio de ſancta fide, ipſum nos doceat.* Et Legati Romani per ſanctum Paſchaſinum reſponderunt ab omni Synodo in regulam admitti Symbolum Nicænum, Symbolum Conſtantinopolitanum, omnes Epheſini Concilij de fide ſanctiones, nec non & dogmaticam Epiſtolam ſancti Papæ Leonis. Et omnes Epiſcopi acclamârunt: *Omnes ſic credimus, ſic baptizati ſumus, ſic baptizamus, ſic credidimus, ſic credimus.* Et laudatis judicibus denuò flagitantibus, num ſancti Leonis Epiſtola Nicæno & Conſtantinopolitano Symbolo, nec non & Epheſinis de fide Decretis per omnia concordaret, Anatolius Conſtantinopolitanus Epiſcopus reſpondit convenire, & adjunxit: *Eidem Epiſtolæ libenter ſubſcripſi* Quod ipſum & Legati Apoſtolici, & plerique Epiſcopi, de ſuis circa Epiſtolam dubijs inſtruendi ſuprà Anatolio traditi, inſignibus ſuffragijs confirmârunt, & cæteri acclamârunt: *Omnes acquieſcimus, omnes conſentimus, omnes ſimiliter credimus, omnes eadem ſapimus. Patres ad Synodum, concordantes ad Synodum; Qui ſubſcripſerunt, ad Synodum. Ipſi etiam quinque Epi-*

copi

copi fidei subscripserunt; sicut Leo, sic sapiunt. Supplicant pro Juvenali Hierosolymitano, Thalassio Cæsareensi, Eusebio Ancyrano, Basilio Seleuciensi, ac Eustatio Berytensi Episcopo, quos, uti Ephesini latrocinij Duces & Principes, gloriosi judices ex suprà adducto sancti Athanasij Canone judicârant perpetuâ degradatione dignos unà cum Dioscoro, quosque Synodus suspenderat ab omni officio Episcopali: Eos integri Episcopi clamant pænitere, subscripsisse Apostolico tomo, recta in omnibus sapere, ideòque esse gratia dignos.

Preces fuerunt gratæ judicibus, interlocutis: *Suggessimus Divo & pijssimo Domino nostro Imperatori de ipsis, & exspectamus Pietatis eius mandata. Vestra autem Reverentia & de Dioscoro, qui à vobis damnatus est ignorante Divo Vertice & nobis, & de ipsis quinque, pro quibus petitionem facitis, & de omnibus Actis in sancta Synodo dabit rationem Deo.* Et Episcopi responderunt: *Dioscorum Deus deposuit, Dioscorus iustè damnatus est, Dioscorum Christus deposuit.* Et ecce interim affertur gratiosum ad factas pro quinque Episcopis preces Principis Responsum, atque ita gloriosi judices sunt denuò interlocuti: *Pijssimus noster Imperator addiscens vestras preces, sententia vestra permisit de Iuvenale deliberare, & de Thalassio, & de Eusebio, & de Basilio, & de Eustatio, reverendissimis Episcopis, quæ vobis placuerint. Ergò vestra Religiositas cognoscat, quia Deo de his, quæ fiunt, dabit rationem, quid fieri de ipsis debeat, cogitet.* Lapsum Episcopum reparare aut degradare est res momentosissima, ideòque & Marcianus Augustus & gloriosi judices reliquerunt hæc cuncta Synodo, suas ipsi conscientias exonerantes. Reposuit verò Anatolius Episcopus Constantinopolitanus: *Petimus eos intrare.* Et omnes unâ voce Episcopi: *Rogamus eos intrare. Qui similiter credunt, ad Synodum. Qui eadem sapiunt, Synodo. Qui subscripserunt Epistolæ Leonis, ad Synodum.* Quod judicium exequentes gloriosi judices dixere: *Intrent.* Et intrarunt. In sedes suas ac plenum Episcopalem honorem fuere repositi, & Synodus est adgratulata: *Vnus Deus, qui hoc fecit. Hæc integra adunatio. Hæc pax Ecclesiarum.*

At Dioscorus synodalibus in se sententijs nequaquam acquievit. Etenim ipso hanc ante Actionem die tredecim Ægyptiacæ diœceseos Episcopi Marciano Augusto exhibuerunt suæ fidei libellum, haud dubiè ab ipso degradato Pharaone compositum, dolis plenum & machinationibus, ideòque ipsum Princeps ad Synodum remisit. Sancti Marci Evangelistæ, primi Episcopi Alexandrini, nec non & successorum eius Petri Martyris, Athanasij, Theophili, Cyrilli, item Nicæni & Ephesini Concilij fidem profitebatur libellus, anathematizans Arij, Eunomij, Manichæi, Nestorij, & quorumvis aliorum

hæreses, etiam illam, quæ Domini carnem de cælo, & non per sanctam Virginem venisse adfirmat: Et omnem huius fidei Professorem admitti postulavit ad plenam Episcopalem communionem. Verùm dolus non erat satis aptè fucatus, atque ita ad lectum libellum plena Synodus exclamavit: *Dogma Eutychis quare non anathematizârunt? Cum impostura petitiones porrexerunt. Epistola Leonis subscribant, anathematizantes Eutychen, & dogmata eius. Consentiant Epistolæ Leonis. Eludere nos volunt, & discedere.* Quem in finem Diogenes Cyzicenus, Acacius Ariarathiæ, Cecropius Sebastopolitanus Episcopus, nec non Legati Apostolici multa adduxerunt.

At Ægyptij per Hieracum Aphnaitarum Episcopum responderunt: *Si quis præter ista, quæ in petitionibus à nobis porrecta sunt, sapit, sive Eutyches sive alter aliquis, anathema sit. De Epistola autē sanctißimi & Deo amantißimi Archi-Episcopi Romani Leonis, sciunt omnes sanctißimi Patres nostri, quia in omnibus exspectamus sententiam beatißimi nostri Archi-Episcopi, & petimus vestrā Clementiam exspectare Præsidis nostri sententiam, quia eum in omnibus sequemur. Nam & sanctißimi Patres, qui in Nicæa congregati sunt, trecenti decem & octo hanc regulam dederunt, ut sequatur omnis Ægyptiaca regio Archi-Episcopum magni nominis civitatis Alexandrinæ, & nihil absque illo agatur ab aliquo ei subiacente Episcopo.* Ad quæ Eusebius Dorylæi Episcopus: *Mentiuntur.* Mansuetior & rectior fuit interlocutio Florentij Metropolitæ Sardensis: *Ostendant quod dicunt.*

Eos non fuisse mentitos lucidè ostendit professio, quam Arsenius Hypselitarum Episcopus, è Meletiano schismate ad sanam mentem & matrem catholicam traductus, cum suo Clero fecit sancto Athanasio, suo Patriarchæ, & quam in secunda adversùm Arianos Apologia probat & laudat ipse Athanasius: *Promittimus citra tuam Metropolitani,* id est, Patriarchæ, *Episcopi sententiam nullum de Episcopis aut alio dogmate communi & Ecclesiastico Decretum nos edituros, sed cessuros Canonibus ante susceptis.* Dum nempe nostri schismatis caput Meletius similem antiquorum Canonum servandorum professionem sancto Alexandro Patriarchæ fecit ex jussu Synodi Nicænæ. Est igitur antiquus Ægyptiacæ diœceseos Canon, ut nullus istic Episcopus quid ad fidem aut communem Ecclesiæ disciplinam spectans definiat, edat, aut subscribat, sine beneplacito Patriarchæ. Similem erga Romanum Pontificem pro Italiæ Episcopis fuisse legem & morem, est suo loco ostensum ex S. Petro Chrysologo Ravennatum Episcopo, & alijs insuper documentis. Suo item loco ostensum est, quod eas ipsas disciplinæ & Hierarchiæ leges, quas sanctus Petrus Romæ, discipulus

lus eius sanctus Marcus fixerit Alexandriæ. Et huc omninò respexit sextus Canon Nicænus, mandans Ægyptum, Lybiam, ac Pentapolim, omnem Ægyptiacam diœcesin administrari ab Alexandrino ad eam ipsam formam, quâ suburbicariæ regiones administrantur ab Episcopo Romano.

Dico, *Regiones suburbicaria*: Ita enim Canonem eruditè & verè exponit Ruffinus. In aliarum regionum, licèt Patriarchico suo juri subjectarum, Episcopos tantam potestatem exercere, idque ob distantiæ gratiam, nunquam voluit Romanorum Episcopus: Quisque istic Metropolita habuit suam Synodum, de fide definire & moribus in ipsa potuit, suos consecravit Provinciales Episcopos, ab ipsis consecratus, & quoad solam Pallij donationem à Pontifice pependit. Quæ omnia non fuerunt in Ægypto. Nullus istic Metropolita suos consecrabat Episcopos Provinciales, nullus ab ipsis consecrabatur, nullus facere poterat Provincialem Synodum: Spectabant cuncta ad solum Patriarcham. Nullam Ægypti Synodum recolo, nisi factam à Patriarchis. Et hinc illis fuisse *in creandis & diiudicandis Episcopis summam auctoritatem*, scripsit etiam in crudeli adversùs Frumentium Auxumeos Episcopum Edicto, relato in Apologia per sanctum Athanasium, Constantius Augustus. Et de rebus post præsentem Synodum actis atque agendis ad Leonem Augustum scripserunt speciales literas ex aliis diœcesibus omnes & singulæ Provinciæ, ex Ægypto autem sola Synodus Alexandrina Patriarchalis: Quod nempe illic solus Patriarcha jus Synodi obtineret.

Ista Romani Pontificis in Episcopos suburbicarios suprema potestas non fuit extraordinaria: Quod omnes Siciliæ, Calabriæ, Apuliæ, Campaniæ, Brutij, Piceni, & Thusciæ Episcopi ipsum haberent Metropolitam, spectantes ad eius consecrationem, Provincialem Synodum, cæteramque metropoliticam potestatem. Etenim Provinciales Episcopos olim sine prævio Metropolitæ judicio non potuisse de fide definire, liquet ex suffragio, quod de sancti Flaviani judicio dedit in præsenti Synodo Constantinus Demetriadis in Thessalia Episcopus: *Metropolita quidem meus ægritudine detentus adhuc in Helenopoli est, ego tamen secundùm fidem trecentorum decem & octo sapio, & consentio his quæ lecta sunt.* Pariforme suffragium dederunt omnes Episcopi veteris Epiri, quod eorum Metropolita Atticus à Synodo æger recessisset. Et suo pro Eutychete apud Ephesum suffragio addidit Eutychius ibidem Episcopus Adrianopolitanus: *Nam & sanctissimus Pater meus Atticus similia professus est.* Et Baruchius Zozusæ in Palestina Episcopus: *Secundùm veram vocem sanctissimi Archi-Episcopi*

Iuvenalis. Et in præsenti Synodo Menecrates Episcopus Cerasorum: *Hac eadem profiteor, qua & Metropolita meus.* Quâ potestate quia in omnes totius Ægyptiacæ diœceseos Provinciales & Metropolitas Episcopos pollebat Patriarcha Alexandrinus, rectè dixit Ruffinus ei à sexto Nicæno Canone in regulam & exemplar figi Romani Episcopi Patriarchicam potestatem, non quam in quolvis suarum diœceseon Episcopos, sed quam in solos suos suburbicarios seu comprovinciales exercebat. Quare Alexandrini potestas fuit veraciter amplissima.

Notandum, quod Constantinus Demetriadis, uti & veteris Epiri Episcopi, Metropolitarum suorum absentiam allegantes, sint nihilominùs suffragati. Quod nempe in generali, cui in Apostolicis Legatis & sanctus Petrus Apostolus, & ipse sanctus Jesu Christi Spiritus præsident, Synodo dormiat omnis Patriarcharum ac Metropolitarum potestas, præsertim absentium, aut vocatorum in reatum. Et hìnc istis tredecim Ægypti Episcopis, pertinaciter in sua exceptione persistentibus, eruditè respondit Acacius Ariarathiæ in secunda Armenia Episcopus: *Incongruum est universalem Synodum prætermittere, & in unam personam attendere, quæ susceptura est Episcopatum Alexandriæ. Intentio enim his est, sicut in Epheso perturbaverunt omnia, & scandalis compleverunt universum mundum, & nunc istam sanctam & magnam Synodum perturbare. Petimus ut non eis concedatur, sed aut consentiant Epistolæ, aut regularem damnationem suscipiant, & cognoscant quia excommunicati sunt.* Aliud æquè eruditum in ipsos argumentum protulit Photius Metropolita Tyriorum: *Quomodò conantur ordinationem facere, non eadem sapientes huic sanctæ & universali Synodo?* Etenim hæreticus aut de hæresi suspectus neque eligere potest Patriarcham, neque consecrare. Nullum eis esse in quovis Ecclesiastico conventu suffragium, rectè ad Eusebium Constantij Augusti Eunuchum dixit Liberius Pontifex, à sancto Athanasio in Epistola ad monachos laudatus. Et hìnc Photio Episcopi omnes acclamârunt: *Hac omnes dicimus, omnes sic sapimus.*

Hinc convicti Ægyptij produxère aliud argumentum: *Iam per petitiones vostras fidem manifestam fecimus, & non extra catholicam fidem credentes apparuimus. Quia verò Episcopi nostræ regionis nimis multi sunt, nos pauci, non possumus pauci numero personas illorum suscipere. Petimus autem vestram Sublimitatem, & hanc sanctam & magnam Synodum, ut misereamini nobis, & expectetis nostrum Archi-Episcopum, ut secundùm antiquam consuetudinem sequamur illius sententiam. Quia si extra voluntatem Præsidis nostri aliquid faciemus, sicut præsumptores, & non*

servan-

servantes secundùm Canones antiquam consuetudinem, omnes Ægyptiaca regiones insurgent in nos. Ergò misereminì nostra senectutis, & non faciatis nos in peregrinatione nostram vitam consumere. Et omnes isti Episcopi sese in terram prostravere, clamantes: *Clementes estis, miseremini nostri. Iam non possumus habitare in Provincia, miseremini nostri. Occidimur, miseremini nostri. Morimur per vestra vestigia, miseremini nostri. Moriamur à vobis, & non illic. Fiat hic Archi-Episcopus, & subscribimus, & consentimus. Miseremini canorum nostrorum. Detur hic Archi-Episcopus. Novit Dei amantissimus Archi-Episcopus Anatolius, quia talis consuetudo in Ægyptiaca regione obtinuit, ut omnes Episcopi obediant Archi-Episcopo Alexandria. Non quia non obtemperamus Synodo, sed occidimur in patria, Miseremini nostri.* Hasce preces in varias supplicandi formulas instantissimè iterârunt. Rectè in consuetudinis suæ testem adducunt Anatolium Patriarcham Constantinopolitanum: Etenim ille nuper sub Dioscoro fuerat Ecclesiæ Alexandrinæ Archi-Diaconus, & in Regia civitate Apocrisarius, proindèque peritissimus Ægyptiæ Hierarchiæ. Rectè item dicunt esse plurimos in Ægypto Episcopos. Etenim sancti Athanasij Synodis quandoque centum adfuisse legimus, & in sola Pentapoli fuisse grandem Episcoporum turmam scribit ad Theophilum Patriarcham Metropolita dictæ Provinciæ sanctus Synesius, Episcopus Ptolomensis. Rectè addunt; *Detur hic Archi-Episcopus.* Etenim Apostolicus Canon, Patriarchas in propria sede eligi mandans & consecrari, semper excepit Synodum generalem. Omnium generalium Synodorum prima Nicæna in sancti Philogonij Patriarchæ Antiochensis apud se defuncti locum suffecit sanctum Eustatium, Constantinopolitana promovit Flavianum Antiochenum & Nectarium Constantinopolitanum, & Anatolij Constantinopolitani & Maximi Antiocheni Ordinationem damnavit sanctus Leo, non quod factæ essent apud Ephesum, sed quod à latrocinio Eutychiano.

Epist.67.

Ad primum argumentum reposuit Cecropius Sebastopolitanus in prima Armenia Episcopus: *Vniversalis hac Synodus Ægyptiacâ regione maior est, ac fide dignior, & non est iustum decem hæreticos audiri, & prætermitti mille ducentos Episcopos. Non enim nunc nos exigimus, ut pro alijs suam fidem ostendant, sed dicimus ut ipsi pro sua persona recta fidei consentiant.* Addiditque Eusebius Dorylæi Episcopus: *Procuratores sunt isti omnium Ægyptiorum, & debent universalem Synodum sequi.* Ita ostendit paucos potuisse pro multis subscribere Epistolæ, & fidem profiteri. Ad secundum responderunt omnes simul Episcopi: *Videtis, quomodò testimonium perhibent suis Episcopis, dicentes,* QVIA OC-

CIDIMVR. Quæ omnia Responsa eò tendunt, ut ostendant istam Patriarchæ Alexandrini in suos Episcopos potestatem non vigere in Synodo generali. Quod ipsum confirmavit Lucentius Esculanus Episcopus, Romanæ Ecclesiæ Vicarius ac Legatus. Nihilominùs in potestate illa discutienda tempus absumi nolentes gloriosi judices illos tredecim Episcopos sub danda reali, aut certè juratoria cautione arrestârunt in Regia civitate usque ad factam novi Patriarchæ Alexandrini consecrationem, tunc sancti Leonis Epistolæ & cunctis synodalibus Actis subscripturos, aut de hæretica rebellione puniendos. Quod arrestum sanctus Paschasinus Legatus habuit ratum.

Etiam octodecim monachi, adserentes se esse Presbyteros & Archi-Mandritas, Principi exhibuere preces, & ab illo ad Synodum remissi postulabant audientiam, de qua gloriosi judices sunt interlocuti: *Nomina illorum, qui preces porrexerunt, manifesta fiant his, qui introierunt, reverendissimis viris, ut dicant si noverunt omnes esse Archi-Mandritas.* Erant homines Eutychiani, suspecti de consuetis hæreticorum imposturis, ideòque in synodalem conspectum sine examine non admittendi. Quidam omninò erant Archi-Mandritæ, at damnati de hæresi, quidam soli in monumentis habitabant, quidam solos tres aut quatuor sub se habebant monachos, quidam erant penitùs ignoti, atque ita Archi-Mandritæ orthodoxi, Synodo præsentes, dixere: *Rogamus aliquos mitti à vestra Magnificentia, & à vestra sancta Synodo, ut videant monasteria eorum, & discant si habeant monasteria, an deludant & noceant honoribus Archi Mandritarum, & amodò debent accipere disciplinam, ut non se dicant Archi Mandritas, qui in monumentis habitant. Petimus etiam, ut & illi, qui se dicunt esse monachos, & non agnoscuntur, nec à vestra Magnificentia, nec à sanctissimo* Regiæ civitatis *Archi-Episcopo* Anatolio, *nec à nobis, exeant de civitate sicut impostores, propter scandalum quod conati sunt facere.* Quid sit in monumentis habitare, exponit horum monachorum libellus, dicens ipsorū quosdam in monasterio, quosdam habitare in Basilica martyris. Quidam soli, quidam cum tribus aut quatuor fratribus habitabant ad aliquam rusticam Ecclesiam aut Capellam, quas propter reconditas alicuius martyris in ipsarum altari reliquias rectè antiquitas vocabat monumenta: Pauculos istos monachos nolebat monasterium, nec ipsorum Præfectum vocare Archi-Mandritam. Archi-Mandritæ nomen apud posteriores Græcos fuit adeò venerabile, ut antiqua Patriarchæ Constantinopolitani creandi formula, per Codinum & Phranzes Græcos Scriptores laudata, distinguat Monasteriorum Præfectos & Archi-Mandritas, & hosce præponat Proto-Syncellis:

Quod

Quod nempe iste titulus daretur solis plurium monasteriorum supremis Præfectis, quales apud nos Latinos sunt Regularium Ordinum Antistites Generales aut Provinciales. Parva ista, in campis præsertim, monasteria, à nobis Latinis dicta Prioratus, Cellas, Obedientias, pessimè odit etiam sanctus Bernardus. Rectè tamen in Romana sua Synodo, per D. Lucam Holstenium vulgata, dixit Eugenius secundus Pontifex: *Cœnobia, vel, ut hoc tempore nuncupantur, monasteria.* Caussam dat in Collatione de tribus monachorum generibus Joannes Cassianus: *Licèt à nonnullis soleant indifferenter monasteria pro cænobijs appellari, tamen hoc interest, quòd monasterium potest etiam unius monachi habitatio nominari, cœnobium autem appellari non potest, nisi ubi plurimorum cohabitantium degit unita communio.* Cap. 27.

Orthodoxorum Archi-Mandritarum postulatio requirebat largum tempus, Synodo importunum, ideòque illam neglexerunt gloriosi judices, interlocuti: *Intrent reverendissimi monachi, qui petitiones porrexerunt.* Et intrârunt octodecim precibus subscripti, ac insuper Barsumas, famosus Dioscori in Ephesino latrocinio satelles & turbo, nec non nescio quis eunuchus & Presbyter Calepodius, adversùs quem intercessit Anatolius Episcopus Constantinopolitanus: *Calepodius & Gerontius*, unus ex octodecim, *qui inter eos Presbyteri sunt, olim damnati sunt, & non licet eis intrare.* Eum de hæresi damnatum adfirmavit Ætius Archi-Diaconus Constantinopolitanus. At ille negavit, & exire noluit, omissâque hâc quæstione gloriosissimi judices jusserunt monachorum libellum recitari.

Fidem & Ecclesiam turbatam querebatur libellus, de indicta pacificatura Synodo egit gratias Imperatori Marciano, habebatque duas petitiones. Prima erat: *Vacent turbationes, & subscriptiones quæ per violentiam fiunt, & persecutiones quæ semper à Clericis contra nos exercentur, quas & conantur facere latentes vestram Pietatem.* Dogmaticas sancti Leonis literas, à Dioscoro apud Ephesum spretas & occultatas, per omnem Orientem publicabant orthodoxi Episcopi, omnem Clerum & Monachatum cogentes ad ipsas profitendas & subscribendas. Hanc violentiam compesci postulat libellus, & vetusto Clericorum in monachos odio adscribit. Reverà enim Clerici in monachos semper habuêre quid simultatis, de qua queritur frequenter etiam S. Hieronymus, nec non & in S. Fulgentij vita Ferrandus Diaconus Carthaginensis. Altera petitio erat: *Petimus Divinitatem vestram, iam neminem iactari à suo monasterio, nec ab Ecclesia, neque à Basilica martyris, usque ad sanctum Synodi iudicium.* Clericos omnes & monachos, laudatas literas profiteri recusantes, Episcopi degradabant, eijciebant-

que de Ecclesijs & monasterijs: Hanc etiam compesci violentiam supplicat libellus, darique inducias usque ad futuram Synodum, quod ipsum pro sancto Flaviano, & alijs orthodoxis Episcopis, ipsaque Christianâ fide, per Ephesinum latrocinium læsis, à Theodosio Augusto postulârat, at non impetrârat sanctus Leo Pontifex: Atque ita ad similes hæreticorum preces surdus meritò fuit Marcianus Augustus.

Hìnc ad easdem in præsenti Synodo reposuit Diogenes Metropolita Cyzicenus: *Barsumas, qui inter illos intravit, occidit beatum Flavianum. Ipse instabat, & dicebat:* OCCIDE. *Et non est positus in petitionibus. Quare introivit?* Solos namque libello subscriptos gloriosi judices permiserant introire. Diogeni acclamârunt Orientales Episcopi: *Omnem Syriam Barsumas evertit. Duxit super nos mille monachos.* Quæ omnia gloriosi judices dissimulantes, eos ad Synodo obediendum, & orthodoxam fidem ab ipsa discendam fuere adhortati; at frustra. Etenim factionis capita Carosus & Dorotheus produxere & alias preces, atque dixere: *Rogamus, ut recitetur libellus, qui à nobis offertur.* Verùm Episcopi in Barsumam perrexerunt: *Homicidam Barsumam mittite foras, Homicidam in arenam. Anathema Barsumæ. Barsumam in exilium.* Eum clamant ad arenam, id est, ad campum sceleratum, aut ad amphitheatrum, in quo homicidæ consueverant feriri gladio, aut ad bestias pugnare. Nihilominùs gloriosi judices sunt interlocuti: *Libellus recitetur.* Recitavit Constantinus sacri Consistorij Secretarius.

Habebat capita varia. Primò, de precum tarditate & sero ad Synodum adventu excusat supplicantes, quod communem omnium Patrem Carosum, sine quo fieri nihil licuit, Marcianus Augustus non nisi se præsente jussisset Synodum accedere. Secundò, omnia Synodi Acta rogat consequenter seu secundùm Canonum consequentiam procedere, atque ita sanctissimum Archi-Episcopum Dioscorum, & ipsi communicantes sanctissimos Episcopos, perperàm degradatos, reparari ac restitui in integrum, fieri novum fidei examen, & omnia huc usque judicata ad incudem revocari. Quæ cùm legerentur, Episcopi exclamârunt: *Anathema Dioscoro. Dioscorum Christus deposuit. Istos foras mitte. Tolle iniuriam à Synodo. Petitiones istas à Synodo audiri non licet. Illum, qui damnatus est ab omni Synodo, Episcopum nominare ausi sunt. Regulæ quare calcantur?* Reclamârunt & Archi Mandritæ. *Tolle iniuriam à monasterijs.* Utique injuriam iam memoratam. Hìnc gloriosi judices interposuerunt: *Sine præiudicio recitetur libellus.*

Eius

Eius tertium caput erat: *Pyssimus Imperator noster, ex quo congregare hanc Synodum constituit, pollicitus est nobis confirmari hanc tantum expositionem fidei trecentorum decem & octo sanctorum Patrum, & nihil aliud ante hoc moveri, vel fieri.* Nequissimi Eutychianistæ ex solo Nicæno Symbolo, utpotè ad ipsorum errores faciliùs versatili, judicari volunt, facta per Synodum Constantinopolitanam additamenta detestantur, uti damnata per Ephesinum Canonem, libello subitò adnexum. Aiunt Dioscorum ad hæc omnia paratum, ideoque datas in illum sententias debere incidi, & caussam de novo inchoari. Concludit libellus: *Si contra hæc, quæ tam consequenter requirimus, vestra nititur Reverentia, & velit auctoritate uti, quæ contraria est utilitatibus, testamur Dominum Christum, & pyssimum Imperatorem, & magnificentissimos iudices, & amplissimum Senatum, & vestram conscientiam, & vestes nostras excutimus, & extra vestram communicationem nos efficiemus. Non enim patimur, Symbolo fidei trecentorum decem & octo recusato, communicatores fieri eorum, qui hoc respuunt.*

Temerariam ac desperatam hæreticorum monachorum audaciam Synodus obstupuit, & adversùs illam Ætius Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archi-Diaconus produxit & legit quintum Canonem Antiochenum, mandantem ut Presbyter aut quivis Clericus, à sui Episcopi communione sese in parasynagogam separans, secundò revocetur ad unitatem & gratiam, contumax extra omnem reparationis spem degraderur, & tamquam seditiosus *per laicas potestates compescatur.* Et cuncti Episcopi acclamârunt: *Hæc iusta regula, hæc regula Patrum.* Eam innovavit atque ampliavit Synodus octava. Ex eadem monachos rogârunt gloriosi judices: *Secundùm vestram petitionem, contradicentibus reverendissimis Episcopis, oblati à vobis libelli relecti sunt; dicite igitur, si vultis dogmatibus totius sanctissimæ Synodi consentire.* Reposuit Archi-Mandrita Carosus: *Fidem trecentorum decem & octo Patrum, qui convenerunt apud Nicæam, in qua & baptizatus sum, novi. Ego aliam fidem nescio. Episcopi sunt, potestatem habent, & excommunicare & damnare, & quidquid volunt, potestatem habent. Amplius ab hoc ego aliud nescio. Me sanctus Theotimus in Tomis baptizavit: Iussit mihi nihil aliud sapere.* Et reliqui omnes, Ephesinum adversùs additamenta Canonem laudantes, Archi-Mandritæ & monachi: *Et nos eadem dicimus.* Nec aliud ab ipsis potuit extorqueri. Induci non potuere ad Eutychetem anathematizandum. Quin & laudatum Ætium, inducere conantem, convitijs & contumelijs prosciderunt.

Exindè lectus est octodecim orthodoxorum Archi-Mandritarum in illos libellus, hæc habens capita. Primò, Marciano Augusto agit

gratias, quod Eutycheten, blaſphemum Eccleſiæ turbinem, juxta ſancti Leonis preces deportaſſet in loca deſerta. Secundò, doctos ab Eutychete monachos accuſat duriſſimæ in erroribus pertinaciæ, quâ ſancti Leonis Epiſtolam uſque hodie recuſant profiteri. Tertiò, rogat facultatem eos uti hæreticos iuxta monaſticam diſciplinam caſtigandi, & de monaſterijs, ubi quaſi efferatæ in ſpeluncis belluæ Chriſtum Dominum blaſphemare non ceſſant, eijciendi. Eos efferatis belluis fuiſſe pejores, docent facinora ante & poſt Synodum in Syria, Paleſtina, atque Ægypto, ab ipſis adversùs Juvenalem præſertim Hierosolymæ, & ſanctum Proterium Alexandriæ Epiſcopum patrata.

Libello repoſuit Dorotheus Archi-Mandrita Eutychianus: *Quoniam Eutychen dicunt, quia ante unitionem duas naturas dixit, & unam naturam poſt unitionem, & anathematizant eum ſicut hæreticum, paßim ubique propoſitiones poſuit Eutyches, & veſtra Magnificentia audivit quæ ſunt ab eo propoſita, quia orthodoxus eſt is homo, & fit ei calumnia.* Et glorioſis judicibus rogantibus, *Eutyches ait quod corpus Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti non fuit noſtræ ſubſtantiæ, tu de hoc quomodò confiteris,* denuò reſpondit: *Baptizati ſumus confitentes Salvatorem noſtrum Ieſum Chriſtum, qui deſcendit, & incarnatus eſt ex ſancta Virgine Maria, qui inhumanatus eſt, & crucifixus pro nobis. Hunc ex Trinitate eſſe fatemur. Credimus illum paſſum ex Trinitate eſſe. Et aliam fidem non novimus.* Hoc loco quidam Joanni Maxentio & alijs Schytiæ monachis, adſertæque per ipſos propoſitioni, *Vnus è Trinitate eſt paſſus*, adverſati ſub Juſtini ac Juſtiniani Imperio, fuerunt abuſi, aientes ipſam eſſe manifeſtè Eutychianam, & ab Eutychianis monachis in præſenti Synodo adductam uti palmare impietatis fundamentum. At longè aliter Ferrandus Carthaginenſis Eccleſiæ Diaconus in literis ad Anatolium Diaconũ Cardinalem Eccleſiæ Romanæ: *Rectè dicitur,* QUIA UNUS E TRINITATE EST PASSUS. *Nec movere quempiam debet, ſi hanc ſententiam Eutychetis protulit Apocriſarius in Chalcedonenſi Concilio. Sæpè etiam per ignorantes loquitur veritas. Patres autem noſtri in Concilio poſiti ſenſum loquentis, non verba conſiderantes, nec illum propter hanc ſententiam pronunciarunt Catholicum, nec ipſam ſententiam Catholicis tunc inſerere definitionibus voluerunt, ne viderentur intellectum potiùs loquentis approbaſſe, quam verba.* Propoſitionem multis propugnat. Fuiſſe à Synodo Nicæna, S. Athanaſio, S. Dyoniſio Alexandrino, ipſiſque Apoſtolis traditam, eſt ſuprà oſtenſum.

Quocircà in Dialogo, *Impaßibilis*, Theodoretus ipſam à Nicæna Synodo traditam negans, excedit. Eſt ex illis, qui inter haſce propoſitio-

ſitiones, *Chriſtus eſt paſſus*, & *Deus eſt paſſus*, diſtinguentes voluere ſolam primam uſitatam ab Apoſtolis, & à nobis uſitandam. At certum eſt ſalli. Nihilominùs quod adversùm Eutychianiſtas, ſuo tempore graſſantes, & poſteriori propoſitione nequiter abutentes, ita locuti ſint, veniâ digni ſunt, immò & laude. Dico de illis, quod de Antiochena Synodo, vocem *Conſubſtantiale* adversùm Arianos à Nicæna Synodo probatam improbante adversùm nugas Pauli Samoſatenſis, ſcribit in Epiſtola de Synodis Ariminenſi ac Seleucienſi ſanctus Athanaſius: *Neque hos* Antiochenæ, *neque illos* Nicænæ Synodi Patres *fas eſt culpare. Omnes enim Chriſti curam geſſere, ſtudiaq; ſua contra hæreticos intenderunt. Et hi quidem Samoſatenſem, illi verò Arianam hæreſin condemnârunt. Bene ergo & hi & illi pro ſubiecta materia ſcribunt.* Et infrà: *Si aliqui ex Patribus ad iſtum, alij ad alium de* CONSVBSTANTIALI *modum diſſeruerunt, nobis tamen ob id contentioſè agendum non eſt, ſed cum pietate eorum dicta excipere debemus, eò quod præcipuè ſua ſtudia ad pietatem referebant.* Omnes eſſe dicit probatos Eccleſiæ Patres, quos abſit ut inter ſe committamus. Uti tamen Antiochenæ Synodum Nicænam præferre nunc oportet, & vocem *Conſubſtantiale* nullo pacto negare; ita nec hãc propoſitionem, *Deus eſt paſſus*, iam pridem in judicio contradictorio probatam ab Eccleſia Romana.

Rectè autem in ſeptimo decimo adversùm hæreticos libro, exſtante apud Photij Bibliothecam, laudatus Theodoretus improbat hanc propoſitionem: *Verbum eſt paſſum per carnem.* In adducto dialogo improbat & hanc: *Deus eſt paſſus carne.* Eam æquat huic: *Anima carne moritur.* At non penitùs rectè. Etenim priorem propoſitionem damnat etiam in oratione de ſalutari Domini adventu adversùs Apollinarium ſanctus Athanaſius, aiens eſſe blaſphemiam Arianam; ſecundam omninò probat. Eamdem in libris ad Trazamundum Wandalorum Regem probat ſanctus Fulgentius, damnatque hanc: *Divinitas eſt carni compaſſa.* Etiam hanc: *Deus eſt paſſus cum carne.* Etenim carni compati, cum carne aut per carnem pati eſt carnis paſſioni occurrere, & cum illa unam ſenſationem componere, definitam à ſancto Auguſtino: *Senſatio eſt paſſio carnis nonlatens animam.* Quod eſt longiſſimum à Deo Verbo. Ipſum tamen fuiſſe paſſum per hominem ſuum ſcribit in primo adversùs Parmenianum libro ſanctus Optatus Epiſcopus Milevitanus.

L. 46.

L. 3. c. 11. 12. 19.

Redeamus ad Dorotheum Archi-Mandritam nequiſſimum, Synodo roganti, *Subſcribis Epiſtolæ* ſancti Leonis, *au non*, impudenter reſpondentem: *Ego in Baptiſma*, ſeu in Nicænum Symbolum in Baptiſmate exigi conſuetum, *credo, Epiſtolæ autem non ſubſcribo.* Et glorio-

riosis judicibus rogantibus, *Cùm pyßimus noster Imperator & magnificentißimos iudices & amplißimum Senatum ad vos destinavit, promisistis non contradicere his, quæ à sancta Synodo promulgantur, quare igitur in præsenti non consentitis*, reposuit pari impudentiâ: *Tunc nos locuti sumus Iudicibus & Senatui, & intùs intrantes rogavimus Imperatorem, ut hæc Synodus confirmaret fidem trecentorum decem & octo Patrum, in qua baptizati sumus, unà cum definitione, quæ ab ipsis Patribus apud Ephesum definita est.* Judicari voluit ex solo Nicæno Symbolo, & Constantinopolitana eius additamenta haberi ut per Ephesinam Synodum damnata. Pertinaciam admirati & miserati gloriosi judices sunt denuò interlocuti: *Quia Divinißimus Imperator noster pius est, & nos intentionem eius sequimur, si vultis, inducias duorum aut trium dierum ad cogitandum accipite (hoc enim ut vobis concedatur, nos petimus sanctam Synodum) ut recogitantes confeßionem sanctorum Patrum sequamini.* Et rursùm reddidit contumax Dorotheus: *In fide permaneo trecentorum decem & octo Patrum, in qua & baptizatus sum, & in definitione Ephesia, & aliud aliquid non dico.* Et eius collega Carrosus: *Hic sum, quid opùs habetis duos aut tres dies sustinere? Ecce modò, si vultis aliquid facere, potestatem habetis.* Quare de ipsorum correctione desperantes gloriosi judices concluserunt Actionem: *A sanctâ Synodo formula dabitur.* Ex quo vides gloriosos judices fuisse meros judicialium Decretorum testes & executores, sine ulla judiciali potestate.

Quare Alexandrum Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyterum & Circuitorem, seu visitatorem, ad Principem legavit Synodus, rogaturum quid de pertinacibus monachis placeret suæ Majestati. Visitatoris officium describit antiqua notitia dignitatum Ecclesiæ Constantinopolitanæ: *Visitator perambulat, & prædys, qui fidem orthodoxam amplexuri sunt.* Etiam Carosus, Dorotheus, & Barsumas sibi ipsis non defuere. Accesserunt & ipsi Principem, Synodum accusantes prævaricationis, rogantesque eum adesse, ipsorum cum Episcopis disputationes auditurum & judicaturum. Verùm non Reges de Episcopis, sed Episcopi de Regibus debent in fidei negotio judicare. Est Evangelica regula per sanctum Ambrosium laudata. Ex eadem hæreticos & turbulentos monachos nec videre voluit Augustus Marcianus, sed per laudatum Presbyterum Alexandrum & Joannem Decurionem respondit: *Si voluissem ego sedere inter vos atque alios monachos, & audire inter utrosque vos, non huc sanctam & universalem Synodum fatigassem. Sed cùm ipsi propterea adfuissent, ac nos de vobis certiores fecissent, dixi ut & vos adessetis, & ea quæ nescitis cognosceretis, & interrogando ea, quæ non nostis, disceretis ab eis.* Iustum

ig-

igitur decrevimus, vos ad Concilium abire. Nam quidquid definierit sanctum & generale Concilium, & mihi in scriptis dederit, ea sequor, iis contentus sum, eis fidem habeo. Ad hoc habetis, nec aliud a me responsum accipitis. Quod Christiano Principe dignissimum verbum insigniter confirmavit in nostræ Synodi confirmatorio Edicto ad cives Constantinopolitanos: *Verè impius atque sacrilegus est, qui post tot* Chalcedone congregatorum *Sacerdotum sententiam opinioni sua aliquid reservavit.* Quod ipsum verbum eximiè & meritò laudat, ac Justiniano Augusto in exemplar figit Facundus Episcopus Hermianensis.

Quibus omnibus lectis & auditis, hæreticos & turbidos monachos apud Synodum de tribus accusavit Ætius Archi-Diaconus Constantinopolitanus. Primò, quod Dioscorum à generali Synodo degradatum essent ausi Episcopum appellare. Secundò, quod eamdem Synodum prævaricationis apud Principem infamassent. Tertiò, quod Principem à publicis Imperij curis devocassent ad audiendas suas pro hæresi disputationes. In ipsos legit, & executioni tradi petijt octuagesimum tertium & octuagesimum quartum Canones, mandantes degradatum Episcopum ministerio se ingerentem, & Clericos à proprij Episcopi communione in parasynagogam sese sequestrantes excidere omni reparationis spe, & per laicas potestates compesci. Sunt quartus & quintus Canones Antiocheni: Istius enim numeri locum obtinent in codice Canonum Ecclesiæ universæ. Adeò antiqua est ista collectio, quam proindè Hincmarus Remensis Episcopus non penitùs malè dixit à præsenti Synodo probatam. Eam aliqui congestam putant à Stephano Ephesiorum Episcopo, qui Synodo huic interfuit, & de suo Episcopatu cum Bassiano litigavit. At quoniam in Canonibus Constantinopolitanis finiebat collectio, videtur esse antiquior. Cur enim Ephesinos Canones Stephanus omisisset? Eam tamen fecisse potuit adhuc Clericus ante Synodum Ephesinam.

Insolentes monachi Synodo non aderant. Etenim adversùm eorum collegas Calepodium & Gerontium rectè suprà dixit Anatolius Episcopus Constantinopolitanus: *Olim damnati sunt, & non licet eos intrare.* Et ad cunctos gloriosi judices: *Contradicentibus Episcopis, oblati à vobis libelli relecti sunt.* Pertinacem Hæreticum non admitti ad Synodi conspectum, est vetus Ecclesiæ regula, cuius rigorem in hosce monachos servare voluerant Episcopi, gloriosi autem judices ex bona de ipsis spe persuaserant dispensandum. Ex eadem Theodorum Crithinum, pertinacem Iconoclastam, reiecit, pertinacem autem cum suis asseclis Photium dispensatoriè ex caussis admisit Synodus octava.

va. Prima horum monachorum citatio facta fuit die quinto decimo Octobris, comparuerunt autem die decimo septimo, & oblatas aliquot dierum inducias contempsere. Maternam tamen miserationem induta Synodus eis triginta dierum, à dicto quinto decimo Octobris usque ad quintum decimum diem Novembris, fecit deliberandi inducias, tunc iuxta adductos Antiochenos Canones omninò castigandis. Acta hæc sunt tertio decimo Kalendas Novembres, triduo post Actionem quartam. Synodi Digestor omnia, utpotè appendicem, congessit in eamdem quartam Actionem.

ACTIO APPENDIX,

Iudicans caussam Photij Tyriorum Metropolitæ adversùs Eustatium Episcopum Berytensem.

EOdem die discussa ac definita dicitur lis de jure metropolitico inter Photium Tyri Episcopum, primæ Phæniciæ Metropolitam, & Eustatium in eadem Provincia Episcopum Berytensem. Acta hæc fuisse post Actionem sextam dixi superiùs in dissertatione, nec sine fundamento; aliud tamen suadere videtur hæc Eustatij intercessio ad gloriosos judices: *Pijßimus Dominus noster Imperator fidei caußâ nos hic congregavit, ac iubete ante omnia subscribi definitionem, ut priùs quæstio fidei absolvatur. Quod si de mea quoque caussa iubetis nunc quæri, non sum in mora, sed protinùs respondebo.* Lucet hæc agi cœpta ante fidei definitæ subscriptionem & Actionem sextam: Tertiò decimò Calendas Novembres fuisse completa, palàm habent, nisi viciata sint, Acta synodalia. Res est incerta.

Ex vetusto per sextum Nicænum firmato Canone, Berytensis Ecclesia est suffraganea Tyriæ, per maritimam seu primam Phæniciam metropolitanæ. Dum Ibæ Edesseni caussa Photio & Eustatio, iam contendentibus, per Theodosium Augustum delegata fuit, Eustatius palàm adhuc erat Provincialis Episcopus, proindèque hæc omnis novitas est fętus latrocinij Ephesini, ubi è primoribus Dioscori satellitibus fuerat Eustatius, atque ita præsentem Tyriæ metropoleos injuriam à dicto Theodosio per Chrysaphium Eunuchum circumducto in facinoris mercedem est consecutus. Principis beneficium confirmavit Constantinopolitana Anatolij Episcopi Synodus, de qua Eustatius: *Concilium reverendißimorum Episcoporum factum est*

Con-

Constantinopoli, ac data definitio est, cui etiam Maximus reverendissimus Episcopus Antiochia subscripsit. Et infrà: *Vestram Potestatem & sanctam Synodum doceo, quod nunc non allego, ut omninò capiam, sed ut vobis persuadeam, quod calumniatus est me. Neque enim ego religiosissimo Imperatori preces obtuli, ut Berytum metropolim faceret. Nec verò ego civitates divisi, sed sancta divisit Synodus.* Et Maximus Patriarcha Antiochenus: *Charta mihi allata est, qua habebat subscriptionem sanctissimi Archi-Episcopi Anatolij, quem ego sequens subscripsi.* Et infrà: *Eram Constantinopoli, cùm verò Concilium de hoc haberetur, non adfui, sed mihi charta allata est, & subscripsi.* Non ad suas ambitiosas preces, sed gratioso Principis motu civitatem suam fuisse exaltatam Eustatius adseverat.

Legem exaltatricem, donatam hâc titulari Epigraphe, *De metropoli Beryto*, codici suo Justinianus Augustus inseruit: *Propter multas, iustasq́ caussas metropolitano nomine ac dignitate civitatem Berytum decernimus exornandam, iam suis virtutibus coronatam. Itaque hac quoque metropolitanam habeat dignitatem. Tyro nihil de iure suo derogetur. Sit illa mater Provincia Maiorum nostrorum beneficio; hac nostro: Et utraque dignitate simili perfruatur.* Jacobus Cujacius & Dyonisius Gotofredus addunt Scholion: *Metropoles dua in Syria Phanice Berytus & Tyrus; ut in Ponto Amasaa & Casaraa, & in Cappadocia Casaraa & Tyana.* Labuntur variè. Etenim Phæniciam maritimam, quod Ponto Constantinus & Cappadociæ fecit Valens, civiliter non divit Theodosius, atque ita non potestatem, sed solam vacui nomiuis dignitatem metropoliticam multiplicavit. Ipsa legis verba palàm id profitentur. Etiam posterioribus temporibus nequijt in gradum altiorem proficere Berytus. Etenim à Justiniano nihil augmenti accepit, & à recentiori Provinciarum ac Episcopatuum ad Antiochenum Patriarchatum spectantium notitia, per Guilielmum Tyri Archi-Episcopum producta in libris de bello sancto, dumtaxàt locatur inter octo per se stantes, seu solius nominis & honoris Metropoles. L.11.tit.21. L.12.c.14.

Theodosiane legis motivam rationem conjecturo ex Synodo Tyria in caussa Ibæ Edesseni, Berytum vocante Romanam Coloniam, & pulchram civitatem, laudanteq́ue novum ejus Episcopium & novam Ecclesiam. Huc enim respiciunt hæc legis verba de Beryto: *Iam suis virtutibus coronatam.* Episcopium & Ecclesiam Eustatius aut ædificarat aut perfecerat, atque ita à Principe meruerat nomen metropoleos ac Metropolitę. Verũ sine Suffraganeis ac potestate, & citra omnem Tyriæ metropoleos injuriam aut mutilationem. Ampliùs enim tunc ab Augusto Principe dari non potuisse, est suo loco ostensum.

Ex advenis Constantinopolim Episcopis nescio quam Synodum fecit

interim Anatolius, à qua metropoliticam quoque potestatem donari, adsignariq́ue suffraganeas civitates flagitavit Eustatius, atque obtinuit Biblon, Botryn, Tripolim, Orthosiadem, Arcas, & Antaradon. Erat res ardua, sine Patriarchæ Antiocheni beneplacito non attentanda, atque ideò Maximus, licèt non Synodo, tamen in Regia civitate præsens, inductus est ad assentiendum & subscribendum. Ab Ephesino latrocinio ordinati Anatolius & Maximus ab Episcopatu suspensi tunc hærebant extra Romanæ Ecclesiæ communionem & gratiam, atque ita Chrysaphij cogitationibus in nullo præsumebant obviare. Obvìavit Photius, avitam consuetudinem, Apostolicosq́ue & Nicænos Canones dicens subverti non posse à quavis Synodo, dictisq́ue civitates pergens uti Metropolita quoad judicia & Episcoporum consecrationes administrare. Et hìnc factum est quod queritur Photius: *A me* Episcoporum *ordinatio* in vacantibus istarum civitatum cathedris *facta est, cùm iuxta vetustum ordinem qui de mea Provincia sunt mihi adessent, atque indè primùm mihi absenti missa est excommunicatio, & mansi excommunicatus centum viginti duos dies, & duos rursùm ordinavi Episcopos. Eos deposuit Eustatius, Presbyterosq́; fecit.* Quousque vixit Theodosius, violentiæ huic, tamquam synodali per suum Patriarcham comprobato Decreto, parere compulsus fuit Photius, at post eius mortem preces mox obtulit Marciano Augusto, easq́ue Princeps ad præsentem Synodum transmisit, caussam Ecclesiasticam mandans, non secundùm leges aut pragmaticas Sanctiones, sed secundùm Canones definiri.

Hìnc ante omnia ad Synodum nostram ex gloriosorum judicum interlocutione lectus fuit libellus iste Photij, habens capita varia. Primò, dicit Tyriorum Ecclesiam & per immemorialem consuetudinem, & per Canones fuisse totius Phæniciæ maritimæ semper metropolitanam cum plena quoad judicia & consecrationes potestate. Secundò, queritur de Eustatio Berytensi Episcopo, suo suffraganeo, quod quorumdam comprovincialium Collegarum favore adjutus, à Theodosio nuper Augusto impetrârit Rescriptum, quo mox sese cæperit ostentare novum Phæniciæ Metropolitam. Tertiò, quod Synodicum, seu synodale Anatolij Episcopi Constantinopolitani Decretum, acceptandum & subscribendum sibi miserit, recusanti minatus excommunicationem. Et hìnc ex Regiæ jussionis metu compulsus subscripsit Photius, protestatus omnia hæc adversari Canonibus, & nihil valere: Atque ideò cassari nunc supplicat, & suæ sedi avita privilegia reparari. Eustatij fundamentum fuisse videntur hæc Rescripti verba: *Vtraque metropolis dignitate simili perfruatur.*

Hìnc

Hinc non solum nomen, sed & metropoliticam potestatem & Provinciæ civitates credidit sibi æqualiter cùm Photio communicanda & dividenda.

Lecto libello gloriosi judices sunt interlocuti: *Quid ad hac allegat reverendissimus Episcopus Berytiorum Eustatius?* Et ipse: *Iubete Photium dicere, utrùm secundùm Canones moveat, an secundùm leges.* Quod enim à pragmatico Principis Rescripto esset nata ista novitas, & quod non Synodo, sed Marciano Augusto Photius supplicasset, sperabat Eustatius ex legibus acturum, atque ita faciliùs circumducendum & intricandum. At Photius respondit: *Adij religiosissimum Imperatorem, ut sedes Tyriorum sua iura adipisceretur. Quod autem vetustum morem studuerit evertere Eustatius religiosissimus Episcopus, interrogentur Domini & sanctissimi Episcopi. Ego enim à regulis non discedo, nec volo typos Patrum evertere, sed postulo ne illa iura evertantur.* Ait non judicij accipiendi caussa, sed pro mera Canonum reparatrice observantiâ imploratum à se Principem, & se nequaquam secundùm leges, sed secundùm Ecclesiasticas consuetudines & Canones velle judicari. Ad quod gloriosi judices: *Sacratissimo Domino orbis placuit, non iuxta sacras literas aut pragmaticos typos res sanctissimorum Episcoporum procedere, sed iuxta regulas à sanctis Patribus latas. Omni igitur cessante è sacris Pragmaticis definitione, Canones de hoc Capitulo editi legantur.* Et universa Synodus: *Contra regulas nihil Pragmaticum tenebit. Regulæ Patrum teneant.* Quocircà à Patrum suorum vestigijs plurimùm deviârunt recentiores Græci, de quibus in Scholijs ad Photij Nomo-Canonem Theodorus Balsamon: *Scias, quod nonnulli dixerunt, idq; in præsentia sancti nostri Imperatoris, Canones non debere valere quando adversantur legibus, propterea quod ante legum repurgationem illi conscripti sunt, atque ita Canones, qui cum legibus non conveniunt, otiosos esse.* Rectiùs ipse Theodorus: *Canones maioris auctoritatis sunt, quam leges.* Etenim in lege novella ad Petrum officiorum Magistrum Justinianus Augustus sacris Canonibus legis auctoritatem donat, & scribit: *Canones ut leges custodimus.* Præsertim in rebus L. 131.
Ecclesiasticis, de quibus leges nihil valent disponere.

Et hinc tamquam profanus ad laicæ potestatis violentiam refuga, & manifestus Canonum prævaricator tractari metuens Eustatius, ante Canonum lectionem intercessit apud gloriosos judices: *Per vestigia vestra, quoniam calumniatus est me Photius, quasi studio fecerim. Obsecro sanctum & universale Concilium satisfactionem accipere, quod nihil per me actum est. Neque enim ita audax fuissem, ut Patrum regulis adversarer.* Dixit Berytum benefico Principis motu profecisse in

metropoleos nomen & honorem, potestatem autem & civitates fuisse adsignatas à Synodo, confirmata omnia per Maximum Patriarcham, atquè ita nullum hìc esse suum crimen.

Erat perplexa facti species, subjectaque dubijs per gloriosos judices propositis. Primum erat: *An liceat ex sacro Pragmatico aliena Ecclesiæ iura ab alijs Episcopis averti?* Secundum erat: *Licueritné sanctißimo Archi-Episcopo Anatolio, absenti reverendißimo Episcopo Photio excommunicationem mittere, ac iubere ut ei certæ Ecclesiæ in Provincia auferrentur?* Tertium erat: *An Synodum appellare oporteat conventum Episcoporum, qui in Regia civitate diversantur?* Ad primum respondit universa Synodus: *Non licet hoc facere, est præter regulas.* Et talem potestatem sibi non arrogabat Pragmaticum, Beryto dans nudum metropoleos nomen, disertèque vetans Tyri privilegia mutilari. Ad secundum Atticus Zelensis in Helenoponto Episcopus respondit: *Absentem nemo damnat.* Quod unanimi acclamatione omnes Episcopi confirmârunt. Et hunc unicum excusationis fucum scivit Anatolius prætexere: *Photius quadam egit nullo more atque ordine. Hinc indignata Synodus, & iuxta regulas commota, excommunicationem ei misit.* Reposuit verò Eunomius Nicomediensis Episcopus, Bythiniæ Metropolita: *Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumq́ defensionis accipiat ad diluenda crimina.* Ad tertiũ respondit Tryphon Chy in insularũ Provincia Episcopus: *Synodus appellatur, & conveniunt Episcopi, & laborantes aliquâ oppreßione sua iura nanciscuntur.* Quod pluribus confirmavit Anatolius, sese expurgans adversùm illos, qui Synodos istas arguebant novitatis. Earum auctoritatem alibi exposui. Poterant de solis ad suam diœcesin spectantibus rebus judicare. Quare sextum Nicænum Canonem, peregrina judicia vetantem potuerat Photius adducere: Quid enim Thracicæ Synodo cum prima Phœnicia, Provincia diœceseos Orientalis? At exceptioni peremptoriæ obicem posuerat Maximi Patriachæ consensus.

Hìnc quartum Nicænum Canonem, qui unicum in quavis Provincia mandat esse Metropolitam, & ab illo consecrari aut confirmari omnes Provinciales Episcopos, legi postulavit Photius, & ad gloriosorum judicum interlocutionem legit Atticus Nicopolitanus Episcopus, Metropolita veteris Epiri. Photium Canon insigniter adjuvabat: Præsertim quod Phœniciam maritimam in duas Provincias Princeps non secuisset. Quare gloriosi judices post denuò auditum de avita suæ metropoleos in judicandis & consecrandis Episcopis consuetudine Photium sunt interlocuti: *Sancta Synodus quid sibi videatur doceat,*

doceat, utrùm placeat iuxta regulam sanctorum trecentorum decem & octo Patrum unum Metropolitam Episcopum esse, qui in ordinationibus Episcoporum in unaquaq; Provincia civitate potestatem habeat, an duos, ita ut ijs liceat separatim in civitatibus ordinationes facere? Et universa Synodus respondit: *Vnum iuxta regulas sanctorum Patrum volumus esse Metropolitam. Petimus ut regulæ sanctorum Patrum teneant.* Atticus Nicopolitanus Episcopus addidit: *Trecentorum decem & octo Patrum regula unum vult Metropolitam in unaquaque Provincia Episcopum esse, & supplicamus ut etiam nunc virtus regularum in omnia & in omnes Provincias valeat, cessantibus omnibus Pragmaticis, quæ ex concursatione & ambitione fiunt, quæq; evertunt ea quæ spiritualiter & secundùm Deum à sanctis Patribus sancita sunt.* Insigne elogium, quo Reges doceantur Ecclesiasticis negotijs non misceri. Et hìnc gloriosi judices sunt iterùm interlocuti: *Iuxta regulas trecentorum decem & octo sanctorum Patrum, & iustam sententiam totius Synodi, Photius reverendißimus Episcopus Tyriorum metropolis omnem potestatem ordinandi in universis civitatibus primæ Phœnices Provinciæ habebit; Eustatius verò reverendißimus Episcopus è sacro Pragmatico typo nihil amplius sibi vindicet, quam reliqui Episcopi eiusdem Provinciæ. Et in his consentiat, sancta Synodus edoceat.* Theodosij legem habent ratam, Anatolij synodale decretum exufflant; & omnis Synodus acclamavit: *Hoc iustum iudicium.* Verba, *Quam reliqui Episcopi*, ostendunt Eustatium nequidem à Tyrij Metropolitica potestate fuisse exemptum, quod nominales Græcorum Metropolitæ, & Pallio insigniti Latinorum Provinciales Episcopi quandoque perperam prætenderunt.

Quid sit Pragmaticus typus, exponit in opere de domus Augustæ officijs Jacobus Gutherius: *Pragmatica iußio seu sanctio non ad singulorum preces super privatis negotijs profertur, sed tantùm ad preces alicuius corporis, collegij, civitatis, vel Provinciæ. Breviter. Pragmaticæ sanctiones sunt Rescripta diligentiùs, diffusiùsq; tractata apud Principem in publicis negotijs cuiusque Vniversitatis vel Provinciæ, quæ inter generales leges numerantur.* Hìnc Pragmatica passim *ex concursatione*, & licèt non ex privata, tamen publicâ *ambitione* fieri dixit Atticus Archi-Episcopus Nicopolitanus. Quamvis non ipse Eustatius, certè eius populus Berytensi civitati supplicârat hanc dignitatem, ab ipso haud dubiè instigatus. Liquet item ratio, cur hocce Theodosii Rescriptum suo generalium legum codici inseruerit Imperator Justinianus. L.1.c.32.

Restabat quæstio de Episcopis per Photium consecratis, & per Eustatium in Presbyteri gradum rejectis. Etenim in suprà dictis ci-

cipum reverentiam: Ne Romanæ Reipublicæ formam improbare videretur aut ſpernere. Scio Provinciæ Honoriadi, ex Bythiniæ & Paphlagoniæ partibus diſmembratis per Theodoſium Auguſtum in Honorij filij honorem conflatæ, ſuum etiam mox emerſiſſe Metropolitam Epiſcopum: Plures ille, in quibus mox novi apparuerunt Metropolitæ, Provincias diviſit. Ex cauſſis Eccleſia diſſimulavit. Adverſam regulam quis ediderit, ignoro: Propagarunt ſanctus Baſilius magnus & ſanctus Pontifex Innocentius primus, noſtraque tandem Synodus ad omnem Eccleſiam extendit. Et hìnc Juſtinianus Auguſtus, dum varias Provinciás in aliam civilem formam tranſpoſuit, tranſponere non præſumpſit antiqua jura Epiſcoporum Metropolitarum. Quare Græci ſchiſmatici, omnem Eccleſiaſticarum metropoleon, Provinciarum, ſedium, diœceſeon mutandarum poteſtatem permittentes Principi, à Patrum veſtigijs longiſſimè deviarunt.

ACTIO V.

QVintæ Actioni, factæ undecimo Kalendas Novembres, ad glorioſiſſimorum judicum interlocutionem Aſclepiades Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus prælegit conceptam fidei definitionem, de qua Synodalium Actorum Digeſtor: *Eam Epiſcopis non placuit Geſtis inſerere.* Primus contra eam interceſſit Joannes Germanicienſis ad Eufratem Epiſcopus: *Non bene habet definitio, ſed debet integrè fieri.* At verò præter Romanos Legatos & aliquot Orientales Epiſcopos cæteri clamarunt: *Definitio omnibus placet. Hæc fides Patrum. Qui præter iſta ſapit, hæreticus eſt. Qui alitèr ſapit, anathema ſit. Neſtorianos mitte foras. Hæc definitio omnibus placet. Sancta Maria Theotocos ſcribatur: In Symbolo ſic addatur.* Facta eſt dura contentio. Ejus cauſſam audi à glorioſis judicibús: *Dioſcorus dicebat propter hoc ſe damnaſſe Flavianum, quia* DUAS NATURAS *aiebat eſſe; definitio autem,* EX DUABUS NATURIS *habet.* Et iterùm: *Dioſcorus dicebat,* QUOD EX DUABUS NATURIS EST, *ſuſcipio, duas non ſuſcipio; Sanctiſſimus autem Archi-Epiſcopus Leo* DUAS NATURAS *dicit eſſe in Chriſto unitas, uno unigenito Filio, Salvatore noſtro. Quem igitur ſequimini? Sanctiſſimum Leonem, aut Dioſcorum?* Vocem, *Duas naturas*, apud Eutychianiſtas de Neſtorianiſmo ſuſpectam omittebat, vocem verò, *Ex duabus naturis*, uti apud Neſtorianos, ita & apud Orthodoxos de Eutychete & Dioſcoro ſuſpectam canonizabat definitio, atque ita inſigniter de illa digladiati ſunt Epiſcopi, alter alterum accuſantes de Neſtorio & Eutychete. Et hâc occaſione Anatolius Conſtantino-

nopolitanus Episcopus emisit hanc infælicem, alibi satis explanatam, interlocutionem: *Propter fidem non est damnatus Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit Domino Archi-Episcopo Leoni, & tertiò vocatus est, & non venit, & ideò damnatus est.* Vocem, *Ex duabus naturis*, licèt à Dioscoro usitatam, conatur ostendere non esse scabiolam, ideòque nec productam fidei definitionem, eò quod Dioscorus non fuerit hæreticus, neque ob hęresim à præsenti Synodo damnatus. Quo in judicio certum est Anatolium ex Dioscori amore fuisse lapsum & circumscriptum.

Attamen voces istæ sunt reverà orthodoxæ, omnemque irrependi rimam arctissimè præcludunt impietati Nestorianæ. Et hinc plurimi Episcopi denuò clamarunt pro definitione: *Nestorianos foras mitte. Inimicos Dei mitte foras. Heri definitio omnibus placuit. Petimus ut definitio subscribatur coram Evangeliis. Qui non subscribit definitioni, hæreticus est*, utique Nestorianus. *Spiritus sanctus definitionem dictavit. Definitio orthodoxa est. Altera definitio non fit. Definitioni nihil deest.* Etiam Eusebius Dorylæi Episcopus, Eutychetis & Dioscori calidissimus adversator, exclamavit: *Alia definitio non fit.* Verùm Legati Apostolici summa cum auctoritate intercesserunt: *Si non consentiunt Epistolæ Apostolici & beatissimi viri Papæ Leonis, iubete nobis Rescripta dari, ut revertamur, & ibi Synodus celebretur.* Etenim Epistola, à cuius dogmate, phrasi, mandatis Legati non poterant recedere, disertissimè duas in Domino naturas profitebatur, ideòque & gloriosissimi judices sunt interlocuti: *Epistolam sanctissimi Leonis suscipitis?* Ad quæ patroni definitionis: *Etiam suscipimus, & subscripsimus.* Et iterùm judices: *Ergò quæ in ea inseruntur, inserantur definitioni.* Et dicti patroni: *Epistolam definitio firmavit. Archi-Episcopus Leo, ut credimus, credit. Definitio habet omnia. Leo eadem dixit, quæ & Cyrillus: Celestinus, quæ Cyrillus dixit, firmavit. Xixtus firmavit, quæ Cyrillus dixit. Vnum Baptisma, unus Dominus, una fides. Tolle fraudem à definitione.* Sancti Cyrilli, Christum Dominum ex duabus esse naturis frequenter asserentis, adversùs Nestorium Scripta dicunt à Celestino primo, & Xixto tertio, Romanis Pontificibus, à quibus sanctus Leo discordare non possit, esse confirmata, proindèque illis conformem esse & definitionem. Synodales de fide definitiones dicunt esse authenticas credendi & loquendi regulas, nullis æquivocantium hæreticorum fraudibus posse patere, ideòque adversùm grassantes Nestorianos scribendum esse, *Ex duabus naturis*, non *Duas naturas.* Et Legati Apostolici aliud non potuerunt evincere.

Quare magnifici judices sunt rursùs interlocuti: *Si placet, ab Orien-*

entalibus Episcopis sex, & ab Asiana Regione tres, & ab Illyrico tres, & à Pontica tres, & à Thracia tres, præsentibus etiam sanctißimo Archi-Episcopo Anatolio, & reverendißimis Romanis, conveniamus intrò in Oratorio sanctæ Martyris Eufemiæ, *& omnibus ab iisdem consequenter requisitis, quæ placuerint de sancta fide, manifesta nobis fiant.* Ab illis, totius Synodi auctoritate donandis, Episcopis rogavêre fieri pacificum sine clamoribus congressum, & fidei definitionem, si non corrigi, certè poliri. Ex diœcesi Orientali sex, ex alijs tres dumtaxat rogant adesse Episcopos, quod illa Patriarchalis esset, & præ cæteris suspecta de Nestorianismo. Verùm definitionis Patroni reddiderunt: *Omnibus definitio placuit.* Hinc turbidis Episcoporum in invicem clamoribus lassati judices ad Martianum Augustum, consultationis gratia, legârunt Beronianicum sacri Consistorij Secretarium, per quem sunt hæc relata: *Præcepit Divinißimus ac piißimus Dominus noster Imperator, ut vel, sicut placuit gloriosißimis iudicibus, sex reverendißimos Episcopos ab Orientali regione, & tres ex Pontica, & tres ab Asiana, & tres à Thracensi, & tres ab Illyrico, præsentibus etiam sanctißimo Archi-Episcopo Anatolio, & reverendißimis Romanis, & convenientibus in Oratorio sanctißimæ Martyris, de fide rectè & irreprehensibiliter constituatur, quibus omnes consentiant, & nihil dubium relinquatur. Vel si vobis hoc non placet, singuli fidem suam manifestam constituant per suum Metropolitam, ut nulla similiter dubietas vel discordia relinquatur. Si autem neque hoc vestra velit Sanctitas, cognoscite quia in partibus Occidentalibus habet fieri Synodus, eò quod Religiositas vestra hic noluit de vera & orthodoxa fide indubitanter definire.* Eos Princeps terruit de Romana evocatione, quia rei Episcopi nihil unquam post Deum magis timuerunt. At neque sic contentio cessavit. Etenim definitionis Patroni denuò clamârunt: *Aut definitio persistat, aut discedimus.* Et magnum huius Synodi lumen Cecropius in prima Armenia Episcopus Sebastopolitanus: *Petimus recitari definitionem, & ij, qui contradicunt & non subscribunt, ipsi ambulent, quia nos consentimus benè decretis, & in nullo contradicimus.* Et Episcopi Illyriciani: *Qui contradicunt, manifesti fiant. Qui contradicunt, Nestoriani sunt. Qui contradicunt, Romam ambulent.*

Adversùm quæ gloriosi judices: *Dioscorus dicebat,* QVOD EX DVABVS NATVRIS EST SVSCIPIO, DVAS NON SVSCIPIO; *sanctißimus autem Archi-Episcopus Leo duas naturas esse dixit in Christo unitas inconfusè, inconvertibiliter, ac indivisibiliter. Quem igitur sequimini? Sanctißimum Leonem, an Dioscorum?* Et Adversarij definitionis: *Vt Leo, sic credimus. Qui contradicunt, Eutychianistæ sunt. Leo rectè exposuit.*

fuit. Ex quo vides utramque partem fuisse orthodoxam, & non de sensu contendisse, sed de solis syllabis ac sententia, quam etiam esse irreprehensibilem, & nos in ipsa concordes, seriò ac meritò Apostolus mandat. Et hìnc rursùm laudati judices: *Ergo addite definitioni, Secundùm judicium sanctissimi Patris nostri Leonis,* DVAS *esse* NATVRAS *in Christo inconvertibiliter, inseparabiliter, ac inconfusè.* Fidei definitionem ex ipsis Romani Episcopi verbis formari volunt: Etenim palmare generalis Synodi officium est Romani Pontificis de proposita quæstione suffragium, dogmaticis ad se per Vicarios Legatos transmissis literis expressum, confirmare, & illi adjuncta mandata dare executioni.

Et hìnc tandem consensit Synodus in gloriosorum judicum à Principe comprobatum consilium, ut cum Apostolicis Legatis & Anatolio Constantinopolitano pauci quidã Episcopi doctiores ex omni diœcesi convenirent, definitionem revisuri ac limaturi. Et ex diœcesi Orientali cõvenerũt Maximus Patriarcha Antiochenus, Juvenalis Hierosolymitanus, Theodorus Tarsensis in prima Cilicia, Cyrus Anazarbi in Cilicia secunda, Cõstantinus Bostrensis in Arabia, & Theodorus Claudiopolitanus in Isauria Episcopus; ex Pontica Thalassius Cæsareensis in prima Cappadocia, & Eusebius Ancyranus in prima Galathia; ex Asiana Diogenes Cyzicenus in Hellesponto, Leontius Magnesianus in Asia, Florentius Sardensis in Lydia, & Eusebius Dorylæensis in Phrygia salutari; ex Thracica Francion Philippopolitanus in Thracia, Sebastianus ibidem Berrhæensis, & Basilius in Hæmimontis Provincia Traianopolitanus; ex Illyrico Quintillus Heracleensis in Macedonia, Zozon Philippensis in Macedonia prima, & Atticus in veteri Epiro Episcopus Nicopolitanus. Hi definitionem poliuerunt. Voces, EX *duabus naturis,* utpotè licet orthodoxas, multis Episcopis gratissimas, & adversùs Nestorium validissimas, quia tamen ab Eutychete & Dioscoro usitatas, expunxerunt, addideruntque disertam professionem duarum sine confusione & conversione naturarum, iuxta duas sancti Cyrilli literas, & dogmaticam Epistolam sancti Leonis. Expunctam fuisse vocem, *Ex duabus naturis,* & hanc, *In duabus naturis,* suffectam, suprà nobis dixit Leontius Byzantinus. Quod ipsum in collatione Constantinopolitana cum Severianis Episcopis testatur Hypatius Archi-Episcopus Ephesinus, additque eamdem caussam: *Satisfactio beati Flaviani, manu eius perscripta,* EX DVABVS *confitetur Dominum nostrum Iesum Christum, & tamen* EX DVABVS *ei dicenti* NATVRIS *non pepercit bonus ille Dioscorus. Propterea itaque cognoscens sanctum Chalcedonense Concilium, quia*

 nihil

nihil ita recreat eos, qui cum Eutyche adversantur orthodoxæ duarum naturarum confeßioni, nisi confusa & commixta, & imaginaria vel Manichæa unius naturæ confeßio, explan[...]ivam potiùs vocem præposuit, ut IN DVABVS NATVRIS *unam personam & unam subsistentiam confiteretur.* Voces, *Ex duabus naturis*, adeò sunt orthodoxæ, ut eas in suæ adversùs Eutychen Synodi ad Theodosium Augustum Relatione usitârit, & manu propriâ subscripserit etiam sanctus Flavianus. Quia tamen ipsas in sui erroris palmare fundamentum adsumplit & Dioscorus, & quia dogmatico suo tomo sanct..s Leo non inseruerat, nostra item Synodus noluit expre[...]im in sua definitione canonizare. Aliam ca[...]ssam adducit dictus Leontius: *Quod vox ista imperfecta esset, nullam refutationem habens dogmatum Eutychis, sed id solum complectens quod utrisque probatur.* Dico, *Expreßim.* Fuisse enim implicitè canonizatam & Hypatius testatur & Leontius. Et probat ille: *Beati Flaviani rectam fidem collaudans* Synodus Chalcedonensis, *omnia, quæ ab eo dicta sunt, confirmavit.* Expresse confirmavit dogmaticum sancti Leonis tomum, ideòque & omnia sancti Flaviani in Eutychen synodalia dicta, utpotè quæ tomus ille confirmabat. Quare Latina quædam & Græca præsentis definitionis exemplaria, habentia, *Ex duabus naturis*, certum est esse vitiata. Natum est vitium ex textu Græco: Ex vicinitate præpositionum, ἐκ, &, ἐν. Addit Hypatius & caussam, ex qua sancti Cyrilli ad Acacium Melitinensem, ad Valerianum Iconiensem, ad Successum Dio-Cæsareensem Episcopum, atque ad Eulogium Presbyterum Constatinopolitanum de caussa Nestoriana literas noluerit confirmare Synodus præsens; Quod nempe voces, *Vna natura Dei Verbi incarnata*, vocibus, *Duæ naturæ*, præferant, & non solis Eutychianistis, sed & Eustatio Berytensi Episcopo præbuissent in Ephesino latrocinio occasionem labendi & fomenta. Eas neque damnandas, neque ut synodicas, id est, uti à generali Synodo in fidei regulam provectas, suscipiendas, sed dispensatoriè dumtaxat tolerandas ait Hypatius, quod suppositionis aut falsationis suspicione laborent, & *adversentur synodicis rectæ fidei Cyrilli Epistolis, in quibus duarum naturarum apertè decrevit confeßionem.* Ubi existimo Hypatium labi. Falsatas enim aut suppositas Epistolas sine fundamento suspicatur. Et hasce propositiones, *Dominus est una natura Dei Verbi incarnata*, & *Dominus est duæ naturæ*, non adversari invicem est suo loco ostensum. Ostensum item est, cur Synodus canonizari noluerit Epistolam duodecim Capitulorum.

Etiam uti Nicænum, ita & Constantinopolitanum Symbolum, integrè sibi insertum canonizat definitio, addens: *Sufficeret quidem ad*

ad plenam cognitionem & confirmationem pietatis hoc ſapiens & ſalutare Divinæ gratiæ Symbolum; de Patre enim & Filio & Spiritu ſancto perfectionem docet, ac Domini noſtri inhumanationem fideliter accipientibus, ſeu ad devia errantis ſuæ mentis phantaſmata non detorquentibus, *repræſentat.* Ita loquitur ex Sardicenſi Decreto, vetante conſcribi fidem aut definitionem aliam à Nicæna. Addit ſe à novis novorum hæreticorum in Chriſtianum dogma inſultibus compelli ad quædam lucidiùs & largiùs exponenda. Exponit: Et tandem Epheſinum Canonem de nulla ad Symbolum vel vocula addenda innovat, hæc verba, *Sapiens hoc & ſalutare Divinæ gratiæ Symbolum*, omninò intelligens de Conſtantinopolitano. Ita ipſum adversùs Eutychianiſtas canonizat, ac Epheſinum Canonem de ipſo, non de ſolo Nicæno declarat intelligendum. Et hæc eſt ratio, cur pluribus Epiſcopis, vocem *Deipara* Symbolo adversùm Neſtorianos inſeri poſtulantibus inſtantiſſimè, acquieſcere noluerit noſtra Synodus, inſerens ſuæ dumtaxàt definitioni. Inſerere omninò potuerat: At innovatum à ſe Canonem noluit vel in ſpeciem lædere. Et huc ſpectat longa illa in proſphonetico ad Marcianum Auguſtum ſermone apologia, ampliſſimè exemplis oſtendens, ſemper non ſolùm generalibus aut provincialibus Synodis, aut Romanæ Eccleſiæ Pontificibus, ſed & alijs quibuſque Epiſcopis licuiſſe Chriſtianam fidem adversùm hæreticas verborum novitates alijs quam Symboli vocibus elucidare, condereque, licet non novum in dies Symbolum, tamen novas quotidie fidei definitiones. Elegantiſſimam apologiam inſigni compendio exhibet in literis ad Leonem Auguſtum, poſt Synodum noſtram exſtantibus, Joannes Sebaſtæ Epiſcopus, primæ Armeniæ Metropolita; *Iudicamus prolatam definitionem à ſancto Concilio Chalcedonenſi, non ſicut fidei Symbolum, ſed ſicut definitionem eſſe poſitam ad peremptionem Neſtorianæ veſaniæ, & excluſionem eorum, qui ſalutarem incarnationem Domini noſtri Ieſu Chriſti denegare noſcuntur.* Loquitur adversùm Eutychianiſtas, qui inter Symbolum ac fidei definitionem non diſtinguentes arguebant noſtram Synodum de factis ad Symbolum additamentis.

ACTIO VI.

ACtioni ſextæ, factæ octavo Kalendas Novembres, adfuit ipſe Marcianus Auguſtus, nec non & Auguſta Pulcheria, adeòque ſeptimam Synodum, quod cum filio Conſtantino Irene Auguſta adfuiſſet, arguentes Francorum Epiſcopi omninò deviârunt. A quibuſdam Epiſcopis, pecunias aut alia prava ſtudia ſectantibus, adhæ-

ſum fuiſſe perfidiæ Eutychianæ, ſeductos in eamdem infælices populos, turbatamque Eccleſiam & Rempublicam quæſtus eſt Princeps, & hiſce corrigendis ſeſe à primo Imperij exordio, licet per barbarorum incurſiones graviter adflicto, unicè ſtuduiſſe proteſtatus adjunxit: *Nos ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo religioſi principis Conſtantini, Synodo intereſſe voluimus, ne vel ulteriùs populi pravis ſuaſionibus ſeparentur.* Ex Nicæno Symbolo & dogmatica ſancti Leonis Epiſtola voluit fidem ſtabiliri. Cui pietati omnes Epiſcopi fauſtiſſima acclamârunt.

Exindè Ætius Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Archi-Diaconus protulit fidei definitionem, adſeverans ab omni errore alienam, munitam virtute Divinarum Scripturarum, ſanctorumque Patrum ſententiæ conformem. Et ex Principis juſſu eamdem ab omnibus ſubſcribendam legit. Primi ſubſcripſerunt Legati Apoſtolici in hunc modum: *Vicarius Domini mei beatiſſimi atque Apoſtolici, univerſalis Eccleſiæ Papa urbis Romæ Leonis.* Ita omni Synodo approbante ſubſcripſerunt. Et huc reſpicit ſanctus Gregorius magnus, dicens titulum, *Vniverſalis Epiſcopus*, Romanæ Eccleſiæ fuiſſe oblatum per Chalcedonenſem Synodum, ſed à ſancto Leone Pontifice non admiſſum.

Non ad exercendam potentiam, nec inferendam ulli Epiſcopo violentiam adeſſe ſeſe Snyodo fuerat Princeps abundè conteſtatus, eſt tamen denuò interlocutus: *Dicat ſancta Synodus, ſi ſecundùm omnium ſanctorum Epiſcoporum expoſitionem definitio nunc relecta, prolata eſt.* Et omnes Epiſcopi clamârunt: *Omnes ſic credimus. Vna fides, una voluntas. Omnes idipſum ſapimus. Omnes conſentientes ſubſcripſimus. Omnes orthodoxi ſumus. Hæc fides Patrum. Hæc fides Apoſtolorum. Hæc fides orthodoxorum. Hæc fides orbem terræ ſalvavit.* Marcianum Auguſtum eſſe novum Conſtantinum, novum Paulum, novum David, Pulcheriam novam Helenam omnis Synodus acclamavit. Et iteratis à Principe gratiarum actionibus fauſtas acclamationes denuò reddidit, frequenſque anathema in Neſtorium, Dioſcorum, & Eutycheten.

Et de hoc rerum fælici ſucceſſu ſcripſit, in literis per Dominum Lucam Holſtenium publicatis, ad Leonem Pontificem Marcianus
Ep. 18. Auguſtus: *Lætetur Sanctimonia tua victoriâ. Fidei huius laurea omnipotenti Chriſto referenda eſt, qui de perfidis egit triumphum. Atque ideò ipſi intereſſe ſanctæ Synodo feſtinavimus, quamvis nos in alijs locis expeditiones & neceſſitates publicæ detinerent. Itaque omnia pro votis atque oratione Religionis tuæ, quæ fidei conveniunt, auctore Deo ſunt ordinata. Totius orbis, qui ſub Imperio noſtro eſt, reverendiſſimis Epiſcopis Chalcedonem convo-*

vocatis, tractatu habito, post multa certamina vera fides obtinuit, & iuxta literas Sanctitatis tuæ universi adsenserunt expositioni, prout veritas postulavit. Qua ex professione denuò lucet Apostolici suffragij, in dogmaticis ad Synodum literis expressi, confirmationem esse palmare munus Synodi generalis.

Populares de impetito per hæreticos dogmate disputationes esse errori propagando efficacissimas docent varij eventus. Hâc arte Arianam, Pelagianam, Monotheliticam, aliasque hæreses latissimùm serpsisse est suo loco ostensum. Ita serpserat item Eutychiana. Quare *omnem de cætero contentionis occasionem de sancta fidei religione penitùs amputatam* volens Augustus Marcianus perrexit ad Synodum: *Si quis Idiota, vel Militaris, seu Clericus publicè de fide, turmam congregans, sub obtentu disputationis tumultum fecerit, sciat quia, si quidem Idiota sit, ab urbe Regia expelletur, Militaris verò & Clericus gradus sui periculum sustinebunt, & pœnis aliis subiacebunt.* Quod Edictum unanimi acclamatione Synodus comprobavit. Et laudatus Augustus confirmavit duplice lege, exstante post nostram Synodum, quarum posterior habet hanc subnotationem: *Eodem exemplo scriptum est Palladio, viro illustri, Prætori Orientis; Valentiniano viro illustri, Prætori Illyrici; Tatiano viro illustri Præfecto urbis; Vincomalo viro illustri, Magistro Officiorum, & Consuli designato.* Quocirca lex ista per omne Imperium fuit solenniter promulgata. Disputationem istam esse ait Christianæ fidei manifestam injuriam, utpotè quæ Divinam veritatem, ac ejus confirmatrices generalium Synodorum definitiones vocet in dubium, Judæis ac gentilibus prodat nostra mysteria, simplicem plebem inquietet, & damnatis hæresibus præbeat resurgendi spem ac fomenta. Innovat similes adversùs quamvis hæresin leges Valentiniani secundi, Theodosij primi, Arcadij, Honorij, & Theodosij secundi, exstantes in sexto decimo libro codicis Theodosiani, quarum omnium una est Tit.4.c.2. sententia de istiusmodi disputationibus: *Et fidem Catholicam turbant,* 3.4.5. *& populum.* Martiani leges etiam ad monachos, quin & ipsorum Apocrisarios extenderunt Leo & Anthemius Augusti in lege ad Zenonem Strategum, quam primo codicis sui libro inseruit Imperator Justinianus. An publica de dogmate disputatio sit semper & ubique Tit.3.c.29. perniciosa, omnibusque hæreticis, Ecclesiæ dogma in generali Synodo definitum volentibus retractatum, abneganda, inter Basileensem Synodum, quæ Bohemiæ Hussitas ad ejusmodi disputationem admiserat, atque Eugenium quartum Pontificem fuit acriter agitatum, de quo videnda est tertia Epistola synodalis. Martiani lex damnat

solas

ſolas diſputationes publicas, & de ſolo dogmate per Synodum noſtram definito.

Eodem tempore inter Clericos tranſlatio & negotia ſæcularia, inter monachos graſſabantur inquietudo, vagandi licentia, & nimia monaſteriorum citra Epiſcoporum licentiam multiplicatio, de qua Zozymus, homo gentilis, peſſimus oſor Chriſtianorum, præſertim
L. 5. monachorum: *Monachi tam in urbibus, quam vicis populoſa collegia complent hominibus innuptis, nec ad bellum nec ad alium Reipublicæ neceſſarium uſum idoneis, niſi quod viâ quâdam progreſſi ab eo tempore in hunc uſque diem magnam terræ partem ad ſe tranſtulerint, & ſub prætextu quaſi cum pauperibus omnia communicent, omnes propè dixerim ad inopiam redegerint.* Eſt pagana calumnia, habens tamen quid veri. Nam avaritiam Clericis, Monachis, & generaliter cunctis continentiam profeſſis eſſe ex fundamentis quaſi naturalem, ſcribit in libro de ſancta Viduitate ſanctus Auguſtinus. Eamdem in nobis graviter notavit Conſtantinus magnus, & erubeſcenda lege compeſcuit Valentinianus primus. Quidam è nobis obliti fuerant Apoſtolicum Canonem: *Eſt autem quæſtus magnus, pietas cum ſufficientia.* Adversùm cuncta hæc Clericorum & monachorum vitia tres Canones conceperat Martianus Auguſtus, Synodoque obtulit in hæc verba: *Quædam capitula ſunt, quæ ad honorem veſtræ Reverentiæ vobis ſervamus, decorum eſſe iudicantes à vobis hæc regulariter potiùs firmari per Synodum, quam noſtrâ lege ſanciri.* Et huc reſpicit Facundus Epiſcopus Hermianenſis,
L. 12. c. 3. ſcribens de laudato Principe: *Vir temperans & ſuo contentus officio Eccleſiaſticorum Canonum executor eſſe voluit, non conditor.* Etenim *novos conſtituere Canones non niſi multis & in unum congregatis primi ordinis Sacerdotibus licet.* Dictos Canones legit Synodo Beronicianus ſacri Conſiſtorij Secretarius, ac Anatolio Epiſcopo Conſtantinopolitano tradidit ſynodaliter diſcutiendos. Fuere poſtmodùm diſcuſſi, probati, factique Canones tertius, quartus, & vigeſimus, ſuprà abundè explanati. Quartum, per quem vagandi licentia in monachis frænatur, innovat in ſui codicis ad Joannem Prætorio Præfectum lege
L. 1. tit. 3. c. 53. Imperatôr Juſtinianus, adversùm neſcio quos garrientes ad quoddam dumtaxàt tempus fuiſſe ſancitum. Richardum ſancti Medardi Abbatem, qui in Eccleſia per ſanguinis effuſionem violata ſine Epiſcopali reconciliatione celebrare præſumpſerat, ex ipſo graviſſimè
Epiſt. 72. increpat ſanctus Fulbertus Epiſcopus Carnutenſis. Monachorum
Cap. 26. Apoſtaſiam ab eodem vetari adſerunt Synodus Triburienſis, & ſub
Cap. 5. Joanne duodecimo Pontifice Auguſtana. Interdici illis etiam ſacras peregrinationes ſcribit in libro de imaginum cultu Jonas Epiſcopus

Aure-

Aurelianensis. Quam maximè de monachis verum est: *Qui multùm peregrinantur, rarò sanctificantur.* Et de illis præsertim loquitur sancti Gregorij Episcopi Nysseni de Hierosolymitana peregrinatione Epistola, suo tempore exponenda.

Laudatus Princeps insuper aliud à Synodo postulavit: *Ad honorem sanctæ Martyris Euphemiæ, & vestræ pariter Sanctitatis, Chalcedonensem civitatem, in qua sanctæ fidei Concilium gestum est, metropolis privilegia habere sancimus, nomine tantùm hanc honorantes, salvâ videlicet Nicomediensium civitati propriâ dignitate.* Tribuit ei ac eius Episcopo solum metropoleos ac Metropolitæ nomen, quod omnia sacra Pragmatica, veros Metropolitas erigentia, hæc ipsa nostra Synodus iam suprà cassasset. Firmari id postulat ad honorem sanctæ Eufemiæ, Chalcedonensium Patronæ, in cuius Basilica fuerit Synodus omnis peracta. Eam fuisse extra muros Zozymus testatur. Et universa Synodus exclamavit: *Iustum iudicium Imperatoris, digni sanctâ Martyre. Supplicamus, dimitte nos, Pie Imperator dimitte nos.* Generalem Synodum extra Romanæ sedis mandata nihil posse, hocce testimonio insigniter docemur. Etenim de sola per Eutycheten & Dioscorum læsâ fide disquiri & definiri mandârat sanctus Leo Papa: Hoc officio persuncti Patres fieri sibi postulant facultatem redeundi ad propria, scientes deinceps sese futuros, non authenticam Synodum, sed humanum sine capite conventum. Et hinc quinta Synodus, ipsamque secuta Romana Ecclesia rectè sentiunt Synodum præsentem in hac Actione fuisse finitam, omniaque postmodùm gesta fuisse, non synodalia, sed adunatorum Episcoporum judicia privata. Quod ipsum patet etiam ex Principis ad Synodi preces Responso: *Multùm quidem estis itinere fatigati, laborem perferentes. Verùmtamen sustinete adhuc tres aut quatuor dies, & præsentibus nostris magnificentissimis Iudicibus quæcumque vultis movete, competens adepturi auxilium. Nullus vestrum, antequam perfecti termini ex omnibus proferantur, à sancto Concilio discedat.* Fatetur Princeps finitam Synodum, verùm ad dirimendas quasdam sibi delatas Episcoporum quæstiones vult Patres adhuc per paucos dies in unum manere.

L. 5.

ACTIO VII.

AD septimam Actionem, factam septimo Kalendas Novembres, loqui cæperunt gloriosi judices: *Divinissimus & piissimus Dominus noster* Imperator *rogatus à Maximo & Iuvenale sanctissimis Episcopis, præcepit nos agnoscere de motis inter eos capitulis. Vndè conve-*

nientes prædicti sanctißimi viri certa ad invicem inter se non scripto constituerunt, & videntur ex consensu iustè disposita. Hæc igitur necessarium iudicavimus etiam coram sancta Synodo unumquemque eorum edocere, quatenùs & ex nostro Decreto, & ex vestra sententia, quæ fuerint placita, confirmentur. Rem edixit Maximus Patriarcha Antiochenus: *Placuit mihi, & reverendißimo* Hierosolymæ *Episcopo Iuvenali post multam contentionem per consensum, ut sedes quidem Antiochensium maximæ civitatis beati Petri habeat duas Phœnicias & Arabiam, sedes autem Hierosolymorum habeat tres Palestinas. Et rogamus ex Decreto Magnificentiæ vestræ & sancti Concilij hæc ex Scripto confirmari.*

Esse non simplex Metropolita, sed plurium provinciarum Patriarcha Apostolicæ Sedis Episcopus, ac Ecclesiæ etiam Antiochenæ Exarchus esse prætenderat in Ephesina Synodo Juvenalis, at retusus fuerat ab Apostolicis Legatis, etiam sancto Cyrillo. Nihilominùs spem & machinas non deposuit: Liquet ex eius apud sanctum Proclum Episcopum Constantinopolitanum Attentatis, quorum caussa à dicti Procli communione sese divertere parabat Canonum Nicænorum zelocissimus custos, Gennadius Archi-Mandrita. Res tandem successum habuit in Ephesino latrocinio, & magnis istic Juvenalis apud Dioscorum meritis à Chrysaphio Eunucho elicuit Pragmaticam sanctionem, trium Palestinarum, Arabiæ, & duarum Phœniciarum in suum jus Patriarchicum transcriptricem. At ecce novus obex. Quarta huius Synodi Actio, de expresso Principis Marciani adsensu, à Photio Tyriorum Metropolita adversùs irregularem Eustatij Berytensis Episcopi ambitum commota, omnia eiusmodi sacra Pragmatica, adeòque & omnes Juvenalis machinas cassavit. Hinc alia ille iniit consilia: Uti sanctus Proclus & Maximi Antecessor Domnus non ita pridem stipulati fuerant de tertio Canone Constantinopolitano & Episcopi Constantinopolitani proximo post Romanum Primatu, ita Maximũ induxit Juvenalis ad stipulandum de dictis Provincijs, & hæc sua pacta petierunt ambo per Synodum confirmari.

Phœniciam à palmarum, quas Græci Phœnices vocant, copia dictam scribit in primo libro de bello Persico Procopius Cæsareensis. Eius vetustum sub Josue Principatu statum exponit in libris de
L. 2. bello Wandalico: *Tunc universa regio maritima à Sidone usque in Ægypti fines Phœnicia est appellata. Quibus unus iam dudùm imperabat, uti omnes testantur, qui antiquam Phœnicum scripsere historiam.* Aliter longè Tertullianus in libro adversùm Judæos, dicens fuisse Arabiæ
Cap. 9. partem: *Damascus Arabiæ olim deputabatur, antequam transcripta esset*

in

in Syro-Phœniciam ex distinctione Syriarum. Et de Syriæ ab Arabia distinctæ statu scribit ad quintum decimum sancti Esaiæ caput sanctus Hieronymus: *Damascus Regalis quondam civitas fuit, & in omni Syria tenuit Principatum. Necdum florebant Antiochia, Laodicaa, & Apamaa, quas urbes post Alexandrum & Macedonum Imperium auctas esse cognovimus.* Loquitur ex laudato Propheta: *Caput Syria Damascus.* Græ- Cap. 7.
corum Rex Antiochus Rablata in Antiochiam exaltavit, omnesque sibi subditas gentes, etiam Judæos, in grande beneficium scripsit Antiochenos; quod Antiochia esset totius Regni caput & metropolis. Ita mansit usque ad Adrianum Augustum & Paulum Tyrium, de quo Suidas: *Paulus Tyrius orator fuit temporibus Philonis Biblij, qui sub Adriano Imperatore, cùm legatum egisset, Metropolim Tyrum fecit.* Et in Adriani vita Ælius Spartianus: *Adrianus Antiochenses ita* Cap. 14.
odio habuit, ut Syriam à Phœnice separare voluerit, ne tot civitatum metropolis Antiochia diceretur. Phœniciam unà cum Syria ac Mesopotamia, Tigrani Armeniorum Regi, uti Sextus Rufus & Ammianus Marcellinus referunt, subtractam, Pompeius in Provinciam redegit, L. 14. c. 26
divisit verò ab eadem Syria, & Tyrum in ipsa exaltavit Adrianus. Etiamnum sancti Athanasij, & Tyrij adversùs ipsum Conciliabuli tempore fuisse unicàm Provinciam, adfirmare videtur in Constan- L. 4. c. 41.
tini vita Eusebius Cæsaræensis. Et hìnc Magnus Damasci Episcopus Synodo Nicænæ post Æneam Ptolomensem subscripsit, utpotè necdum Metropolita, sed adhuc sub Tyrio Provincialis. Post Paulum Sidoniensem subscripsit Synodo Constantinopolitanæ etiam Philippus Damascenus. At verò Joannem Damascenum Episcopum fuisse Metropolitam liquet ex Actis Concilij Ephesini. Nempe inter hanc & istam Synodum Phœnicia in primam & secundam, seu in maritimam ac Libanesiam divisa fuit: Verosimiliter per Theodosium Augustum. Ita conijcio ex suprà adductis Zozymi de ipso querelis.

Etiam Palestinam fuisse olim unicam sub Turri Stratonis, quam Vespasianus Augustus Cæsaræam appellàrit, metropoli Provinciam, tradit Justinianus Augustus, in lege novella ad Joannem Præfectum Orientalium Prætoriorum. Verùm de versa in Cæsaræam Stratonis- L. 103.
Turri aliter & rectiùs Ammianus Marcellinus: *Casaraam ad honorem Octaviani Principis exadificavit Herodes.* Quod ipsum liquet ex L. 14. c. 26.
sancto Luca in actis. Syriam illam, quæ Palestina dicitur, & Judæam à Claudio Augusto cæptam redigi in Provinciam, tandemque à Vespasiano redactam scribunt Aurelius Victor, & in quinto C. 9. 10.
historiarum libro Cornelius Tacitus. Addit in secundo libro: *Dis-* C. 79.

cessere Mucianus Antiochiam, Vespasianus adhuc militum Dux *Cæsaream. Illa Syriæ, hæc Iudææ caput est.* Ex quo liquet Palestinam mox per Vespasianum fuisse à Syria divisam, ac etiam Taciti tempore unicam fuisse Provinciam. Fuisse videtur etiam tempore Ammiani
L.14.c.26. Marcellini, qui sub Theodosio magno floruit, scribentis: *Vltima Syriarum est Palestina.* Quare Synodi Nicænæ Acta, quibus Macarius Hierosolymitanus primo inter Palestinos Episcopos, dumtaxàt quinto subscripsit Eusebius Cæsareensis, sunt palàm vitiata. At verò idem Imperator Theodosius in lege ad Joannem sacrarum largitionum Comitem, exstante in codice Justinianæo, memorat duas Palestinas, atque ita ipse videtur Provinciam primus divisisse. Sanctus Joannes Chrysostomus, sub eius filio Arcadio Episcopus Constantinopolitanus, tres eodem tenore de eadem materia scripsit Episto-
Ep.87. 88. 89. las ad Eulogium Cæsareensem, Joannem Hierosolymitanum, ac Theodosium Schytopolitanum Episcopos, omnes palàm Metropolitas, atque ita liquet Palestinam in tres Provincias fuisse divisam: Cæsareensem, Schytopolitanam, ac Hierosolymitanam, passim dictam salutarem. Quod Cæsareensis semper prima manserit, liquet ex adductis Patrum testimonijs, laudatâque lege Justiniani, eam ornantis sede & dignitate Proconsulari. Dictorum Eulogij ac Joannis, qui in Diospolitana Synodo damnârunt Pelagium, in libris adversùs Julianum meminit etiam sanctus Augustinus. Tertio loco ponit Ammonianum, quem existimo fuisse Theodosij in sede Schytopoli-
L.1.c.5.7. tana successorem. Palestinam, quasi unicam Provinciam, in libris de
Ep.61.c.16. gestis Pelagij laudat idem Augustinus, & in literis adversùs Joannem Hierosolymæ Episcopum S. Hieronymus, constanter adseverans Hierosolymitanum Episcopũ esse omninò suffraganeum unici per omnẽ Palestinam Metropolitæ Cæsareensis: Quod nempe ex civili Provinciarum divisione nollent resultare Ecclesiasticam præsertim in Palestina multiplicationem, utpotè adversam sexto & septimo Canoni Nicæno. Quod enim multiplicationi isti adversa regula ex tunc vi-
Ep.18. c.3. geret apud Romanam Ecclesiam, lucet ex Epistola sancti Papæ Innocentij primi ad Alexandrum Patriarcham Antiochenum. Verùm per omnes ubique Provincias non nisi successivè potuit obtinere. Et forsàn ad exaltandam Hierosolymæ Ecclesiam, & exstinguendas, quas adversùs Acacium Luscum Cæsaræ Metropolitam cæperat sanctus Cyrillus, de metropolitico jure lites fecerit divisionem istam Theodosius: Nam & Synodi Constantinopolitanæ ad sanctum Damasum Pontificem Relatio dictum Cyrillum palàm agnoscit Metro-

tro-

tropolitam, atque ita & eius successor Joannes perrexit se in dignitate illa ostentare.

Secundę Palestinę urbs mater fuit omninò Schytopolis, habens & Episcopum Metropolitanum. Disertè id testatur sanctus Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus in prato spirituali: *Schytopolis secunda est Palestina Metropolis.* Et Synodalibus Joannis Patriarchæ Hierosolymitani ad Joannem secundum Constantinopolitanum adversùs Severum Antiochenum literis, in Synodo Constantinopolitana sub Menna Patriarcha lectis & probatis, post dictum Patriarcham ante omnes trium Palestinarum Episcopos subscribunt Joannes Cæsareensis & Theodosius Schytopolitanus. Et laudatæ ibidem Petri Patriarchæ adversùs Anthymum Trapezuntinum sententiæ primi subscribunt Elias Cæsareensis & laudatus Theodosius: Quod nempe essent Metropolitæ. Et antiqua Provinciarum ac Episcopatuum notitia, ex Antiochenæ ac Hierosolymitanæ Ecclesiarum archivis per Gailielmum Tyriorum Archi-Episcopum producta, secundam Hierosolymitanæ sedi subjectam metropolim dicit esse Schytopolim, novem Suffraganeis præfectam. Quocirca illos, qui Sebasten seu Samariam existimant esse secundæ Palestinæ metropolim, certum est deviare. Adstipulatur Jacobus de Vitriaco: *Archi-Episcopus Cæsareensis unum solum subiectum habet suffraganeum, Episcopum videlicet Sebastensem.* Et in capite sequenti: *Fuit quondam Sedes Archi-Episcopalis in urbe Schytopoli, qua hodie dicitur Bethsan, inter montes Gelboë & Iordanis fluvium in campestribus sita. Quondam tertia Palestina & totius Galilaa metropolis exstitit, sed propter dignitatem loci, & Dominica conceptionis reverentiam translatus est Archi-Episcopatus ad civitatem Nazarenam.* Cæsareensi Metropolitæ laudata Provinciarum ac Episcopatuum notitia adscribit viginti suffraganeos, ac Sebastensem Episcopum immediatè supponit Patriarchæ Hierosolymitano. Nazareth vilissimum viculum, omnemque Galilæam fuisse vilissimam regionem sanctus Joannes Chrysostomus in Homilijs super sanctum Matthæum testatur. Hìnc dixit Nathanael: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Et Iudæi: *Interroga & vide, quoniam Propheta à Galilaa non surgit.* Et in sancti Evangelistæ Matthæi commentarijs Presbyter Hieronymus: *Nazareth est oppidum Galilaa, Capharnaum urbi subiacens.* Hìnc admiranda & prædicanda humilitas nostri Domini qui pro nobis dignatus est esse Nazarenus. Eam Patres nostri, terræ sanctæ liberatores, duxere extollendam dignitate Archi-Episcopali. Pridem tamen fuisse Episcopatum, Hierosolymitani suffraganeum, laudata notitia docet.

cap. 52.

L.14. c.12.

cap.55.

Homil.9.

cap.17.

Et hinc nascitur quæstio alia, Cur sanctus Joannes Chrysostomus & sanctus Augustinus Joannem Hierosolymæ, quæ quoad nullas res fuit secunda Palestinæ Metropolis, Episcopum ponant secundo loco inter Cæsareensem & Schytopolitanum? Respondeo eos respexisse ad septimum Canonem Nicænum, à quo jubetur honorari Æliæ Episcopus, esse totius Palestinæ Proto-Thronus, proximus Cæsareensi Metropolitæ. Sanctus Augustinus, Romanam secutus Ecclesiam, ipsum non agnovit Metropolitam; sanctus autem Chrysostomus, secutus Synodum Constantinopolitanam, agnovit ut talem, etiam factâ Provinciæ divisione judicavit servandum Nicænum Canonem, ideòque Æliensem, licet tertiæ dumtaxàt quoad res civiles Provinciæ Metropolitam, debere esse secundum. Necdum enim ut Patriarcha agnoscebatur.

Arabiam Romanis acquisivit, ac in Provinciam redegit Traianus Augustus, ejusque unicæ metropolim fuisse Bostrensem civitatem, est suprà ostensum. Adversatur in libris de bello Persico Procopius
L.1.c.56. Cæsareensis: *Arabiæ Regia civitas est Petra.* Et Jacobus de Vitriaco: *Quartus Metropolitanus*, Patriarchæ Hierosolymitano subjectus, *est Petracensis, unum solum habens suffraganeum, Episcopum græcum in monte Sinai, Ecclesiæ beatæ Virginis Catharinæ, & monachis eiusdem monasterij Præfectum.* Existimo fuisse Episcopum Pharan, successorem Theodori Pharanitani, Monothelitæ famosissimi, de cuius Episcopatu & Actis dixi abundè ad Synodum sextam. *Est autem Petra civitas munitissima, quæ vulgari nomine hodie dicitur Crac, & Petra deserti, ultra Iordanem in finibus Moab in monte sublimi sita, secundæ Arabiæ metropolis.* Duas fuisse Arabias probant etiam Acta præsentis Synodi, cui non solùm Constantinus Bostrensis, sed & Eulogius Philadelphiensis Episcopus subscripsit uti Metropolita. Et Philadelphiam fuisse Arabiæ secundæ metropolim testatur in Sophoniæ Prophetæ
cap. 2. commentarijs sanctus Hieronymus. Adfirmo tamen unicam olim fuisse. Hinc enim præsens Synodi nostræ Actio accuratè distinguens duas Phœnicias ac tres Palestinas, unicam solam memorat Arabiam. Et Philadelphiensem Episcopum fuisse solo nomine & vacuo honore Metropolitam suprà ostendi. Hinc laudatus Eulogius, non inter Metropolitas, sed dumtaxàt intar Provinciales Episcopos nostræ Synodo subscripsit. Et olim eius verus Metropolita Bostrensis novemdecim habuit Suffraganeos. Etenim illic etiam in pagis
L.7.c.19. fuisse Episcopos testatur disertè Hermias Zozomenus. Caussam edicit Ammianus Marcellinus: *Arabia castris oppleta est & validis ca-*
L.14.c.27. *stellis, quæ ad repellendos gentium vicinarum excursus sollicitudo pervigil vete-*

veterum per opportunos saltus erexit & cautos. Hæc quoque civitates habet inter oppida quædam ingentes: Bostram, Gerasam, atque Philadelphiam. Istis in oppidis & castris antiqui Patres nostri Episcopos posuêre. Nota Petræ, cuius tamen Episcopus Asterius adfuit Sardicensi Synodo, nullam mentionem fieri, & Gerasam tunc fuisse secundam Provinciæ civitatem. Quare Philadelphia non nisi post Ammiani tempora fuit exaltata. Exaltatam credo à Theodosio Augusto per Provinciæ divisionem, sed quam Ecclesia quoad suas res ex caussis non recepit. Et hinc sanctus Hieronymus rectè dicit Philadelphiam esse secundam Arabiæ civitatem post Bosram, seu secundæ, fælicis passim dictæ, Arabiæ metropolim: Ast civilem, non Ecclesiasticam administrationem respexit. Divisionem tandem recepit & Ecclesia, atque ita Philadelphiensis Episcopus ex nominali in verum cum potestate Metropolitam profecit. Accessit & tertia quoad utrasque res Arabia, à Petra Metropoli dicta Petræa, quam omninò fuisse tertiam Arabiam Christianus Adrichomius in descriptione terræ sanctæ ostendit. Ei fuisse unicum Suffraganeum, monachorum Episcopum, adfirmat & Matthæus Parisiensis. Quare Jacobus de Vitriaco, aiens A. 1099.
esse secundam Arabiam, possit videri lapsus. Aliter in opere de bello sacro Guilielmus Archi-Episcopus Tyriorum: Philadelphiensem L. 14. c. 12.
seu fælicem Arabiam dividit in duas Ecclesiasticas Provincias, priori dans duodecim Suffraganeos, eiusque metropolim dicens esse Rabbath Moabitarum, quam suo tempore vocatam fuisse Areopolim scribit in sancti Sophoniæ commentarijs Presbyter Hieronymus. cap. 2.
Posterioris metropolim dicit esse Becerram, eique subdit triginta quinque Suffraganeos, quos inter est & Philadelphiensis. At verò Crac, Caracæ, seu Petræ Episcopum, uti & Episcopum Pharanitanum, ponit inter Suffraganeos Patriarchæ Hierosolymitani. Ita ostendit ex antiqua iam laudata Provinciarum ac Episcopatuum notitia. Quare Arabia variam mutationem subijt, cuius auctorem, occasionem, tempus ignoro. Sed & ista notitia est cum judicio legenda: Planum est non esse vetustissimam. Rusticanos ac pagenses Arabiæ Episcopos exstinxisse possint Flandri nostri, terræ sanctæ liberatores, de quibus Iacobus de Vitriaco: *Multæ aliæ civitates in terra promissionis, quæ licet ante tempora Latinorum proprios haberent Episcopos Syrianorum & Græcorum, Latini tamen propter multitudinem & paupertatem eorum, ne dignitas Episcopalis vilipenderetur, plures Ecclesias cathedrales & civitates uni Cathedrali subiecerunt.* Ita & tertia Arabia ad unum Suffraganeum decrevit. L. 1. c. 58.

De harum Provinciarum per Iuvenalem invasione scribit Theodo-

Epist. 79. doretus Cyri Episcopus ad Anatolium Patricium: *Quod si propterea indignantur nonnulli, quod Phœnices Ecclesiarum ruinam lugemus, sciat Magnitudo vestra non posse nos non dolere, cum Iudæorum cornu in altum erectum, Christianos in lacrymis luctuq; cernimus, etiamsi ad ultimas oras transmittant.* Et in literis ad Eutrechium Præfectum: *In luctu ver-*
Epist. 80. *santur Ecclesiæ Phœnices, pariterq; in luctu quæ in Palestina sunt.* Et infrà: *Licet decies millies indignentur, quod Phœnices damna defleo, id ego facere non desinam, quamdiu hæc video. Mihi enim formidabile solum est Divinum Iudicium.* Scriptæ sunt hæ literæ post Ephesinum latrocinium, in quo Iuvenalis rapina fuit confirmata, atque ita sacra Pragmatica videntur latrocinale Decretũ dumtaxàt confirmasse. Dolebant porrò Phœnices & Palestinæ Ecclesię, quod contra Apostolicos atque Nicænos Canones nollent à nativo Antiocheni in ambitiosum Æliensis Episcopi Patriarchatum seu potiùs servitutem transferri. Ecclesiam Antiochenam uti germanus filius adjuvit Theodoretus, verùm fuit jussus silere uti apud Ephesum degradatus homo, nisi vellet Oasin deportari. Hìnc dicit Iudæos, id est, latrocinij Ephesini sequaces Episcopos esse in lætitia, in luctu & lacrymis Christianos. Erat per omnem Antiochiæ Patriarchatum miseranda rerum facies: Eam utcumque solaturus Maximus Patriarcha inijt cum Iuvenali iam memoratum pactum, à Synodo nostra confirmandum.

Iuvenalis fundamentum fuisse videtur, quod post Arabiam & Phœniciam per Adrianum Augustum à Syria divisas Antiochia mansisset huius solius civile caput, idque in pœnam frequentis in Augustum Principem delicti. Eam enim, quod multa pro Avidio Cassio tyranno dixisset, nec videre voluit, Syriam transiens, Marcus Antoninus Philosophus Imperator, privavit spectaculis, conventibus publicis, omni concionum genere, gravissimoque pressit Edicto, uti videre est apud Iulium Capitolinum. Cur spectaculis privârit, edicit in libris de bello Persico Procopius Cæsareensis: *Antioche-*
cap. 25. *no populo aliud nihil, quam festa & deliciæ, sunt curæ, & in Theatris continua contentio.* Et de Severo Augusto scribit Ælius Spartianus: *Antiochensibus iratior fuit, quod & administrantem se in Oriente riserant, & Pescennium Nigrum tyrannum etiam victu iuverant. Denique multa eis ademit.* Antiochenses enim fuisse naturâ dicaces, & cum irrisoria
L. 4. urbanitate etiam in Principem contumeliosos testantur Zozymus,
L. 3. c. 25. Socrates, ac Nicephorus Calixtus. Ex hocce vitio etiam in Theo-
L. 10. c. 27. dosij magni vectigales leges involârunt, scribitque de ista re in Ec-
L. 5. c. 19. clesiastica historia Theodoretus: *Imperator graviter commotus omnia privilegia urbi illi ademit, & principatum Laodiceæ, vicinæ civitati, tribuit.*

buit. Quippe istud Antiochenos ægerrimè laturos existimavit. Nam Laodicenses ab antiquis iam temporibus adversùm Antiochenos gravi invidiâ exarserant. Hæc Antiochensium delicta, quibus Domni Patriarchæ per Ephesinum latrocinium degradati pertinax in sancti Cyrilli capitula odium accessit, videntur fuisse primum Juvenalis fundamentum. At frivolum. Etenim de Severi Augusti lege scribit Ælius Spartianus: Antoninus Caracallus, Severi filius, *Antiochensibus suo* apud Patrem *interventu iura vetusta restituit.* Et quidem adhuc puer. Quod item Theodosius, à Macedonio monacho inflexus, legem suam cassarit, adfirmat in monastica historia Theodoretus. Etiam Flaviano Patriarchæ Zozomenus adscribit. Quare à Libanio gentili Sophista fuisse mitigatum Principem Zozymus imponit.

cap. 1. cap. 13. L. 7. c. 23. L. 4.

Alterum Iuvenalis fundamentum fuit sanctus Iacobus Apostolus, à quo Hierosolymæ sedem esse verè Apostolicam contenderat olim adversùs sanctum Hieronymum etiam Episcopus Ioannes. Et hinc Patriarcha Maximus hisce suis interlocutionis verbis, *Antiochensium maxima civitatis*, subtexuit has: *Beati Petri.* Ostendere voluit nullam Sedem esse verè Apostolicam, nisi in qua ipse sanctus Petrus Apostolus uti Cardinalis Episcopus sedisset.

Et quidem pacta ista probârunt Legati Apostolici, universa Synodus, & gloriosi judices, quorum Edictum suprà adduxi. Verùm omnia, utpotè Nicænis Canonibus adversa, sanctus Leo cassavit. Attamen uti Episcopi Constantinopolitani tres autocephalas diœceses, ita tres Palestinas sub suo jugo detinere perrexerunt Hierosolymitani, eà via de qua Liberatus Carthaginensis: *Licet Sedes Apostolica nunc usque contradicat, quod à Synodo firmatum est, Imperatorū patrocinio permanet quodammodò.* Quin temporis successu etiam primam Phœniciam & tertiam Arabiam reinvasit Hierosolymitanus, uti iam dixi ex Iacobo de Vitriaco. Reinvasam fuisse & secundam, eamque in duas Provincias divisam, Arabiam testatur Guilielmus Archi-Episcopus Tyriorum. Et quidem eius Prædecessor Guilielmus, primus ibidem Latinus Episcopus, statim ad Antiochenum Patriarchatum redire conatus est, & de huius proximo successore Fulcherio, per Guilielmum Hierosolymæ Patriarcham consecrato, & Archi-Episcopali Pallio per Innocentium secundum Pontificem insignito, scribit laudatus Guilielmus: *Reversus ab Ecclesia Romana, mandatum accepit, ut quousque deliberaretur, utri duorum Patriarcharum perpetuò cederet, interim, sicuti & Prædecessori eius fuerat dictum, Hierosolymitano obediret, eamq; dignitatem in Hierosolymitana obtineret Ecclesia, quam eius prædecessores in Antiochena, quamdiu ei obedierunt, obti-*

cap. 13. L. 14. c. 12.

nuerunt. Certum est autem, quod inter tredecim Archi-Episcopos, qui à diebus Apostolorum sedi Antiochena subditi fuerunt, Tyrensis primum locum obtinuit, ita ut mortuo Patriarcha Antiocheno, Proto-Thronos Tyrensis appellaretur. Ipsum ostendit ex superiùs adducta Provinciarum ac Episcopatuum notitia, & ego suo loco ostendi ad Synodum octavam. Et quidem Romana Ecclesia primam Phœniciam manere perpetuùm sub Patriarcha Hierosolymitano tandem sanxit, ac illic esse Proto-Thronum, de quo Decreto, uti Apostolicis atque Nicænis Canonibus adverso multùm queritur laudatus Guilielmus. Rei seriem accuratè exponit.

ACTIO VIII.

AD octavam Actionem, factam item septimò Kalendas Novembres, clamârunt varij Episcopi: *Theodoretus* Cyri Episcopus *modò anathematizet Nestorium.* Neque enim de solis impugnatis S. Cyrilli Capitulis, sed & de dilecta atque defensa Nestorij persona erat apud multos suspectus. Hìnc in medium transiens reposuit: *Et preces obtuli Divinissimo ac pijssimo Imperatori, & libellos reverendissimis Episcopis agentibus locum reverendissimi Archi-Episcopi Leonis, etsi vobis videtur, legantur coram vobis, ut sicut sapio cognoscatis.* Existimavit rectam suam fidem abunde in his libellis aperiri. Verùm adversantes Episcopi non fuêre contenti, & denuò clamârunt: *Nihil relegi volumus, modò anathematiza Nestorium.* Nôrant Nestorianam luem esse Pelagianæ filiam ac sororem, nôrant ambas esse mendaciorum ac mentalium restrictionum peritissimas, ejusdem artis suspectum habuêre Theodoretum, ideòque disertè ac nominatim voluerunt ab illo Nestorium anathematizari. Artificiosum falsi sermonem esse verum mendacium docet in literis ad Ecclesiam Neo-Cæsareensem
Epist. 57. sanctus Basilius magnus. Eum præsertim in juramentis dete-
L. 5. statur etiam Zozymus, homo gentilis. Eamdem fuisse Titi Livij, Iulij Flori, Aurelij Victoris, ac totius Romani Imperij vetustam innocentiam, possit lucidè ostendi. Certè Paulum Notarium, quod insolubiles mendaciorum nodos posset restringendo compingere, probrosè agnominatum fuisse *Paulum Catenam*, testatur ac probat Ammianus Marcellinus. Eiusmodi gentiles surgent in Divino judicio, & condemnabunt multos nostri temporis Christianos. Et utinam dumtaxàt idiotas. Dico, *Nostri temporis.* Etenim Burgundiæ campum, in quo Ludovici pij Imperatoris filij, Francorum Reges, restrictionibus mentalibus invicem deceperunt, ponentes publicæ calamitatis fundamentum, parentes nostri notârunt de infamia, vo-

câ-

câruntque *campum mendaciorum.* Et Hattonem Moguntiæ Episcopum, à cuius mentali restrictione deceptus Rudolfus Comes, ut nequissimè mendacem notant cuncti Francorum Annales. Ipsum, utpotè qui Reipublicæ commodo fecisset, quosdam excusare conatos graviter arguit Otto Episcopus Frisingensis. Et Sisbertum Toleti Archi-Episcopum degradavit Sexta decima ibidem Synodus ex ea sola caussa, quod in factâ Domino Regi professione mentaliter restrinxisset. Et Carolum magnum, per quem Thassilo Bavariæ Dux, *quod iurans aliter in mente retinuisset,* damnatus perjurij, laudant passim antiqui Scriptores. Sanctum Petrum Apostolum, quod ancillæ ostiariæ de Christo Domino, quem Deum nôrat, dixisset, *Non novi hominem,* nescio qui olim à mendacio sunt purgare conati: Eos amplè & eruditè in libris de Lotharij Regis divortio revincit Hincmarus Metropolita Remensis, ostendens iuratoria & quævis alia verba, non iuxta tuam, sed iuxta eius, cui juras & loqueris, sensum intelligenda: Hanc esse Dei legem, & lucidum jus humanæ societatis. Perozas Persarum Rex ab Euthalitis, seu albis Hunnis, pacem nancisci nequijt, nisi stipulatus eorum Regem uti Dominum adorare. Acerba conditio. Hinc consulti *Magi responderunt sapientiâ quâdam circumvenire inimicum oportere. Nam Persis adorare tantùm solem esse legem, propterea tempus in hac re observandum, ut manè Regem Euthalitarum conveniat, & ad ortum solis conversus eum adoret. Hoc modo patrio more servato, facti ignominiam eum vitaturum.* At istam sapientiam meritò in libris de bello Persico ridet Procopius Cæsareensis. L. 1.
Longè magis ridendi, qui Indorum aut Chinensium neophytos fideles, ad patriorum idolorum adorationem Regiâ violentiâ compulsos, per simultaneam nescio ubi absconditæ Dominicæ Crucis adorationem sunt conati ab idololatria excusare. Vides interim eiusmodi Theologastros nihil novi somniasse, sed ambulare in veteri circuitu gentilium errorum. Et hinc Theodoreto rectam suam fidem ex multis probare pergenti, reddiderunt iterùm Episcopi: *Clarè dic anathema Nestorio & dogmatibus eius; Anathema Nestorio & amantibus eum.* Et iterùm adversùs adhuc tergiversantem: *Iste hæreticus est, Iste Nestorianus est, Hæreticum foras mitte.* Etenim qui veritatem, non nudam producere, sed verborum phaleris & fucis incrustare pergit mentem suam, meritò mendax existimatur. Et hinc tandem Theodoretus palàm edixit: *Anathema Nestorio, & ei qui non dicit Dei genitricem Virginem Mariam, & qui in duos filios partitur unum filium unigenitum. Ego autem & fidei definitioni subscripsi, & Epistolæ sanctissimi Archi-Episcopi Domini Leonis. Et sic sapio. Salvete.*

Lucida hæc cum postulato anathemate professio satisfecit gloriosis judicibus interlocutis: *Omnis iam dubitatio de Theodoreto reverendissimo Episcopo est soluta. Quippè & Nestorium coram nobis anathematizavit, & à sanctissimo Archi-Episcopo senioris Romæ Leone susceptus est, & definitionem fidei à Religiositate vestra prolatam libenter suscepit, & insuper Epistolæ memorati sanctissimi Archi-Episcopi Leonis subscripsit. Deest igitur, ut sententia proferatur à Reverentia vestra, ut Ecclesiam suam recipiat, sicut & sanctissimus Leo Archi Episcopus iudicavit.* Theodoretum enim ad se ab Ephesini latrocinij sententia appellantam susceperat, ac sedi reddendum jusserat sanctus Leo; ast varij in hac Synodo Episcopi occultum illi Nestorianismum, adeòque obreptionem improperarunt, coëgeruntque ad purgativam cum iam dicto anathemate professionem. Et hìnc ipsâ factâ, isti ijdem Episcopi gloriosis judicibus acclamârunt: *Theodoretus dignus est sedes: Ecclesia orthodoxum. Ecclesia Pastorem recipiat. Archi-Episcopo Leoni multos annos. Pòst Deum Leo iudicavit. Theodoreto catholico Doctori reddatur Ecclesia.* Quod judicium Romani Legati & omnis Synodus comprobârunt, atque ita Theodoretus est in integrum & canonicum Episcopum plenè reformatus. Qui Leonis de ipso judicium fuisse hìc à Synodo retractatum censent, palàm falluntur. De sola subreptione cognovit Synodus, ipsâque purgatâ est istud judicium amplissimè executa. Hic est locus, in quo ad dictas & scriptas adversùm sancti Cyrilli capitula calumnias recantandas potuerat Synodus Theodoretum cogere: Cur non coëgerit, suprà dixi ex Facundo Hermianensi Episcopo ac Leontio Scholastico Byzantino. Nihilominùs Acephali non desierunt illum hinc infamare retenti in corde Nestorianismi, & spretæ Synodi, utpotè ad quam cum sarcasmo dixisset: *Salvete.* Accusârunt & Synodum, quæ hominem Nestorianum, non plenè discussum, nec ad laudata capitula, unicam Nestorianismi medelam, profitenda compulsum, ad plenam communionem ac sui subscriptionem suscepisset. At nugamenta sunt, abundè in superioribus refutata ex laudatis Facundo & Leontio, nec non & ex Hypatio Ephesiorum Episcopo addente: *Chalcedonense Concilium circa Theodoretum districtiùs egit, quam beatus Cyrillus. Beatus enim Cyrillus contentus fuit in damnatione Nestorij, & ordinatione beati Maximiani, qui pro illo in Regia civitate episcopus factus est; Chalcedonense autem sanctùm Concilium, nisi sub præsentia sua anathematizasset Nestorium & omnia dogmata eius, & scriptis inter Acta inserta fuissent voces eius, non fuit contentum suscipere eum. Si Nestorius & Eutyches simili modo proprias hæreses anathematizassent, omnibus modis*

dis etiam illi suscepti fuissent à sanctis Concilijs. Adeò malè nostra hìc Synodus insufficientis discussionis accusatur.

Post receptum Thodoretum præfati Episcopi rursùm clamârunt: *Anathematizet & Sophronius.* Et iterùm: *Et Ioannes modò anathematizet.* Acta synodalia aiunt Sophronium fuisse Episcopum Constantiensem, annotatio marginalis Constantinensem. Eodem modo civitatem istam vocat marginalis annotatio ad primum Procopij librum de bello Persico. Textus pessimè vocat Constantinopolim. In secundo de Justiniani Augusti ædificijs libro ipse Procopius vocat Constantinam, Mesopotamiæ urbem, à laudato Justiniano insigniter adversùm Persas munitam, atque ornatam. Eam Provinciarum ac Episcopatuum notitia, ex Guilielmo Tyri Episcopo superiùs adducta, ponit in Osrhoena Provincia sub Metropolita Edesseno. Plerique Mesopotamiæ, Eufratesiæ, ac aliarum Orientalium Provinciarum Episcopi, quod aut ipsi aut ipsorum antecessores Ioanni Antiocheno Patriarchæ adversùs Ephesinam Synodum & sancti Cyrilli anathematismos adsociati longa bella movissent, erant de Nestorio suspecti: Hìnc igitur ille Sophronius, qui Domni Patriarchæ Synodo in Athanasij Parrhensis Episcopi caussa adfuit, necnon & Ioannes Germaniciensis ad Eufraten Episcopus, quod præ cæteris notati essent, specialiter abjurare coacti sunt, & abjurârunt. Hìnc rursùm nescio qui Episcopi: *Amphilochius* Sidensis in Pamphylia *Episcopus modò Eutycheten*, de quo ex caussis gravem suspicionem incurrerat, *anathematizet.* Et statim ille: *Anathema maledicto Eutychi, & qui ea, quæ eius sunt, sapiunt.* Et tunc gloriosi judices Actionem concluserunt.

ACTIO IX.

AD nonam Actionem, factam item septimo Kalendas Novembres, supplex loqui cæpit Ibas Edessenus Episcopus, Metropolita Provinciæ Osrhoënæ, de qua in historia monastica Theodoretus: *Regio, quæ olim Parthyæorum, nunc Osrhoënorum dicitur, pertinet versùs occasum quidem ad ripam usque fluminis, cui nomen Eufrates, ad orientem verò solem habet limitem Romani Imperij. Excipit enim illam Assyria, quæ Persici Regni occidentalis est terminus, quam posteri Adiabenen appellârunt.* Cur Osrhoëna dicta fuerit, edicit in primo libro de bello Persico Procopius Cæsareensis: *Osrhoës viri nomen est, qui hic regnavit superioribus temporibus, quando hi coloni Persis fœderati erant.* Esse dicit partem Mesopotamiæ in duas Provincias divisæ. Edessam metropolim fuisse amplissimam ac munitissimam civitatem, multis osten- Cap.2.

ostendit in secundo libro. Esse antiquam Rages, quò filium suum ad Gabelum misit sanctus Tobias, est antiqua traditio. Postrema inter Orientales civitates cecidit in manus Saracenorum. Jacobus de Vitriaco esse dicit antiquam, nobilem, egregiam civitatem, Medorum
L. I. c. 31. metropolim, suo tempore dictam Poäse. Flandrenses nostri, terræ sanctæ liberatores, omnem Orientalem diœcesim divisere, aut divisam repererunt in quatuor Principatus, Hierosolymitanum, Antiochenum, Tripolitanum, ac Edessenum, de quo idem Jacobus: *Habebat tres Archi-Episcopos, Edessenum, Hierapolitanum, & Coriciensem, sub Patriarcha Antiocheno constitutos.* Hierapolitanus est caput Eufratesiæ Provinciæ, extra Mesopotamiam, cis Eufraten. Ecclesiarum notitia, ex Guilielmo Tyrio superiùs adducta, Mesopotamiam dividit in quatuor Provincias, Edessenam, Amidenam, Sergiopolitanam, ac Theodosiopolitanam, cuius Metropolita olim fuit Suffraganeus Edesseni. Divisionis auctorem, caussam, tempus ignoro. Edessa Christi Domini tempore habebat Regem Agabarum, imaginis non manu factæ dono clarissimum: Eam Traianus Augustus in Romanam Provinciam redegit.

Ad nostram itaque Synodum Ibas Metropolita: *Iniustitiam ab Eutyche & falsa figmenta perpessus, absens à quadraginta mansionibus & condemnatus, huc adveni impetrare clementiam, & adij sacrum & immortalem Verticem, & iussit vestram Magnificentiam cum sancta hac & universali Synodo, quæ adversùm me sunt gesta perquirere.* Sese per trium Episcoporum, à Principe Theodosio singulariter delegatorum, Berytensem Synodum à quorumdam suorum Clericorum calumnijs absolutum, & totius sui Cleri testimonio innoxium, questus est fuisse damnatum ab Ephesino latrocinio per artes Eutychetis, & quidem absentem longissimè & inauditum, ideòque recitari & innovari rogavit Berytensem sententiam, & latrocinale de se judicium vacuari. Erat æqua postulatio, ideòque Berytensia Acta recitari iusserunt Legati Romani, & post lecta sunt interlocuti: *Sanctissimi Episcopi, qui Decreto proprio inculpabilem, & ab omni accusatione liberum Ibam reverendissimum declaraverunt, si propriam sententiam recognoscunt, edicant.* Berytensis Synodi omnes tres Episcopi aderant, quorum Photius Tyrius reposuit: *Etiam, nostrum est iudicatum.* Quod ipsum professus est Eustatius Berytensis. Et hinc rursùm Romani Legati ad omnem Synodum: *Audivit vestra Beatitudo, quid contineat sanctissimorum Episcoporum Decretum; similiter & vestra Puritati de statu Iba quid videatur, declarare dignemini.* At gloriosi judices intercessere runt: *Subsequenti die suam sententiam sanctissima Synodus faciet manifestã.*

ACTIO

ACTIO X.

AD Actionem decimam, factam sexto Kalendas Novembres, querelas suas repetivit Ibas, addens sese ab Ephesino latrocinio fuisse non solummodò degradatum, sed & carceratum, & viginti mutasse carceres. Et addidit: *Exoro vos, absens condemnatus sum, non aderam, non obtinui me defendendi locum, non mihi permissum est facere verbum.* Ad quæ omnes Episcopi clamârunt: *Malè fecerunt qui eum præter Canones dudùm damnaverunt. Quæ adversùs absentem facta sunt, vacuentur. Hæc omnes dicimus. Nullus condemnat absentem.* Patricius Tyanensis Episcopus, secundæ Cappadociæ Metropolita adjunxit: *Pridem relecta est sententia eorum, qui tunc judices fuerunt deputati, & decreverunt eum Sacerdotem esse. Omnes ergo eorum definitioni consentimus, & eum volumus esse Sacerdotem.* Et omnes Orientales Episcopi acclamârunt: *Iustum est hoc Decretum.* At nescio qui alij intercesserunt: *Contradicitur. Sunt accusatores eius foris, & iubeantur ingredi.* Neque enim solus Ibas, sed & plerique Orientales Episcopi de Nestorio suspecti erant, apud Ægyptios præsertim & Asiaticos: Residua hæc erant discordiarum in Synodo Ephesina. Et hinc gloriosi judices sunt interlocuti: *Ingrediantur qui Ibam reverendissimum Episcopum accusare volunt.* Ex mox ingressi sunt Theophilus, Eufrasius, Abrahamius, & Antiochus, Edessenæ Ecclesiæ Diaconi, & pro cunctis Theophilus est locutus: *Rogamus, quæ super Iba in Beryto gesta sunt, relegi, ut addiscatis quia iustè damnatus est.* Et gloriosi judices: *Accusaturus Ibam reverendissimum Episcopum advenisti, an tamquam pro fide certaturus Gesta relegi cupis?* Accusaturus enim debet se ad talionem inscribere. Hinc Theophilus: *Accusatores manifesti sunt, & hic non sunt. Ego Diaconus sum, & scio violentiam civitatis. Et si accuso, & testes non adsunt, denegat.* Omnis Edessa diligebat Ibam, parata illum & armis tueri adversùm calumniatores. Hinc ab Ephesino latrocinio degradatum per viginti carceres à Chrysaphio Eunucho mutari curârunt Dioscorus & Eutyches: Quò ubinam esset, nesciret populus Edessæ. Hinc item accusare non audet Theophilus, solùm postulat articulos apud Synodum Berytensem productos rursùm discuti, & ex illis ipsum judicari. Ad quæ gloriosi judices: *Scriptas probationes de aliqua re præstare potes?* Et Theophilus: *Habeo monimenta, quæ super eo gesta sunt in Beryto, & quæ in Epheso. Ecce & Domnus Thalassius novit: Ipse, qui suscepit relationes, adest. Interrogetur ipse, ob quam caussam damnationem fecit. Et Domnus Eusebius adest, & novit.* Ephesini latro-

latrocinij ſententiam, licet de abſente, quia tamen ex articulis coram Berytenſi Synodo productis & probatis factam, adſeveravit legitimam, iſtudque Thalaſſij Primatis Cæſareenſis, & Euſebij Metropolitæ Ancyrani, qui Dioſcoro Ibam damnanti fuerant ſingulariter cooperati, auctoritate & teſtimonio confirmavit. At Euſebius excepit: *Ego relationem non ſuſcepi; dum autem in Epheſo relegeretur, audivi. Et eſt verſuum charta multorum, & multorum hominum depoſitiones habens. Si autem habet monimenta, tamquam ad petitionem geſta, eius eſt probare. Ego enim cum multitudine auditor fui.* Excepit & Thalaſſius: *Cum omnibus audiebamus.* Et à glorioſis judicibus ambo rogati, *Aderat tunc reverendiſſimus Ibas in veſtra audientia*, faſſi ſunt: *Non aderat.* Quare omnes Orientales & Pontici Epiſcopi exclamârunt: *Abſentem nullus abijcit.* Et hinc ad Berytenſem Synodum redijt Theophilus, rogans de articulis iſtic adversùs Ibam productis: *Veritas in hac ſancta Synodo demonſtretur.* Demonſtravit ipſam Euſtatius Berytenſis Epiſcopus, alter iſtius Synodi Præſes: *Introduxerunt tres, & ſex, & duodecim teſtes propter dictionem, quam dixit Ibas,* NON INVIDEO CHRISTO FACTO DEO. *Hic eſt Photius Epiſcopus,* alter Præſes eiuſdem Synodi; *proponatur ei Evangelium, & coram illo profiteatur.* Et hinc omnem rei ſeriem enarravit Photius, adſeverans Ibam ab accuſatoribus non fuiſſe convictum, ſed ſynodaliter abſolutum, & concluſit: *Fecimus eos amicos; ſancta munera in Epiſcopio rursùs communicaverunt invicem Presbyteri* accuſatores, *& ipſe.*

Theophilus non acquievit, & non ad Berytenſem de Iba ſententiam, ſed ad productos illic articulos, & integra Synodi Acta proclamavit, poſtulans recitari. Et per Conſtantinum Magiſtrianum, ſacri Conſiſtorij Adjutorem fuêre recitata. Recitata fuit & famoſa ad Marim Perſidis Epiſcopum Epiſtola, præcipuus offenſionis lapis, & unica ad Synodum noſtram mentio de nomine & laudibus Theodori Epiſcopi Mopſueſteni. Quibus lectis, Ibas ad glorioſos judices eſt interfatus: *Iubeat veſtra Clementia relegi & literas Clericorum Edeſſenorum, ut cognoſcatis, quia & ab his, quæ mihi illata ſunt, alienus exiſto, & violentiam ſum perpeſſus.* Soli quatuor Presbyteri, Samuel, Cyrus, Eulogius, & Maras accusârant, reliquus ampliſſimæ Edeſſæ Clerus Ibam innocentem fuerat proteſtatus publico ad Synodum Berytenſem directo inſtrumento: Ipſum etiam legi poſtulavit Ibas, legitque ſacri Conſiſtorij Secretarius Beronicianus.

Adversùs illud neſcio quas exceptiones movit Theophilus, ſed quas glorioſi judices cenſuere frivolas, interlocuti: *Ea, quæ lecta ſunt, clarent. Vt autem nihil deſit juſtè iudicare debentibus, relegantur quæ*

in Epheso de Iba reverendissimo gesta sunt. Ad plenam sui & caussæ instructionem voluerunt etiam legi Acta in Ibam à latrocinio Ephesino. Utinam fuissent lecta. Ita non perijssent, & Ecclesiasticæ eruditioni multum hodie lucis darent. Verùm Legati Apostolici meritò ac generosè intercesserunt: *Synodus proferri non potest, in qua illa nefaria delicta relecta sunt, & ob hoc ad lectionem videntur esse superflua ea, quæ ibi acta sunt. Si ergò & à beatissimo & Apostolico Romanæ urbis Episcopo omnia, quæ ibi gesta sunt, vana sunt habita, claret quia & sanctissimus Episcopus Antiochenæ civitatis extra hæc est, quem post hæc beatissimus Episcopus in propria communione suscepit. Necessarium est enim, ut rursùs eumdem tranquillissimum Principem adeamus, quatenùs illud Concilium sacrâ & piâ lege neque nominari præcipiat.* Hæc illustrat partim, partim obscurat quintæ Synodi sexta collatio: *Chalcedonensis sancta Synodus Domnum Antiochiæ Episcopum, eò quod scripsit debere taceri duodecim capitula sanctæ memoriæ Cyrilli, & post mortem condemnavit, cùm confirmasset condemnationem eius, & suscepisset Maximi ordinationem.* Dico, *Partim obscurat*: Quod enim Domnus nostræ Synodi tempore fuerit mortuus, atque ita post mortem condemnatus, statim lucebit esse falsum. Falsum item est, quod ob reprobata sancti Cyrilli capitula fuerit à sancto Leone & præsenti Synodo damnatus: Damnatus fuit, quod in sancti Flaviani damnationem fuisset Dioscoro satelles in Ephesino latrocinio, & stabiliendæ Eutychianæ perfidiæ contra propriam conscientiam & Patriarchalis officij debitum ex metu cooperatus. Ejus opera ad perficiendas suas in Deum machinas usus fuit dolosus Dioscorus, adversùs impio satellitio persunctum quæsivit aut crimina aut criminum prætextus, ob impugnata sancti Cyrilli capitula damnavit ut Nestorianum, eiusque in sedem intrusit Maximum monachum, Diaconum & Archi-Mandritam. Quæ omnia, dum latrocinij Acta discutit, sanctus Leo considerans, vidit Domno competere vetustam paræmiam: *Per quæ quis peccat, per hæc & punitur.* Vidit illi à Deo per impias Dioscori manus redditum esse justum talionem, ideòque hunc, dispensatoriè purgatâ promotione Maximi, confirmavit. Ex quo insigniter lucet suprema Romani Episcopi in Synodos generales auctoritas, quâ possit probare unum, alterum ipsarum Decretum damnare. Hìnc Romani Legati adversùs gloriosorum judicum interlocutionem intercesserunt, adfirmantes Ephesinum latrocinium esse lectu ac Synodi nomine indignum, cassatum à Leone Pontifice, & cassationem laico Marciani Augusti brachio firmatam. Brachium istud, si quidem latrocinij pergat celebrari memoria, minati sunt denuò implorandum. Ibæ caussam ex

ſolis Actis Berytenſibus, & proprijs eius adſtantis allegationibus voluêre judicatam. Quæ omnia Anatolius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, & reliqua Synodus comprobârunt.

Quare rursùm glorioſi judices: *Quod placet ei de Iba reverendiſſimo Epiſcopo, ſancta Synodus doceat.* Et Apoſtolici Legati: *Relectis chartis agnovimus ex ſententia reverendiſſimorum Epiſcoporum Ibam innoxium approbari. Relectâ enim eius Epiſtolâ, agnovimus eum eſſe orthodoxum. Et hinc decernimus & honorem Epiſcopatus, & Eccleſiam, à qua iniuſtè & abſens expulſus eſt, ei reſtituendam. De ſanctiſſimo igitur Epiſcopo Nonno, qui pro eo paulò ante factus eſt, exiſtimationis erit venerabilis Epiſcopi Antiochenæ Eccleſiæ, quid oporteat de eo ſtatui.* Ibam non ſolummodò degradârat Epheſinum latrocinium, ſed & alium Epiſcopum in eius ſedem ordinari juſſerat, ac ordinatus fuit Nonnus. Et hìnc nova quæſtio. Etenim vivo & illegitimo dejecto Patri ſuo ſuperordinatus Epiſcopus eſt intruſus, ac iſtiuſmodi omnes irreparabiliter ad laicos reijcit Synodus Sardicenſis. Verùm Nonnus videtur fuiſſe ab Epheſina iniquitate innoxius, & non per ambitum, ſed per obedientiam ſuperordinatus. Hinc illum diſpenſatoriè Patriarchæ beneplacito glorioſiſſimi judices cenſuerunt dimittendum. Et Anatolius Conſtantinopolitanus Epiſcopus confirmavit. Etiam Patriarcha Maximus, adddens de Ibæ Epiſtola: *Orthodoxa eius declarata eſt dictatio.* Et de Nonno: *Nonnus Dei amantiſſimus Epiſcopus, qui pro Iba factus eſt, maneat in eadem Epiſcopatus dignitate, quoad ſimul cum Dei amantiſſimis Epiſcopis diœceſis meæ de illo deliberem.* Ei Epiſcopi nomen & dignitatem relinquit, cum ſua Synodo opportunè de ipſo definiturus iuxta Canonem de Epiſcopis ad aliquam Eccleſiam conſecratis, & ab ipſa non receptis. Vides interim famoſam Ibæ Epiſtolam à Legatis Romanis, Anatolio Conſtantinopolitano, & Maximo Patriacha Antiocheno fuiſſe judicatam orthodoxam.

At Juvenalis Hieroſolymitati Epiſcopi ſuffragium non plenè conſonat: *Qui convertuntur, hos Scriptura Divina ſuſcipi mandat. Quapropter & eos, qui ab hæreticis revertuntur, ſuſcipimus. Vndè æquum eſſe cenſeo, ut reverendiſſimus Ibas clementiam impetret, quia ſenex eſt, & ut habeat Epiſcopatus gradum orthodoxus exiſtens.* Videtur Ibam ac eius Epiſtolam, non ut innoxium & orthodoxam ſuſcipere, ſed ut pænitentem, & ab Epiſtolæ iniquitate correctum. Etenim in prima Epheſina Synodo Juvenalis ſancto Cyrillo, Ibas Joanni Antiocheno Patriarchæ adhæſerat, ideòque apud Juvenalem ſemper fuerat de Neſtorio ſuſpectus. Et iſtud ſuffragium placuit etiam Thalaſſio Cæſareenſium Primati, admittenti Ibam in honores priſtinos, quod

per

per Synodum Berytensem fuisset iam pridem admissus, & præsertim quod ibidem *anathematizaturum se illa, quæ accusatores deposuerant, promisisset*, ac etiamnum promitteret. Quod ipsum & alij Episcopi judicârunt.

Et hinc quinta Synodus & Justinianus Imperator rectè dixerunt Ibæ Epistolam ab omni Chalcedonensi Synodo nullatenùs fuisse probatam: Quoniam privata aliquot Episcoporum in Synodis suffragia nequaquam sunt judicium synodale. Quin immò in sexta quintæ Synodi collatione Theodorus Cappadociæ Primas ex adductis Juvenalis & Thalassij suffragijs firmum accepit adversùs Ibæ Epistolam fundamentum: *Iuvenalis Hierosolymitanæ civitatis Episcopus ut de hæresi agentem pœnitentiam Ibam, veniam & clementiam, maximè propter senectutem, meruisse interlocutus est secundùm Ecclesiæ traditionem*: Juxta Canonem adductum à sancto Athanasio in Epistola ad Ruffinianum. *Thalaßius Cæsareæ Episcopus apertè ostendit in sua interlocutione, quod nunquam suscepisset Ibam, nisi pollicitus esset anathematizare ea, quæ ab accusatoribus eius in Scriptis adversùs eum deposita sunt. Certum verò est, quod accusatores Ibæ Epistolam protulerunt in eius accusationem.* Hæc Juvenalis & Thalassij suffragia queritur à trium Capitulorum defensoribus in pravum sensum detorqueri.

Eunomius Nicomediensis Episcopus, Bithynorum Metropolita est de Iba ac Epistola eius hunc in modum Suffragatus: *Iam quidem ex ijs, quæ relecta sunt, innoxius approbatus est reverendißimus Ibas. In quibus etenim dicendo malè culpare visus est beatißimum Cyrillum, in postremis rectè confessus, illa in quibus culpaverat refutavit. Vndè & ego anathematizantem eum Nestorium & Eutychen, & impia eorum dogmata, & consentientem ijs, quæ à sanctißimo Episcopo Leone scripta sunt, & huic universali Concilio, dignum esse Episcopatu decerno.* Quod suffragium trium capitulorum defensores magnis laudibus extulerunt. Ab illo dixerunt subtiliter purgari Epistolam, tamquam quæ in sui exordio adversùs sancti Cyrilli personam & capitula, Synodumque Ephesinam loquatur dumtaxàt recitativè, at verò in fine ista omnia adsertivè refutet & damnet, atque ita semetipsam sanet & emundet. Reposuit verò in laudata sexta collatione Theodorus Cæsareensis: *Quomodò præsumunt Ibæ defensores calumniari interlocutionem Eunomij, quasi partem quidem condamnantem Epistolæ, partem autem comprobantem, cum tota Epistola impietatis plena sit?* Ostendere conatur Epistolæ posteriora esse nequiora prioribus, integram ab ipso Iba fuisse in Synodo Berytensi anathematizatam, tandemque concludit solam

unius partis nequitiam omninò sufficere ad totius Epistolæ damnationem.

Etiam Joannis Sebasteni in prima Armenia, Seleuci in Helenoponto Amaseni. Constantini Melitinensis in Armenia secunda, Patritij Tyanensis in secunda Cappadocia, ac Petri Gangrensis in Paphlagonia Metropolitæ, nec non Atarbij Trapezuntini Episcopi, agentis vices Dorothei Neo-Cæsaræensis in Ponto Polemoniaco Metropolitæ, & aliorum illis adstipulantium Episcoporum suffragia fuerunt ambigua, Ibæ Episcopatum quasi misericorditer restituentia, quod omnia sibi objecta negasset in Synodo Berytensi, & quod ibidem anathematizasset Nestorium, & modò in omnia præsentis Synodi etiam adversùs eumdem Nestorium Decreta consentiret. Et illis omnes omninò Episcopi acclamârunt: *Nestorium Ibas modò anathematizet, Eutychen & dogmata eius modò anathematizet.* Et ille omninò obedivit, solenniter locutus ad plenam Synodum: *Et iam in Scripto anathematizavi Nestorium, eiusq; dogma, & nunc eum anathematizo decies millies. Quod enim semel fit ex animo, si fiat decies millies, non contristat. Anathema & ipsi Nestorio, & Eutychi, & unam dicenti naturam. Et omnem eum, qui non sapit sicut hac sancta Synodus, anathematizo.* Ita receptus fuit in Episcopatum. Quibus omnibus Theodorus Cappadox in dicta sexta collatione adversùs Ibam fuit potenter usus. Ex articulis in Synodo Berytensi objectis, & per Ibam ejeratis dixit fuisse etiam famosam Epistolam. At verò in Constantinopolitana cum Severianis collatione Hypatius Ephesiorum Primas de Ibæ receptione dixit istud ipsum, quod suprà de receptione Theodoreti. Rem scrabrosam dimittamus. Liquet interim Epistolam à plena Synodo non fuisse receptam.

ACTIO APPENDIX.

De Alimentis Domni Ex-Patriarcha Antiocheni.

MAximus Antiochiæ Patriarcha sub Domno Antecessore suo, per Ephesinum latrocinium, aut potiùs per sanctum Leonem Pontificem degradato, fuerat nuper Diaconus & Archi-Mandrita, ipsum, utpotè virum eruditum ac eminentem, dilexerat ac honorarat, ideòque facta illius per legatos Apostolicos supra adductâ mentione usus in eiusdem gratiam, ad præsentem Actionem abiturientem est interlocutus: *Deprecor magnificentißimos iudices, & sanctam hanc & universalem Synodum, ut humanitatem exercere in Domnum, qui fuit*

fuit Antiochiæ Episcopus, dignemini, & statuere ei certos sumptus de Ecclesia, quæ sub me est. Apostolicis Legatis pietas placuit, respondentibus: *Sanctus & beatissimus Papa, qui Episcopatum sancti ac venerabilis Maximi Episcopi Antiochenæ civitatis confirmavit, iusto satis iudicio eius meritum approbasse videtur, siquidem memoratus reverendissimus Episcopus Maximus suo arbitrio Domno voluerit esse consultum, ut sumptus ei de sua Ecclesia, miserationis intuitu, prout æstimaverit, largiatur, ut contentus alimonijs quiescat in posterum.* Quod ipsum Anatolius Constantinopolitanus & Juvenalis Hierosolymæ Episcopus probârunt, & plena Synodus acclamavit: *Laudabiles meritò sunt benevolentiæ Maximi Archi-Episcopi, omnes cogitatum eius laudamus.* Romani Legati rectè dixerunt, *Miserationis intuitu:* Etenim degradatus Episcopus, nequaquam pensione honorari debet ab Ecclesia, sed ad centum milliaria relegari. Hinc Legati addiderunt: *Vt contentus quiescat in posterum.* Ne turbas cieat, aut unquam respiret ad Episcopatum. Quod ipsum vult additio Anatolij: *Domno nihil præter hoc requirente.* Pensionis quantitas Maximi arbitrio est relicta.

ACTIO XI.

MEmnoni apud primam Ephesinam Synodum glorioso Episcopo in Ephesinam primatialem cathedram successit Basilius, Basilio Bassianus, posteà per Stephanum violenter ac scandalosè ejectus. Hinc ille nostram Synodum indictam videns, Marciano Augusto obtulit preces, habentes capita varia. Primò, violenter oppressos, Episcopos præsertim, liberare de manu potentis dicit spectare ad officium Christiani Principis, ideòque & sibi rogat impendi misericordiam, passo miseranda, crudelia, legibus damnata, & nec unquam per barbaros attentata. Pergit de suo partim Clero, partim populo: *Spernentes Dei timorem, & immaculatorum virtutem mysteriorum, quam ex humillimis meis manibus Dei misericordia susceperunt, postquam à nobis mysteriorum perfectio celebrata est, repentè apprehendentes me, & abripientes de sancta Ecclesia, plagis afficiebant, ducentes & portantes in foro, aliquando verò & recludentes, gladijs me subiecerunt. In ijs itaque, dum ipsius vitæ periculum sustinerem, furentes & abripientes Pallium Sacerdotij mei, in sede posuerunt quemdam ex ijs, qui & ipse præsumpserat ea, quæ in me indignè facta sunt.* In Episcopalem thronum intruserunt Stephanum Presbyterum Ecclesiæ Ephesinæ. *Et post hæc quascumque res habueram mobiles vel immobiles, abstulerunt, & sicut voluerunt sibi partiti sunt. Super hæc etiam multos meorum hominum diver-*

sis plagis morti tradiderunt, ita ut funera ante ianuas sanctæ Dei Ecclesiæ quidam exponerent. Secundò, profitetur sese à quovis crimine innoxium, ideòque caussam suam delegari rogat Synodo præsenti. Tertiò, supplicat sibi non obesse violentum hocce spolium, sed sese uti legitimum Episcopum & intra & extra Synodum usque ad caussæ definitionem tractari. Et leges enim & Canones spoliatum mandant restitui ante caussæ ingressum, non nisi à definitiva sententia destituendum.

Videbantur esse preces iustissimæ, ideòque ipsas admisit Marcianus, scribens ad nostram Synodum: *Bassianus reverendissimus, multa incongrua passus, contenta in precibus eius, quæ his nostris Divinis literis subdita sunt, petit à vestra Sanctitate hæc discuti. Festinet igitur vestra Reverentia, has nostras suscipiens literas, caussam discutere, & formam, quæ vobis visa fuerit, proferre.* Cognoscendis aut iudicandis Episcoporum caussis pius Princeps nullo pacto voluit misceri. Quin nec de possessorio discernere, aut Bassianum restituere voluit: Etenim cunctis huc usque actionibus adfuit & subscripsit Stephanus, nulla est mentio Bassiani. Quapropter nostræ Synodi præsens Actio, ad Bassiani à Cassiano Presbytero comitati preces, discutere cæpit hanc quæstionem, atque ante omnia sibi legi sacras Principis delegatrices literas iam adductas, nec non & preces Bassiani. In quibus nota sacrosanctæ Eucharistiæ mysterium vocari *Mysteriorum perfectionem*: Quæ phrasis suo loco est explicanda.

Quibus lectis, gloriosi judices sunt ad præsentem Bassianum interlocuti: *Dicat Bassianus reverendissimus nomina eorum, qui ab eo accusati sunt.* Etenim non dumtaxàt civilis, sed & criminalis erat hæc actio, ideòque & certam personam accusare debebat Bassianus, & ad talionem inscribi. Hìnc reposuit: *Multi quidem sunt, princeps tamen horum est, qui nunc Episcopus est Stephanus. Hic enim & sedem meam tenet, & res. Et rogo omnia examinari. Potior est Sacerdotalis dignitas, quam possessiones. Quæratur, si quid peccavi. Inquirant Patres nostri, & sicut volent decernant.* Quare gloriosi judices ad Stephanum etiam præsentem dixêre: *Stephanus reverendissimus Episcopus ad ista respondeat.* Et adversùs respondentem, non se, sed Leontium Magnesianum, Mæonium Nyssenum, Proterium Smyrnensem, aliosque Asianæ diœceseos præsentes Episcopos, totius tragædiæ conscios, esse interrogandos, perrexerunt: *Interim tu responde.* Respondit: *Bassianus non ordinatus est in Epheso, sed vacante sanctâ Ecclesiâ, colligens seditiosam turbam cum gladiis, & aliis quibusdam Arenariis,* gladiatoribus in arena ad bestias consuetis pugnare, *supergressus est, & sedit; & si*

hunc

hunc iudicat vestra Magnificentia esse Episcopum, alia ratio est. Hoc ergo expulso secundùm Canones, & proiecto, ut merebatur, me quadraginta Episcopi Asiani suffragio & nobilium, & Primatum, & totius reverendissimi Cleri, & omnis civitatis, ordinaverunt. Hodie enim quinquaginta annos habeo in Ephesino Clero. Bassiano, utpotè Evazorum priùs Episcopo, & translationem & intrusionem opposuit, ideòque dixit, non spoliatum, sed synodaliter extrusum, & quidem per quadraginta Asiaticæ diœceseos Episcopos, à quibus ipse, uti & ab omni Ephesino populo & Clero, sit in Episcopum electus & consecratus.

Hinc promotionis suæ formam multis Bassianus exposuit: *Noli me circumvenire. Ego & canonicè factus sum Episcopus, & ostendo hoc, & à nullo depositus sum, nec accusatus ab aliquo, neque culpatus. Sed & ego à iuvenili ætate mea vixi pauperibus, & ptochium feci, & in eo posui septuaginta lectos, & omnes languentes & ulceratos hospitio suscipiebam. Memnon autem, qui fuit Episcopus Ephesi, his rebus invidens, quoniam diligebar ab omnibus, nihil non egit ut expellerer à civitate, & immisit manus suas ut me ordinaret Episcopum Evazorum, & hoc fecit. Ego autem non acquiescebam, sed ab hora tertia usque ad sextam coram altari me plagis afflixit, & sanctum Evangelium,* tentum in ordinatione super caput meum, *& altare sanguine est impletum. His igitur ita gestis, ego sic permansi, neque ad civitatem vadens, neque Ecclesiæ illi communicans, in quam nominatus fueram, neque penitùs ipsam civitatem videns. Mansi ergò sic, & contigit Memnonem finem vitæ accipere. Post hæc ordinatus est Basilius. Is autem evocans concilium Provinciæ, & agnoscens ab eis violentiam, quam passus fueram, & quoniam machinatio fuerat, alium in illa civitate ordinavit Episcopum, mihi verò reddidit communionem & locum Episcopatus. Contigit iterùm & hunc suscipere finem vitæ, me autem cum multa necessitate & vi inthronizârunt in eadem civitate Ephesi populus, & Clerus, & Episcopi, quorum unus Episcopus Olympius hic est.* Est fermè casus sancti Gregorij Nazianzeni, qui Zazymorum civitatem, ad quam à sancto Basilio Ponticæ diœceseos Primate repugnans consecratus, numquam accedere voluit, atque ita existimavit se sine Apostolici ac Nicæni Canonis prævaricatione posse Constantinopolim transferri. Et in isto Ephesino Episcopatu adseveravit Bassianus se à Theodosio Augusto, nec non à sancto Proclo Episcopo Constantinopolitano, qui tres autocephalas diœceses à suis Antecessoribus invasas tamquam Patriarcha administrare pergebat, fuisse confirmatum, & perrexit: *Crastina* post susceptas & publicè lectas Imperiales ac Patriarchales meæ confirmationis literas *die Missas celebravimus omnes simul, & post Missas manus iniicientes incluserunt me,*

& cum

& cum vi abripuerunt Pallium Sacerdotij mei, & omnia bona mea, & sumentes unum ex ipsis Stephanum, fecerunt eum Episcopum. Multis & longis contentionibus fuerat agitata Bassiani promotio, atque ideò adversùs ipsam iam à Patriarcha & Principe malè confirmatam, non ampliùs rationibus, sed violentâ manu adversarij processerunt.

Quare de eadem promotione longè alia apud gloriosos judices allegavit Stephanus: *Iubeat vestra Potestas Episcopos, qui hic sunt, venire, ut appareat veritas coram vestra Magnificentia, ut testentur de universis quæ gesta sunt, quando quidem ipse submtravit in sanctam Ecclesiam cum gladijs & arenarijs, & alijs quibusdam, & sedit in sede. Et pro hoc expulsus est à sanctis Patribus, & à sanctißimo Regiæ civitatis Romæ Leone, & à beatißimo sanctæ memoriæ Flaviano Constantinopolitanæ urbis, & ab Alexandrino, & ab Antiocheno. Ab his expulsus est. Ecclesiastico enim iudicio mea Humilitas constituta est.* Hæc omnia adfirmavit confirmata etiam à Theodosio Augusto, & quidem per judicium contradictorium peractum ab Eustatio Silentiariorum Primicerio, specialiter ad hanc caussam delegato Ephesum, & per tres menses illam cognoscente. Et perrexit: *Sunt hic Episcopi, veniant huc, & fateantur si aliud dico. Iubeat vestra Magnificentia venire eos. Numquid cum eis ordinatus est ibi? Superintravit ibi: Hodie quatuor anni sunt. Et Romanus Episcopus eum deposuit: Et Alexandrinus eum damnavit. Videat vestra Magnificentia Epistolam scriptam à beatißimo Papa Leone.* Adversùs primam, à sancto Proclo Patriarcha & Theodosio Augusto datam, Bassiani confirmationem ad Romanam Ecclesiam appellârat Ephesiorum Clerus & populus, eamque cassârat sanctus Leo magnus, cujus judicium & sanctus Flavianus Constantinopolitanus, & Dioscorus Alexandrinus, & Domnus Patriarcha Antiochenus, nec non & ipse Theodosius Augustus comprobârant. Hìnc dictus Clerus & populus violenter Bassianum expulit, & Stephanum exaltavit. Nam & hic uti Ephesinus Episcopus adfuit latrocinio Ephesino.

Erat caussa difficilis. Eam ex pacificæ possessionis beneficio finire conati sunt gloriosi judices, & ad Stephanum interlocuti: *Confiteris reverendißimum Baßianum quatuor annis obtinuisse sanctam Ephesiorum civitatis Ecclesiam velut Episcopum?* Uti hodie Romana de triennali, ita tunc omnis Ecclesia in Sacerdotijs servasse videtur regulam de pacifica possessione quadriennali. Hìnc enim reddidit Stephanus: *Velut tyrannus, non ut Episcopus. Quomodò enim obtinere poterat, qui per manus impositionem constitutus non est, sed cum gladijs est ingressus, & sedit sibi?* Dixit Bassianum per milites & Arenarios fuisse intrusum, ideòque Episcopatum eius nec per centum annorum pacificam

po-

potuisse firmari: Quam de intrusis regulam servat etiamnum hodie Ecclesia Romana. Et meritò. Etenim factam per milites aut aliorum violentas manus intrusionem adversari Apostolicis Canonibus, adfirmat in Epistola ad monachos, & in literis ad omnes orthodoxos, & in apologia adversùs Constantium Imperatorem sanctus Athanasius, agens de simili intrusione Georgij Cappadocis in sedem Alexandrinam. Ipsam esse perpetuò irreparabilem definivit Synodus Sardicensis.

Et hìnc petitorij judicij viam ingressi sunt gloriosi judices, ad Bassianum actorem interlocuti: *Ostendat Bassianus reverendissimus, si per Synodum reverendissimorum Episcoporum & consuetâ ordinationis lege Episcopus Ephesiorum metropolis est constitutus.* Visisse illum videntur, ut ante omnia sese de translationis vitio purgaret. Hìnc enim reposuit: *Evazorum ego neque unquam factus sum, neque profectus illuc, sed vim passus sum denominatus Episcopus. Canones manifesti sunt. Dicant Patres, si praeiudicium est ordinari, nec proficisci. Ipsi dicant. Noverunt regulas. Supplico ut audiar. Interim praesumptio declaretur, quâ auctoritate usi capientes clauserunt me, & tunc de Sacerdotio quaerimus. Primò de violentia quaeratur.* Primò enim de spolio quæri, & spoliatum Episcopum plenè ante judicij ingressum restitui mandant & Canones & leges. At Stephanus intercessit: *Supplico ut Canones relegantur, qui dicunt ut is, qui in alia civitate ordinatus est, constitui non possit in altera.* Dixit Bassianum sancti Leonis, omnium Patriarcharum, & Augusti Principis jussione extrusum, se esse in possessione legitima, ideòque petitorio judicio agendum.

Erat æqua allegatio, ideòque gloriosi judices de Canonibus per utramque partem postulatis dixére: *Relegantur.* Et mox Leontius Ecclesiæ Magnesianæ Episcopus ex codice Canonum Ecclesiæ universæ legit regulam nonagesimam quintam, sextum decimum Canonem Antiochenum: *Si quis Episcopus vacans super Ecclesiam vacantem semetipsum injiciens, subripuerit sedem praeter perfectum Concilium, hunc expellendum esse, licet omnis populus, quem arripuit, eum elegerit.* Legit & regulam nonagesimam sextam, decimum septimum Canonem Antiochenum: *Si quis Episcopus ordinationem acceperit Episcopatus, & populo praeesse decretus non acquieverit Ordinationi, neque ei persuasum fuerit proficisci ad Ecclesiam sibi commissam, hunc excommunicatum esse, donec coactus acquiescat, aut quidquam de eo Episcoporum Provinciae Synodus perfecta definiat.* Hæcce clausula plurimùm favebat Bassiano. Eum quippe Basilius Ephesiorum Primas ab Evazorum Ecclesia synodaliter absolverat, Episcopale sine cura nomen & digni-

nitatem permittens, atque ita reliquerat aptum ad aliam Ecclesiam sine Canonum prævaricatu transportari.

Hìnc iterùm gloriosi judices: *Reverendißimus Episcopus Baßianus edoceat, quis eum fecit Episcopum.* Nosse voluerunt, utrùm legitimâ electionis ac inthronizationis viâ Ephesinam cathedram adscendisset. Et ille reposuit: *Vnus eorum, qui me inthronizârunt, hic est Olympius. Nescio alios: Hunc recordor.* Fassus est se ab uno Olympio Theodosiopolitano Episcopo fuisse electum atque inthronizatum, & isto verbo omnem suam caussam evertit. Reparare conatus est Lucianus Byzensis in Europa Episcopus: *Qui habuit ius, suscepit eum bona memoria Proclus, & suscepit eum bona memoria Theodosius pyßimus Imperator, & vocans eos amicos effecit. Sed tamen cur est expulsus?* Fassus est Bassianum ab uno Episcopo non potuisse eligi ac inthronizari, addidit verò omnem hunc defectum fuisse suppletum ac purgatum per sancti Procli Patriarchalem confirmationem, roboratam etiam sacrâ jussione Theodosij Augusti. Hìnc spolij & reddendæ possessionis quæstionem denuò tentavit, censens Bassianum ante omnia restituendum.

Ast id non placuit gloriosis judicibus, petitorium judicium prosequendum ducentibus, ideòque interrogantibus Olympium Episcopum, num ipse solus & qualiter Bassianum elegisset ac inthronizasset. Ad quæ ille: *Post mortem Basilij Episcopi, qui illo tempore fuit in civitate, in qua ordinatus sum Episcopus Theodosiopolis, in ea degebam. Mandaverunt mihi Clerici civitatis Ephesi, dicentes veni huc, ut canonicè ordinationem suscipiat civitas, quoniam obdormivit sancta memoria Basilius, qui fuit Episcopus. Ego verò has literas accipiens adveni, credens quia & alij reverendißimi Episcopi vocati essent. Ante tres autem dies, quam iste ingressus esset Ecclesiam, ut inthronizaretur, dum applicassem in quodam hospitio, sustinebam etiam reverendißimos Episcopos, ut canonicè secundùm morem ordinatio proveniret. Vt ergo primam, & secundam, & tertiam sustinuissem diem in hospitio, & alter nullus est inventus Episcopus, tandem venientes quidam è reverendis Clericis dicunt mihi: Alij Episcopi non sunt hic, quid factò est opùs? Dicebam ego: Solus quid possum facere? Quoniam extra rationem Canonum est solum Episcopum disponere Ecclesiam, & maximè tantæ metropolis. Cùm ergo hæc loquerer mecum, circumdedit mansionem, in qua eram, innumera multitudo, & nescivi ubi essem, & coram tanta potestate, & coram altari, quidam enudans gladium, Holosericus nomine, qui puto Comitianus est, venit & ipse & omnis multitudo, & portantes me abduxerunt in Ecclesiam. Et ita cum ducentis aut trecentis hominibus & me & ipsum levaverunt in sedem, & inthronizatio*

ce-

celebrata est. Usque ad hoc, quemadmodùm factum est, novi. Ad quæ omnia Bassianus novit unum hoc reponere: *Mentitus est.* Ita eius violenta intrusio fuit abundè probata.

Hìnc Ecclesiæ Constantinopolitanæ Clericos, An sanctus Proclus Patriarcha Bassianum reverà in Ephesinæ Ecclesiæ Primatialem Episcopatum ex contradictorio judicio & plena caussæ notitia confirmasset, gloriosi judices rogârunt. Respondit verò Theophilus Presbyter: *Ut coram Deo, & suscepit eum sanctæ memoriæ Proclus, & synodaliter literis honorans dimisit eum ad Ephesum, & in dypticbis posuit eius nomen, & recitabatur usque ad modicum ab hinc tempus.* Quod ipsum cæteri præsentes Ecclesiæ Constantinopolitanæ Clerici sunt contestati. Ex quo lucet Bassianum, promotionis suæ adversùm æmulos purgandæ & confirmationis obtinendæ gratia, Constantipolim accessisse. Videntur & omnes per Patriarcham Constantinopolitanum confirmati Episcopi fuisse sacris eiusdem Ecclesiæ tabulis inscripti, & suo tempore ad sacrificium recitati.

Ea confirmatio Bassianum insigniter adjuvabat. Hìnc ad Stephanum gloriosi judices: *Nunc Stephanus Episcopus dicat, quemadmodùm novit Bassianum ab Episcopatu remotum, et si ipse per Synodum ordinatus est.* Et Stephanus: *Relatum est ab Episcopo Alexandrinæ civitatis, sanctissimæ memoriæ Theodosio Principe scribente illuc, illatæ sunt etiam literæ, à beatissimo ac sanctissimo Papa Romano, quatenùs istum esse non oporteret Episcopum, & manifestæ sunt literæ. Iubete venire Notarios, ut declaretur quomodò remotus est, & quomodò est eiectus, & quomodò ego sum ordinatus. Nos propter fidem venimus. Nunquid ego sciebam, quoniam hoc potuisset emergere? Semel finem accepit caussa. Venit Silentiarius illuc, tres menses fecit, cognoscens inter eum & Clericos. Clarent ea quæ definita sunt.* Ait se ad statuendum de læsa per Eutycheten fide, non ad disputandum de Episcopatu venisse Chalcedonem, hìnc sibi ad manum non esse requisita litis documenta, caussam iam dudum definitivè decisam, sententiam transiisse in rem judicatam, ideòque non posse retractari. Præsertim cùm fuerit sententia Ecclesiæ Romanæ. Hæc sua verba de Legato Silentiario, *Cognoscens inter eum & Clericos*, lucidiùs suprà Stephanus exposuit: *Misit Imperator Eustatium, ut cognosceret inter eum, & Clerum, et pauperes, qui ab eo iniustitiam fuerant passi.* Cum Clericis ergò pauperes adversùs datam Bassiano à S. Proclo confirmationem appellârant Romam, ac ipsam cassari à sancto Papa Leone impetrârant. Ita Alexandrinum Georgij Cappadocis Episcopatum ob irrogatas pauperibus injurias graviter in Epistola ad monachos sanctus Athanasius exagitat & damnat. Pau-

peres, præſertim matriculares, uti proprios filios ſemper Eccleſia fovit.

Repoſuit autem Baſſianus: *Stephanus Presbyter meus fuit. Quatuor annis Miſſas mecum celebrabat, mecum communicabat, et communicabat à me tamquam ab Epiſcopo. Et ipſa die, quâ recluſerunt me, ſimul communicavimus, et arripuit me, et incluſit me. Et ita ſum paſſus. Per virtutes Dei, aquam quæſivi, et non dederunt mihi. Tribus menſibus habuerunt me clauſum. Epiſcopi autem, qui à me ordinati ſunt, ipſi et hunc ordinaverunt Epiſcopum, dum eſſem incluſus. Si non ego Epiſcopus, neque illi, qui à me ordinati ſunt, eſſe debent Epiſcopi, neque Clerici.* Proprium Epiſcopatum videns à ſe non poſſe defendi, Stephani etiam promotionem tentavit evacuare. Primò, dicit eam, non minùs quam ſuam, fuiſſe violentam. Secundò, ait Stephanum à conſecratis per ſe Epiſcopis fuiſſe conſecratum, ideòque aut ſuam valuiſſe promotionem, aut etiam Stephani conſecrationem non poſſe valere. Ex quo principio etiam ad coronatum à ſe Michaëlem Auguſtum, & ipſi conſpirantes à ſe conſecratos Epiſcopos dixit ſanctus Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus: *Si ego legitimus Patriarcha non ſim, neque tu Imperator, neque vos Epiſcopi eſtis* Canonica enim ſua vitia contagio in ſuos conſecratos, ſeu potiùs exſecratos, traducit Epiſcopus. Eius benedictio eſt maledictio. Satius eſt ſpinas in caput ſuum recipere, quam manus Epiſcopi vitioſi.

Notanda ſunt Baſſiani verba: *Mecum Miſſas celebrabat, mecum communicabat.* Oſtendunt vetuſtum & Græcæ & Latinæ Eccleſiæ morem, iuxta quem Epiſcopo aut Presbytero ſolennem Miſſam celebranti omnes præſentes Epiſcopi aut Presbyteri concelebrabant, ac per eius manus de communi ſacrificio participabant. Hìnc de Neſtorio Conſtantinopolitano Epiſcopo Miſſam iſtam celebrante, & Dorotheo Marcianopolitano Epiſcopo, inferioris Mœſiæ Metropolita, ad eamdem Miſſam concionante, & vocem *Deipara* anathematizante, ſcribit ad ſanctum Celeſtinum Pontificem ſanctus Cyrillus:
L. 1. Epheſ. con. c. 14. *Quamvis Neſtorius ore ſuo laudatam vocem anathematizare noluerit, attamē ſedens et audiens, Dorotheum ut hoc diceret induxit, ſubornavitque, cui etiam confeſtim, ubi è cathedra deſcendiſſet, in Divinorum myſteriorum celebratione communicavit.* Nempe Neſtorius Patriarchalem cum multis Epiſcopis Miſſam celebrabat; eumque quod blaſphemum blateronem ab eius concelebratione non proiecerit, arguit Cyrillus. Ita Sylvanum Tarſenſem Epiſcopum, primæ Ciliciæ Metropolitam, quod damnatum & ad ſe refugam Cyrillum Hieroſolymæ Epiſcopum à ſua liturgia non excluſiſſet, graviter in Synodo Seleucienſi

arguit Acacius apud Palestinos Metropolita Cæsareensis. Et Possidonium Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyterum, Dioscori Patriarchæ Legatum, quò Romanæ Ecclesiæ ritus addisceret, secum procedere seu concelebrare fecit sanctus Leo magnus. Hunc ipsum honorem Constantinopolitanæ & Ravennatis Ecclesiarum Presbyteris Legatis impartijt Gregorius magnus. Et Theophilus Amoriensis, & Zacharias Tauromeniæ in Sicilia Episcopus, schismatici Photij ad Nicolaum primum Pontificem Legati, dixêre ad Synodum octavam: *Vt summi Sacerdotes suscepti sumus à Papa Nicolao, & comministravimus ei, & recepti sumus ab illo.* Etenim advena Episcopus in alijs Ecclesijs passim ad principaliter celebrandum, Romæ autem dumtaxàt ad procedendum cum Domino Papa & concelebrandum admittebatur. Quod ipsum servatum fuit Constantinopoli. Nam suis ad dictum Pseudo-Patriarcham Photium Legatis Episcopis, ne cum illo consacrificarent, vetuit Joannes octavus. Et istud pro summa injuria, utpotè palàm negatâ communione, Photius accepit. Etiam Dorotheus Marcianopolitanus non celebravit istic principaliter, sed Nestorio dumtaxàt concelebravit. Quomodò Ebbo Remensis Archi-Episcopus, dum cathedræ suæ post exilium reddebatur, à suffraganeis Episcopis fuerit ad altare deductus, & solennem cum illis Missam celebrârit, dederitque communionem, scribit in eiusdem Ecclesiæ historia Flodoardus. Ritum, utpotè omni Latinæ Ecclesiæ usitatum, accuratè describit antiquus Ordo Romanus. Laudat & decimus octavus Canon Nicænus, mandans Eucharistiam priùs ab Episcopo, deindè à Presbyteris, tertio loco sumi à Diaconis: Quod nempe Episcopali Sacrificio totus Clerus adsisteret, & Presbyteri concelebrarent. Eidem fundamento innititur octavus vulgaris Apostolicus, damnans Episcopum, Presbyterum, Diaconum, omnem Clericum, ausum factæ oblationi non communicare. Eiusmodi varios & Hispanos & Gallicanos Canones suo tempore elucidabimus. Domnum item Antiochiæ Patriarcham unà cum sancto Symeone Stylita Presbytero Missam concelebrasse adfirmat Evagrius Epiphaniensis. Et Ecclesiæ Gallicanæ antiqua Ritualia habent hunc titulum: *De diversis Sacerdotibus super unam Oblatam celebrantibus.* Ritum largè exponunt. Romæ suo adhuc tempore viguisse, & Domino Papæ omnes Presbyteros Cardinales concelebrasse, testatur in libris de Missæ Sacrificio Innocentius tertius. Scio morem illum, uti Romæ iam pridem abrogatum, & ab Innocentio tertio non ex cathedra, sed ex privata dumtaxàt opinione probatum, damnari à Durando in quarti libri sententiarum commentarijs; at illi rectè res-

Theod. l.2.c.27.

Ep.81.c.2.

L.1.c.13.

L.4.c.25.

Dist. 13. q. 3. respondet Capreolus: *Ad ea, quæ dicit Durandus contra Innocentium & Ecclesiam Romanam, non oportet respondere, quia temerè & detractoriè dicta sunt.* Ex quibus liquet morem istum apud Latinas Ecclesias inter Innocentij tertij & Durandi, centum ferè annis distantium, tempora desijsse. Etiamnum tamen hodie omnis in suæ consecrationis die novellus Episcopus cum suo Consecratore eamdem hostiam consecrat: Quod ipsum novellis Presbyteris præscribit Romanum Missale, & pleræque Ecclesiæ servant.

Adversùs Stephanum dixit etiam Cassianus Presbyter, Bassiani Syncellus: *Media hebdomada coëgerunt nos, & introduxerunt in Baptisterium Stephanus reverendissimus Episcopus, & Maonius* Nyssæ *Episcopus, & dederunt mihi Evangelium, & coniuraverunt me, & dixerunt: Veni, iura non discedere ab illo, sed vivere cum illo, & non tradere eum. Dixi, Hodie viginti quinque annis communico, Constantinopoli negotium agens, & Deus est qui novit, quia nunquam iuravi alicui, & nunc dum Presbyter sum, cogitis me iurare? Qui sumentes Evangelium dederunt mihi, & iuravi eis. Et quintâ feriâ de sancto Pascha tollentes & ipsum incluserunt, & me caciderunt, & debilem fecerunt calcibus. Et adduxerunt tres Subdiaconos, & vix tandem tulerunt, & duxerunt me in domum meam, & posuerunt me semivivum, & plebotomaverunt me. Vt ergo non peierarem, hodie quatuor annos habeo errando, & mendicando Constantinopoli, ut non peierarem nomen Filij Dei.* Ita primus Romanæ Ecclesiæ Anti-Papa Novatianus miseram plebem de se non deserendo, & ad legitimum Papam sanctum Cornelium nunquam revertendo, per sacrosanctam Eucharistiam jurare coëgit. Eâdem impietate schisma suum etiam Photius stabilivit.

Verùm à quo Cassianus, in Regia civitate mercator, per totos viginti quinque annos didicit nunquam jurare? Respondeo Divinam hanc gratiam deberi sancto Joanni Chrysostomo, qui adhuc Presbyter urbem Antiochenam, omnem sermonem à juramento incipere, & ad singulas voces jurare consuetam pessimè, adsiduâ prædicatione adeò mutavit, ut quivis illic etiam è plebis fæce infimus maluerit sibi linguam exscindi, quam vel in taberna ad aleam jurare. Hoc ipse meritò vocat miraculum Antiochenum. Episcopus istud ipsum plantavit Constantinopoli, atque ita perduxit ad Cassianum. Qualiter adversùs teterrimam ac infernalem istam, nostris temporibus nimis grassantem, jurandi consuetudinem pugnârit etiam sanctus

Serm. 29. Augustinus, edicit ipse in sermone de Apostoli verbis. Plures sanctos Patres, qui in vita nunquam jurârint, laudant in Prato spirituali sanctus Sophronius, & in Lausiaca historia Palladius Episcopus

 He-

Helenopolitanus. Quod ipsum de sancto Gregorio thaumaturgo testatur sanctus Basilius. Quin in oratione de patientia & tolerantia laudat Cliniam, hominem gentilem, Pythagoræ Philosophi familiarem, quod tribus talentis multari maluerit, quam veritati per juramentum, licet jussus à judice, attestari. Adeò tremendum fuit Divinæ Maiestatis nomen etiam apud Paganos. Reverà sine totius corporis & animi tremore ipsum audire non possumus, longè minùs proferre. Undè jurandi consuetudinem Patres uno ore damnant peccati mortalis. Et in nostro Cassiano vide etiam coacti juramenti reverentiam: Per quatuor annos sponte exulare, errare, mendicare maluit, quam Pseudo-Episcopo Stephano contra miserabile suum, aliquid Herodiani omninò habens, juramentum non communicare. Epist. 57. Orat. 11.

Et hìnc eius calamitate ac simplicitate permotus Lucianus Byzensis Episcopus resumpsit Bassiani patrocinium: *Obstrinxerunt nos reliqui Episcopi nobiscum residentes, ut unusquisque, quod novit in veritate, & ad pietatem tendere, dicat. Et licet ex nobis ipsis bonum esset hoc facere, verùmtamen dicimus quoniam quatuor annis operatus est in sede sine contentione, sine contradictione, & ordinavit decem Episcopos et Clericos multos, & communicavit ei qui modò est Episcopus Stephanus, cùm esset eius Presbyter, & omnes reliqui Clerici. Et quomodò possibile est nunc Bassianum expelli præter consequentiam regularum, cùm præcipuè beatissimus Proclus Regiæ Constantinopolis Episcopus ei communicaverit, & per synodicas literas firmaverit eius Episcopatum?* Adjunxit se Meliphtongus Juliopolitanus in Arabia Episcopus: *Oportebat eum, qui quatuor annis sine contentione Episcopatum obtinuit, aut accusari, aut ita sine iudicio non abjici. Et quoniam et ego coniuratus sum ab Episcopis iuxta me sedentibus, quatenùs transiens in medium dicam ea, quæ me movent, coram omnibus, tamquam os effectus reliquorum prope me residentium Episcoporum, ex persona cunctorum hæc refero et sancto Concilio et vestræ Potestati, quæ Lucianus reverendissimus Episcopus dixit.* Bassianum uti spoliatum censent restituendum, & tunc in illum judicialiter agendum.

Ad sancti Leonis Pontificis de Bassiano judicium denuò proclamavit Stephanus, reposuit verò Cecropius Episcopus Sebastopolitanus: *Domine Stephane, cognosce quantùm potest Flavianus beatæ memoriæ etiam post mortem.* Et statim cum Ecclesiæ Constantinopolitanæ Clericis plures Episcopi acclamârunt: *Veritas sic habet. Omnes hæc ipsa dicimus. Flaviano æterna memoria. Orthodoxi æterna memoria. Flavianus post mortem vivit. Martyr, pro nobis oret. Flavianus post mortem fidem exposuit. Flavianus hic est: Orthodoxus hic est. Flavianus nobiscum prædicat.* Sanctus Flavianus sancti Leonis adversùs Bassianum sen-

sententiam fuerat executus, Antecessoris sui Procli cassans judicium, atque ita adscendendæ Ephesinæ cathedræ portam Stephano aperuerat: Quorum omnium oblitus ille Dioscoro adhæsit in Ephesino latrocinio, & sanctum Flavianum, licet ex metu, tamen latrocinaliter damnavit. Erat loci Episcopus: Dioscorum tractare debuerat, sicut Joannem Antiochiæ Patriarcham in Ephesino Concilio tractârat eius prædecessor Memnon, omnes claudens basilicas etiam in die sancto Pentecostes, & ipsum ac eius Episcopos ab illis potenter arcens. Hìnc Stephano talionem à sancto Flaviano reddi Cecropius & alij cum laudatis Clericis Episcopi adseverârunt. A Sanctis enim cum Christo Domino regnantibus suas quandoque injurias in vivos homines vindicari, ostendi ad Synodum octavam.

Erat caussa perplexa, ideòque gloriosi judices ad plenam Synodum sunt interlocuti: *Omnibus examinatis de Baßiano et Stephano reverendißimis, relectis etiam Canonibus, dicat sancta Synodus quid videatur.* Plures Episcopi responderunt: *Iustitia Baßianum vocat, regulæ teneant.* Et rursùm laudati judices: *Nobis quidem videtur neque Baßianum dignum existere, ut sit Ephesiorum Episcopus, quoniam ex invasione violenta Episcopatum sibimet vindicavit; neque Stephanum, qui per conjurationes et tales adinventiones Episcopatum sibimet acquisivit: Iustum verò esse ut eligatur alius, qui et fidem integrè sciat, et vita noscatur ornatus, ut esse poßit Episcopus. Totum autem sancto Concilio relinquimus, quatenùs sententiam, quæ in hac caussa fuerit visa, depromat.* Et plena Synodus acclamavit: *Hæc iusta sententia est. Hoc Dei iudicium est. Christus iudicavit caussam. Canones et leges vos custoditis.*

Verùm adversùm clamores illos intercesserunt Legati Apostolici: *Clarent quæ ab universo Concilio dicta sunt. Quid de hac caussa sive personis videatur, et nostrum et horum est confirmare sententiam.* Rem gravissimam voluere, non acclamationibus, sed distincto singulorum Episcoporum suffragio definitam. Quare suffragium mox dixit Anatolius Constantinopolitanus Episcopus, gloriosorum judicum sententiam probans, & addens: *Baßianus et Stephanus dignitatem tantummodò Episcopatus habeant et communionem, necessariaq; salaria, quæ à sanctißima hac consequentur Ecclesia.* Et rursùm adclamavit omnis Synodus: *Hæc iusta sententia.*

At ecce alia pro Bassiano intercessio ab Episcopis diœceseos Asiaticæ, in genua prostratis: *Miseremini nostri. Nos supplicamus sancto Concilio, ut misereatur filiorum nostrorum, ne fortè propter nos et peccata nostra moriantur, ut huic clementia tribuatur, et nobis condonetur saltem Baßianus ad tollenda mala. Nam si quispiam hic fuerit ordinatus, et filij*

nostri moriuntur, et civitas deperit. Bassiano, quem vident jure non posse defendi, fieri supplicant dispensationis gratiam, idque ex caussa publica & gravissima: Ad avertendam seditionem populi, ruinamque tantæ civitatis. Autocephala erat Ephesiorum Ecclesia, adeòque eius Primas in ipsa sua civitate & sede erat à propria Synodo eligendus & consecrandus: Autocephalus Episcopus ad nullius manum consecrandus accedit, ab omni Patriarchica potestate est exemptus, consecratur propriâ auctoritate, postmodùm confirmandus à solo Pontifice Romano. Et quoniam Constantinopolitani Episcopi, non solùm alios in ista diœcesi Metropolitas, sed & ipsum Archi-Episcopum confirmare, consecrare, & suæ Patriarchali potestati subjugare iam cœperant, dignitatis suæ zelosus Ephesiorum populus mori malebat, & omnia ruere sursùm deorsùm, quam accipere Episcopum Chalcedone consecratum.

Hinc moti gloriosi judices rogârunt: *Quoniam secundùm voces sancti Concilij neque Basianus neque Stephanus digni sunt, qui in Ephesiorum civitate sint Episcopi, Asiani autem Episcopi hic reperti dicunt, Si hic ordinetur alter Episcopus, Ephesiorum conturbari civitatem, dicat sancta Synodus, ubi volunt Canones Episcopum Ephesinæ sanctißimæ Ecclesiæ ordinari.* Et varij Episcopi clamârunt: *In Provincia.* Addidit Diogenes Cyzicenus Episcopus, Hellespontic æ in Asiana diœcesi Provinciæ Metropolita: *Consuetudo hoc habet. Si factus fuisset Constantinopoli Episcopus, non hæc accidissent. Illic enim Salgamarios ordinant, & ideò perturbatio fit.* Dixit dignitatem istam Ephesinæ cathedræ potiùs ex consuetudine, quam ex Canone convenire, ideòque sine Ecclesiasticæ Hierarchiæ injuria posse infringi. Et esse caussas: Quod nempe Ephesini Episcopi in suæ consecrationis die sint Salgamarij. Salgama sunt pecuniæ, esculenta, vestes, aliaque ad humanam vitam facientia: Per Romanum Pontificem, Patriarchas, aliosque Primates Episcopos per suæ consecrationis diem spargi cõsueta in plebẽ. Profusa nimiùm, quandoq; fuêre, plebeio suffragio ab ambientibus Episcopatum Clericis promissa, simoniaca, ideòque in suo ad Joannem secundum Pontificem Edicto, Bonifacij secundi adversùs istam Dioscori Anti-Papæ simoniam Decreta confirmante, statuit Gothorum Rex Athalaricus: *Patriarchæ* per suę consecrationis diem *in civitatibus suis tenuißimæ plebi non ampliùs quam quingentos solidos se distributuros esse cognoscant.* Et addit caussam: *Quia de Ecclesiastico munere pauperibus potiùs est consulendum.* Etiam à Valentino Papa consecrato instructum fuisse amplissimum convivium, Senatumque, plebem, & populum varia roga donatum adfirmat in eius vita Anastasius Cardinalis. Adrianum se-

cundum, quod omnia ſibi conſecrato oblata à varijs Xenia mox in pauperem plebem diviſerit, Guilielmus Bibliothecarius laudat. Erant aurei & argentei nummi, veſtes ſericæ, cerei, cruces, Thymiamata, pigmenta, delicatiora commercia. Talia quippe à Leone quarto urbem leoninam dedicante, ad ſingulas Kalendas à ſancto Gregorio magno, & per feſta varia à Patriarcha Conſtantinopolitano fuiſſe donata & donari conſueta, ſcribunt idem Anaſtaſius, Joan-
L.2.c.26. nes Diaconus, & Codinus Curopalates. Ad Epiſcopi Aurelianenſis conſecrationem fuiſſe apertos ac emiſſos omnes carceres, habet
Epiſt.53. in literis ad Santionem ibidem Epiſcopum ſanctus Ivo Carnutenſis. Eiuſmodi rogam faciebat & Primas Epheſinus, ideòque dicitur Salgamarius, ſeu diſtributor Salgamorum. Eius populum, de illius apud Conſtantinopolim conſecratione indignantem, non ad Eccleſiæ autocephaliam aut alia privilegia, ſed cupiditatis oculo ad iſta dumtaxàt Salgama reſpicere, atque ideò ſeditiones agere dixit Diogenes Cyzicenus, adjungens: *Si* Epheſinus *Epiſcopus* ſemper *factus fuiſſet Conſtantinopoli, non hac accidiſſent.* Fatetur ipſum ſemper uſque huc fuiſſe Epheſi ordinatum, ſed ob iſtam rogam populi corruptricem non debuiſſe ordinari, nec deinceps eſſe ordinandum. At Leontius Magneſianus Epiſcopus generosè interceſſit: *A ſancto Timotheo uſque nunc viginti ſeptem Epiſcopi facti, omnes in Epheſo ſunt ordinati. Solus Baſilius violenter Conſtantinopoli factus eſt, & multæ cædes hinc ortæ ſunt.* Et hæc eſt cauſſa, cur defuncto Baſilio Baſſianum, iam conſecratum Epiſcopum, arripuerit per vim Epheſinus populus, & per ſolum Olympium Theodoſiopolitanum Epiſcopum coëgerit inthronizari: Cur item cæteri Aſiatici Epiſcopi ad hanc rem vocati non comparuerint. Nempe Epiſcopum ſuum deinceps apud Conſtantinopolim conſecrari, & Eccleſiæ ſuæ autocephaliam graviùs lædi nolebat Epheſinus populus: Et quia Eligendi ſui conſecrationem metuebat Sacra per Patriarcham Conſtantinopolitanum impetranda juſſione ſuſpendendam, iam conſecratum Baſſianum elegit, & ſtatim more antiquo inthronizavit. Dictum Patriarcham metuebant item Comprovinciales Epiſcopi: Hinc ſolus Olympius comparuit, & quoniam ſolus inthronizare recuſabat, fuit per populi vim compulſus. Eodem ex fundamento Conſtantinopolim poſteà accedere debuit Baſſianus, ſancto Proclo Patriarchæ profiteri obedientiam, & inthronizationis confirmationem uti ſubditus acceptare: Patriarchici in iſtam Eccleſiam ac diœceſin juris poſſeſſionem, ex Baſilij conſecratione obtentam, perire ſibi Proclus noluit aut lædi. Et hìnc Leontio Epiſcopo repoſuit Philippus Presbyter Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ: *Sancta*

me-

memoria Ioannes Chrysostomus, *Episcopus Constantinopolitanus, quindecim Episcopos deposuit profectus in Asiam, & pro eis alios ordinavit. Et Memnon hic Constantinopoli ordinatus est.* Addidit Ætius eiusdem Ecclesiæ Archi-Diaconus: *Et Castinus hic ordinatus est. Heraclides & alij cum voluntate nostra urbis Archi-Episcopi sunt ordinati. Basilium similiter beatæ memoriæ Proclus ordinavit. Et beatæ memoriæ Theodosius Imperator huiuscemodi Ordinationi cooperatus est, & beatæ memoriæ Cyrillus Episcopus Alexandrinus.* Violenta & irregularia fuerant hæc omnia: Nam inter palmaria capitula, de quibus in Synodo ad Quercum accusatus fuit sanctus Joannes Chrysostomus, erat hic apud Photij Bibliothecam articulus: *Quod aliorum invadat Provincias, ordinetq; ibidem Episcopos.* Et hinc Episcopi plures Philippo & Ætio reddiderunt: *Canones obtineant.* Diogenes Cyzicenus, dicens autocephaliam ex consuetudine potiùs, quam per Canones competere Ephesinæ Ecclesiæ, palàm errârat. Etenim omnes eiusmodi consuetudines firmavit sextus Canon Nicænus: *Servetur antiqua consuetudo. Sua privilegia serventur Ecclesiis.* Et quidem Ephesia consuetudo à S. Timotheo, ideóque & à sanctis Paulo & Joanne Apostolis ducebat originem, atque ita erat Canon Apostolicus. Uti enim Apostolorum Decreta, ita & Gesta esse nobis agendi regulas adfirmat S. Joannes Chrysostomus in libris de cordis compunctione. Nihilominùs Ecclesiæ L. 1. Constantinopolitanæ Clerici noluerunt adquiescere, & denuò dixerunt: *Ea, quæ sanctorum Patrum centum quinquaginta sunt, teneant; privilegia Constantinopoleos ne depereant. Ordinatio secundùm morem ab Archi-Episcopo nostro fiat.* Aiunt etiam se velle ut serventur Canones: Tertius Synodi Constantinopolitanæ Canon, Regiæ civitatis Episcopo tribuens secundum in Ecclesia locum. Ad rem non erat. Istum quippe Canonem semper reprobavit Romana Ecclesia, & nudum ille locum, nullum in aliena Provincia consecrandi jus dabat. Quia tamen Canonem probabat Orientalis Ecclesia, & quia Theodosius Augustus adfirmabatur hisce Episcoporum Constantinopolitanorum invasionibus semper fuisse cooperatus, hæserunt gloriosi judices, interlocuti: *Prospicimus quia hic deliberatione opus habet sanctum Concilium de ordinatione Episcopatus Ephesinæ Ecclesiæ. Vnde si videtur, cras hoc perfectiùs disponetur.*

ACTIO XII.

AD Actionem duodecimam, factam tertiò Kalendas Novembres, gloriosi judices sunt locuti: *Solicitudo necessaria Reipublica*

ca negligitur, nobis propter fidem sancto Concilio adeò frequenter adesse à Divino Apice iußis. Quia ergo diu nos à necessarijs Reipublicæ abduci non est poßibile, velocem quæstionibus finem imponere festinantes, primo ordine dicere sanctam Synodum petimus, si quid ampliùs deliberavit de sanctißima Ephesiorum Ecclesia, utrùm alium ei Episcopum oporteat ordinari, an certè Baßianum reverendißimum Episcopum recipere, an Stephanum reverendißimum Episcopum esse. Omnia enim, quæ ad eos pertinent, hesterno die sufficienter examinata noscuntur. Respondit Anatolius Constantinopolitanus Episcopus, denuò decernens *Neutrum horum esse illius civitatis Episcopum, sed alium debere ordinari, eò quod præter Canones sibimet Episcopatum usurparint; habere autem eos & dignitatem Episcopatus, & à sancta pascendos Ecclesia.* Quod ipsum Legati Romani judicârunt. At aliud censuit Julianus Coënsis Episcopus, sancti etiam Leonis, licet non ad Synodum, tamen ad Marcianum Augustum & Orientalem Ecclesiam Legatus: *Non debent ambo projici.*

Hinc iterùm gloriosi judices, litibus hisce lassati: *Quoniam sæpè nobis interloquentibus, & poscentibus proferri sententiam de Episcopatu sancta Ecclesia in Epheso constituta, perfecta responsio ab omnibus non est data, venerabile & immaculatum Evangelium in medio proferatur.* Viderunt ex adfectu & humano die rem agi, ideòque illum ab ipso Domino nostro Jesu Christo, per sacrosanctum Evangelij codicem repræsentato, censuerunt eliminandum. Productus est igitur codex ille, & tunc iterum laudati judices: *Similem petitionem sanctæ Synodo rursùm offerimus, propositis sanctis Evangelijs adhortantes, vos neque duorum quempiam lædere, si fortè quisquam eorum dignus est Episcopatum obtinere; neque memoratam Ecclesiam, si alteruter indignus est, sed secundùm Deum, & secundùm quod dignum est atque decens, & utile sanctæ Ecclesiæ, quæ sunt visa decernere.* Anatolius & Romani Legati perstitere in suo suffragio, eosque Episcopi plurimi sunt secuti. Perstitit & in suo Julianus, cum hoc tamen additamento: *Secundùm regulas quidem neuter esse debet, per clementiam verò Synodus Asiana eligat quis debeat esse.* Quod ipsum placuit Maximo Patriarchæ Antiocheno: *Absque regulis ambo Episcopatum obtinuerunt. Quis autem eorum dignus est esse in civitate per clementiam, à sanctißimis Provinciæ Episcopis est dicendum.* A solius Provinciæ, non à totius diœceseos Episcopis id judicandum censuit Diogenes Cyzicenus. Ex quo dubium manet, an à solis suæ Provinciæ, an à totius diœceseos Episcopis eligi consuerit Primas Ephesinus. Attamen cum Juliano & Maximo etiam Diogenes censuit, non novum fieri Episcopum, sed alterum ex dispensatoria clementia relinquendum: Utique

ne

ne ordinationem invaderet præsens Anatolius, suorum Antecesso-rum in illam Ecclesiam violentias firmaturus, denuòque turbaturus grandem illam civitatem.

Attamen maior Synodi pars Romanis Legatis ac Anatolio ad-hæsit, ideòque gloriosi judices concluserunt: *Placet sancto Concilio interlocutio Dei amantissimi Episcopi Anatolij, & reverendissimi Episcopi Paschasini, obtinentis locum Romanæ Apostolicæ Sedis, quâ declaratum est ambos esse quidem removendos, tamquam præter regulas factos, alterum verò ordinari debere, prædictos autem habere episcopi dignitatem, & à sanctissima Ephesina Ecclesia nutriendos.* Et omnis Synodus acclamavit: *Hæc pia interlocutio, hæc secundùm regulas est.* Exclamationem gloriosi judices acceperunt pro sententia, & pronuntiârunt. *Sententia taxavit annuam Stephano & Bassiano, nutrimenti & consolationis gratia, dandam pensionem, nempe singulis annis solidos aureos ducentos.* Et rursùm Synodus adclamavit: *Hæc justa sententia, hæc pia forma, hæc benè se habent.* Et hìnc patet verum esse, quod in literis ad Francorum Legatos, Constantinopolim proficiscentes ad Augustum Justinianum, scribit Italiæ Clerus: *Græci Episcopi habent divites & opulentas Ecclesias.*

Et Stephanus & Bassianus sententiæ acquieverunt, addidit tamen posterior: *Quæ mihi abrepta sunt iubete restitui.* Et gloriosi judices: *Si quid Bassiano reverendissimo Episcopo ex rebus illi competentibus direptum est, sive à Stephano reverendissimo Episcopo, sive ab alijs quibuscumque personis, hoc ei post iudiciales probationes ab his qui abstulerunt, vel caussa læsionis fuerunt, restituetur.* Ita Stephani & Bassiani, non Ephesini Primatus & autocephaliæ quæstio fuit finita. Eam per septimum decimum & vigesimum octavum Canonem definivit Actio decima quinta, & sexta decima confirmavit, Ephesinam Ecclesiam autocephalia exuens, subjugans Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & eius Episcopum ab huius Patriarcha mandans consecrari. Definiendi fundamentum edicit Relatio synodalis ad sanctum Leonem Papam: *Eam consuetudinem, quæ ex longo iam tempore permansit, quam habuit Constantinopolitanorum sancta Dei Ecclesia, ad ordinandum Metropolitanos Provinciarum, tam Asianæ, quam Ponticæ & Thracicæ, & nunc synodali Decreto firmavimus, non tam sedi Constantinopolitanæ aliquid præstantes, quam metropolitanis urbibus quietem congruam providentes, eò quod frequenter Episcopis vitam finientibus multæ turbæ nascuntur, Clericis ac populis, qui per easdem sunt civitates, absque Rectore remanentibus, & Ecclesiasticum ordinem confundentibus. Quod nec vestram latuit Sanctitatem, maximè propter Ephesios, quorum caussâ sæpè molestia affecti fuistis.*

 Ete-

Etenim adversùs Baſſianum à ſancto Proclo confirmatum quidam nuper Romam appellârant, omnemque ejus Epiſcopatum impetrârant caſſari. Erat Relatio falſa: Epheſij quippè non ex novi Epiſcopi electione, ſed propter eius Conſtantinopoli factam conſecrationem aut petitam confirmationem fuerant tumultuati, atque ita tumultus hos Decretum iſtud non ſiſtebat, ſed provocabat. Et etiam ex hac cauſſa fuit à ſancto Leone reprobatum. Stephani inſolentijs debemus Canonem decimum octavum, vetantem conjurationes.

ACTIO XIII.

INter Eunomium Nicomedienſem Epiſcopum, Bithyniæ Metropolitam, ac inter Anaſtaſium Nicænum Epiſcopum, in eadem Provincia Metropolitam nominalem, erat antiqua lis de poteſtate metropolitica, quoniam Anaſtaſius ſecare Provinciam, ac ſeſe in verum unius partis Metropolitam exaltare tentârat. Hinc Marciano Auguſto preces obtulit Eunomius, queſtus Eccleſiæ ſuæ avita privilegia, Nicænos Canones, antiquam conſuetudinem, Eccleſiaſticaſque atque imperiales formas infringi ab Anaſtaſio, & rogans cauſſam ſuam judicari per Synodum præſentem. Has preces legi ſibi juſſit Actio decima tertia, facta tertiò Kalendas Novembres, eiſque auditis glorioſi judices dixêre: *Quid ad hæc reverendiſsimus Anaſtaſius allegat?* Et Anaſtaſius: *Accuſavit me, quaſi ego aliquas novitates introduxiſſem, aut violentiam fecerim. Vnum ex his, quæ dicit, oſtendat, Ego autem contrarium monſtraturus ſum, quoniam abripuit Parochias meas, & multa, quæ non eſt conſuetudo facere Nicomedienſem, fecit in me, & paſſus ſum ubique, ſupplicans Archi-Epiſcopo,* Patriarchæ Conſtantinopolitano, *& iura mea examinari depoſcens ſecundùm antiquitatem & regulas. Nec enim ego aliquid ampliùs volo.*

Quæſtio erat de civitate Baſilonopolitana, quæ olim, ſicut Tacteus & Doris, Nicænæ parochiæ oppidum fuerat, à Juliano Auguſto exaltata in civitatem, atque ita cæperat habere Epiſcopum, de qua re ita Anaſtaſius: *Imperator Iulianus, aut neſcio quis ante eum, Baſilonopolim fecit civitatem, & ſumens ex Nicæa Curiales ibi conſtituit, & conſuetudo ex tunc hactenùs obſervatur. Et ſi fortè defuerit in Baſilonopoli Curialis, de Nicæa mittitur ibi, & rursùs de Baſilonopoli transfertur in Nicæam. Quæ cum priùs fuiſſet regio, poſteà civitas effecta eſt. Ex illo perſpicuum eſt ab Epiſcopo Nicæno fuiſſe ibidem Epiſcopum ordinatum & ſemel & ſecundò. Et ſunt Epiſtolæ beati Ioannis Epiſcopi Conſtantinopolitani ad Nicænum Epiſcopum, ut iret & emendaret Eccleſiam, tamquam ſibi met*

bimet competentem. Habeo literas ad beatæ memoriæ Proclum. Ostendo ego, quot à Nicæa ordinati sunt, & ostendat Eunomius quoque quot à Nicomedia sunt ordinati. Solo nomine Metropolitam fatetur se Anastasius, ex bino tamen fundamento spectare ad se ait Basilonopolim. Primò, quod Julianus Augustus ipsam ex oppido civitatem faciens voluerit semper dependere à Nicæa quoad Curiam & Curiales, istamque formam admiserit etiam Ecclesia: Nam primus eius & secundus Episcopus fuêre consecrati à Nicæno. Secundò, quod istud ipsum probarit etiam sanctus Joannes Chrysostomus Patriarcha Constantinopolitanus in literis etiamnum exstantibus ad Proclum Episcopum Nicænum. Nempe à gloriosis judicibus rogatus, *Quomodò monstrare promitteret Basilonopolis Ecclesiam sub Nicæa esse, utrùm secundùm Canones, an ex aliqua consuetudine*, consuetudinem Anastasius adduxit. Ita Laudunensem Ecclesiam, quam ex parochiæ Remensis oppido civitatem & ex Plebania Episcopalem cathedram fecerat sanctus Remigius, Ecclesiæ Remensi non solo metropolitico jure, sed & speciali originis debito subesse, utramque esse ac semper manere quasi eamdem Ecclesiam, ac Laudunensem Episcopum esse Remensis quasi Chorepiscopum prætendit Hincmarus Remensis Metropolita, probans ex simili ob similem caussam dependentia Ecclesiæ Fussalensis ab Hipponensi. At istud in Fussalam jus nunquam prætendit sanctus Augustinus, nec in sacris Canonibus habet fundamentum.

Et hinc Anastasio Eunomius reposuit: *Non potest ostendere Anastasius Ordinationem se fecisse; quod etsi semel fecit per subreptionem, secundùm Canones nequaquam mihi præiudicare potest.* Canonibus ait à consuetudine non posse derogari, ideòque ex his, non ex ista quæstionem definiendam. Et Anastasio reponenti, *Non ego, sed Decessor meus fecit*, reddidit: *Semel fecit, an frequenter? Si semel fecit, per subreptionem; vel contigit fortè, ut tunc non haberet Episcopum metropolis Nicomedia, & indiguit à Nicæno fieri: Hinc nullum mihi præiudicium secundùm regulas generatur. Possim enim ego monstrare multos à Nicomedia ordinatos; tu verò nescio si possis vel unum ostendere.* Adseverat etiam consuetudinem Anastasio non suffragari. Et reverà Anastasius solum primum Basilonopolis Episcopum ostendere potuit fuisse à Nicæno consecratum. Notanda sunt hæc Eunomij verba: *Indiguit à Nicæno fieri.* Aiunt Nicænum fuisse Bithyniæ Proto-Thronum, ideòque Ecclesiæ Nicomediensis vacantis visitatorem & Vicarium, & quidem, uti in alijs hinc inde fuit Provincijs, cum potestate Episcopos Provinciales consecrandi.

Ad

Ad secundum Anastasij fundamentum, ex sancti Joannis Chrysostomi auctoritate desumptum, Eunomius etiam respondit: *Quia Anastasius excommunicavit Clericos Basilonopolis mihi subiectos, possim ostendere. Testem voco sanctissimum magnæ Constantinopolis Archi-Episcopum, qui suscepit eos, & reddidit eis communionem.* Et Anastasio reponenti, *Non verè dicit*, denuò reddidit: *Do Epistolam Domini Archi-Episcopi, ubi reddidit eis communionem, & ubi rescripsit tibi, quod præter Canones fecisti. Ostendo Decreta Basilopolitanorum, ubi rogaverunt de Episcopo. Ostende tu, ubi rogaverint Nicænum, ut eis faceret Episcopum.* Clerici Basilonopolitani ob nescio quam caussam ab Anastasio excommunicati provocârant ad sanctum Proclum Patriarcham Constantinopolitanum, fuerantque ab illo absoluti, increpatus autem Anastasius, tamquam qui in alienam & non subjectam Ecclesiam latrans istud convicium, peregrinum judicium attentasset, ac deliquisset in sextum Canonem Nicænum. Ex hisce sancti Procli literis lucere, quod Basilonopolim Nicææ nunquam subjecissent Patriarchæ Constantinopolitani, adseruit Eunomius, flagitans Anastasium cogi ad ipsas producendas. Addidit Episcopalis electionis Decretum ab Ecclesia Basilopolitana vacante nunquam ad Nicænum, sed ad Nicomediensem Episcopum semper fuisse huc usque directum, & Electi confirmationem & consecrationem ab hocce solo semper postulatam, adeòque ipsum esse eius privativè Metropolitam.

Ad quæ rursùm Anastasius: *Iubete me probare paululùm. Obtuli libellos Archi-Episcopo* Constantinopolitano, *qui fuit, rogans eum ut vocaret Dominum Eunomium Episcopum, & audiret inter iura nostra. Dedit literas ad me & ad eum, scribens ambobus, ac dicens: Nullus vestrûm introducat aliquam novitatem, sed consistite in rebus antiquis. Ego enim novi, quomodo debeam metropoles honorare. Et habeo huiusmodi literas, & ego & ipse. Accepi ego tales literas: Sciunt hoc & Notarij. Dicant & alij. Venerunt Basilonopolitani Clerici, adeuntes me adversùs Episcopum suum. Ego custodiens mandata Episcopi, dixi: Non vos suscipio, sed ite ad Archi-Episcopum, & si mihi iusserit, audiam. Et relinquentes illi & me & ipsum, venerunt ad Sanctitatem Domini Eunomij: Dederunt ei libellum adversùs Episcopum suum. Misit ipse repentè præsentans*, seu evocans, *Episcopum Basilonopolis: Confugit Episcopus ad me.* Episcopus ad Nicænum, Clerici confugerunt ad Metropolitam Nicomediensem: Hic illum, iste hos excommunicavit uti contumaces, atque hinc nata est præsens lis de jure metropolitico in civitatem Basilonopolitanam.

Porrò istud Patriarchæ Constantinopolitani, quidquam ab utroque Metropolita innovari vetantis, Rescriptum ostendit adductam

à Ni-

à Nicæno consuetudinem, fundatamque in ipsa possessionem fuisse infirmam & caducam, ideòque gloriosi judices sunt interlocuti: *Canones legantur.* Et statim Beronicianus sacri Consistorij Secretarius legit quartum Canonem Nicænum, statuentem ut consecrandorum Episcoporum & aliorum in quavis Provincia gerendorum confirmatio & suprema potestas sit penes solum Metropolitam. Ad quæ Anastasius: *Consentio Canoni. Si non sit Metropolitanus, nec ego illic habeo partem.* Dixit se, licet non totius Bithyniæ, tamen in Bithynia esse Metropolitam, proindèque & sibi esse debere aliquam metropoliticæ potestatis partem, seu potestatem metropoliticam in aliquas Provinciæ civitates.

Dependebat id ex mensura & modo datæ ipsi dignitatis metropoliticæ. Hìnc ad ipsum gloriosi judices: *Ostende, quemadmodùm iura Metropolitani habes.* Et ipse: *Supplico legi legem* Valentis Augusti, quâ ille Nicænis, ob eius ad imperium exaltationem publica gaudia celebrantibus, allegantibus civitatem suam iam olim ab Augustis Principibus fuisse nominatam metropolim, supplicantibusque dignitatem hanc sibi fieri firmam ac immobilem, atque etiam augeri, adnuerat in hæc verba: *Permaneat in perpetuum ista consuetudo, & civitas vestra sit metropolitana, consuetudine tamen in processu Bithyniæ iudicis permanente. Nullus enim aufert aliquid aliorum.* Quâ lege lecta, reposuit Eunomius: *Rogo vestram Magnificentiam, ut iubeatis legi legem,* Valentiniani Augusti, concessam postmodùm Nicomediensibus, cuius hic tenor: *Circa privilegia civitatis vestræ, quæ olim fuerat, consuetudo prisca servetur. Neque enim honoris adiectio Nicænorum civitatis ius vestrum lædere poterit, cùm augeatur dignitas Nicomediensium civitatis, quando illa, quæ secundo loco est, metropolis nomine vocatur.* Adversùm Nicenos, ex Valentis indulto philacteria dilatantes, apud Valentinianum intercessere Nicomedienses, ac impetrârunt legem, quæ istorum metropoliticum privilegium declaravit esse dumtaxàt nominale. Et utraque lex solis civilibus rebus statuit, nequaquam Ecclesiasticis.

Hìnc gloriosi judices sunt interlocuti: *Nulla ex his Divinæ literæ de Episcopatu loquuntur, utræque enim honorem tribuunt metropolitanis urbibus. Sacræ autem literæ Valentis, quæ Nicænæ civitati tribuerunt metropoliticum ius, præcipiunt ab aliis civitatibus nihil auferri.* Et adducta *sanctorum Patrum* Nicæna *regula de uno Metropolita in unaquaque Provincia decernit. Quid igitur de hac re Concilio sancto videtur?* Et Synodus clamavit: *Canones teneant, Canonibus satisfiat.* Atticus Nicopolitanus Episcopus, veteris Epiri Metropolita addidit: *Regula* Nicæna *ita præcipit, ut in unaquaque Provincia Metropolitanus habeat potestatem, &*

ipſe conſtituat omnes, qui in ea Provincia ſunt, Epiſcopos. Et hic eſt ſenſus regulæ. Nicomedienſis autem Epiſcopus, quia iam pridem hæc metropolis eſt, debet omnes Epiſcopos, qui in eadem Provincia ſunt, ordinare. Ait per adductas leges Bithyniam non dividi in duas Provincias, ideòque omnem iſtìc metropoliticam poteſtatem ex quarto Nicæno Canone eſſe Nicomedienſis. Et omnis Synodus acclamavit: *Hæc omnes volumus, hæc ubique teneant.* Bithynia erat Ponticæ diœceſeos Provincia, ideòque Joannes Sebaſtenus in prima Armenia, Conſtantinus Melitinenſis in Armenia ſecunda, Patricius Thyanenſis in Cappadocia ſecunda, Petrus Gangrenſis in Paphlagonia Metropolitæ, ac reliqui in Ponto Epiſcopi per dictum Joannem adjunxerunt: *Canones unum ſciunt Metropolitam antiquiorem, & manifeſtum eſt quoniam religioſiſſimo Epiſcopo Nicomediæ ordinationes competunt, & quia adductæ etiam leges nomine metropolis ſolummodò honorârunt Nicænam civitatem, & præponitur reliquis Epiſcopis Provinciæ ſolummodò.* Et Synodus adclamavit: *Regulariter docuerunt, omnes hæc dicimus.*

At ecce nova interceſſio ab Ætio Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Archi-Diacono: *Suggerimus veſtræ Magnificentiæ, rogantes ut nullum præiudicium ſanctiſſimæ Sedi fiat ex his, quæ nunc interlocutoriè dicta ſunt à ſanctiſſimis Epiſcopis Eunomio & Anaſtaſio, aut quæ de ijs conſtituta ſunt. Sanctiſſima enim Conſtantinopolitana ſedes aut ordinationem ipſa facit in Baſilonopoliticum reliquis, aut eam permittit fieri, ſicut literis, quæ veniunt vel venerunt, oſtendere poſſumus. Et rogamus ut Epiſtolæ proponantur.* Legitimi Patriarchæ jus eſt non ſolos ſuæ diœceſis Metropolitas, ſed & Provinciales Epiſcopos, vicinos quidem proprijs manibus, remotiores autem prævio ſuæ confirmationis Decreto promovere & conſecrare: Liquet ex literis Innocentij primi Pontificis ad Alexandrum Patriarcham Antiochenum. Iſtud in Thracicam &
Ep.18. c.1. Ponticam diœceſin, & hujus præſertim viciniſſimam Provinciam Bithynienſem invadere cæperat ſanctus Joannes Chryſoſtomus, ejuſque ſucceſſores continuârant: Hinc ipſum non lædi, adeòque Baſilonopolitani Epiſcopi conſecrationem Metropolitæ Nicomedienſi privativè non adſcribi Ætius poſtulavit. At quidam Canonum zeloſi Epiſcopi reclamârunt: *Canones teneant, Canonibus ſatisfiat.* Et placuit glorioſis judicibus. Hinc enim Synodi de Nicæni dignitate dumtaxat nominali, & plenâ Nicomedienſis metropoliticâ poteſtate judicium confirmârunt, ac Ætij poſtulationibus reſponderunt; *Quæcumque ſedi Conſtantinopolitanæ de faciendis ordinationibus in Provincijs competunt, hæc ſuo ordine examinabuntur.* Æquæ ſententiæ gratias egit
Eu-

Eunomius, & adjunxit: *Diligo Archi Episcopum splendidissimæ Constantinopolis.* At dummodò aliena jura non invadat.

ACTIO XIV.

ACtio quarta decima, facta pridie Kalendas Novembres, discussit caussam Sabiniani & Athanasij, contendentium de Parrhenli Episcopatu in Provincia Eufratesia. Atahanasium Domnus Patriarcha Antiochenus synodaliter degradârat, ac ex illius jussu Stephanus Metropolita Hierapolitanus in eius locum ordinârat Sabinianum; at verò in Ephesino latrocinio Dioscorus restituerat Athanasium, ejecto Sabiniano, & quidem nec audito nec citato. Quare hic omnia Marciano Augusto & præsenti Synodo questus est, reparari postulans, lectisque ipsius libellis gloriosi judices sunt interlocuti: *Respondeat Athanasius reverendissimus Episcopus.* Respondit ille se à suis Clericis fuisse quidem accusatum de varijs, damnatumque à Domno; verùm eius Synodum fuisse prædatoriam, utpotè sacræ delegationis, per sanctos Cyrillum & Proclum probatæ prævaricatricem, ideòque se Ephesi legitimè restitutum. Antiochenam Synodum postulavit legi, & se ex Actis eius judicari. Lecta fuit, & tum gloriosi judices sunt interfati: *Si qui eorum, qui tunc cum Domno deposuerunt Athanasium, adsident sancto Concilio, in medium transeant.* Et statim prodierunt Theodorus Damascenus, Theoctistus Berrhæensis, Gerontius Seleuciensis in Syria, Damianus Sidoniensis, Joseph Heliopolitanus, Sabbas Paltensis, & Sophronius Constantinensis Episcopus, attestantes Athanasium, non quidem ob probata crimina, sed ob contumaciam fuisse legitimè damnatum.

Quare gloriosi judices Athanasium rogârunt, cur tertiùm à Domno citatus non adfuerit, apud Synodum se purgaturus. Respondit: *Quoniam inimicus meus erat ipse, qui iudicabat, Antiochenus.* Exceptio non purgabat contumaciam, ideòque gloriosi judices censuerunt Athanasium legitimè damnatum, legitimè item promotum Sabinianum, atque ita in Episcopatu manutenendum. Addidêre Athanasio intra octo menses à Maximo Patriarcha Antiocheno de objectis olim criminibus instaurandum judicium, convictumque in degradatione firmandum, quin & tradendum publicis legibus ac brachio sæculari: *Si verò intra hoc tempus non agatur adversùs eum, vel si agetur, & non convincatur, Athanasius quidem Episcopatum recipiet, Sabinianus verò & dignitatem Episcopatus habeat, & substitutus sit, & pascatur, sicut reverendissimus Antiochenorum Maximus secundùm facultatem*

Parrhenorum Ecclesiæ disposuerit. Quod judicium omnis Synodus probavit. Hæc verba, *Et substitutus sit*, Sabiniano tribuunt coadjutoriam cum futura successione, qualem sub Valerio Hipponensi Episcopo habuit sanctus Augustinus. Athanasius quippe erat senex.

Eufratesia Provincia olim dicta fuit Comagena, de qua, Orientalem diœcesin describens, Ammianus Marcellinus: *Prima post Osrhoënam* Provinciam *Comogena, nunc Eufratensis, adsurgit, Hierapoli, vetere Nino, & Samosata, civitatibus amplis, illustris.* Et in libris de bello Persico Procopius Cæsaræensis: *Regio, quæ è Samosatis extra Eufraten est, iam dudum Comagene, nunc autem ex fluvij nomine Eufratesia vocata est.* Vocari Augusto-Eufratesiam, & à Vespasiano redactam in Provinciam scribit in Augustorum Epitome Aurelius Victor. At verò factum id post Antiochi Regis mortem fuisse à Tyberio Cornelius Tacitus in Annalibus adfirmat. Nempe Caius Caligula Antiocho dicti Antiochi filio reddidit regnum extractis Romanis fascibus, atque ita mansit usque ad Vespasianum. Quare Isaacus Casaubonus in suis ad Suetonium notis, duos istos Antiochos confundens, circumscribitur. Comageni nominis rationem edicit laudatus Procopius: *Civitatem rursùs nobilem hic Orestes condidit, ac templa duo, alterum Dianæ, alterum Iphigeniæ sorori, quæ postea Christiani in sua templa converterunt, nullo ædificiorum penitùs mutato. Vocavit & eam urbem Comanam, ab excisa rursùm coma ipsius à morbo penitùs liberati. Nonnulli non alium, quam insaniæ morbum fuisse dicunt, quâ correptus fuit dum matrem necavit.* Addit adsiduè, *Rursus*: Quod eadem omnia etiam in Ponto Polemoniaco Orestes egisset. Nam & istic est civitas Comana; quam conversam ad Dominum, Episcopali cathedra donatam, primumque illi sanctum Alexandrum Carbonarium fuisse à sancto Gregorio Thaumaturgo impositum Episcopum, scribit in huius vita sanctus Gregorius Nyssenus. Hæc dicta volui, quod ex ista Provincia prodierint Theodoretus, sanctus Eusebius Samosatensis Episcopus, Paulus Samosatensis, Nestorius, Eudoxius Patriarchæ Constantinopolitani, & alij plures virtutibus aut facinoribus famosi.

L.14.c.26.

. L. 1.

L.2.c.42. 56.

Sueton. c.16.

ACTIO XV. & XVI.

QUintadecima Actio edidit triginta, aut sanè viginti octo Canones. Decima sexta scribitur fuisse facta quinto Kalendas Novembres. Ubi rectè Scholiastes marginalis: *Numerus videtur corruptus. Nam Actio decima quarta habita fuit pridie Kalendas Novembres, &*

deci-

decima quinta eodem die post Legatorum discessum, ut testantur ipsi, hac autem die sequenti. Quare legendum esset: KALENDIS NOVEMBRIBVS. *Tamen quia in omnibus codicibus manuscriptis, quos habuimus, tum Gracis tum Latinis, sic reperitur, nihil mutare volumus.* Hac igitur in Actione sanctus Paschasinus Romanus Legatus gloriosos judices est adfatus: *Domini totius orbis pro catholica fide decertantes, sancire dignati sunt, quatenùs unam fidem teneant omnes Ecclesia pro bono pacis. Maiori autem curâ & nunc & in posterum illorum Clementia providere dignata est, ne quâ rursùm contentio inter Dei Sacerdotes, aut schisma aut aliquod nascatur scandalum. Hesterno enim die, postquam Potestas vestra surrexit, & Humilitas nostra vestigia vestra secuta est, quadam Gesta facta dicuntur, qua nos & prater Canones Ecclesiasticos & disciplinam astimamus effecta. Poscimus ergo ut vestra Magnificentia relegi hac pracipiat, ut omnis fraternitas inspiciat, utrùm iusta sint, an iniusta.* Rectè ad Maximum Antiochiæ Patriarcham scribit S. Papa Leo: *Subrependi occasiones non pratermittit ambitio, & quoties ob intercurrentes caussas generalis congregatio facta fuerit Sacerdotum, difficile est ut cupiditas improborum non aliquid supra mensuram suam moliatur appetere.* Ep. 62. c. 4. Græcorum Episcoporum vetusta vanitas est mutuos fines invadere, Constantinopolitanum Episcopatum exaltare, atque ita ambitiosis, Canonum prævaricatricibus, & scandalosarum postea turbarum authoribus constitutionibus generales Synodos fœdare. Et ita omninò fecerant in Actione præcedenti per Canonem vigesimum octavum. Hìnc de Attentato erubescens Ætius Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archi-Diaconus adversùm gloriosorum judicum, Gesta ista relegi jubentium, interlocutionem intercessit: *Certum est, quia formam ea, qua de fide sunt, susceperunt. Consuetudo autem est in Synodis, postquam ea, qua sunt omnium pracipua, fuerint definita, & alia quadam necessaria examinari atque firmari. Habuimus, hoc est, Constantinopolitana sanctißima Ecclesia, certa quadam qua agere deberemus. Rogavimus Dominos Episcopos de Roma, ut communicarent ijs gestis: Refutaverunt, dicentes talia se non suscepisse mandata. Retulimus & ad vestram Magnificentiam, & iußistis ut prasens sanctum Concilium hoc ipsum inspiceret. Procedente vestrâ Magnificentiâ, sanctißimi Episcopi, qui hic sunt, tamquam de communi caussa surgentes poposcerunt hanc Actionem celebrari. Et adsunt hic, neque in occulto gestum est, neque furtim gesta sunt, sed consequenter & canonicè.* Ita Canonum prævaricationem & clandestinitatem, vitia Actioni isti à sancto Paschasino objecta, conatus est purgare. Dumtaxàt conatus est: Etenim antiqua Synodorum regula quidquā proponi aut tractari, longè magis definiri vetat sine mandato Pontificis

Romani. Et hìnc adversùm Ætij verba, *Consuetudo est in Synodis*, pergit S.Leo in literis ad Maximum Patriarcham Antiochenum : *Quidquid praeter speciales caussas Synodalium Conciliorum ad examen Episcopale defertur, potest aliquam diiudicandi habere rationem, si nihil de eo est à sanctis Patribus apud Nicaeam definitum. Nam quod ab illorum regulis constitutioneq; discordat, Apostolicae Sedis nunquam obtinebit consensum.* At verò vigesimus octavus Canon, de quo praecipua quaestio, sexto Nicaeno palàm adversatur.

Cap. 5.

Eum sibi ab Ætio porrectum, atque à numerosis Episcopis subscriptum legit Beronicianus sacri Consistorij Secretarius, statimque Lucentius Romanus Legatus obviavit apud gloriosos judices: *Primò, Gloria vestra pervidet, quâ circumventione cum sanctis Episcopis gestum sit, ut non conscriptis Canonibus, quorum mentionem fecerunt, subscribere sint coacti.* Allegat duo Canonis substantialia vitia. Primò, dolum & metum Episcopis incussum, deindè caducum Canonis fundamentum, utique Canonem non conscriptum, id est, reprobatum à Romana Ecclesia, ac eius Codici non insertum, utique tertium Constantinopolitanum. Et adversùs primum Episcopi reclamârunt: *Nemo coactus est.* Hìnc de secundo perrexit Lucentius: *Accedit ad cumulum, quod trecentorum decem & octo constitutionibus postpositis, centùm quinquaginta, qui in synodicis Canonibus non habentur, mentionem tantùm fecisse noscuntur, quae dicunt ante octoginta propè annos constituta fuisse. Si ergò his temporibus hoc beneficio usi sunt, quid nunc requirunt? Si nunquam usi sunt, quare requirunt?* Ait tertium Constantinopolitanum Canonem adversari sexto Nicaeno, damnatum esse à Romana Ecclesia, idcòque non potuisse innovari.

Quibus ex verbis novae intercessionis ansam adripuit Ætius, ac perrexit: *Si de hoc capitulo aliquod mandatum acceperunt Domini Legati, proferant.* Sperabat expressum illis non esse mandatum. Ast omninò erat, ipsumque ex charta legit Bonifacius Legatus: *Sanctorum quoque Nicaenorum Patrum constitutionem prolatam nullâ patiamini temeritate violari vel minui; ac si qui fortè civitatum suarum potentia confisi, aliquid sibi tentaverint usurpare, hoc quo dignum est constantia retundatis.* Est unum è capitulis secretae instructionis Apostolicae, grandi Ecclesiasticae eruditionis damno perditae, aut alicubi latentis. Loquitur non dumtaxàt adversùs Constantinopolitanum, sed & adversùs Hierosolymae Episcopum, cuius utriusque iam veteres Ecclesiarum rapinas, & in Ephesino tam Concilio quam latrocinio irregulares machinas nôrat sanctus Leo, volebatque in hac Synodo compressas. Et hìnc non solum sextum, sed & septimum Nicaenum Canonem,

Ælien-

Æliensis Episcopi superbis cogitationibus ex tunc adversum, sanctus Paschasinus produxit.

Editum igitur heri Canonem Romana Legatio adversum, antiquis Canonibus consonum, & ex ipsorum consequentia factum adseveravit Ætius, atque ita gloriosi judices sunt interlocuti: *Vtraque pars Canones proponat.* Et statim sanctus Paschasinus recitavit sextum ac septimum Nicænum; sextum cum hac epigraphe seu exordio: *Quod Romana Ecclesia semper habuit Primatum.* Eumdem, at sine isto capite, produxit Ætius, ac insuper tertium Constantinopolitanum, qui Canoni heri edito palàm etiam adversatur. Etenim Thracicam, Ponticam, & Asianam diœceses mandat administrari à suis Primatibus, omnemque peregrinam potestatem ab illis excludit. Hinc de solo illo gloriosi judices sunt interlocuti: *Hi, qui relecto tomo*, seu heri edito Canoni, *subscripserunt Asiani & Pontici sanctissimi Episcopi dicant, si propriâ voluntate, vel impositâ aliquâ sibi necessitate coacti subscripserunt.* Agebatur de primatiali istarum diœceseon dignitate insigniter mutilanda, & illis tollendo autocephaliæ apice: Hinc sine spectantium ad dictas diœceses Episcoporum, Metropolitarum præsertim, adsensu res tanta non poterat definiri. Quidam consenserant, quidam meritò repugnârant, nolentes Pseudo-Canoni subscribere, ideòque solos, qui subscripserant, jusserunt gloriosi judices prodire in medium, & de suffragij sui libertate pronunciare. Quod nempe illos fuisse dolo circumductos Lucentius Legatus adfirmasset. Prodire jubentur soli Asiatici & Pontici, de Thracibus nulla est mentio: Quod Constantinopolis esset intra Thraciam, & omnes eius Episcopi, etiam Heraclæensis Primas, jugo Constantinopolitano iam pridem spontanei sese subdidissent.

Ex Asiatica diœcesi in medium prodierunt Diogenes Cyzicenus Hellesponti, Florentius Sardensis Lydiæ, Romanus Myrensis Lyciæ, Nunnechius Laodicensis Phrygiæ Trimitariæ, Marinianus Synnadensis Phrygiæ Salutaris, & Pergamius Antiochenus Episcopus, Pisidiæ Metropolita, cuncti per Nunnechium dicentes: *Gloria sedis Constantinopolitanæ, gloria nostra est. Huius enim honoris nos sumus quoque participes, quoniam sollicitudines nostras suscepit, & gratum habemus ut uniusquisque Provincia metropolis hic ordinetur. Vndè & sponte subscripsimus.* Dixerunt id & consuetudini & Canonibus conforme. Quidam sese, quidam etiam suos Antecessores addiderunt ordinatos Constantinopoli. Quod ipsum Calogerus Claudiopolitanus Honoriadis Provinciæ, Seleucus Amasenus Helenoponti, Eleutherius Chalcedonensis in Bythinia, & Petrus Gangrensis Episcopus, Paphla-

lagoniæ Metropolita in Pontica diœcesi, sunt professi. Adjunxit Eusebius Episcopus Dorylæensis: *Sponte subscripsi, quoniam & hanc regulam sanctissimo Papa in urbe Roma ego relegi, præsentibus Clericis Constantinopolitanis, eamq; suscepit.* Ab Ephesino latrocinio & Chrysaphij eunuchi violentiâ Romam profugus Eusebius Leoni Papæ exposuit Dioscoriani in sanctum Flavianum odij caussis, quarum una erat inita inter Domnum Antiochiæ Patriarcham & Regiæ civitatis Ecclesiam de servando tertio Constantinopolitano Canone transactio: Eius iustitiam prædicavit, & quoniam disertè forsan non contradixit ad grandiora caussæ momenta attentus Pontifex, existimavit Eusebius regulam ab illo probari. At certum est insigniter errasse. Nihilominùs reliqui eiusdem diœceseos Episcopi unâ voce adclamârunt: *Sponte subscripsimus.*

Quare gloriosi judices perrexerunt: *Relectis subscriptionibus, & & uniuscuiusque subscribentium depositione manifestatâ, quia nullâ necessitate, sed voluntate propriâ subscripserunt, hi qui non subscripserunt sanctissimi Episcopi quid edocent?* Nosse voluerunt rationes negati suffragij & subscriptionis. Primus è Pontica diœcesi respondit Eusebius Ancyranus Episcopus, primæ Galathiæ Metropolita: *Ego meum dicturus sum verbum, nullum in commune præiudicium faciens. Quoniam penitùs desisto à desiderio ordinationis, rebus ostendi. Petrus etenim Episcopus, qui modò testatus est, de Gangris est Episcopus. Ante hunc enim qui fuit ego ordinavi. Omnis enim civitas ad me venit in Ancyra, Decreta portantes. Respondi eis dicens: Ego non sum ex eis qui ordinare desiderant. Commemorabant verò mihi priores, qui fuerant ordinati ab Episcopo Ancyranorum, unum, alterum, tertium. Ego dixi: Quæcumque mihi dicitis, ego meipsum in iudicium non conijcio. Post hæc veniunt rogantes beatum Proclum.*

Quæstio hìc nascitur, Quâ auctoritate Metropolita Ancyranus consecrârit Paphlagonum Gangrensem? Etenim Nicæni Canones, uti peregrina judicia, ita & peregrinas præsertim Metropolitarum consecrationes vetant, fieri mandantes aut per Primatem aut Patriarcham, aut per Episcopos Comprovinciales. Cur igitur Gangrensis à Cappadocum Cæsareensi non fuit consecratus? Est quæstio obscura, de qua ignorantiam fateri malim, quàm sine fundamento divinare. Tres igitur Gangrenses Episcopos confirmârant & consecrârant Ancyrani, quartum verò Petrum consecrare noluit, sed Constantinopolim ad S. Proclum misit Eusebius, se ipsum nolens *in iudicium conijcere*, hoc est, in lites cum Episcopis Constantinopolitanis, prætendentibus omnes Ponticos Metropolitas esse suæ iam pridem consecrationis. Et hinc adlucet ratio, ex qua tres Gangrenses fuerint consecrati ab


An-

Ancyranis. Primates Cæsareenses sui adversùs Constantinopolitanum juris fuerunt semper tenacissimi, atque ita crediderim sacra illos lege seu jussione compulsos cedere, & à Metropolitarum consecrationibus cessare. Hinc Gangrenses nolentes Constantinopolitano caput subdere, & Cæsareensi subdere interdicti, ex more voluerunt consecrari atque inthronizari à maiori Episcopo, atque ita ad id Ancyranum elegerunt. Huic igitur mori pacis gratiâ cessit & cedit Eusebius, recusans tamen ipse apud Constantinopolim consecrari. Et edixit caussam: *Rogo ut civitates pro ordinatione non solvant. Si enim non in civitatibus ipsi hi, qui eliguntur à civitate, ordinantur à Synodo Provinciæ, solvuntur substantiæ. Et hoc probatum habeo, qui pro eo, qui ante me fuit, multa reddidi debita.* Non nudas Metropolitarum consecrationes, sed & ipsarum emolumenta diligebant Constantinopolitani Episcopi, ipsos gravantes non solis Annatis, sed ipsorum exhaurientes ad usque pauperiem Ecclesias, quas indignissimas rapinas varijs postmodò legibus compescuit Imperator Justinianus. Eas respexit etiam Pergamius in Pisidia Episcopus Antiochenus, in præsentem Episcoporum Constantinopolitanorum ambitum consentiens, verùm sub hac conditione: *Hoc solùm rogo, ut si qua aut per eorum Sanctitatis ignorantiam, aut per subreptionem inveniantur agi, pro eius gloria vel pace sanctarum Ecclesiarum, & eius apud omnes ad Deum comprobatione, hæc tamquam coram Patre discutiantur atque serventur.* Simoniæ huius infamiam à Regiæ civitatis Episcopo urbanè derivat in ministros, rogat corrigi, & deinceps à consecrandis Metropolitis nihil pendi, nisi quod ab ipso Patriarcha fuerit taxatum. Eadem de caussa Eusebius Ancyranus, sciens non ministrorum, sed ipsorum Patriarcharum esse vitium, in istum ambitum nolebat consentire. Respondit verò Philippus Presbyter Constantinopolitanus: *Ex regula hæc sublata sunt. Hæc legibus & regulis sublata sunt. Altaria munda sunt.* Ait extorsiones istas esse à secundo huius ipsius Synodi Canone damnatas, Patriarcham Anatolium esse à labe ista purissimum, ideòque nihil tale deinceps metuendum. Et Eusebius: *Per Dei gratiam opinio clara est sanctissimi Episcopi Anatolij; sed nullus immortalis existit.* Adfirmat vitium in successoribus facilè renasciturum, ideòque ambitui non facilè adsentiendum.

Hinc ex alio illum principio adgressus est ipse Anatolius: *A quo ordinatus es ipse?* Et Eusebius: *Hic malo meo repertus sum, & ordinatus à beato Proclo.* Ita tandem in ambitum consensit. Consensit & ipse Thalassius Primas Cæsareensis: *Pergimus ad Domnum Anatolium Archi-Episcopum, & statuimus illud.* Consentiebat & Primas Heraclæensis,

sis, Ephesina autem Ecclesia per Stephani & Bassiani dejectionem vacabat, atque hinc gloriosi judices pronunciârunt: *Oportet sanctissimum Archi-Episcopum Regiæ Constantinopolis, novæ Romæ, eiusdem Primatus honore frui, & ipsum suâ potestate ordinare Metropolitas in Asiana, & Pontica, & Thracia diœcesibus, secundùm hunc modum, ut Decreto facto à Clericis uniuscuiusque metropolis, & Possessoribus, atque clarissimis viris, super hac & à reverendissimis Episcopis Provinciæ omnibus aut pluribus eligatur is, quem præfati metropolitanæ Ecclesiæ Episcopi dignum esse probaverint. Referatur autem ab omnibus eligentibus sanctissimo Archi-Episcopo Regiæ Constantinopolis, ut penes eum sit, si velit, hunc qui electus est advenire, & hic ordinari, an secundùm eius permissionem in Provincia ex Decreto Episcopatum consequi. Vniuscuiusque tamen civitatis Episcopos ordinari ab omnibus aut pluribus Provinciæ Episcopis, potestatem habente Metropolitano secundùm Patrum regulas definitam, etiam nihil communicante in eorum ordinationibus sanctissimo Archi-Episcopo Regiæ Constantinopolis.* Et adclamavit universa Synodus: *Hæc iusta sententia. Omnes in hac sententia permanemus. Omnes eadem dicimus.* Verùm Lucentius Legatus gravissimè intercessit: *Sedes Apostolica præcepit nobis præsentibus omnia fieri, & ideò quæcumque in præiudicium Canonum hesternâ die gesta sunt nobis absentibus, Sublimitatem vestram petimus ut circumduci iubeatis; sin aliàs, contradictio nostra his Gestis inhæreat, ut noverimus quid Apostolico viro, & totius Ecclesiæ præcipuo Episcopo referre debeamus, ut ipse aut de suæ sedis iniuria aut de Canonum eversione possit ferre sententiam.* Nihilominùs Joannes Sebastiæ Episcopus, primæ Armeniæ Metropolita, ex totius Synodi sensu reposuit gloriosis judicibus: *Omnes in sententia vestræ Magnificentiæ permanemus.* Et ipsi gloriosi judices: *Quod interlocuti sumus, tota Synodus approbavit.* Ita generales apud Græcos celebratæ Synodi semper in cauda habuêre venenum.

FINIS.



ORDO SYNODORUM,

Quarum Canones ac Capitula hoc primo Tomo elucidantur.

INDEX PRIMVS,

Qui Synopsis instar, quidquid in Canonibus ac Capitulis hoc primo Tomo explanatis, decernitur, comprehendit.

A.

B.

C.

D.

F.

H.

I.

L.

M.

Mes-

N.

O.

P.

R.

S.

Sy-



INDEX SECVNDVS,

Qui res omnes atque doctrinas memorabiles, in Notis ac Scholijs hoc primo Tomo pertractatas, complectitur.

A.

B.

C.

Ca-

Vox,

D.

E.

Epi-

EU-

H.

Hy-

I.

Iussio-

L.

M.

Ad

N.

Cui

S.

T.

V.

V.

X.

X.

Z.

FINIS INDICIS.

